R. P. DIDACI DE AVENDAÑO SOCIETATIS IESV

THESAVRVS INDICVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. DIDACI
DE AVENDAÑO
SOCIETATIS IESV,
SEGOVIENSIS,

In PERVVIO iam pridem publici & primarij S. Theologiæ Profeſſoris, & in Sacro Inquiſitionis Sanctæ Tribunali adlecti Cenſoris,

THESAVRVS INDICVS,
SEV GENERALIS INSTRVCTOR
pro regimine conſcientiæ, in iis quæ ad INDIAS ſpectant.

TOMVS PRIMVS,

Ea continens, quæ ad Ciuilem præſertim conducunt Gubernationem.

Ex libris S. Pudentianæ



Monasterij de Vrbe

ANTVERPIÆ,
Apud IACOBVM MEVRSIVM.
Anno M. DC. LXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

REGIO INDIARVM CONSILIO

INTER SVPREMA CATHOLICI HISPANIARVM REGIS INSIGNI.

THESAVRVS INDICVS Regij ſanè iuris eſt, SENATVS Ampliſsime, & Theſaurum Indicum, non è terræ viſceribus extractum, ſed ex Sapientiæ receptaculis profundis elicitum, & Sapientium ductu ad communem vtilitatem ſtudio peruigili coaptatum, publicæ tradendum luci, Indicâ ex regione, omnium Reginâ, tranſmitto. Suos enim habet Sapientia Theſauros receptaculis pretioſis incluſos, de quibus Siracides, *Omnem*, inquit, *domum illius implebit à generationibus, & receptacula à Theſauris illius.* Cùm ergo Regij iuris ſit, Regijs videbatur obtutibus deſtinandus. Sed Claritudinem illam, humaniſsimam licèt, formidinis ingenuæ vellicatione ſuſpiciens, familiarius quærit hoſpitium, in quo & iuſtitiæ debitum, dum Cæſari, quod eſt Cæſaris, redditur, & cenſuræ votum, litteraturæ omnigenæ Primoribus reſeruatæ, cum maiore animi mei latitudine copulentur. Celſitudinem propterea Veſtram S. A. Sapientię glorioſa Congeries, ſingulare integritatis Exemplar, probatę fidei ſelectiſsima Concio, prudentiæ plus meritis quàm annis coronata Senectus, confidenter adeo: in quâ & Regius ſplendor, & fortunandi operis argumenta conueniunt. *Lætamur tales viros*

Sic Ordinationes, de quibus Titul. 5. Cap. 9.

Eccli. 1. v. 21.

Caſsiodorus Lib. 3. 33.

emergere, qui Senatoriâ mereantur luce radiare, vt laude conſpicuis deferatur gratia dignitatis. Erit ergo THESAVRVS præſens tali luce conſpicuus, ſi & probari contingat: in quo & pro Senatoriâ augendâ luce documenta non penitùs contemnenda ſuccurrent. Veſtra res agitur, Viri Clariſſimi; nec qualiſcumque, ſed animæ, conſcientiæ, æternitatis: & ſacra Sapientia, quæ in Conſilio habitationem ſuâ dignam Maieſtate conſtituit, vt clamat ipſa, dum ait: *Ego Sapientia habito in Conſilio*; ſuos etiam per me clamores cumulat: digniſſima equidem quæ & per me clamans, contemptibile aliàs organum, dum oracula tantummodò veritatis inſonant, audiatur. Vt & hoc loco ſit etiam illud veriſsimum: *Sanauit iterum Sapientia, per contemptibile lignum iuſtum gubernans.* Cumque opere in ipſo clamem, nec paucis profectò clamoribus, ad feliciſsimi curſus Celſitudinis Veſtræ fortunatum exitum, vt ſperare ſat iuuat, profuturis: hîc multus non ero, animum expreſsiſſe contentus; temporarium nihil, pro quo Veſtra ſolent fatigari ſubſellia, penitùs affectantem. Deo, Deo, (ipſum teſtor) non carni vnquam, aut ſanguini militaui: & modò Æternitati proximus militabo? Ne etiam

Prou. 8. v. 12.

Sapient. 10. v. 4.

Horatius Epiſt. 1. Lib. 2.

In publica commoda peccem,
Dum longo ſermone moror tua tempora, Præſes,
Præſidiumque Noui, curis & legibus, Orbis.

CELSITVDINIS VESTRÆ

minor ſeruus

DIDACVS DE AVENDAÑO.

INGENVO LECTORI.

SAcratioris Theologiæ partus iam pridem meditatus, ex quibus aliqui publicam iam lucem conſpexerunt, & ſcholis & ſuggeſtibus pro meo voto, vtinam & ſucceſſu parili, profuturi; aliud nunc ſcriptionis genus aggredior, vt quod eſt ætatis & virium reliquum, inter occupationes alias, religioſo proprias inſtituto, communibus faciam vtilitatibus deſeruire: *& quamuis ætas & infirmitas quietem potiùs deſiderent, quàm laborem*, vt cum Goffrido loquar *Lib.* 1. *Epiſt.* 14. illum tamen, non quia neceſſarium, ſed quia vtilem (quamquàm & neceſſarium erit fortè qui iudicet) non recuſo, vbi & debiti officij videtur titulus perurgere. Per quinquaginta enim iam ferè annos Indiarum incola, & in nobiliſſimo earum Tractu benignam & peculiarem Dei prouidentiam expertus, non poſſum non me iiſdem multipliciter agnoſcere debitorem. Vt ergo grati animi aliquale exhibeam monimentum (vtinam eſſet illud *ære perennius*) id deſtinaui animo, quod operis Titulus repræſentat. Neque enim generalem debui, aut potui, inſtructionem moliri, & ea omnia, quæ ad iudiciales cauſſas pertinent, geminatis & magnis voluminibus comprehendere, pro quo alij Iuris vtriuſque Conſultiſſimi deſudarunt. *Goffridus.*

Buccæ

Noſcenda eſt menſura tuæ: *Iuuenalis.*

quod prudenter admonuit Iuuenalis *Satyra* 2. Ideò rem conſcientiæ præſertim ago, & per ſacra diſcurro, dilucido, licèt breui ſæpiùs ſæpè compendio; quandoquidem materiæ grauitas non ſemper patitur breuitatem; amabilem profectò, vt me alibi cum Diuo Hieronymo admonuiſſe recordor. *Tomo I. Problemat. in Præfat.*

Quòd Theſaurum dixerim, nemo, vt arbitror, ſugillauerit: frequens enim ille apud ſcriptores Titulus; vnde extant: *Theſaurus ſacræ ſcripturæ, Theſaurus linguæ ſanctæ, Theſaurus linguæ Latinæ, Theſaurus linguæ Græcæ, Theſaurus vtriuſque linguæ, Theſaurus linguæ Caſtellanæ, Theſaurus Catholicus, Theſaurus Eccleſiaſticus, Theſaurus vtriuſque Theologiæ, Theſaurus caſuum conſcientiæ, Theſaurus Concionatorum, Theſaurus Geographicus, Theſaurus Politicus, Theſaurus Criticus, Theſaurus temporum, Theſaurus Sacerdotalis, Theſaurus Accurſianus, Theſaurus precum, Theſaurus verborum*, & omnium antiquiſsimus *Theſaurus orthodoxæ Fidei* D. Cyrilli Alexandrini. Quos, & alios, vti iactantiæ quidpiam præſeferentes, nullus ſanæ mentis ſuis Auctoribus exprobrauit. Et in præſenti quidem opere, vt Theſaurus dici poſſit, præter communem illam rationem rerum plurium & vtilium in multorũ commodum congeſtarum; illud ſpeciale occurrit, quòd ſcilicet pro Indiis militet, de quarum promouendâ, & conuenienter vrgendâ conuerſione agitur; quod eximium miniſterium D. Paulus, Gentium Doctor, Theſaurum compellauit, dum 2. *Cor.* 4. *v.* 7. ita ſcripſit: *Habemus Theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*: ſic enim graues Scriptores explicant, vt videri poteſt apud Patres Cornelium & Menochium, & exactiſsimos alios Litteræ Scrutatores. Tum etiam quòd cùm ex Indiis magnæ in Europam tranſmittantur diuitiæ, quas Theſauri nomine vſus frequentiſsimus indicat, vnde vulgatiſsimum illud, *El Teſoro de ſu Mageſtad;* qui tranſmitti ſcilicet quotannis *2. Cor. 4. v. 7.*

Digitized by Google

ſolet: Non equidem eâdem compellatione indignæ iudicandæ diuitiæ ſapientiæ ex magnorum Auctorum ſcriptis, quaſi ex locupletiſsimis Mineris, eductæ, & in opus pro Indiis, & in Indiis elucubratum ſolerter aptatæ, indeque in Europam traiectæ, vt ad plures etiam vtilitas Theſauri huius deriuetur. Sapientiſsimi Regis, cuius ore diuina eſt ipſa locuta Sapientia, verba ſunt illa: *Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut Theſauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies.* Sic Salomon *Prouerb. 2. v. 4.* Minerarios ergo vult eſſe ſapientiæ candidatos, & ita ſibi Theſauros comparare. Sed non qualeſcumque; eos tamen, qui ſapientiam habeant Dei timore peruigilem, & ſic conſcientiæ ſecuritati indefeſsè conſulentem. Hoc meum Opus, hic labor eſt *Theſaurus Indicus*: ſed pro conſcientiâ Indicorum quorumlibet inſtruendâ. *Diuitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia: timor Domini ipſe eſt Theſaurus eius.* Et hoc etiam ex cæleſtis ſapientiæ promptuario. *Iſaiæ* 33. *v.* 6. cuius vaticinium ad Eccleſiam ſpectat, cùm propagabitur fides, vt ibidem ſubditur: *& erit fides in temporibus tuis.* Sic multi apud P. Cornelium. Vnde congruentiſſimè ad Indiarum conuerſionem adſcſcendum, per quam eſt fides ampliſſimè propagata. Et iſthæc ſatis, vt inſtituti noſtri, & Tituli ratio ſufficiens habeatur.

Prou. 2. v. 4.

De ordine nihil, quem ſeries ipſa deſignat, & ſacrorum Canonum poteſt imitatione aliquatenus commendari. Stylus ipſe ſe prodit; non equidem nimis elaboratus, quia pro huiuſmodi rebus incongruus; ſed non penitùs inconcinnus. Cur enim talis? Quod in Ioanne Caſſiano à Gennadio laudatum *in illuſtrium virorum Catalogo*, laudabiliter vſurpandum, dum ſic ait: *Scripſit experientiâ magiſtrante, plano & librato ſermone.* Sic ille. Poteſt ergo & planus eſſe & libratus, vbi de conſcientiæ inſtructione, experientiâ magiſtrante, tractatur. Scio Origenem *Homilia* 9. *in Numer.* Theſaurum, de quo locutus Apoſtolus, gratiam eſſe diuini ſpiritûs cenſuiſſe, quæ in vaſis fictilibus, id eſt, in ſermonibus rudibus, inelegantibus, & impolitis, Legis & Euangelij abſcondita continetur. Sed quis potens ſicut Deus noſter, qui ſic gratiæ ſuæ potentiam manifeſtat? Nobis de humanis adminiculis addendum aliquid, quia humani ſumus, & cum humanis agimus, vt & humano etiam palato, hæc illecebra ad ſublimiora trahendo, blandiamur. Sic Patres, ſic Doctores ſacri; in quo, vti in re compertiſſimâ, non eſt cur ampliùs diſſeramus. Neque plura, vt æſtimo, à me Lector exquiret, cùm ſit experientiâ notum, paucis ex ijs, quæ huiuſmodi ſunt, contentos eſſe Lectores.

Gennadius.

Origenes.

INDEX

Digitized by Google

INDEX TITVLORVM, CAPITVM ET PARAGRAPHORVM TOMI PRIORIS.

TITVLVS I.

De Indiarum iure, & Catholicorum Regum obligationibus circa illarum adminiſtrationem.

CAPVT I.

AN liceat de Indiarum iure, in Catholicis Regibus dubitare.
§. I. *Negatiua Poſitio ſtabilitur.* Num. 1.
§. II. *Reſponſiones quorumdam confutatæ.* 7
§. III. *Certiſſimum donationis Pontificiæ fundamentum.* 13
§. IV. *De gradu certitudinis Aſſertionis propoſitæ.* 17
CAPVT II. *An earum terrarum, quæ occupatæ à Catholicis Regibus non ſunt, poſſit tutâ conſcientiâ expugnatio, & Coloniarum deductio, alijs Chriſtianis Principibus impediri.* 23
§. I. *De infidelibus & hæreticis quædam notatu digna præmittuntur.* Ibid
§. II. *Circa Chriſtianos Principes reſolutio affirmatiua.* 27
CAPVT III. *An Rex Catholicus Miniſtros Euangelicos in Indias proprijs expenſis mittere teneatur; & quales futuri.* 34
Corollarium peculiare. 41
CAPVT IV. *Vtrùm exteri in negotio conuerſionis Indorum rationabiliter excludantur.* 42
CAPVT V. *An, & quomodo debeat & poſſit Rex Catholicus Conquiſitorum merita munerari.* 47
CAPVT VI. *An præmia, quæ videntur Conquiſitorum propria, tuta conſcientia poſſint alijs, in Hiſpaniâ præſertim degentibus, applicari.* 57
CAPVT VII. *An licitè poſſint Reges Catholici Eccleſiaſticos benemeritos Indiarum ob eum titulum in Beneficiorũ præſentationibus anteferre.* 62
CAPVT VIII. *An Rex Catholicus ſpecialiter inſtructus eſſe debeat circa res Indicas, & ea, quæ in ipſis geruntur, graui conſcientiæ obligatione.* 77
CAPVT IX. *An Rex Catholicus tuta poſſit conſcientia eligere ad Indica officia quos velit, Regio non audito Conſilio, vel ipſius iudicium non ſecutus, etiam in Eccleſiaſticis.* 83
CAPVT X. *An in Beneficijs ſimplicibus, quæ ſunt Regiæ prouiſionis, in Indijs: & per concurſum conferuntur, poſſit Rex Catholicus minùs dignum præponere digniori.* 89
CAPVT XI. *An Rex Catholicus ſine lethalis culpæ reatu Indos poſſit, aut eorum aliquos, in totalem redigere ſeruitutem.*
§. I. *De generali ſeruitute reſolutio negatiua.* 98
§. II. *Quomodo aliquando licita Indorum ſeruitus.* 103
CAPVT XII. *Mineriſne effodiendis poſſint Indi, talem non meriti pœnam, ſine labe culpæ lethalis addici.* 109
CAPVT XIII. *An Reges Catholici ſecurâ conſcientiâ indulgere poſſint, aut permittere, Indorum ſeruitium perſonale.* 119
CAPVT XIV. *An Indi licitè poſſint ad labores alios Reipublicæ vtiles inuiti conduci, vel id debeant ſub grauis culpæ reatu Reges Catholici prohibere.*
§. I. *Recenſentur labores, & diuerſæ ſententiæ, ac prima Aſſertio proponitur.* 125
§. II. *Aſſertiones aliæ pro Indorum operis magis in ſpeciali.* 129
§. III. *Duæ aliæ Aſſertiones cum reſolutione vtilis quæſtionis.* 133
§. IV. *Aſſertio 7. circa Cocam, & notanda*

Digitized by Google

tanda quædam circa illam. 138
§. V. *Circa nonnullos alios Indorum labores extrema reſolutio.* 149
§. VI. *Additio circa genus quoddam ſeruitij Indorum ab eorum originem trahentis voluntate.* 153
CAPVT XV. *An ſine grauis conſcientiæ grauamine annua claſſium expeditio à Rege Catholico poſſit vllatenus impediri.* 156
CAPVT XVI. *An officia honoraria in Indijs vendi licitè à Rege Catholico poſſint.* 161
CAPVT XVII. *Reges Catholici, vt poſſint tributa Indis imponere.* 170

TITVLVS II.

De Regio Indiarum Conſilio, eiuſque coram Deo obligationibus, vt conſcientiæ ſecuritas habeatur. *Num.* 1.

CAPVT I.

AN *Regij Indiarum Conſiliarij ſub mortali teneantur rerum Indiarum ſpecialem notitiam ſtudio & inquiſitione ſolicita comparare.* 2
CAPVT II. *Conſiliarij Regij qualiter ad prouidenda ea, quæ negotium fidei in Indijs concernunt, teneantur.* 9
CAPVT III. *In proponendis ac conſultandis idoneis Miniſtris qualiter Conſiliariorum Indicorum conſcientiæ circa ſæcularia officia poſſint grauiter onerari.* 14
CAPVT IV. *Circa Eccleſiaſticas prouiſiones quæſtio eadem.* 22
CAPVT V. *Grauia quædam incommoda, quæ vitare Regij Conſiliarij debent in Epiſcoporum prouiſione, vt tuta eſſe ipſorum conſcientia queat.* 31
CAPVT VI. *An Conſilium Indiarum tutâ conſcientiâ cauſſarum decimalium cognitionem & deciſionem aſſumat.*
§. I. *Aſſertio prima propoſita & comprobata.* 44
§. II. *Reſponſiones quædam confutatæ.* 48.
§. III. *Circa duos Nouenos obſeruanda doctrina, & nouum robur ex Regiâ ceſſione.* 53
§. IV. *Vlterior probatio, & notanda quædam.* 57
§. V. *Inſtauratur probatio, & manifeſtus pro Aſſertione diſcurſus.* 64
CAPVT VII. *An Regium Indiarum Conſilium poſſit ſine graui conſcientiæ grauamine cauſſas Eccleſiaſticas ſ[illegible]ri, & præſertim ad perſonas Eccleſiaſticas pertinentes, per viam violentiæ ad ſe delatas, adhibita cognitione tractare.*
§. I. *Diuerſæ ſententiæ, & quædam ſpecialia pro affirmatiua.* 68
§. II. *Pro negatiua quæ videantur vrgere.* 73
§. III. *Reſolutio difficultatis, & quædam pro Indijs.* 79
§. IV. *Aſſertiones aliæ pro Religioſis, & dubij ſpecialis deciſio.* 83
CAPVT VIII. *Vtrùm Regium Indiarum Conſilium Pontificias Bullas ad res Indicas ſpectantes licitè tranſmitti prohibeat, niſi poſt earum inſpectionem, &c.* 91
CAPVT IX. *An Ordinationes Regiæ pro Conſilio Indiarum in conſcientiâ obligent Senatores.* 96
CAPVT X. *An Regij Indiarum Conſiliarij ſuis legibus teneantur.* 103
CAPVT XI. *Vtrùm Regium Indiarum Conſilium poſſit perſonas Eccleſiaſticas inordinatè procedentes in Hiſpaniam auocare.*
§. I. *Duplex ſententia, & vtriuſque fundamenta.* 109
§. II. *Reſolutio Aſſertionibus explicata.* 115
CAPVT XII. *An idem, quod de alijs, de Epiſcoporum auocatione aut remotione dicendum.* 123
CAPVT XIII. *An ratione ſtyli poſſint Regij Indiarum Conſiliarij in reſcriptis ad Eccleſiaſticos tranſmiſſis conſcientiæ grauamen incurrere.* 127

TITVLVS III.

De Proregibus Indiarum, eorumque obligationibus ad negotium animæ pertinentibus.

CAPVT I.

QVaLiter *Proreges Indici ad exemplum vitæ teneantur.* Num. 1.
CAPVT II. *Erga familiam qualis futurus Prorex Indicus, vt conſcientiæ ſtare iura poſſint.* 8
CAPVT III. *An liceat Indicis Proregibus quæſtuoſos contractus exercere.* 15
CAPVT IV. *An Proreges Indici munera poſſint accipere.*

§. I.

§. I. *Tribus Aſſertis obligationis qualitas ſtabilitur.* 22
§. II. *Tres aliæ pro eodem Aſſertiones.* 28
§. III. *Pro Religioſis Reſolutio poſtrema.* 32
CAPVT V. *An Proreges Indici vendere officia ſine lethali culpa poſſint.* 43
CAPVT VI. *Proreges an peccent, ab alijs ſtatuta mutantes.* 51
CAPVT VII. *Vt debeant Indici Proreges Regiorum Auditorum Conſilium adhibere.* 57
CAPVT VIII. *Proreges Indici quomodo debeant Regios Miniſtros honorare.* 59
CAPVT IX. *Pro Iuſtitia quomodo teneantur Proreges Indici militare.*
§. I. *De obligationibus circa Commutatiuam.* 63
§. II. *De Iuſtitiâ diſtributiuâ. Quomodo erga Benemeritos exercenda, & in Beneficiorum prouiſione.* 66
§. III. *De Iuſtitiâ vindicatiuâ; & quæ pro illâ vrgeat Proreges Indicos obligatio.* 79
CAPVT X. *Ordinationes Regias quomodo debeant Indici Proreges obſeruare.* 85
CAPVT XI. *De obligatione in negotiorum expeditione, ac in nonnullis alijs.* 89
CAPVT XII. *Quomodo Proreges poſſint in iudicum Ordinariorum annua electione, & aliorum Officialium, Capitulis Ciuitatum indultâ, peccare.* 94
CAPVT XIII. *De Proregum Indicorum obligationibus circa grauamina impoſitionum, ſiue exactionum.*
§. I. *Non licere illis; pro quo Aſſertiones tres.* 98
§. II. *Circa Siſam notanda quædam, & Aſſertiones aliæ.* 103
§. III. *Quoad Eccleſiaſticos quid in præmiſſâ exactione cauendum, vbi de ſpeciali quadam penitus reprobanda.* 108
§. IV. *De exactione alia, & quomodo toleranda; ac de obligatione reſtitutionis.* 113
§. V. *Circa licentiam Pontificis doctrina multiplex, varijs neceſſitatum generibus explicatis.* 120
§. VI. *Obligatio recurſus ad Pontificem ampliùs declaratur: & quando non cenſeantur laicorũ ſufficere facultates.* 128
§. VII. *Circa Indias, & Religioſos quid ſpeciale, cum vtili animaduerſione.* 135
CAPVT XIV. *An Proreges Indici ex Regijs bonis poſſint facere donationes.* 142
CAPVT XV. *Proreges Indici quomodo excommunicationi deferre teneantur.* 148
CAPVT XVI. *Circa nonnulla alia ad Indicos Proreges ſpectantia poſtremæ & breues Reſolutiones.* 152

TITVLVS IV.

De Regijs Auditoribus, ſeu Indicarum Cancellariarum Senatoribus, & de iis, quibus illorum conſcientiæ obligationibus prægrauantur.

CAPVT I.

Circa Indicorum Auditorum vitæ moderationem excurſio. Num. 1
CAPVT II. *Quomodo Togati Iudices in munerum receptione delinquant.* 8
CAPVT III. *De obligatione, quam habent Togati Indiarum Iudices aſſiſtendi Tribunalibus, & qualiter in officij negligenti adminiſtratione peccetur.* 14
CAPVT IV. *Auditores Regij Indiarum an licitè poſſint decimarum cauſas iudicare.* 18
CAPVT V. *An Indicæ Audientiæ intromittere ſe poſſint in moderandis ſtipendijs Miniſtrorum Eccleſiaſticorum.* 26
CAPVT VI. *Audientiæ Indicæ an circa funeralia poſſint iudicialiter diffinire.* 33
CAPVT VII. *Quid Indicæ Audientiæ ſine conſcientiæ labe poſſint circa ſpolia Epiſcoporum.* 38
CAPVT VIII. *In recurſu per viam violentiæ, & ſimilibus, Indicos Auditores quomodo peccare contingat.* 46
CAPVT IX. *Circa Religioſorum iudices Conſeruatores qualiter peccare ſit obuiũ.*
§. I. *Aſſertiones quatuor deciſiuæ.* 56
§. II. *Aſſertio 5. magis ſpecialis.* 60
§. III. *Aſſertio 6. de verbalibus documentis.* 64
CAPVT X. *Circa inquiſitionem de commiſſis mercium prohibitarum, vulgò de* Contrauando, *qualiter delinquere Indici poſſint Auditores.* 67
§. I. *Pro reſolutione Aſſertio duplex.* Ibid.
§. II. *Duæ aliæ Aſſertiones, & doctrina multiplex.* 72
CAPVT XI. *De Auditore pro Defunctorum bonis Iudice conſtituto, & qualiter illius poſſit conſcientia in huius officij executione grauari.* 76

§. I.

Digitized by Google

§. I. *Explicatum officium, & prior pro illo Reſolutio.* Ibid
§. II. *Duplex pro eodem Aſſertio.* 78
§. III. *Circa iuriſdictionem notandæ deciſiones.* 83
§. IV. *Quid effici pro animabus oporteat Defunctorum.* 88
CAPVT XII. *De Auditore Regiæ Claſſis, Viſitatore, & nonnullis alijs ad ſpecialia munera deputatis.* 90
§. I. *De quatuor ex illis.* Ibid
§. II. *De Iudice Mediæ Annatæ.* 94
§. III. *De Iudice Menſatæ.* 97
CAPVT XIII. *Qualiter Indicorum Auditorum conſcientiæ grauari poſſint, dum ſe inhonorantium vindictam proſequuntur.*
§. I. *Inhonorationem non eſſe ſacrilegium, & quando crimen læſæ Maieſtatis.* 101
§. II. *Quid de Eccleſiaſticis iniuriarum auctoribus.* 103
§. III. *Circa Concionatores in munere moderationis regulas tranſgredientes.* 110
CAPVT XIV. *In ijs, quæ ad Academias ſpectant, qualiter delinquere ſit obuium Indicos Auditores.* 115
CAPVT XV. *Circa ſalarium, quæ conſcientiæ onera eſſe poſſint in Regijs Auditoribus.* 124
CAPVT XVI. *Auditores Indici an peccent ſine licentia Regis Matrimonium intra Prouinciam contrahentes, vbi quædam alia circa illud.*
§. I. *Licita eſſe ſtatuitur.* 129
§. II. *Aſſerta alia pro eodem.* 134
§. III. *Ampliatio Reſolutionis.* 137
§. IV. *Quid de filijs ex occulto coniugio natis.* 139
§. V. *Peculiaris caſus diſquiſitio.* 143
CAPVT XVII. *De obligatione ſecreti in Auditoribus Indicis.* 146
CAPVT XVIII. *De obligationibus Togatorum iudicum pro criminibus puniendis.*
§. I. *Quædam cum reis agendi ratio in eiſdem improbata.* 151
§. II. *Circa eos, qui in Hiſpaniâ vxores habent, quid præſtandum, & alia pro eorumdem vigilantia rebus diuerſis applicata.* 155
CAPVT XIX. *Regij Pretorij Fiſcales quibus conſcientiæ oneribus vrgeantur.* 163
CAPVT XX. *Miniſtri Togati qualiter grauare ſuas conſcientias poſſint, dum ſunt obnoxij Syndicatui: Vbi de Proregibus aliquid.*
§. I. *Circa falsò iurantes, & inducentes, notandæ reſolutiones.* 171
§. II. *De inductione teſtium ſpeciali, & obligatione reſtitutionis ratione illius.* 176
§. III. *Nonnulla alia notatu digna circa materiam eamdem.* 187
CAPVT XXI. *De Miniſtris alijs Indicarum Audientiarum & quomodo negotium conſcientiæ debeant pertractare.*
§. I. *De Maioribus Alguacellis.* 192
§. II. *De Relatoribus, & Cancellario.* 200
§. III. *De Tabellionibus ſeu ſcribis, qui dicuntur de Camera, & alijs Indicorum Pretoriorum.* 204
§. IV. *De Senatoribus.* 211
Appendix de Aduocatis. 214
De Procuratoribus. 219

TITVLVS V.

De Regiis Officialibus pro adminiſtrando Regali patrimonio in Indiis deputatis, & eorum in foro animæ obligationibus.

CAPVT I.

Rationalium Maiorum obligationes pro maiori etiam referuntur. Num. 1
CAPVT II. *De Officialibus Regiis minorum tribunalium, & Primò circa munerum acceptionem.* 12
CAPVT III. *De negotiatione cum Regia pecuniâ, & emptione eorum, quæ in ſubhaſtatione venduntur.* 14
CAPVT IV. *Duæ aliæ obligationes, & difficultas ſpecialis circa vnam, cùm iuſſio Proregis vrget.* 17
CAPVT V. *Obligationes aliæ. Et de vitiata pecunia damnabile lucrum expunctum.* 20
CAPVT VI. *De Officialibus ad iura Regia curanda in partibus deputatis.* 23
CAPVT VII. *Quomodo vnus Regius Officialis pro aliorum delictis in conſcientiæ foro teneatur.* 29
CAPVT VIII. *De iis, ex quibus in Indiis Regium patrimonium integratur. Et quomodo illa tractanda ne tractantium conſcientiæ degrauentur.*
§. I. *An Quintatio in conſcientiâ debeatur.* 32
§. II. *Dubiorum quorumdam circa præſtationem Regiorum iurium reſolutio.* 50
CAPVT IX. *De Theſauris Indicis, & quæ conſcientiæ obligationes circa illos.*
§. I. *Duo quædam ſpecialia ex Regiâ Ordinatione.* 55
§. II. *Duo alia: Vbi ſpecialiter de inuentis in locis ſacris.* 61
§. III. *Vlteriores reſolutiones de Viſitatoribus*

toribus Eccleſiaſticis, & inuentis induſtriâ diaboli. 66
CAPVT X. De margaritis, pretioſis lapidibus, & quibuſdam aliis. 74
CAPVT XI. De argento viuo & quæ in illius emolumentis conſcientiæ nocumenta poſſint admiſceri. 79
CAPVT XII. De bonis vacantibus, & iis, quæ ab inteſtatis relinquuntur.
§. I. Quæ circa hoc leges, & qualiter obligent. 86
§. II. Quid circa obligationem diſtribuendi in opera pia. 91
§. III. Circa bona Inteſtatorum. 97
§. IV. Præſcriptio vt iuuare in præſenti poſſint. 100
CAPVT XIII. De Naufragantium bonis, & quæ Rex poſſit inde ſibi emolumenta vendicare. 104
CAPVT XIV. De emolumentis Regiis ex bonis Eccleſiaſticis. 110
CAPVT XV. De Gabellâ, quæ dicitur Alcauala. 117
CAPVT XVI. De vectigali maritimo, vulgò Almoxarifazgo.
CAPVT XVII. De vectigali alio maritimo, vulgò Aueria. 129
CAPVT XVIII. De Regiis aliis emolumentis ex pœnis Commiſſi prouenientibus.
§. I. Duæ ſpeciales prohibitiones expenduntur. 137
§. II. Circa tres alias prohibitiones. 143
CAPVT XIX. De pœnis Regiæ Cameræ, & pro expenſis iuſtitiæ. 147
CAPVT XX. De Regiis emolumentis ex confiſcationibus. 154
CAPVT XXI. De agris, paſcuis, montibus, & fluminibus, ac Regio eorum in Indiis dominio, compendioque fiſcali ex eiſdem. 158
CAPVT XXII. De officiis vendibilibus & prouentibus ex eiſdem Regio patrimonio adiectis.
§. I. An tranſactâ venditione poſſit Rex contra illam reclamare, & læſionem opponere, eò quòd minori valde pretio fuerit celebrata. 167
§. II. An ob non ſeruatam contractus fidem poſſit eſſe locus compenſationi. 169
§. III. Cùm Rex præcipiat vt in venditione officiorum idonei & benemeriti præferantur, & minori pretio illa habeant; an hoc decretum in conſcientiâ obliget ex iuſtitiâ cũ onere reſtitutionis. 170
§. IV. An leges renuntiationis ſint iuſtæ & obligent in conſcientiâ. 173
§. V. An liceat renuntiatio facta in fauorem filiorum in eâ ætate, in quâ illi ſeruire nequeunt, dummodò per ſubſtitutum id præſtare queant. 175
§. VI. An qui officium emit, allegare poſſit enormiſſimam læſionem. 179
§. VII. An officium renuntiari poſſit in fauorem Eccleſiæ, aut Religionis. 180
§. VIII. Difficultas ſpecialis de venditione poſt retractum à Fiſcali Regio facta circa officij pretium. 182
§. IX. De obligatione petendæ confirmationis. 183
CAPVT XXIII. De Regiis Commendis, & magnis inde prouentibus. 186
CAPVT XXIV. De Monopolio niuis & Regio inde compendio. 189
CAPVT XXV. De tabernarum peculiari deſignatione ad incrementa Regij patrimonij. 193
CAPVT XXVI. De prouentu vinearum Indicarum. 197
CAPVT XXVII. De papyri ſignatæ quæſtuoſa nundinatione. 202
CAPVT XXVIII. De conceſſione Bullæ Cruciatæ, & emolumentis Indicis, ſecundùm ſpecialia pro Indiis.
Dubium I. Quid faciendum ſi tranſacto biennio, Bullæ pro ſequenti publicatione non ſuppetant. 212
Dub. II. An Prorex inhibere poſsit Commiſſarium, quando ille commiſsionis limites videtur tranſilire. 220
Dub. III. Circa taxam pecuniæ ab accipientibus Bullam tribuendæ. 222
Dub. IV. Circa vſum ouorum, lacticiniorum, lardi, & butyri ſuilli. 226
Dub. V. Circa Bullam compoſitionis. Vbi ſpecialis difficultas cùm quantitas eſt ingens, & ſupra communem compoſitionis modum. 231
Dub. VI. Circa Bullam Defunctorum. 242
Appendix. An Religioſis liceat vſus Bullæ Cruciatæ. Et qualiter.
§. I. Vſum eſſe quoad aliqua licitum, & qualis debeat modus in eleemoſynæ contributione ſeruari. 254
§. II. Quoad ieiunia quid Religioſis liceat per Bullam. 259
§. III. An vſus Bullæ quoad ieiunia, & alia, poſsit à Prælatis limitari. 266
§. IV. Bulla an ſit Religioſis neceſſaria ad Indulgentias lucrandas, & gratiarum aliarum fruitionem. 273
Difficultas I. Quid nomine Indulgentiarum, Gratiarum, & Facultatum intelligatur in exceptione pro Ordinibus Mendicantibus. Vbi de formâ abſolutionis per Bullam. 275
Difficultas II. Quid Religioſis circa Indulgentias liceat ſine Bulla. 282

Diffi-

Digitized by Google

Difficultas III. *Circa Indulgentiam conceſſam viſitantibus quinque Eccleſias aut altaria.* 295
Difficultas IV. *Circa Gratias quid ſine Bulla poſſint Regulares.* 307
Difficultas V. *De Facultatibus non reuocatis pro Religioſis, & præſertim circa electionem Confeſſarij.* 316
Bullam pro eligendo Confeſſario non ſuffragari in ordine ad reſeruata. 324
Vnica ſolidiſſima, atque irreſragabilis probatio ex Pontificiâ auctoritate. 328
Prima reſponſio confutata. 329
Nonnullæ aliæ diſiectæ reſponſiones. 333
Circa Nouitios quomodo fauorabilis Bulla. 340
De Religionibus Militaribus. 344

TITVLVS VI.

De Gubernatoribus, & Prætoribus Indorum.

CAPVT I.

AN iuramentum, quod Prætores Indorum præſtant, ſit obligatorium in conſcientiâ. Num. 1
CAPVT II. *Explicantur in particulari ea, ad quæ Prætorum Indicorum iuramentum extenditur.* 7
CAPVT III. *Qualis reſtitutionis obligatio ex præcedentibus capitibus oriatur.* 17
CAPVT IV. *Quædam alia Indicorum Prætorum conſcientiæ onera percurruntur.* 25

TITVLVS VII.

De Indorum Commendatariis. *N.* 1.

CAPVT I.

DE iuramento fidelitatis & aliorum, ad cuius Commendatarij præſtationem obligantur. 2
CAPVT II. *Obligatio tuendi Indos ſibi commendatos expenditur in Commendatarijs, & quomodo qui in Hiſpania degunt, debeant eidem ſatisfacere.* 5
CAPVT III. *De obligatione circa ſpiritualia ſpecialiùs agitur.* 12
CAPVT IV. *Grauamina conſcientiæ in Commendatarijs ex oneribus circa Commendatos cumulatis.* 16
CAPVT V. *Circa modum reſtitutionis Commendatarijs ſeruandum. Vbi & pro alijs reſpectu Indorum.* 19
CAPVT VI. *In tributis exigendis qualiter grauari Commendatariorum conſcientiæ poſſint.* 22

TITVLVS VIII.

De Capitulis Ciuitatum, & diuerſis eorum Officialibus.

CAPVT I.

CApitulares Ciuitatum, ſiue Rectores, an pro electione officialium accipere aliquid poſſint, & quædam alia circa illud. Num. 1
CAPVT II. *De electione Alcaldiorum, & qualiter in illâ ſoleant delinquere Senatores, vbi & de iuramenti obligatione.* 8
CAPVT III. *Alcaldiorum obligationes in conſcientiæ foro ſpecialiùs explicatæ.* 13
CAPVT IV. *Senatores vrbani an abeſſe poſſint ad cœtum vocati in Indijs. Vbi de peculiaribus quorumdam muneribus.* 25
CAPVT V. *Circa obligationes Fidelis Executoris.* 30
CAPVT VI. *Generalis Depoſitarij obligationes pro foro animæ.* 33
CAPVT VII. *De Miniſtris Vrbanorum Senatuum.* 38

TITVLVS IX.

De Conſulatu Mercatorum, & aliis ad Indicos contractus ſpectantibus. *N.* 1

CAPVT I.

QVi indicandi modus in Conſulatu debeat obſeruari. 2
CAPVT II. *In quibus Iudices Conſulatus grauiter peccare contingat.* 6
CAPVT III. *De contractu argentearum pinnarum.* 11
Difficultas circa obligationem legum, quæ perfectionem auri & argenti præſcribunt, in quibus contractari licet. 20
CAPVT IV. *De contractu argenti ſignati Regia marcha, vulgò* de Barras. 23
Difficultas I. *An ſit graue peccatum Barras ponderis maioris efficere.* 23
Difficultas II. *Contractatio in illis quomodo licita habentibus determinatum valorem.* 26
Difficultas III. *Qualiter Eccleſiaſticis probibita. Caſus ſpecialis.* 33
CAPVT V. *De contractu Argenti viui.* 45
Circa venditionem alijs præter Regem factam, Diſquiſitio. 52

Circa

Digitized by Google

Circa pretium Difficultas. 55
De obligatione alia ex contractu prædicto reſultante. 58
CAPVT VI. *De contractu circa Indos pro Mineris aſſignatos.* 67
CAPVT VII. *De contractu alio Indis & Hiſpanis Metallarijs vſitato.* 73
CAPVT VIII. *An Mercatores Indici poſſint merces ex Europâ allatas pro libitu vendere, aut per publicam poteſtatem poſſit pretium debitu cum moderatione taxari.* 81
CAPVT IX. *De lucro ceſſante, & quomodo in contractibus Indicis illius ſit habenda ratio.* 98
Circa lucrum ceſſans in mutuo Difficultas. 105
CAPVT X. *De periculis quæ habenda ratio in Indicis contractibus.*
Difficultas I. *In mutuo an paciſci de aliquo præmio poſſit.* 111
Difficultas II. *Stante aſſecuratione.* 121
Difficultas III. *Ex præfata emergens.* 122
Difficultas IV. *De ſimulante ſe fidelem & ſecurum.* 123
De Moleſtia. 124
Specialis argumenti enodatio. 125
CAPVT XI. *De damno emergente circa Indicos contractus.* 127
CAPVT XII. *Contractus alij Indici percurruntur, præſertim Eccleſiaſticorum.*
§. I. *De contractu circa Cocam.* 140
§. II. *De aliquibus Religioſorum Contractibus, qui negotiationem videntur præſeferre.* 141
§. III. *De contractibus Clericorum, & ſpeciali pro Indijs prohibitione.* 145
§. IV. *Circa Parochos Indorum quid ſpeciale ex Concilio Limenſi.* 151
§. V. *Circa diſpenſationem notanda doctrina.* 155
Digreſsio circa poteſtatem diſpenſandi in Decretis Concilij Prouincialis. 158
§. VI. *Poſtrema reſolutio, & ſolutæ obiectiones.* 167
§. VII. *De nonnullis alijs Religioſorum & Clericorum contractibus.* 173
§. VIII. *De contractu Æthiopicorum mancipiorum.* 180
P. Molinæ Pronuntiata vt faueant, & quàm conſequentia ſint. 187
P. Rebellus pro Æthiopum libertate vt pugnet, cuius Aſſerta proponuntur. 195
Quid ſentiant alij, & quid in præſenti cauſſa iudicandum. 200
§. IX. *De contractu cum Commendatarijs Mercatorum.* 212

TITVLVS X.

De Indicis Minerariis. *Num.* 1.

CAPVT I.

E*Numerata quædam, in quibus Minerarij manifeſtè delinquunt.* 2
CAPVT II. *Vtrùm Ordinationes circa detectionem, & iuridicam manifeſtationem Minarum, obligent in foro conſcientiæ.* 13
CAPVT III. *De conquirentibus Minas in fundis alienis.* 17
CAPVT IV. *Minarum pretium quomodo computandum.* 22
CAPVT V. *Minerarius an poſsit viuum argentum vendere pro Minis proprijs à Regiis Officialibus acceptum.* 26

TITVLVS XI.

De Protectoribus Indorum ac quibuſdam aliis.

CAPVT I.

P*Rotectores Indorum quibus ſint obligationibus intra conſcientiæ forum obnoxij.* Num. 1
CAPVT II. *De Adminiſtratore cenſuum Indorum.* 7
CAPVT III. *De Adminiſtratore Hoſpitalium Indorum.* 12

FACVLTAS

Digitized by Google

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

PHilippus de Oſſa Societatis Ieſu in Prouinciâ Toletanâ Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad id mihi factâ à R. Admodum Patre noſtro Ioanne Paulo Oliua Præpoſito Generali, facultatem facio vt liber inſcriptus Theſaurus Indicus, duobus tomis diſtinctus, Auctore Patre Didaco de Auendaño noſtræ Societatis Theologo, & eiuſdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas & ſigillo noſtro munitas dedimus. Matriti in noſtro imperiali Collegio die decimâ-quintâ Decembris, anno Milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quarto.

PHILIPPVS DE OSSA.

APPROBATIO CENSORIS.

INfraſcriptus legi librum, cui titulus R. P. Didaci de Auendaño Societatis Ieſu Theſaurus Indicus, cum atteſtatione R. P. Philippi de Oſſa eiuſdem Societatis, Prouinciæ Toletanæ Præpoſiti Prouincialis, quâ declarat eumdem grauium doctorumque hominum iudicio approbatum, typis mandari poſſe; præſentium tenore fidem facio eumdem nihil continere quod Fidei Catholicæ aut bonis moribus aduerſetur. Datum Antuerpiæ XII. Septembris, anno Domini M. DC. LXVII.

Aubertus Vanden Eede I. V. L. Protonot. Apoſtolicus,
Canon. & Archidiac. Antuerp. Librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

CAROLVS Dei gratiâ Hiſpaniarum Indiarumque, &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit; ne quis librum, cui titulus eſt R. P. Didaci de Auendaño Societatis Ieſu Theſaurus Indicus, duobus tomis diſtinctum, citra Iacobi Meurſij voluntatem, proximis nouem annis imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in Germaniæ inferioris ditiones importet, venalemúe habeat: qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XVI Decembris anni M. DC. LXVII.

Signat

LOYENS.

Digitized by Google

THESAVRI, ET INSTRVCTORIS INDICI

TITVLVS PRIMVS.

De Indiarum jure, & Catholicorum Regum obligationibus circa illarum adminiſtrationem.

Cùm prædictum Ius ampliſſimæ hujus diſputationis fundamentum ſit, ab illo exordium eſt optimo iure captandum: Vnde pro eo rogat

CAPVT I.

An liceat de jure Indiarum in Catholicis Regibus dubitare.

§. I.

Negatiua Poſitio ſtabilitur.

Card. Bell.

Papam habere poteſtatem in temporalibus, dogma certum.

N. 1 STat pro illâ id, quod Cardinalis Bellarminus *Tractatu de Poteſtate Pontificis in temporalibus*, ſapienter oſtendit, præſertim *Cap.* 3. vbi benè admonet contra Gulielmum Barclaium, poteſtatem Pontificis in temporalibus non eſſe rem dubiam, neque ab opinionibus pendere Doctorum. Id enim ſacri Canones variis in locis determinant: pro quo etiam Diana ſtrenuè & eruditè decertat *Parte* 1. *Tract.* 2. *Reſolut.* 122. *&* 123. *Parte* 10. *Tract.* 6. *Reſolutione vnica & Tract.* 17. *At primò ex additis, Reſolutionibus præſertim* 8. *&* 9. Vbi plurimos congerit huic dogmati ſuffragantes. Et vt alia prætercam, veritatem iſtam luculenter probandam, & definiendam aſſumpſit Bonifacius Octauus in Extrauag. *Vnam Sanctam*, in quâ, cùm de duobus gladiis, ſpirituali ſcilicet & materiali, quibus inſtructa Eccleſia, elegantem diſcurſum præmiſiſſet, ſic concludit: *Porrò ſubeſſe Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ, declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.* Sic ille: vbi ſenſus eſt juxta præmiſſa; ſubeſſe inquam omnem humanam creaturam, non ſolùm ſpiritualiter, ſed temporaliter: de ſpirituali enim dubium non ſuberat, cùm Chriſtus Diuo Petro omnes oues commiſerit; pro quo *ibidem* Pontifex ſic locutus: *Dicente Domino ipſi Petro: Paſce oues meas. Ioan.* 21. *v.* 17. *meas inquit & generaliter, non ſingulariter, has vel illas: per quod commiſiſſe ſibi intelligitur vniuerſas.* Ita ille: vnde quod ſpecialiter ſuâ definitione conſtituit, ad temporalem pertinet poteſtatem: ex quo orta in Rege Franciæ, & regnicolis illa ſuſpicio, quam Clemens Quintus ſuâ Conſtitutione ſubmouit, declarans per definitionem & declarationem dictam, nullum Regi & regno præjudicium generari; neque ampliùs Pontifici ſubjectum, quàm ante prædictam declarationem & definitionem. Et meritò quidem: nam Bonifacius ſuâ declaratione & definitione, nouum jus non ſtatuit, ſed quod erat Eccleſiæ proprium, declarauit, & vti Fidei dogma ſtabiliuit. Non ergo major inde in Regibus, & aliis exorta ſubjectio, ſed quæ diuinitus data Pontifici, manifeſtiùs declarata. Pontifex enim procedens per viam declarationis, nihil noui inducit, neque alteri præjudicat: vt obſeruat Mareſcotus *Libro* 2. *cap.* 24. *n.* 52. Gomecium allegans id pleniùs proſequentem.

Diana.

Pontificia pro eo definitio.

Duo gladij à Chriſto dati.

Extrau. Vnam Sanctam.

Omnes oues commiſſæ.

Ioan. 21. *v.* 17.

Ex Bonifacij VIII. Conſtitutione non eſt noua inducta ſubiectio.

Nullum ius declaratio inducit, neque alteri præiudicat.

Mareſcot.

2 Tunc vltra. Virtute huiuſmodi poteſtatis non ſolùm Indicæ conquiſtæ facta copia, ſed & ampliſſima conquiſitarum & conquirendarum Regibus Catholicis à Pontifice indulta largitio, vt ex Bullis conſtat authenticis: non ergo licet de illorum jure inter legitimos Eccleſiæ filios dubitare.

Poſitio ſuperior ratione monſtratur.

Vbi non ſatisfacit ſcribentium quorumdam effugium, qui dicunt Catholicis Regibus ſolam Euangelicorum miniſtrorum tranſmiſſionem, & conuertendorum protectionem ſolicitam demandatam, ſupponendo legitimam aliàs futuram expugnationem, juxta illa, quæ Doctores pro ipsâ honeſtandâ requirunt. Qui, cùm ſic loquuntur, manifeſtè indicant præfatas ſe donationis Bullas minimè perlegiſſe; ex quibus præcipua, ſcilicet Alexandri Sexti, *die* 4. *Maij anni* 1493. ſic habet: *Auctoritate Omnipotentis Dei nobis in Beato Petro conceſſâ, ac Vicariatûs* IESV *Chriſti, quâ fungimur in terris, cum omnibus illarum dominiis, ciuitatibus, caſtris, locis, & villis, juribuſque, & juriſdictionibus, ac pertinentiis vniuerſis, vobis, hæredibuſque & ſucceſſoribus veſtris (Caſtellæ & Legionis Regibus) in perpetuum tenore præſentium, donamus, concedimus, & aſſignamus, &c.* Sic ibi Pontifex; quod in Bulla alia eiuſdem Datæ confirmat, prioris factâ memione, cum priuilegiorum auctario, quæ regibus fue-

Euaſio præcluſa ac ſolâ in Catholicis Regibus protectione.

Dominium datum oſtenditur.

Digitized by Google

rant Portugalliæ conceſſa pro ſimilibus expeditionibus. *Repertas, & reperiendas in poſterum, quæ ſub actuali dominio temporali aliquorum Dominorum Chriſtianorum conſtitutæ non eſſent, cum omnibus illarum dominus, ciuitatibus, caſtris, locis, villis, juriſdictionibus vniuerſis, vobis, hæredibuſque & ſucceſſoribus veſtris (Caſtellæ, & Legionis Regibus) in perpetuum motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, atque de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, donamimus, conceſſimus & aſſignanimus.* Verba illius ſunt.

Et inueſtitura.

3 Pro quo & extat Bulla alia eiuſdem, *annò eodem, ſexto Kalendas Octobris,* in quâ donationem extendit, & roborat, inueſtituræ jam factæ mentione ſubjunctâ, illis verbis: *Voſque, ac hæredes, ac ſucceſſores præfatos, de illis inueſtinimus &c.* Conſtat autem apud omnes ſacrorum Canonum, & Ciuilis juris vel mediocriter conſcios, quid inueſtitura ſit, miſſio ſcilicet in poſſeſſionem, aut titulus ad illam, cui ſtare debet inueſtiens, & inprimis Eccleſia, vt habetur in cap. *Per tuas,* de donationibus, in quo inueſtiti ab Epiſcopo Florentino nobiles quidam de certo fundo ob quoſdam terræ modios ex præcepto Pontificis attributos, apud eumdem de fraude in menſurâ adhibitâ conqueruntur, & ſic reſpondet illis: *Nos igitur attendentes, quòd Eccleſia in actibus ſuis fraudem non debet aliquam adhibere; reſpondemus quòd feudum ipſum ſecurè poteris integrare, cùm terra illa quatuor modiorum ipſis fuerit aſſignata.* Sic ibi. Quod & præſenti cauſæ conuenienter poſſumus adaptare: quandoquidem Pontifex Catholicis Regibus noui orbis terras donauit, conceſſit, aſſignauit, vt ipſe loquitur. Si ergo donatio, conceſſio & aſſignatio nulla fuit, meritò illi poſſent, & eorum pariter hæredes poterunt apud Apoſtolicam Sedem fraudem maniſeſtiſſimam proclamare.

Quid illa vide P. Oñate diſp 117. de Contractib. Cap. Per tuas.

Fraus non eſt in Eccleſiæ actibus.

4 Nec prætereundum id, quod in citatâ Bullâ 2. quæ incipit: *Eximiæ deuotionis ſinceritas,* poſt adducta verba, in hunc modum habetur: *Cùm autem aliàs nonnullis Portugalliæ Regibus, qui in partibus Africæ, Guineæ, & Mineræ auri, ac alias inſulas etiam ex ſimili conceſſione & donatione Apoſtolicâ eis factâ repererunt & acquiſierunt, per Sedem Apoſtolicam diuerſa priuilegia &c.* Ex hoc enim habemus donationē & inueſtituram in terris Indiarum non à ſolo Alexandro Sexto factam, ſed etiam aliàs à Sede Apoſtolicâ diuerſis Portugalliæ Regibus: vt iterata huiuſmodi conceſſio jus arguat in illâ non dubium, ſed inuiolabili ſubnixum veritati.

Donatio Regibus Portugalliæ à Sede Apoſtolicâ facta.

5 Et prædicta quidem verba maniſeſtè conuincunt deceptum Leonardum Coquæum, virum ſanè eruditiſſimum, & optimè de Sede Apoſtolicâ meritum, dum *in Antimornao contra progreſſum 64. pag. 307.* ita ſcribit: *Et eodem diplomate Pontifex declarat ſe nullo modo tollere jus quæſitum alijs principibus Chriſtianis in illas inſulas & terras, quos judicat fuiſſe juſtos dominos, etſi nullâ auctoritate Apoſtolicæ Sedis illarum dominium adepti fuiſſent, & Orientalis Indiæ &c.* Cùm enim conſtet ex conceſſione & donatione Apoſtolicâ prædictas terras & inſulas à Chriſtianis Principibus acquiſitas; non priùs earum veros dominos fuiſſe apertiſſimè comprobatur. Quod quidem ex non viſis Pontificiis Bullis accidit Auctori prædicto, ſicut & aliis, qui propterea minùs ſunt accuratè in cauſâ præſenti locuti. Neque Alexander Sextus conceſſionem aliquam aut donationem viuâ voce factam à Prædeceſſoribus, aut ſcripto firmatam, nobis tamen incognitam, memoratur; extat enim Nicolai Quinti, viri profectò ſanctiſſimi. Ne quiſpiam Alexandri minùs probatam vitæ rationem obiiciat: (quod tamen impertinens ad intentum,) cujus vitia virtutes æquarunt, vt videri poteſt apud Petrum Opmeerum *in opere Chronologico circa annum* 1502. Immò & ſuperarunt, vt oſtendit Thomas Bozius *lib. 7. de ſignis Eccleſiæ, cap. 7.* & Caliſti Tertij, quæ videri poteſt apud Dom. Solorzanum *Tomo 1. de Indiarum jure lib. 2. cap. 24. n. 29.*

Sine illâ nullum in Chriſtianis Principibus dominium, in quo deceptus Coquæus.

Aliæ Pontificum conceſſiones.

Alexandri VI. probitas propugnata.

Opmeerus. Bozius. Solorzan.

6 Hinc eſt vt Cardinalis Bellarminus, qui *lib. 5. de Romano Pontifice cap. 2. §. vltimo,* minùs conuenienter de præfatâ Alexandri fuerat donatione locutus, poſteà in Retractationibus ad eumdem librum, ita ſcribat: pag. 508. *Quod attinet ad Bullam Alexandri Sexti de diuiſione orbis nuper inuenti, & debellatione Indorum Occidentalium, cùm ea ſcriberem, Bullam non videram, & ideò ſecutus ſum doctrinam Cardinalis Cajetani in 2. 2. q. 66. art. 8. Franciſci Victoriæ in 2. Relectione de jure belli, & Dominici Soto in 4. ſent. diſt. 5. quæſt. vnica art. 10. ad 5. argumentum, tum propter eorum rationes, tum quia Cajetanus vixit tempore Alexandri Sexti, & ſuperuixit: proinde facilè ſcire potuit quid ſibi voluerit Alexander Pontifex, cùm Orbem recèns inuentum diuiſit.* Sic ille. In cuius diſcurſu id, quod ad Cardinalem Cajetanum ſpectat, facilem habet ſolutionem; licèt enim tempore Alexandri vixerit; cùm tamen præfatæ illius Bullæ expeditæ ſunt, Cardinalis non erat, ſed juuenis annorum 25. mortuus eſt enim *anno* 1534. & ætatis 66. vt ipſe Cardinalis Bellarminus ſcribit in ſuo *de Eccleſiaſticis Scriptoribus Tractatu*: Bullæ autem *anno* 1493. prodierunt, vnde clara eſt computatio. Quid ergo ſi tunc donationis modum ignorarit? Quòd autem ſuperuixerit, neque ampliorem fuerit notitiam aſſecutus, non debet cenſeri mirabile, cùm & Cardinalem ipſum Bellarminum, ſuo ipſius teſtimonio, etiam ſubterfugerit, & diu poſt ſcriptos Controuerſiarum libros comparata. Quod & Scriptoribus aliis accidiſſe, nimis eſt illud eos legentibus exploratum.

Card. Bellarminus pro Pontificia donatione militat.

§. II.

Reſponſiones quorumdam confutatæ.

7 PRima eſt dicentium erraſſe Alexandrum, quod & de Pontificibus aliis ob eamdem rationem aſſerendum. Sic Ioannes Gryphanius *Tractatu de Inſulis cap. 24. n. 59. & ſeqq.* cuius illa eſt ratio, Pontificem ciuile mundi dominium non habere, neque vmquam habuiſſe: vnde donatione prædictâ veris dominis facta eſt iniuria, cùm de alieno fuerit, quæ tamen eſt jure Ciuili, & Canonico reprobata *l. 12. C. de donationib. & cap. 26. de Extra. de Decimis.*

Erraſſe Alexandrum aliquorum aſſertio. Gryphan.

Digitized by Google

timis. Iuxta hæc ergo Alexander non ſolùm errauit in facto, ſed etiam in iure, iudicans ſe poſſe infideles priuare dominio, & in Chriſtianos illud Principes transferre.

Validè confutata, & notata.

8 Sed hæc reſponſio nimis libera eſt, & legitimo Eccleſiæ filio prorſus indigna, in qua non ſolus Alexander, ſed Pontifices alii, de quibus *n.* 5. vt inconſiderati, præcipites, & humani ac diuini iuris ignari traducuntur. Quod ſi fas aſſeruiſſe fuerit, nihil erit, nihil erit in Canonibus Sacris & Pontificiis Conſtitutionibus firmum, certum, & inconcuſſum. Sit illud certum, vt aſſeritur, Pontificem ciuile mundi dominium non habere neque vmquam habuiſſe; quod tamen affirmant plures apud Dianam *Parte* 1. *Tract.*2. *Reſolut.* 122. at ineptè inde concluditur non poſſe dominium aliquod ab vno in alium, iuſta id exigente ratione, transferre. Non habet dominium ciuile terrarum, quas hæreticus Princeps poſſidet, ergo nequit illud in Catholicum transferre, hæretica eſt conſequentia. Non ergo dat quod ſuum eſt, ſed quod dare poteſt, etiamſi non ſit ſuum. Quemadmodum tutor in donationibus iure probatis, quod ſuum non eſt donat; eſt tamen ſuum poſſe donare. Pro quo citatus Scriptor *Parte* 8. *Tractatu* 6. *Reſolut.* 17. ex Cardinali Lugo, P. Molina, P. Thoma Sancio, & Trullenc videndus, item *Reſolut.* 10. de vxoribus, *Reſolut.* 11. pro maritis, & *Reſolut.* 12. pro Superioribus Regularibus. Neque donatio talis iure vllatenus reprobata: nam præterquàm quòd omnis humani iuris poteſtas infra Pontificiam eſt, nullo humano iure reprobata donatio talis inuenitur; quòd ſcilicet quis alienum donare poſſit, cùm ſupremus Dominus tali aſſiſtit donationi, ad illam præſtita facultate. Et hoc eſt quod conſcendimus in præſenti, Chriſtum ſcilicet omnium Dominum talem Vicario ſuo facultatem contuliſſe. Quod quidem Pontifex ipſe clamat, dum, ſicut vidimus, ait: *Auctoritate Omnipotentis Dei nobis in Beato Petro conceſſâ, ac Vicariatus* Iesv *Chriſti, quo fungimur in terris.* Hac certè auctoritate Bonifacius Octauus temporalem poteſtatem Eccleſiæ cum ſpirituali connexàm declarauit: & illi credimus dogma huiuſmodi definienti. Ergo & credendum Alexandro, ac Prædeceſſoribus aliis qui eamdem agnoſcentes, facto ipſo veritatem, de qua agimus, declararunt.

Pontifex, eſi dominium ciuile nō habeat, transferre illud ab vno in alium poteſt.

Quinam alij id poſſint.

Diana.

Hæretici donationi infenſi Pōtificiæ.

9 Libertas profectò talis de hæretica ſolet præſumptione deſcendere; vnde ſolemne hæreticis, donationem dictam Alexandri venenatâ linguâ traducere, anſâ inde arreptâ in Sedem Apoſtolicam iniurioſiſſimè debacchandi. Ex quibus Philippus Mornæus apud Leonardum Coquæum *in Antidotis contra ipſum pag.* 306. Ita loquitur: *Qui orbem inter Principes partitur, Ferdinando Aragonio & Iſabellæ Caſtellanæ Indiam Occidentalem à Columbo circa id tempus detectam donat. Quo iure, niſi quo ſe ipſe antè Principi mundi mancipauit; ei, qui Chriſtum Dominum compellans, Tibi dabo hæc omnia, ſi procidens adoraueris me.* Hic filius ille gehennę, vt Eccleſiæ filij contrario prorſus ſpiritu pergant Sedis Apoſtolicæ pronuntiata legitima venerari. Quo iure rogat ille, & nullum aliud niſi ſatanicum recognoſcit: ex quo fit planè Catholicos Reges, pro gratia tali Sedem Apoſtolicam exorantes, ſatanico etiam ſpiritu fuiſſe permotos, & conſequenter tot infidelium conuerſionem opus fuiſſe Satanæ, & ouile Chriſti beneficio Satanæ innumeris ouibus adauctum. Et quis blaſphemiam tantam non horrore ingenti proſequatur?

Philippi Mornæi blaſphemia.

Manifeſtè depulſa.

Errasse in facto, & non in iure, Pontificem, aliquorum aſſertio.

10 Alij erraſſe quidem Pontificem dicunt, ſed ſolùm in facto, quod ſæpiùs accidit, & accidere poteſt, dum ex minùs exactis informationibus, quæ ad factum ſpectant, aliquid licitum quidem ex ſe, & iuri conforme decernunt. Vel ſi informationes falſæ non præcedant, Pontifex ipſe ex falſo aliquo præſuppoſito ad factum pertinente, in decernendo procedit: quod præſenti cauſæ poteſt applicari. Et hoc, quod alij abſolutè pronuntiant, ſub dubio profert P. Valentia *Tomo* 3. *Diſput.* 1. *quæſt.* 10. *Puncto* 7. §. *Ad ſecundum*, vbi ait: *Alexandrum Sextum, ſi in eo facto particulari ad Reges illos tantùm, & ad illas inſulas pertinente, non errauit, ſolùm conceſſiſſe illis Regibus ius quoddam ſuperintendentiæ & patrociny &c.* Quem ſecutus P. Becanus *in Summa Theologiæ Parte* 3. *Tract.* 1. *quæſt.* 7. *n.* 12. vbi ita ſcribit: *Alexander Sextus, ſi conceſſit Ferdinando dominium illarum inſularum, ex eo præcisè quòd Gentiles eſſent, errauit in facto: Si autem ſolùm conceſſit illi ius patrociny in eaſdē inſulas, ſuppoſitâ earum legitimâ conuerſione, benè fecit.* Sic ille: cuius reſolutioni non eſt conforme, quod habetur in Indice, *verbo* Alexander VI. vbi abſolutè ponitur erraſſe in facto.

P. Valentia.

P. Becan.

Confutantur illi.

11 Sed neque audiendi Auctores iſti: licet enim error in facto poſſit quandoque contingere; hoc tamen in caſu nequit præſenti ſuſtineri, vbi factum à iure nequit ſeparari. Quæſtio ſiquidem eſt an Pontifex terras infidelium poſſit Principi Chriſtiano donare. Si poteſt dum eas tradidit, neque in iure neque in facto errauit. Si non poteſt; cùm ipſe tamen ſe poſſe teſtetur, dum Vicariatûs Chriſti auctoritate donationem facit, & talem Beato Petro, ac ſibi eius ſucceſſori conceſſam aſſerat poteſtatem; in iure planè error illius verſatur, quia plus ſibi poteſtatis arrogat, quàm res ipſa patiatur. Qui diſcurſus eſt euidentiſſimus. Cum ergo Auctores dicti non audeant errorem circa ius admittere; conſequens eſt vt neque errorem in facto admittere debeant, nec de illo dubitare. Et modus quidem loquendi duorum, quos nuper adduximus, indicat ipſos Alexandri Bullam non vidiſſe, & aliter eâ proſpectâ locuturos.

Factum à iure quomodo nequeat ſeparari.

Probabilē ſententiam ſecutum Pontificem, aliorū pronuntiatū.

12 Apud Patrem Salas *Tractatu de Legibus quæſt.* 95. *Diſput.* 7. *Sect.* 4. *n.* 31. *verſ. Ad illud*, dicunt nonnulli Pontificem in prædicta donatione probabilem ſententiam ſecutum: ſunt enim Doctores plures, qui Romano Pontifici talem poteſtatem adſcribant, qui videri apud eumdem poſſunt, & duos citatos dudum Auctores, nec non apud Dianam *Parte* 6. *Tract.* 4. *Reſolut.* 16.

efficaciter improbatū.

Sed quia ſententia affirmans generaliter, infidelitatem eſſe titulum ſufficientem ad debellationem, non ita recepta eſt, vt videri apud citatos poteſt: quam tamen de barbaris ac

Digitized by Google

Ioannes Zapata.

ſeraliter viuentibus tenent plures: pro quo videri poteſt Illuſtriſſimus Ioannes Zapata in *Diſceptatione de Iuſtitia diſtributiua* Parte 2. *cap.* 21. *n.* 19. non videtur credibile Pontificem eo tantùm titulo donationem dictam perfeciſſe: neque enim illi ſuis in Conſtitutionibus minùs probatas ſolent amplecti ſententias; quod Tribunal illud ſupremum non decerct; cùm neque inferiora tribunalia ita ſint ſolita iudicare. Certius ergo aliquid, & amplectendum penitus, prædictæ continent deciſiones. Et quidem ſi titulus dictus ſufficiens videretur, non eſſet opus Catholicis Regibus pro donatione impetranda ad Romanam Sedem recurrere, cùm ipſius gentium iſtarum infidelitas ſatis eſſet perſpecta, & ita debellationis titulus, ſecluſo quolibet adminiculo aliundè petito, manifeſtus.

§. III.

Certiſſimum donationis Pontificiæ fundamentum.

Eccleſiæ poteſtas ad propagandam fidem certum donationis fundamentum.

13 Vnum equidem, & prorſus irrefragabile illud, Eccleſiæ poteſtas ad propagandam fidem, & tollenda propagationis obſtacula; quæ quidem futura in conuerſione Indorum prudentiſſimè judicauêre Pontifices, cùm eſſent illi penitus barbari, & ita inter ipſos Chriſtianis nulla ſecuritas, quod ſatis experientia comprobauit. Id Diuus Thomas paucis expreſſit, 2.2.*q.*10.*art.*8. *in Corpore*, ita dicens: *Et propter hoc fideles Chriſti frequenter contra infideles bellum mouent; non quidem vt eos ad credendum cogant; quia ſi etiam eos viciſſent, & captiuos haberent, in eorum libertate relinquerent an credere vellent. Sed propter hoc, vt eos compellant ne fidem Chriſti impediant.* Hæc S. Doctor, ad quæ Cardin. Caietanus, ita ſcribit: *Conſidera diligenter cauſam juſtam belli & compulſionis eorum, ne fidem Chriſti impediant, &c. Ex hac quippè radice multæ quæſtiones ſoluuntur.* Sic ille. Iuxta quæ præſens quæſtio inde ſoluenda, an ſcilicet Pontifex jus debellandi gentes Indorum Principi poſſit Chriſtiano conferre. Concluſio enim eſt affirmatiua: quia, cùm illi barbari ſint, poſſunt Chriſti fidem multipliciter impedire, & nulla inter eos Euangelicis miniſtris eſſe ſecuritas.

D.Thom.

Ex P. Suario luculenta probatio. D.Thomæ doctrinam amplexo.

14 Quod quidem ex Doctrina P.Suarij poteſt luculenter oſtendi, qui illam ex D.Thoma deducit. 2.2.*quæſt. citatâ art.* 10. quem operæ pretium fuerit audiiſſe. *Diſput.* 18. *de Fide Sect.* 5. *n.* 8. vbi ſic ſcribit: *Putat Durandus in 2. diſt.44.q.3. neceſſarium eſſe vt ex parte principis infidelis præceſſerint iniuriæ, & impedimenta Fidei; qualia ſunt, ſi tentauerit ſubditos inducere ad infidelitatem, vel ſi eos cogat ad ſuos ritus obſeruandos, aut prohibeat Catholicos ritus exercere, vel ſuis Paſtoribus Eccleſiaſticis obedire, & ſimilia: nam tunc euidens eſt neceſſitas, & juſtitiæ titulus. At verò Diuus Thomas dicto Art. 10. licèt ad executionem poteſtatis ſint hæc moraliter neceſſaria; nihilominùs tamen ante experientiam huiuſmodi nocumentorum putat eſſe in Eccleſia poteſtatem ad remouendos huiuſmodi principes infideles ſolùm propter periculum morale fidelium: quæ ſententia mihi etiam placuit in dicto libro 3. defenſionis cap.30. n.6. quia in rebus moralibus vitandum eſt periculum, priuſquam ſpeciale nocumentum eueniat: quod principium certè veriſſimum eſt, quando periculum eſt proximum & morale: & ideò in hoc etiam negotio obſeruandum eſt, vt conſideratis circumſtantiis in particulari tale iudicetur eſſe fidelium periculum.* Hæc ille, Diui Thomæ doctrinam amplexus, qui citato loco ſolùm de ſubditis, & ſeruis infidelium eſt locutus: tales enim ſi Chriſtiani fiant, poſſunt eorum domini, aut principes, per ſententiam ſeu ordinationem Eccleſiæ, eorumdem dominio aut juriſdictione priuari. Non reddit autem pro ratione periculum ſubuerſionis, ſed aliam, ita ſubdens: *Quia infideles merito ſuæ infidelitatis merentur poteſtatem amittere ſuper fideles, qui transferuntur in filios Dei.* Sic S. Doctor, vbi de periculo ſubuerſionis nihil.

Non requiritur experientia impedimentorum, ſed periculum ſufficit, contra Durandum.

Subditi, & ſerui ea de cauſa poſſunt ex dominorum eximi poteſtate.

D.Thom.

Ad periculi ſubuerſionis ratio D.Thomæ generalior reuocatur.

15 Poteſt autem prædicta ratio ad ſubjectionem quamcumque referri, quia infideles merito ſuæ infidelitatis merentur poteſtatem amittere ſuper fideles, quæ abſoluta poteſtas ſit, cùm transferantur in filios Dei. Et ideò licet D.Thomas ordinationem Eccleſiæ, quæ de facto datur, & ſolum eſt pro ſeruis eorum, qui corporali ſubiectione ſubduntur Eccleſiæ, ad doctrinæ complementum adducat, & ita de ſeruis tantùm videatur procedere: re tamen vera generalis eſt, & ad omnem ſe ſubiectionem extendit. Ex quo fit, hoc ex capite poſſe principes infideles per ſententiam Eccleſiæ principatu priuari, & conſequenter eorum dominia in Chriſtianos Principes transferri. Potuit autem P. Suarez rationem periculi ex doctrina D.Thomæ colligere, quatenus in *Reſponſione ad* 3. ait poſſe fideles locare operas ſuas infidelibus, & artificio, miniſterioque aliquo deſeruire, addens: *& tamen, ſi ex tali communicatione vel conuictu ſubuerſio fidelium timeretur, eſſet penitus interdicendum.* Sic ille. Iuxta hæc ergo poterit etiam Eccleſia ob periculum ſubuerſionis, quod timeat, infideles principes omni erga fideles poteſtate ſpoliare.

Fideles infidelibus vt ſeruire queant.

Etiamſi infideles principes conuertantur, ſtat adducta doctrina.

16 Quibus addendum, idem poſſe Eccleſiam, etiamſi infideles ad fidem conuertantur; ſi talis indolis ſint, vt de illis poſſit etiam periculum ſubuerſionis veroſimiliter pertimeri; quod in barbaris accidit, & experientia ſatis ſuperque comprobauit. Pro quo eſt notanda doctrina eiuſdem P. Suarij citato loco defenſionis contra regem Angliæ, vbi ſic ait: *Denique addere poſſumus ſicut poteſtas regia ex coniunctione ad fidem, aliquam recipit ſubiectationem; ita etiam maiorem quamdam amplitudinem & excellentiam participare, & ita illud qualecumque onus hoc beneficio compenſari. Nam Rex Chriſtianus ductus regulis fidei multa poteſt præcipere, dirigendo illa ad fidei defenſionem, vel Religionis Chriſtianæ honorem, vel aliud ſupernaturale commodum, quæ ductus purâ ratione naturali præcipere non poſſet: & ſimiliter multa punis delicta quæ ex vi ſolius rationis naturalis non puniret. v. g. Hæreſim, vel aliud ſimile.* Hæc ille. Quæ veriſſima cùm ſint, fit inde quàm longiſſimè abeſſe à barbarica capacitate, etiam ſi quis cum ſufficienti notitia myſterio-

P.Suar.

Chriſtiani Principes circa ſupernaturalia aliqualiter iuriſdictionem exercent.

rum

Digitized by Google

rum fidei baptizatus fuerit. Vix enim quæ purè naturalia ſunt illis committi poſſunt; & fœdis in Gentilitate aſſueti criminibus, lumen habent rationis densâ caligine circumfuſum. Quomodo ergo qui ſe regere nequeunt, regere alios queant; & quibus nequeunt naturalia credi, ſupernaturalia eorum muneri adnexa concredantur? Ab Apoſtolica igitur Sede prudentiſſimè & prouidentiſſimè diſpoſitum, vt Indorũ regimen Catholicis Principibus traderetur, ſolis ad rem tantam idoneis, circumſtantiis perpenſis omnibus, juxta quas, vt viſum nuper, de ſubuerſionis periculo debet formari judicium. Vnde quod in Pontificibus ad donationem, de qua nobis eſt ſermo, præceſſit, non dubiâ aliquâ aut opinabili, ſed omnino eſt certa ratione ſubnixum, vt nequeat de illa, vt dixi, à legitimis Eccleſiæ filiis dubitari.

Soli ad regimen conuerſorum idonei.

§. IV.

De gradu certitudinis Aſſertionis propoſitæ.

Dom. Solorzanus.

17 DOm. Ioannes de Solorzano veritatis propoſitæ doctiſſimus, eruditiſſimus, profundiſſimus, & locupletiſſimus propugnator, *Tom. 1. lib. 2. c. 24. n. 41. & in Politica Indiana pag. 45. §. Y parece. & pag. 50. §. Y aſi*, nemini permittendum eſſe ait hoc ampliùs in dubium reuocare: quia ſemper præſumere debemus Papæ ſententias & declarationes eſſe juſtas, & legitimè ac Canonicè promulgatas, vt ait Textus *in cap. Cum inter vos, §. finali, de ſententia & re judicata. Cap. Abſit 11. Quæſt. 3.* & aliis. Sed prior quidem textus nihil videtur ad rem facere, quia ibi non eſt ſermo de ſententia Papæ, ſed de ſententia Epiſcopi Veronenſis, *quæ præſumitur ritè per omnia celebrata*, vt ait Pontifex, quia tranſiit in rem judicatam, & non contra Conſtitutionem. Nec plus videtur habere momenti Caput aliud, quod de Epiſcopis agit, de quibus D. Anterus Pontifex admonet nihil debere ſuſpicari ſiniſtrum ob prærogatiuam dignitatis. Sed vt Textus iſti non juuent, res ipſa eſt totius Iuris auctoritate penitus manifeſta. Pro Iure enim Canonico ſtat præſumptio non dubia, ſed irrefragabilis, vt quod in eo ſtatutum extat, debeat certiſſimum & ſanctiſſimum reputari. Atqui Canonici Iuris auctor ſolus eſt Pontifex, cùm in omnibus eius conſtitutionibus ſolus ipſe loquatur aut Concilia, quæ eiuſdem auctoritate firmantur: ergo ſtare pro eo minimè dubia præſumptio debet, cùm quidpiam ſtatuit, acſi ex Diui Petri, cuius eſt ille ſucceſſor; oraculo pangeretur. *Sic omnes ſanctiones Apoſtolicæ Sedis accipiendæ ſunt, tamquàm ipſius diuinâ voce Petri firmatæ.* Cap. *Sic omnes 19. diſt.* ex Agathone Papâ omnibus Epiſcopis ſcribente. Pro quo & Nicolaum Pontificem præſtat audiiſſe, Archiepiſcopis & Epiſcopis per Galliam conſtitutis ſic ſcribentem. *Si Romanorum Pontificum decreto, cæterorum opuſcula Tractatorum approbantur vel reprobantur;*

Sententia Papa vti legitima recipienda.

Cap. Cùm inter vos.

Cap. Abſit.

Et vti D. Petri oracula.

Cap. Sic omnes;

Nicolaus Papa.

ita vt quod verè Sedes Apoſtolica probauit, hodiè teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur: quanto potiùs ea, quæ ipſa pro Catholicâ fide, pro ſacris dogmatibus, pro variis & multifariis Eccleſiæ neceſſitatibus & fidelium moribus, diuerſo tempore ſcripſit, omni honore debent præferri, & ab omnibus prorſus in quibuſlibet neceſſitatibus vel opportunitatibus, diſcretione vel diſpenſatione magiſtra reuerenter aſſumi? Sic ille. Et habetur *Cap. 1. diſt. citatæ.* Nec prætermittendus Stephanus Pontifex, ſic locutus: *Enimuerò quia in ſpeculum & exemplum ſancta Romana Eccleſia, cui nos Chriſtus præeſſe voluit, propoſita eſt; ab omnibus, quidquid ſtatuit, quidquid ordinat, perpetuò quidem & irrefragabiliter obſeruandum eſt.* Hæc ille, vt in Cap. *Enimuerò*, eadem diſt.

Stephanus Pontifex.

Donationi Indiarum infenſi, qua cenſura digni iuxta Dom. Solorzanum.

18 Iuxta quæ non videtur exceſſiſſe Dom. Solorzanus, dum *citato cap. 24. n. 58.* ſic ait: *Qua de cauſa, magnæ audaciæ & temeritatis, immò & impietatis eſſe videtur aſſerere, vel attentare, quòd Pontifices non poſſunt prædictas donationes facere, vel quòd eas fruſtratoriè fecerunt, & tamquàm äërem verberantes.* Sic ille, pronuntiatum ſuum multipliciter pergens demonſtrare. Ego vnum illud addam, quod conſideratione digniſſimum occurrit: nihil ſcilicet à fundata per Chriſtum Eccleſia, & eiuſdem per Vicarios ſuos ſtatuto & progrediente regimine, maius accidiſſe noui Orbis detectione, & conſequenter ad Chriſtianam fidem conuerſione: de cuius magnitudine, cui nullatenus poſſit tripartita antiquioris mundi æquari diffuſio, paſſim Auctores diſſerunt, quos congerit Dom. Solorzanus *Lib. 1. citato* in prioribus Capitibus, ſed præcipuè in *6. n. 4. & in Politica libro etiam* 1. in ſex prioribus. Debuit ergo negotium tantum à Sede Apoſtolica ſumma diligentia & attentione tractari, ac fundamentum conuerſioni jacere penitus inconcuſſum. Nihil certè quod grauis momenti ſit, ſine Cardinalium diſponit illa conſilio: *Decet namque ipſi Romano Pontifici per Fratres ſuos, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales (qui ſibi in executione officii Sacerdotalis Coadiutores aſſiſtunt) libera prouenire conſilia: decet ipſius nullo modo vacillare judicia &c.* vt habetur *in cap. Fundamenta, de Electione in 6.* Sic ergo cauſa fuit, de qua agimus, agitata, cuius momenti non erat illa, quam ſummus Pontifex Nicolaus Tertius, aliàs Quartus, citata in Conſtitutione verſabat: in qua ſtatuit Senatorum Romanorum annuam eſſe gubernationem debere: & tamen ibidem Conſilium Cardinalium ſe adhibuiſſe teſtatur, dicens: *De fratrum noſtrorum Conſilio hac irrefragabili, & in perpetuum valiturâ Conſtitutione ſancimus.* Quod ergo ad noui Orbis conuerſionem quaſi pro fundamento eſt, donatio inquam Catholicis Regibus facta, non errori adſcribendum, ſed ſuffragio irrefragabilis veritatis. Vel ſi erratum hic, quis veritatem inuiolabilem ineſſe ſanctionibus aliis arbitretur.

Noui Orbis detectio & conuerſio quanti facienda.

A Sede Apoſtolica ſumma attentione, & Cardinalium, quos ſemper in Concilium aduocat, Conſilio tractata.

Cap. Fundamenta.

19 Vnde Marquardus de Suſannis in *Tractatu de Iudæis & Infidelibus 1. parte cap. 14.* non dubitauit aſſerere poteſtatem Pontificis ad donationem dictam adeò eſſe certam, vt oppoſitum dicere ſapiat hæreſim. Quod ſi

Aſſertio negans quomodo ſapiat hæreſim.

Digitized by Google

Marquardus de Suſannis.

Et quid ſapere hæreſim ſit iuxta P. Suarium.

explicemus iuxta id quod habet P. Suarez *Diſput.* 19. *de Fide. Sect.* 2. *n.* 16. & 17. mirè congruit. Obſeruat enim verbum *Sapere* per metaphoram ſignificare non eſſe claram & certam hæreſim, ſed habere quemdam ſaporem eius: quia magnam quidem ſpeciem hæreſis habet, eò quòd ex illa, coaſſumptis aliis principiis in Eccleſia valdè receptis, & ferè certis, ex illis ſequitur hæreſis, probabiliſſima, & communiter receptâ conſequentiâ. Quod ita in præſenti applicari poteſt: Nam ex hac propoſitione: Papa errare poteſt in ſolemni donatione factâ Catholico Principi poſt maturiſſimam conſiderationem, & conſultationem, in ordine ad conuerſionem mundi, aut maximæ illius partis. Et ex aliâ: Errare etiam poteſt, quamuis id ſpectet ad tollenda impedimẽta conuerſionis, ſequitur probabiliſſima conſequentia non habere abſolutam poteſtatem ad propagandum Euangelium per orbem vniuerſum; aut etiam non habere materialem gladium in omnes oues Chriſti, contra Bonifacij Octaui definitionem, de qua *n.* 1.

Alia explicatio saporis hæreſis, & illius accommodatio.

20 Si autem huiuſmodi qualitatem explicemus iuxta Alfonſum de Caſtro apud P. Suarium *ſuprà*, & alios; ex quibus P. Turrianus in *Selectis. Par.* 2. *Diſput.* 30. *Dub.* 1. quòd propoſitio ſapiens hæreſim ſit illa, quæ primâ facie, & ex ſolis terminis ſpectata, hæreſim præſeferat; quamuis intimiùs inſpecta, ſenſum poſſit habere Catholicum: facilè etiam poteſt applicari. Nam aſſerere Papam errare poſſe, media adhibendo conuerſioni mundi, quæ poſt maturam conſiderationem, & conſultationem ſunt conuenientia iudicata, pro quibus eſt ſolemnis Conſtitutio vulgata; ſpeciem habet hæreſis, quamuis fortè aliqui iuxta Catholicum ſenſum velint aſſertionem huiuſmodi declarare.

Alia item ex eo qui ſapidè ab hæreticis aſſumatur, quod oſtenſum in Anglis

21 Quibus addo, iuxta id, quod à P. Suario de ſapore eſt dictum, poſſe etiam propoſitionem dictam ita exponi, vt ſit ea, quæ præterquam quòd malè ſonat, ſapida eſt hæreticis, qui illam libenter vſurpant, & paſſim inculcant, cum religionis Chriſtianæ dedecore: quod accidit in præſenti. Clamant enim illi iteratis clamoribus & irriſionibus contra Alexandrum Sextum & eiuſdem donationem, negantes Pontifici talem à Chriſto traditam poteſtatem. Et his ipſis diebus Caramuëlis edicta ſic blaterant: Vnde in Papa poteſtas ad aliena inuitis dominis tribuenda, cùm Chriſtus cuius ille ſe gloriatur eſſe Vicarium, ab eorum diuiſione inter fratres abſtinuerit, ad quod fuerat inuitatus? *Homo* (ait ille) *quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem ſuper vos? Luca* 12. *v.* 14. Quod argumentum in Anglicanos Principes poteſt validiùs retorqueri, qui ſe Chriſti vicarios in Anglicana eſſe Eccleſia contendunt. Quomodo ergo non ſolùm iam aliena diuidunt, ſed & diripiunt, Indicas diuitias piraticis aggreſſionibus deprædantes? Poterat quidem Chriſtus id facere, quod ab eo homo ille, hereditate iniuſtè fraudatus poſtulabat, vt negare poteſt nullus: erat enim actio honeſta, & circa iuſtitiæ obſeruantiam verſabatur: noluit tamen, quia minùs tunc congruentem iudicauit: cùm enim diuitiarum, & mundi contemptum prædicaret, bona cæleſtia promittens, circa diuiſionem terrenorum renuit occupari. Et quidem qui rogabat illum, tali re pulſa, magis aptus Dei regno, & ſequelæ ipſius Chriſti reddebatur, temporalium diuitiarum impedimento ſublato.

Luca. 12. *v.* 14.

Diuiſio hereditatis inter fratres cur à Chriſto recuſata.

Admittenda illa, ſi ad ſalutem ſpiritualem petentis expediret. Vnde pro donatione Pontificis argumentũ.

22 Quòd ſi ad illius hominis ſalutem, quæ petebatur diuiſio tunc conueniens videretur, eam Dominus minimè reſpuiſſet. Quare illius Vicarius tale quid præſtare poterit, quando id fore commodum pro ſalute hominum fuerit arbitratus. Videantur Interpretes, ex quibus P. Cornelius benè admonet, docere Chriſtum Eccleſiaſticos & ſpirituales viros nõ debere ſæcularia tractare, ſed diuina, iuxta illud. 2. *Tim.* 2. *v.* 4. *Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus*, ex D. Ambroſio. Euthymio, Beda, & Lyra, & ex D. Auguſtino *Sermone* 196. Addit tamen hic: *Id intellige, niſi fidelium pax, charitas, & pietas aliud exigat: qua de cauſſa olim Epiſcopi ſæculares fidelium lites diiudicabant; vti ſe feciſſe teſtatur S. Auguſtinus Libro de Opere Monachorum* Cap. 29. Hæc ille. Iuxta quæ conſtat Papam potiori iure poſſe ſæcularium negotia tractare, & temporalium diuiſioni vacare, quando fidelium pax, charitas, & pietas id videantur exigere; quod in caſu, de quo loquimur, conſtat vrgentiùs militare. Nec de his plura: pro quibus videri poſſunt Dom. Solorzanus *Tomo* 1. *Lib.* 2. & 3. & *in Politica Lib.* 1. *Cap.* 10. 11. & 12. Diana *Parte* 6. *Tract.* 4. *Reſolut.* 16. & 18. & Auctores alij, quos ipſi adducunt, & titulos alios iuſtæ poſſeſſionis expendunt. Vrgentiſſimum ego & irrefragabilem penitus conatus ſum pro viribus illuſtrare, quem & vnicum ſunt boni qui cenſeant Scriptores, talem tamen vt pro multis ſatis eſſe poſſit. Iam ad alia.

2. Tim. 2. *v.* 4.

D. Auguſtinus.

Sæcularium negotiorum vt deceat tractatio.

CAPVT II.

An earum terrarum, quæ occupatæ à Catholicis Regibus non ſunt, poſſit tutâ conſcientiâ expugnatio, & Coloniarum deductio, aliis Chriſtianis Principibus impediri.

§. I.

De infidelibus & hæreticis quædam notatu digna præmittuntur.

23 DE Turcis & Saracenis iuratis Chriſtianorum hoſtibus nulla eſt difficultas: ſicut enim illis bellum apertum poteſt indici, ita & commodis expugnationis dictæ poſſunt, ſeruatâ penitus æquitate, priuari. De aliis autem infidelibus quæſtio aliqua eſſe poteſt, quia hoſtes iurati non ſunt, & poteſt eſſe bellum iuſtum inter illos: Si enim iniuſtum ſit, iniuſtè impugnato auxiliari quicumque alius princeps poteſt, quod magis eſt proprium Chriſtianis, iuxta vulgarem doctrinam de innocentium defenſione.

Quibus infidelibus liceat auxiliari in bello.

Digitized by Google

ſione. Si autem ſit iuſtum; tunc iuxta dicta Cap. præcedenti, cum diſtinctione videtur reſpondendum. Nam vel Regi Catholico vtilius eſt, vt is, cui bellum infertur, in talis terræ poſſeſſione ſit; & ſic impedire tutâ conſcientiâ poteſt; quia terræ illius eſt abſolutus dominus, licèt ſubditum principem in tali ſuſtineat poſſeſſione. Vel vtilius non eſt: & ſic nequit alterius vtilitatem impedire ex iuſta vindicta prouenientem. Id tamen limitandum, niſi Rex Catholicus aliâ viâ poſſit efficere vt læſo principi is, qui læſit, iuſtam ſatisfactionem exhibeat; tunc enim bellum debet prohibere, quod eſt malorum maximum, quia malorum irreparabilium infeliciſſimum aggregatum. *Arma* enim *non ſeruant modum*, vt à Seneca dictum in *Hercule furente* Tragædia 1. Hinc de Bellona Tertullianus in *Libro de Pallio Cap.* 4. ſic ait: *Ob diuerſam affectationem tenebricæ veſtis, & tetrici ſuper caput velleris, in Bellonæ montes ſugantur.* Sic ille. Tenebricoſum namque, furuum, tetricum, & nigrum indumentum, pro ſignificandis ingentibus bellorum malis notanter deſtinatum. Pro quibus videri poteſt P. Adamus Contzen *Lib.* 10. *Politicorum. Cap.* 2.

Bellum malorum cumulus penitus auerſandū.

Seneca.

Tertullian.

Bellona tetrica veſtis.

24 De hæreticis autem videtur abſque dubio teneri Regem Catholicum pro viribus ſemper obſiſtere, quò minùs terras occupent, quarum ipſe eſt dominus à Sede Apoſtolica conſtitutus. Hac enim conditione talis facta donatio, vt ex tenore conceſſionis apparet in citatis Bullis *Cap. præced.* §. 1. præſertim in Bulla priori Alexandri Sexti, in qua ſic ille: *Nos igitur huiuſmodi veſtrum ſanctum & laudabile propoſitum plurimùm in Domino commendantes, & cupientes vt illud ad debitum finem perducatur, & ipſum nomē Saluatoris noſtri in partibus illis inducatur: hortamur vos quamplurimùm in Domino, & per Sacri lauacri ſuſceptionem, quâ mandatis Apoſtolicis obligati eſtis, & viſcera miſericordiæ Domini noſtri* IESV *Chriſti attentè requirimus; vt cum expeditionibus huiuſmodi omnino proſequi & abſoluere probâ mente, Orthodoxæ fidei zelo intendatis, populos in huiuſmodi inſulis & terris degentes ad Chriſtianam religionem ſuſcipiendam inducere velitis, & debeatis &c. & vt tanti negotij prouinciam Apoſtolicæ gratiæ largitate donati, liberiùs & audaciùs aſſumatis, &c. omnes inſulas, & terras firmas inuentas & inueniendas &c.* Cùm ergo Rex Catholicus negotium fidei ex vi donationis huiuſmodi ſolertiſſimè agere debeat: conſequens eſt vt nequeat permittere hæreticos in portubus Indiarum pedem figere: ex eo enim manifeſtè fieret Indiarum incolas peruerſis dogmatibus imbuendos, & intentionem Pontificum in prædicta donatione fruſtrandam; contra quorum non ſolùm monitionem, ſed præceptum tenditur, grauibus adeò & manifeſtis verbis intimatum.

Hæreticis penitus obſiſtendū.

Ex tenore Pontificiæ conceſſionis oſtenditur.

25 Videant ergo Reges Catholici, videant eorum Conſiliarij, quomodò pacta circa huiuſmodi occupationem cum hæreticis ineantur, oues Chriſti Petro & Vicariis ſucceſſoribus ab eodem commiſſas, & ab iis illorum curæ, cuſtodiæ, prouidentiæ, & pietati, lupis tradendo, qui diſpergant & rapiant, iuxta atteſtationem ſummi verique Paſtoris. *Ioan.* 10. *v.* 12. *& lupus rapit, & diſpergit oues.* Circa quod ſic P. Maldonatus: *Lupi hæretici ſunt, præſertim Caluiniani homines, fraudis & crudelitatis pleni: quæ res potiſſimum duæ maximè propriæ ſunt lupis.* Sic ille. Congruit & illud. *v.* 16. *& alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor.* Vbi de illis locutus ouibus Paſtor bonus, quæ ſibi erant ex Gentiliſmo in ouile Eccleſiæ congregandæ: *& illas oportet me adducere.* Oportet inquam, quia neceſſarium, vt citatus docet interpres, quô exactior nullus: *Vt neceſſitatem ſignificet, non illam quidem abſolutam, quam Theologi vocant, ſed neceſſitatem ex hypotheſi. Oportet me adducere, vt ſaluæ ſint, alioqui perituræ. Aut, Oportet me adducere, vt omnibus partibus officij mei ſatisfaciam.* Hæc ille. Quæ quidem Rex Catholicus debet conſimiliter adaptare. Oues enim ſuas Chriſtus ex Gentillum multitudine in ouile Eccleſiæ congregandas ipſi, Vicarij ſui & monitione, & præcepto commiſit, ex quo & neceſſitas talis congregationis incumbit. Incumbat ergo vt ſaluæ ſint, aliter perituræ, lupis permiſtæ, hæreticis ſcilicet Caluinianis, Lutheranis, Zuinglianis, Anabaptiſtis, & omnium deterrimis Puritanis. Oportet & neceſſè eſt illas adducere, vt omnibus partibus officij ſui ſatisfaciat; ſunt enim illius partes plures, quæ in Bullis Pontificiis extant, & præ ſe etiam fert præclariſſimum Catholici cognomentum.

Pacta cum illis, vtpotè cum lupis, neutiquam ineunda.

Ioan. 10. v. 12.

P. Maldonatus.

v. 16.

26 Anglica Manifeſta conclamitant in fœderibus pacis ſtabilitæ inter Hiſpanos & Anglos annis præteritis, nauigationis Indicæ, & liberæ conquiſitæ in iis, quę ab Hiſpanis occupata non fuerint, non adhibitam exceptionem, vnde & datam abrumpendi fœderis occaſionem, de quo dictum. *n.* 21. Fiat ergo clara & ſpecialis exceptio, ſi redintegrari fœdus obtingat. Quòd ſi contrarium ob vrgentem aliquam rationem conueniens videatur, conſulendus Pontifex, & eius iudicio ſtandum; quia ius habet, & intentionem fundatam exigendi à Rege Catholico, vt conditiones adimpleat, ſub quibus donatio facta, omnium maxima, quæ ab orbe extiterunt condito, & vſque ad eius ſunt finem extituræ. Qui enim conditionem non adimplet, ad id poteſt compelli officio iudicis implorato. Cap. *Cùm ſit proprium*, de donationibus appoſitis, ibi: *Tu ergo, ſi ita eſſe repereris, ſic te exhibe, vt nec illi monaſterium deſerendi ſit facultas, & manumittentis voluntas non valeat præteriri.* Et quia fœdus, de quo agitur, conditionem donationis importat in re maximè ſubſtantiali, & ad religionem ſpectante, iudicium eius præſertim requirendum, qui eo in genere eſt præcipuus, & ex cuius prætermiſſione inconuenientia poſſunt ſummi momenti reſultare. Non debet res momenti magni, eo inconſulto agi, ad quem præſertim illam conſtat pertinere; ſit notiſſima Iuris regula in Sexto ſic habens: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Vbi opportunè Ioannes Andreas. Pro quo & multa habet Gloſſa in *Cap. Et ſi memb. Verb. Contingere.*

Quid Angli circa fœdus cum Hiſpanis conquerātur, & qualiter fœdus deinceps ineundum.

Rex Catholicus conditiones donationis debet adimplere, ad quod poteſt à Pontifice compelli.

Cap. Cùm ſit proprium.

Ca. Quod omnes.

Digitized by Google

§. II.

Circa Chriſtianos Principes reſolutio affirmatiua.

Clara circa Chriſtianos Principes prohibitio.

MAnifeſta ſanè eſt circa illos prohibitio in citata Bulla, & in alia, quæ incipit, *Dudum ſiquidem*. Prioris verba ſunt. *At quibuſcumque perſonis qualiſcumque dignitatis, etiam Imperialis & Regalis ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ, quam eo ipſo, ſi contra fecerint, incurrant, diſtrictiùs inhibemus, ne ad inſulas, & terras firmas inuentas & inueniendas, detectas & detegendas, verſus Occidentem & Meridiem fabricando & conſtruendo lineam à Polo Arctico ad Polum Antarcticum, ſiue terræ firmæ & inſulæ inuentæ & inueniendæ ſint verſus Indiam, aut verſus aliam quamcumque partem; quæ linea diſtet à qualibet inſularum, quæ vulgariter vocantur de los Azores, Y Cabo-Verde, centum leucis verſus Occidentem & Meridiem, vt præfertur, pro mercibus habendis, vel quauis alia de cauſa accedere præſumant, abſque veſtra, atque hæredum & ſucceſſorum veſtrorum prædictorum licentia. Non obſtantibus &c.* Sic Pontifex, qui diſtantiam illam lineæ ad ducentas & ſeptuaginta leucas extendit, Herrera decade 1. lib.2. cap.10.

Bulla Alexandri VI.

28 Atque adeò, mens Pontificis videtur eſſe expreſſa, in fauorem regum Hiſpaniæ, his verbis: *Ita quod omnes inſulæ, & terræ firmæ, repertæ & reperiendæ, detectæ & detegendæ, à præfata linea verſus Occidentem & Meridiem, per alium Regem aut Principem Chriſtianum non fuerint actualiter poſſeſſæ, vſque ad diem Natiuitatis Domini noſtri* Iesv *Chriſti proximè præteritum, à quo incipit annus præſens milleſimus quadringenteſimus tertius, quando fuerunt per nuntios & capitaneos veſtros inuentæ aliquæ prædictarum inſularum, auctoritate Omnipotentis Dei*, & cætera, quæ donationem continent poſita. *num.* 2. Et poſt ipſam ſic ſubdit: *Decernentes nihilominùs per huiuſmodi donationem, conceſſionem, & aſſignationem noſtram, nulli Chriſtiano Principi, qui actualiter præfatas inſulas, & terras firmas poſſederit vſque ad dictum diem Natiuitatis Domini noſtri* Iesv *Chriſti, ius quæſitum ſublatum intelligi poſſe, aut conferri debere.* Sic Pontifex, ex quibus manifeſtè conſtat omnes terras vltra lineam illam contentas, Regibus Catholicis ab eodem conceſſas, præter eas, quæ ad Portugalliæ Reges pertinebant, præter quos nullus alius Princeps vſque ad diem à Pontifice aſſignatum quidquam poſſidebat. Cùm ergo ampliſſima hæc fuerit facta donatio, quando prohibet ne quiſquam Principum verè Chriſtianorum illam tranſgrediatur lineam ad terras inuentas, ſiue ad inueniendas, ſiue pro mercibus vel quauis alia de cauſa, ſine Catholicorum Regum licentia ſpeciali, ſatis eſt illius perſpecta mens; aliàs ſibi eſſet contrarius, dum ex vna parte donationem facit, & ex alia copiam vt Princeps quiuis Chriſtianus poſſit Reges Catholicos re donatâ ſpoliare: ſicque donatorium falleret; quod eſt ab Eccleſiæ ſinceriſſimo agendi ritu penitus alienum: *Eccleſia* enim in actibus ſuis fraudem non debet aliquam adhibere. *Cap. Per tuas, de donationibus*, de quo dictum *num.* 3.

Ad terras non detectas prohibitionem extendi ex tenore eiuſdem oſtenditur.

29 Eſt autem manifeſtior adhuc prohibitio in Bulla tertia citata, quæ incipit, *Dudum ſiquidem*, in qua ſic idem: *Nos volentes etiam vos fauoribus proſequi gratioſis, motu, & ſcientia, & poteſtatis Apoſtolicæ ſimilibus, donationem, conceſſionem, aſſignationem, & litteras prædictas, cum omnibus & ſingulis in eiſdem litteris contentis clauſulis, ad omnes & ſingulas inſulas, & terras firmas, inuentas & inueniendas, ac detectas & detegendas, quæ nauigando, aut itinerando verſus Occidentem aut Meridiem huiuſmodi ſint, vel fuerint, vel apparuerint, ſiue in partibus Occidentalibus vel Meridionalibus, & Orientalibus, & Indiæ exſtant, auctoritate Apoſtolica in omnibus, & per omnia, &c.* Et paucis interiectis: *At quibuſcumque perſonis; etiam cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ, quam contra facientes eo ipſo incurrant, diſtrictiùs inhibentes, ne ad partes prædictas ad nauigandum, piſcandum, vel inquirendum inſulas, vel terras firmas, aut quouis alio reſpectu ſeu colore, ire, vel mittere quoquo modo præſumant, abſque expreſſa, vel ſpeciali veſtra, ac hæredum, & ſucceſſorum prædictorum licentia.* Sic Pontifex, adeò perſpicuè vt nullus circa hoc hærere poſſit, niſi qui velit lumini eſſe rebellis.

30 Calliſtus item tertius ſimiliter prohibuit, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quis vlla ratione ſe in ea maria introducat, in quibus Portugalliæ Reges nauigationem exercent, quà nouas prouincias ad Meridionales & Orientales plagas ſpectantes, à memoria hominum non cognitas, detexerunt: prout videri poteſt apud Dom. Solorzanum *Tomo* 1. *lib.*2. *cap.*24. Quæ prohibitio & pœna, ſicut alia interdicti pro Communitatibus, ſuam vim obtinent, etiam poſtquam Caſtellæ Regnum Portugalliæ Coronæ ſuæ feliciter adiunxerunt. Nam Pontifex in præfato Diplomate de Portugalliæ Regibus, & eorum ſucceſſoribus in perpetuum loquitur: & tales Catholici noſtri Reges, licet interruptio inopinata turbulentis hiſce temporibus contrarium conata fuerit demonſtrare. Sed erit, erit ſanè *interruptio cadens*, de qua Euangelicus vates ſic habet: *Propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo; quoniam ſubitò, dum non ſpectatur, veniet contritio eius: Iſaiæ* 30. *v.* 13. Iniquitas quidem cum interruptione deprehenſa eſt, iuſtitiæ & fidei ſacramentis violatis: ſed verò interruptio cadens; cadet enim præ infirmitate, viribus penitus deſtituta, & ſi quos opprimet, ſuos dubio procul auctores. Sed ſint alij bono animo, quibus id, quod apud Prophetam ſequitur, poſſumus fiducialiter polliceri. *Quia hæc dicit Dominus Deus Sanctus Iſrael: ſi reuertamini, & quieſcatis, ſalui eritis v.* 15. Sic Deus, ſic & Rex noſter piiſſimus, & erga nobilem illam regni ſui portionem ſpeciali titulo commiſerationis affectus. Vtinam illi ſapiant & intelligant, & ſic reuertentes quieſcant, & ſalui fiant; neque igne ſit opus, aut ſanguine, ſanguine inquam Chri-

Calliſti 3. prohibitio alia in fauorem Regum Portugalliæ, vnde & Regum Catholicorum.

Recens contra hos damnata rebellio.

Iſaiæ 30. v.13.

v.15.

Ad rebelles adhortatio.

Digitized by Google

Chriſtiano & fraterno, quem propter cauſam nec iuſtam, nec piam velle prodigere, non poteſt non infeliciter cedere, & dolore ingenti Chriſtianorum pectorum, eorumdemque offenſione conſtare.

Contra prohibitionẽ facientes armis extrudi poſſunt.

31 Stet ergo non poſſe Chriſtianos Principes ea, quæ Catholicorum Regum ſunt aſſignata dominio, ſine eorum licentia conquirere, & armis, aut aliter occupare. Quod ſi fecerint, armis poterunt iuſti poſſeſſoris expelli, vt expreſſit Pontifex citata Bulla, *Dudum*, illis verbis: *Vobis, ac hæredibus, & ſucceſſoribus veſtris prædictis, per vos, vel alium, ſeu alios, corporalem inſularum ac terrarum prædictarum poſſeſſionem propriâ auctoritate liberè apprehendendi, ac perpetuò retinendi, illaſque aduerſus quoſcumque impedientes etiam defendendi, plenam & liberam facultatem concedentes.* Sic ille.

Quàm fuerit prohibitio dicta cõueniens?

32 Quàm autem hoc conueniens ſit, eleganter oſtendit P. Suarez *Diſput.* 18. *de Fide ſect.* 1. *n.* 7. vbi ita ſcribit: *& quoad hoc poteſt Pontifex vnicuique Principi certos terminos præfigere, quos poſteà ſine iniuſtitia tranſgredi non poterit: ſicut factum eſſe legimus ab Alexandro Sexto inter Reges Luſitaniæ & Caſtellæ. Et ratio omnium eſt, quia ita expedit, vt hæc res, quæ in Eccleſiâ grauiſſima eſt, ordinatè fiat: quod maximè eſt neceſſarium, tum ad conſeruandam pacem inter ipſos Chriſtianos Principes; tum etiam vt vnuſquiſque maiore ſolicitudine procuret bonum gentis ſibi commiſsæ. Vnde hoc totum pertinet ad Pontificem, tamquàm ad principalem motorem, vt ſic dicam: nam Reges ſunt veluti organa & inſtrumenta eius; & ideo nullus poteſt tranſgredi terminos ſibi præſcriptos, quia non poteſt moueri niſi motus.* Sic ille.

Aduerſa diluuntur cum notãda doctrina.

33 Quod autem in contrarium adducebatur, non vrget, quia de Pontificum mente ſatis conſtare jam vidimus. Licet autem non omnes inſulæ aut terræ Indicorum tractuum ab Hiſpanis detectæ ſint; poſſunt tamen detegi; & vt numquàm detegantur, ob ingentia damna ex diſcordiis inde emerſuris, quibus principale negotium propagationis fidei impediendum, poteſt occupatio talis prohiberi, etiam ſi lux Euangelij, quæ illis inferri poteſt, magnum earumdem bonum ſit, quo videntur tali prohibitione priuari: illud enim omitti poteſt, cùm incertum ſit, & maius bonum in eo genere ſtare poſſit, dum Catholici Reges ſine impedimento valent in fidei dilatatione procedere. Dixi *Incertum*, rerum experientia teſte, etſi à quibuſdam Principibus, vt à Gallis olim in Braſilia, & alibi: (nam de Anglis, & Hollandis hæreſum venenis infectis, res eſt penitus explorata) terræ quædam occupatæ ſint, nihil propterea aut parùm fides Chriſtiana prouexit. Cùm id etiam compertum ſit in huiuſmodi claſſibus multos hæreticos milites, & rei maritimæ adminiſtros commiſceri: quod ſemper timendum: vnde pro exaltatione fidei nihil, quod momenti alicuius futurum ſit, cum ſufficienti poteſt fundamento ſperari, ſed potiùs damna non leuia pertimeri.

CAPVT III.

An Rex Catholicus Miniſtros Euangelicos in Indias proprijs expenſis mittere teneatur, & quales futuri.

Circa miſſionem Euangelicorũ miniſtrorũ præceptum Pontificiũ.

34 GRauiſſimum circa hoc extat Alexandri Sexti præceptum, ſic enim loquitur in Bulla priori; *& inſuper mandamus vobis in virtute ſanctæ obedientiæ, vt (ſicut pollicemini, & non dubitamus pro veſtrâ magnâ deuotione, & Regia magnanimitate vos eſſe facturos) ad terras firmas, & inſulas prædictas, viros probos, & Deum timentes, doctos, peritos, & expertos, ad inſtruendum incolas, & habitatores præfatos in fide Catholica, & bonis moribus imbuendum, deſtinare debeatis, omnem debitam diligentiam in præmiſsis adhibentes.* Sic ille cum Ferdinando & Iſabella locutus: eius tamen præceptum ad ipſorum etiam ſucceſſores ſpectat, ad quos donatio protenditur, & ita debet cum ſuo onere tranſire. *Rationi enim congruit, vt ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.* Vt eſt notiſſima regula Iuris in 6. & quidem ſucceſſores maioribus ex Indiis ſunt locupletati theſauris, qui etiam noſtris temporibus tranſmittuntur, vt maior propterea obligatio videri debeat, ne plus juſto neceſſariis parcatur expenſis. Et circa obligationem huiuſmodi ex prædicto titulo reſultantem acriter & neruosè diſcurrit Frater Ioannes de Silua, Franciſcanus, *in Animaduerſionibus pro gubernatione Indiarum, Memoriali tertio.* Quæ indubitabilis cùm ſit, non eſt opus circa illam prolixiùs declamare.

Catholicorum Regũ vrget ſucceſſores, quia donatio cum onere tranſit.

Cap. Rationi.

Fr. Ioannes de Sylua.

Meſſis Indica operarijs indiget ex Europa mittendis,

35 At erunt fortè qui dicant ſat eſſe Miniſtrorum ſacrorum in regionibus iſtis. Quod vtinam ſic eſſet: ſed meſſis profectò multa, non tamen operarij multi, qui ſcilicet multitudinem meſſis exæquent. Rogamus ergo Dominum meſſis, Deum inquam: rogamus etiam eum, qui meſſis item eſt Dominus Apoſtolico dictamine conſtitutus, vt mittat operarios in meſſem ſuam; tales tamen, quales vidimus ore Pontificis requiſitos. *Viros probos, & Deum timentes, doctos, peritos, & expertos.* Si tales non ſuppetunt; ij ſaltem qui futuri ſperentur tales, Religioſa exercitatione formati. Sed qualitates dictas excutiamus.

Probos requirit Pontifex, quia filij facta parentum magis quã verba ſequuntur.

36 *Probos:* Quia ſi improbi, nihil efficimus. Quis credet auditui noſtro, quando fidem dictis detrahunt mores peſſimi, & mendax haberi poteſt, qui manifeſtè probatur impurus? *Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus.* Sic *Regula* 8. *iuris in* 6. Sed credant vtcumque: faciliùs facta quàm verba ſequentur eorum, qui ſe Patres dicunt, & per Euangelium in Chriſto Iesv filios ſe genuiſſe gloriantur. Pulchrè & robuſtè Iuuenalis, *Satyra* 14. circa hoc Philoſophatus, vbi ex multis illud:

Iuuenalis.

Sic natura iubet; velocius & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Cùm ſubeant animos auctoribus. Vnus & alter

Forſitan

Forſitan hæc ſpernant iuuenes, quibus arte benigna,
Et meliore luto finxit præcordia Titan.
Sed reliquos fugienda patrum veſtigia ducunt,
Et monſtrata diu veteris trahit orbita culpę.
Abſtineas igitur damnis, huiuſce etenim vel
Vna potens ratio eſt, ne crimina noſtra ſequantur
Ex nobis geniti: quoniã dociles imitandis
Turpibus ac prauis omnes ſumus. Circa quod multa dici poſſent, quibus tamen hìc negamus locum, alibi, Deo auſpice, tribuendum.

Timor Dei maximè in illis neceſſarius.

37 *Et Deum timentes.* Et quàm id meritò! Si Dei timor in regionibus iſtis non adſit, vix eſt alius, qui à miniſtro ſacro verè & ſeriò timeatur. Habent quò poſſint timorem omnem alium ſubmouere. Prælati abſunt: ſcelerum teſtes timidiſſimi delatores, & ex quibus plures vix vnius idonei teſtis partes explent, de quo Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 1. Cap. 27. num.* 57. Et nos alibi. Quòd ſi quidquam videatur imminere periculi, præſtò eſt cuncti-potentis argenti ſubſidium. Si ergo Dei timor non adſtet, actum eſt de omnibus puræ conſcientiæ ornamentis, & turpitudini ianua frequentiſſima reſerata. Et qualis inde Euangelicus miniſter, Euangelij ipſius exitioſiſſimus infamator? Hinc Apoſtolis, & Apoſtolicis viris, quibus credita mundi conuerſio, laus illa congruit, quæ habetur Cant. 5. v. 15. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas.* Circa quam Diuus Ambroſius ita loquitur: *Accipite de Verbo Dei lectum in Canticis: Crura eius columnæ marmoreæ fundatæ ſuper baſes aureas. Significant ſcilicet columnas eſſe Apoſtolos, qui fundati ſunt in timore Sancto.* Sic ille. A timore ergo Domini fortitudo, & inde in Euangelicis operariis de vniuerſis animæ hoſtibus ſperandus triumphus, & coronæ victoriales. *Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Eccli. 1 v. 11.* Vbi doctus Interpres ſic ait; *Denique timens Deum eſt triumphator, ideòque coronatus; triumphat enim de peccato, mundo, carne, & Dæmone.* Hæc ille.

Cant. 5. v. 15.

Inde Euangelicis miniſtris ſeruanto.

Eccli. 1. v. 11.

Victoria, & triumphus.

Doctos pro Indorum conuerſione requirit Pontifex, & quanta doctrina neceſſitas.

38 *Doctos.* Falluntur ergo illi, qui ad negotium conuerſionis Indorum ſuperuacuam exiſtimant eſſe doctrinam, à quã doctus quis poſſit abſolutè vocari. Plura certè in eo occurrunt, quæ ſolius Grammaticæ, & leui quadam moralis Theologiæ notitiã nequeunt expediri. Hinc timori Domini ſapientia adnexa à Siracide pro ſalute propria & aliorum cũ fructu pertractanda, *Corona*, inquiens, *ſapientiæ timor Domini, replens pacem & ſalutis fructum.* Vbi ſic Arabicus; *Ex ea multiplicatur doctrina* (ex ſapientia inquam) *& vita, & ſanitas; & eſt virga vtilitatis, & ſuſtentaculum laudis, & honor perpetuus cuilibet illam tenenti.* Sic ille. Multiplicatio ergo doctrinæ, quæ & glorioſa docenti & ſalutaris ipſi, vtiliſque aliis, à timore Domini ſapientiæ maritato. Inde pax, & abundantia pacis, quæ ſcilicet repleat animam ſic feliciter ſapientis; tales enim (vt experientiã notum) pacifici ſunt, & ſtudio aſſidui, ac incubantes libris, externos ſolent vitare tumultus, quibus indocti, tædio habentes libros, idcòque gyro-vagi, frequenter implicantur.

Eccli. 1. v. 12.

Arabicus.

Peritos itē, & quid peritia.

39. *Peritos.* Inter doctos & peritos aliquid intereſſe diſcriminis ex Tullio *Libr. 3. de Officiis*, coniiciunt quidã, vbi illa eiuſdem verba, *Cùm ſint docti à peritis, facilè à ſententia deſiſtunt.* Videtur ergo peritus ille eſſe, qui non ſolùm doctus eſt, ſed etiam ad docendum aptus: neque enim docti omnes ſunt ad docendum idonei: & idonei profectò ad conuerſionem Indorum, eoſque in fide & Chriſtiana pietate continendos, requiruntur. Vnde Gentium Apoſtolus, *Qui & idoneos*, inquit, *nos fecit miniſtros noui Teſtamenti.* 2. *Cor.* 2. *v.* 3. Eſt autem peritia timori Dei ſapienter adiuncta, quia Spiritus ſanctus dotes iſtas ſuã ſententiã copulauit. *Eccli.* 25. *v.* 8. ſic dicens: *Corona ſenum multa peritia, & gloria illorum timor Dei.* Vbi peritia videtur quaſi ſenibus propria commendari. Quod quidem in cauſſa præſenti mirè congruit, dum monentur ij, quibus cura mittendorum Miniſtrorum pro ſalute Indorum incumbit, ne iuuenes operi tanto præficiant, niſi in illis morum comperta maturitas ætatis defectum ſuppleat, quod non ſemel accidere ſatis eſt compertum: ſicut & ſenes inueniri ſenſu quoad grauia & ſeria penitùs deſtitutos. Monſtrum inquam illud, quod cum duobus aliis ſibi eſſe faſtidio Spiritus ſanctus proteſtatur, dum *Eccli.* 25. *v.* 3. & 4. ſic ait: *Tres ſpecies odiuit anima mea, & aggrauor valdè animæ illorum: Pauperem ſuperbum: diuitem mendacem: ſenem fatuum & inſenſatum.*

Tullius.

2. Cor. 2. v. 3.

Eccli. 25. v. 8.

Timori Domini quomodo coniugata.

Eccli. 25. v. 3. & 4.

Expertos denique, & quòd experientia corona ſit.

40 *Et expertos.* Illuſtre hoc Euangelicorum miniſtrorum honeſtamentum, quod & coronam Spiritus ſanctus appellauit, iuxta citatum ex Siracide locum, & grauium Interpretum expoſitionem. *Corona ſenum multa peritia*, peritiam enim dicunt experimentum deſignare. Videndus P. Cornelius. Nullum autem ornamentum coronã illuſtrius, immò neque ita illuſtre; vt hinc maturæ experientiæ dignitatem agnoſcamus. Pro eàdem ipſe Cap. 34. v. 9. ſic habet: *Vir in multis expertus cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum.* Quod quidem præſenti aptiſſimum inſtituto; cùm ex eo habeamus expertos omnium aptiſſimos eſſe magiſtros, à quibus hauriri rerum plurium, animarum ſtatui conuenientium, intelligentia poſſit. Vnde citatus Interpres ſic ait: *Ipſe ergo eum vocat ſapientem, dignum cui credamus, qui per tentationes à cælo eruditus eſt, & per multorum experientiam prudens doctuſque euaſit, vt poſſit & alios docere, conſolari, mederi, conſulere, dirigere.* Hæc ille, quæ ad Euangelici miniſtri ſpectãt munus paucis executus; cuius eſt docere, conſolari &c. Tales optat & præcipit Pontifex ad Indorum conuerſionem mitti. Ex quo illud eliciendum certiſſimum aſſertum, in concurſu ad Indica Beneficia multùm debere ad experientiam oppoſitorum attendi, & eum præferendum, qui experientiã valeat, ſi virtus nota, & doctrina ſufficiens ſuffragetur, aliis, qui in litteris, & aliqualem etiam in virtute habeant exceſſum. Pro quo ſic P. Stephanus Baunij *in noua praxi Beneficiorum*

Eccli. 25. v. 8.

Ibid. 34. v. 9.

P. Cornelius.

Euangelici miniſtri officium.

Præferendus expertus in concurſu ad Pontificia.

P. Baunij.

Digitized by Google

rum Diſputat. 3. Quæſtione 13. communem doctrinam amplexus: *Ad bonum commune Beneficia cùm ordinentur ex rei naturâ, fieri poteſt, vt doctus ſanctiori idiotæ præferri debeat, expertus meliori, qui tamen rerum vſu, experientiâque non polleat; eò quòd (inquit D. Thomas 2. 2. qu. 66. arti. 2.) ille qui minùs eſt ſanctus, & minùs ſciens, poteſt magis conferre ad bonum commune propter potentiam vel induſtriam ſæcularem, vel propter aliquid huiuſmodi: & quia diſpenſationes ſpiritualium principaliter ordinantur ad vtilitatem communem, ſecundùm illud. 1. ad Corinth. 12. Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem: ideóque quandoque abſque acceptione perſonarum in diſpenſatione ſpiritualium illi, qui ſunt ſimpliciter minùs boni, melioribus præferuntur.* Sic ille. Quod etiam cum aliis tradit Diana *Parte* 3. *Tract.* 5. *Reſolut.* 110. & Thomas Hurtadus *Tract.* 12. *num.* 13. 16. *& ſeqq.* Sed de his alibi magis ex profeſſo.

D. Thom.

Corollarium peculiare.

Non ſolum qui mittũtur Euangelij Miniſtri, ſed quicumque alij in Indijs alendi liberaliter.

41 EX dictis ſequitur, cùm Rex Catholicus Euangelicos miniſtros in Indias non ita frequenter mittat, neque mittere fortè poſſit; ſi quos tamen ſciat ex iis, qui in Indiis degunt, ſedulò huic negotio incumbere, teneri eos ſuis ſumptibus alere; niſi ipſis aliunde ſuppetat, vel nolint Regium patrimonium eâ contributione grauare. Cùm enim teneatur de operariis huic vineæ prouidere, eo cum onere traditæ, ſiue ipſi aliunde veniant, ſiue ibidem degant, obligatio eſt eadem temporaliter ſubueniendi. Et cùm Rex nequeat ſic laborantes habere præſentes, vt id faciat, ad quod tenetur; eam curam debent habere Proreges, Præſides, ac Gubernatores, vt Regiam & proprias ita conſcientias exonerent; ad hoc enim præcipuè mittuntur, quia illud eſt in Regiâ obligatione præcipuum. Quod cùm Catholici Reges Ferdinandus & Iſabella probè noſſent, ſic ad regium Indicarum ſcripsêre Conſilium, vt habetur Tomo. 1. Reſcriptorum Indicorum, pag. 13. *Iuxta obligationem & onus, ſub quibus Indiarum domini ſumus, & ſtatuum maris Oceani, nihil enixiùs optamus quàm publicationem & ampliationem legis Euangelicæ & conuerſionem Indorum ad noſtram ſanctam fidem Catholicam: & cùm ad hoc tanquàm ad principale intentum, quod habemus, cogitationes noſtras & curas dirigamus: Mandamus, & quantùm poſſumus noſtri Senatûs Indiarum Conſiliariis iniungimus, vt omni alio reſpectu emolumenti & quæſtûs noſtri poſtpoſito, eam habeant curam, ſibi præcipuam diſponendi omnia, quæ ad conuerſionem & doctrinam Indorum ſpectant: & omnium maximè advigilent, & totis ſuis viribus & intellectu in id incumbant, vt Miniſtros idoneos ad illam prouideant, omnia alia media neceſſaria & conuenientia adhibendo, vt Indi, & illarum partium indigenæ conuertantur, & in agnitione Dei & Domini noſtri perſeuerent, ad honorem & laudem ſui ſanctiſſimi Nominis. Vt hoc pacto Nos hanc ſolicitudinis noſtræ partem, quæ adeò nos conſtringit, adimplendo, & cui tantoperè ſatisfacere cupimus, noſtri Conſilij Auditores conſcientias ſuas exonerent, quandoquidem cum illis Nos conſcientias noſtras eo onere liberamus.* Sic Reges Religioſiſſimi, iuſtiſſimi & piiſſimi. Nec ſucceſſorum alia mens: vt intelligant ij, qui in ſolicitudinis partem vocantur, circa Euangelij Miniſtros curam illis debere eſſe præcipuam, & ita id, quod ad illorum ſuſtentationem ſpectat, libenter, opportunè, & liberaliter exequendum.

Curam Miniſtrorum Catholici Reges agnoſcebant eſſe præcipuã.

Maximè notanda verba.

CAPVT IV.

Vtrùm Exteri in negotio conuerſionis Indorum conuenienter excludantur.

42 QVidquid de excluſione eorum ſit, quos commoda tantùm temporalia ad iſtas pertrahunt regiones, in quo non variæ conuenientiæ rationes occurrunt, propter quas poteſt lex id cauens à Rege noſtro conſtitui; circa alios cum diſtinctione loquendo,

Dico primò. Exteri ex iis Prouinciis, quæ Regi noſtro vt vero domino ſubiectæ ſunt, immeritò videntur in negotio curandæ ſalutis Indorum excludi. Probatur manifeſtè: nam Reges noſtri debent, iuxta obligationem, quam ipſi, vt *num. præcedenti* vidimus, recognoſcunt, idoneos miniſtros ad ſalutem Indorum prouidere: Atqui exteri dictarũ Prouinciarum idonei eſſe poſſunt: ergo immeritò videntur excludi. Major eſt clara, & Minor comperta ratione & experientiâ. Ratione inquam, quia idoneum miniſtrum conſtituunt ea, quæ *Cap. præcedenti* à Pontifice vidimus requiſita: omnia autem illa in præfatis poſſunt reperiri; quia nihil confingi poteſt, propter quod valeat quantumuis leuis incapacitatis vmbra demonſtrari. Experientia autem non vnum aut alterum, ſed complures hiſtoria dignos oſtendit, qui regnum Chriſti cum regno pariter Regum noſtrorum egregiis laboribus propagarunt. In Indiâ quidem Orientali, & eidem proximis Prouinciis, Apoſtolici viri conuerſionem mirabiliter promouerunt, quos noſtræ hiſtoriæ, & nonnullæ aliorum, veritate contra inuidiæ caliginem albeſcente, concelebrant. Antonius Criminalis Proto-martyr Societatis, Alexander Balignanus, Matthæus Riccius, Michaël Rogerius, Carolus Spinola Martyrio & ſanguine nobiliſſimus; Laurentius Maſſonius, Marcellus Maſtrillus, à cælo Martyr initiatus, Rodolphus Aquauiua, & ipſe Martyrij laureâ & natalibus illuſtriſſimus; Organtinus Brixianus, Paulus Camatius, Ioannes Baptiſta Zola, Franciſcus Almeriquius, Alexander Vallaregius, Hieronymus ab Angelis, vt omittam alios. In Occidentali Angelus Monitola, Horatius Veccius, Ioannes Darius, Simon Maieta, Iulius Paſchalis, Antonius Riparius, Camillus Conſtantius, & plures alij, qui ad experientiam captandam abundè ſufficiunt. Et quamuis nonnulli ex ipſis in iis ſint nati regionibus, qui Catholico Regi non ſubſunt; id ſanè non obſtat; tum quia plurimi illius vaſalli ſunt nati: tum etiam quia inde robuſtius

Aſſertio 1. de ſubiectis Coronæ, quòd non debeant in negotio ſalutis Indorum excludi.

Illuſtrium illorum Catalogus, qui in Indijs glorioſiſſimè laborarunt.

Digitized by Google

buſtius ſumitur argumentum: Si enim idonei illi Euangelij miniſtri, quantò id poſſit certiùs de ordinariis vaſallis affirmari?

Suſpicio maleuoli affectus depulſa.

43 Communis reſponſio de ſuſpicione ex talibus non benè erga res Hiſpanas affectis, iuxta ea, quæ habet Caſſanæus *in Catalogo gloriæ mundi Parte II. Conſiderat.* 22. ex dictis depellitur: experientiâ ſiquidem multiplici comprobatum eos nihil aut dixiſſe, aut egiſſe aliquando, quod ſuſpicionem poſſet præfati affectûs generare. Sunt ergo præſumendi idonei, cùm nihil in contrarium oſtendatur. Cap. *Dudum, de Præſumptionibus.* Et quidem Rex noſter in exercitibus ſuis, quos hæc tempora fidentiſſimis ducibus inſtructos exigunt, externos adhibet, quibus & arces & vrbes in Hiſpaniâ propugnandæ, & gubernandæ committuntur. Nihil ab iis timetur & meritò. Cur ergo à paupere Sacerdote, quem gloriæ Dei zelus, & animarum ſalutis, ſuis tenet miniſteriis intentum, timeatur. Ibi certè trepidatur, vbi non eſt timor, id eſt, timendi ratio, ſi res hæc, vt par eſt, rationabiliter tranſigatur.

Cap. Dudum.

Et reſponſio alia de meliori per domeſticos agendi ratione.

44 Dici vlteriùs poteſt ſufficientes eſſe ex Hiſpaniâ Operarios, vt non ſit opus externum quæri ſubſidium, & rem hanc meliùs per ipſos, quàm per exteros agitari. Annuo penitus, ſi res ita ſe habet: non tamen ſe habere, cùm ad executionem tenditur, norunt qui prò huiuſmodi cauſſis in Europam deſtinantur. Pro quo & eleganter Franciſcus Patritius *Lib. 3. de Regno, Titulo* 13. vbi ita ſcribit: *Vt enim diligens venator, ſi in patriâ ſuâ optimum canem non inuenit, Epiroticum aut Laconium, magnâ impenſâ magnâque diligentia exquirit. Sic Rex, ſi regionis ſuæ idoneos indigenas non habebit, toto orbe terrarum perquiſitos, ſummo ſtudio, omnique largitione ac largitate conſtituet.* Sic illc. Qui Mathematicas facultates doceant aduehuntur extranei, quia Noſtri ad hæc ſtudia non ita aſſiciuntur, vt excellentes euadant magiſtri: Cur non ad rem, de quâ agimus, ſi opus iis fuerit, aduehantur? Bella certè in Hiſpaniâ, non ſolis geruntur Hiſpanis, ſed neceſſarium eſt exteros aduocari: ergo & in ſpiritualibus expeditionibus aduocari exteri poterunt, ſine vllo nominis Hiſpani dedecore; immò & cum honore maximo, vt Regi tanto in vtrâque cauſsâ, ſpirituali inquam & temporali, omnes fideles ſubditi conminiſtrent.

Franciſcus Patritius.

Aſſertio 2. de Vaſallis Pontificis idem ſtatuens.

45 Dico ſecundò. Subditi Pontificis ob temporale in Italiâ dominium, non videtur conueniens vt in cauſsâ, de quâ loquimur, arceantur. Hoc ex eo oſtenditur, quod in ſuperioribus oſtendimus, donatione inquam Pontificis Reges noſtros Indiarum dominos conſtitutos: quod & ipſi fatentur, vt vidimus *num.* 41. Indecorum ergo videtur, vt eius ſubditi in cauſsâ adeò piâ, in quâ valdè vtiles eſſe poſſunt, penitus repellantur. Noui aliquos ex iis Operarios inſignes, & Hiſpanis noſtris gratiſſimos, quibus vtinam plures alios ſimiles haberemus.

Aſſertio. 3. de Germanis, & aliis Hiſpano nomini non infenſis idem ſtatuens.

Dico tertiò. Ex Germanis, & aliis Hiſpano nomini non infenſis mitti conuenienter poſſunt, vnde non videntur conuenienter amoueri. Probatur ex dictis; hos namque idoneos & ratio & experientia demonſtrat, pro ſuſpicione autem ratio ſubeſt nulla. Ex iis etiam nouimus aliquos ſtrenuos & indefeſſos Indiæ vineæ cultores. Cur ergo tales bonus Paterfamilias ſub pactione donarij non conducat, pondus diei & æſtus aptiſſimos ſuſtinere?

Aſſertio. 4. de infenſis negans, ſed cum eorum laude.

46 Dico quartò. Ex nationibus quaſi naturaliter aduerſis non expedit Miniſtros conuerſionis admitti. Hoc non ex eo ita profero, quòd minùs apti ſint. Quis enim Gallos ſatis aptos non cenſeat, qui in Nouâ-Franciâ res mirabiles incredibili patientiâ perpetrarunt? Sunt equidem ad ſpiritualia aptiſſimi miniſteria, ingenio, litteris, & experientiâ conſpicui. Neque ex eo quòd timeri aliquid ab ipſis queat. Quid enim ab imbelli, & rerum ſæcularium egregio deſpectore timeri poſſit? nihil certè Carolus V. à Borbonio timuit, quem exercitibus præfecit ſuis, ſicut neque à Condeo Principe Rex noſter arma noſtra tractante contra Gallicas irruptiones; & ab iis, de quibus agimus, timeatur? Non mittendos tamen aſſero, quia frequentibus erunt obnoxij calumniis, & rem, pro quâ animus maximè tranquillus & pacatus exigitur, non poterunt promouere. Communiter enim habebuntur ſuſpecti, vtpotè rebus noſtris quaſi naturaliter aduerſantes, iuxta vulgarem reſponſionem de quâ *num.* 43. hic potiùs congruentem. Et licèt prudentiores ſecus iudicabunt, vulgus tamen prudentiæ leges ignorat, vnde & quod ſentit, non veretur effari, *veritatis peſſimus interpres*, iuxta Senecam *Lib. 2. de breuitate vitæ.* Scimus etiam ob leuiſſimam, aut potiùs nullam huiuſmodi occaſionem, graues obortas tempeſtates, quas anteuertere oportet, tranſmiſſione negatâ. Quod Principibus obſeruandû, iuxta *Authent. vt Diui.* in quâ ſic Imperator: *Voluntarios labores, vt quietem aliis præparemus.* Pro quo & alia habet Gloſſa in *Præmia Decretalium.* Et in regionibus adeò remotis id peculiariùs accurandum; quamquàm regula iſta ſuas poſſit exceptiones habere; vnde & ſcimus aliquos cum tranquillitate animi, nullis excitatis aliunde flatibus, in vineæ iſtius culturâ egregiè laboraſſe. Pro quibus hæc ſatis, in quibus non tamquàm iudex, ſed tamquam teſtis elocutus: ſcio enim Regi noſtro graues & ſapientes Conſiliarios aſſiſtere, quibus de conuenientiâ circa prohibitionem aut indulgentiam, erit integrum iudicare. Sed quia illi circa valdè remota deliberant, neque id, quod ipſa rerum facies præſentibus exhibet, poteſt eſſe perſpectum, non ſum veritus facem teſtimonij præferre; cùm ſit eius, qui ipſos ferè quinquaginta annos in iſtarum rerum proximâ inſpectione tranſegit. Iuuat autem illud Orientalis Prouinciæ Societatis noſtræ Patrum communi calculo roborare. Illi enim *Anno* 1575. conſultatione habitâ circa ea, quæ ad promouendum rei Chriſtianæ ſtatum conferre poterant, cum Viſitatore Alexandro Valignano conuenientes, id ſtatuerunt inter alia, quod P. Sacchinus 4. *Parte hiſtoriæ Societatis Lib. 3. num.* 230. his refert verbis:

Ratio pro illa, excluſa aliis.

Seneca.

Authent. Vt Diui.

Prouincia Indiæ Orientalis Societatis præclarum exemplum, & illuſtris ſententia.

Digitized by Google

bis: *Illud quoque viſum eſt in deliberationem vocandum, an alios præter Luſitanos expediret in Indiam ex Europâ ſocios mitti: vbi ſummo omnium acclamatum conſenſu, non modò ex alijs quibusuis Prouincijs cum gratiarum actione excipiendos libentiſſimè, ſed etiam inuitandos, rogandoſque: & ſupplicandum P. Generali, vt quando vna Prouincia Luſitana nequaquam ſibi ipſi, Braſiliæque, & Indiarum tot tamque amplis regionibus poſſet ſufficere, nullo modo Spiritui ſancto, Dominoque meſſis Operarios in meſſem ſuam mittenti præcludi aditum ſineret.* Sic ille.

CAPVT V.

An, & quomodo, debeat, & poſſit Rex Catholicus, Conquiſitorum, & Conquiſtatorum merita munerari.

Conquiſtatoribus remuneratio debita, ſicut generaliter egregiè laborantibus.
Caſſiodor.

47 QVòd debeat genere aliquo debiti, indubitatum apparet: meritis enim remuneratio debet proportionabilis reſpondere. Quæ veritas luce eſt meridianâ perſpectior. Et in materiâ, de quâ agimus, ſpecialiter à Caſſiodoro his verbis exornata; *Tribuenda eſt juſtis laboribus compenſatio: quia exprobrata militia creditur, quæ remunerata tranſitur, Athletam populis palma deſignat eſſe victorem. Sudores bellicos Ciuica corona teſtatur. Expectant etiam equi* (alij: *Equos*, ſed minùs benè) *præmia ſua: & tanta juſtitiæ vis eſt, vt nec illis tardiùs detur laboris pretium, qui ſentire non poterant denegatum.* Sic ille. *lib.* 2.28. Debentur ergo ſaltem gratitudinis debito Conquiſitoribus præmia, qui in Catholici Regis obſequium incredibiliter laborarunt. Ad gratificationem ſanè voluntas obſequendi requiritur, quod *lib.6. de beneficijs cap.* 10. à Senecâ eleganter dictum verbis illis: *Non enim profuiſſe te mihi oportet, vt tibi obliger: ſed ex deſtinato profuiſſe.* Pro quo & *cap.* 19. Conquiſitores autem ex deſtinato profuiſſe, non poteſt in dubium reuocari. Regum Catholicorum auſpiciis, ſumptibus, & mandatis profecti, eius nomine poſſeſſionem terrarum, quaſcumque inueniſſent, formulâ ſolemni captabant, quam multi ſcriptorum afferunt, & extat *Tomo* 4. *Reſcriptorum Indicorum pag.* 226. *& ſequenti.* Et eſt ſanè notabilis, quia in illâ Reges noſtri, ex quorum præſcripto ordinata eſt, Pontificem Romanum vti mundi dominum recognoſcunt, à quo proinde fieri ampliſſima donatio potuit regionum Indicarum. Non poteſt ergo circa obligationem titulo gratitudinis dubium eſſe vllum, vnde ad alios quæſtio reuocatur, circa quos

Voluntas obſequendi ad gratificationem requiritur. Seneca.

Formula notabilis poſſeſſionis Indiarum.

Conquiſitoribus remuneratio ex juſtitia debetur.

48 Dico Primò Reges Catholici debent Conquiſitores (quo nomine etiam Conquiſtatores aut Conqueſtatores accipimus) juxta quantitatem impenſi laboris ex juſtitiâ præmiare. Sic P. Acoſta *lib.* 3. *de procurandâ Indorum ſalute cap.* 11. Illuſt. Ioannes Zapata *in Diſceptatione de juſtitia diſtributiua parte* 1.*c.*4.*n.*18. *& parte* 3.*c.vlt.n.*1. D. Solorzanus *to.*2.*li.*2.*c.*2.*n.*59. *&* 60. *& in Politica pag.*257.303.482. *&* 483. & alii. Ratio eſt clara. Nam juſtitiæ obligationem fundat proprium jus in eo, cui debet reddi, & conſequenter proprium debitum in debitore reſpicit: Atqui ita contingit in præſenti: ergo eſt propria juſtitiæ obligatio. Maior eſt explorata, & Minor oſtenditur: nam laborans in alterius commodũ ex illius directione, & non vt meram gratiã conferat, ſed vt laboris ſui proportionatam compenſationem accipiat, proprium jus fundat aduerſus illum: non eſt autem aliud niſi juſtitiæ: ergo ex juſtitiâ obligat debitorem. Irrefragabilis eſt diſcurſus, & applicandus cauſæ præſenti juxta dicta.

Ratio Aſſertionis aperta.

Obligatio eſt juſtitia commutatiua.

49 Dico ſecundò. Obligatio dicta eſt juſtitiæ commutatiuæ. Sic Illuſtriſſimus Zapata *ſuprà*, quod & Dom. Solorzanus videtur approbare, & hoc planè conuincit ratio adducta pro Aſſertione præcedenti. Et prætereà ex eo oſtenditur, quia juſtitia commutatiua talis dicitur propterea quòd circa commutationem verſatur, dum vnum pro alio datur, & ita commutatur: Atqui Conquiſitores operas dederunt, & labores eximios in Regum Catholicorum quæſtuoſiſſimum obſequium: ergo illis debetur compenſatio æquivalens, juſtitiæ commutatiuæ titulo. Audiendus Seneca *lib.* 3. *de beneficijs*, ita ſcribens: *Æquiſſima vox eſt, & jus gentium præſeferens: Redde quod debes: Hæc turpiſſima eſt in Beneficio: Redde.* Sic ille.

Seneca Libro 3. de beneficiis cap. 14.

An diſtributiua interueniat, dubia quæſtio, & quomodo explicanda illa.

50 Dico tertiò. An cum juſtitiâ commutatiuâ etiam diſtributiua intercedat, communis eſt quæſtio. Cùm enim communia bona diſtribuit gubernator, ſi pro ratione laboris impenſi reddat, pacto aut expreſſo aut tacito intercedente, ſolùm exerceri commutatiuam, etiamſi proportionem geometricam attendat, vt inter eos, qui præmiantur, ſit reſpectus perſonæ ad perſonam, & non tantùm rei ad rem, multorum ſententia eſt: cùm tamen oppoſitum alij ſentiant, ex quibus videri poteſt P. Molina 1. *p. q.* 21. 5. *Hinc jam facilè*, & de quo nos alibi. Eſtque illud præſenti cauſæ parùm neceſſarium: in quo tamen citati pro Aſſertione præcedenti priori ſententiæ videntur adhærere, & poteſt facilè defendi, cùm tamen contrarium probabilius videatur: quia proportio illa perſonæ ad perſonam eſt quid conſequens ad contractum cum multis, in quo ſola eſt commutatiuæ juſtitiæ ratio, & conſequenter obligatio ex ſolâ illâ reſultans, & ipſi propria. Et quando vnicuique ſecundùm proportionem Arithmeticam redditur quod ſuum eſt, valdè per accidens ſe habet, quòd reſpectu alterius etiam interueniat obligatio, vnde eâ ſeclusâ ſimiliter redderetur. Id quod etiam ad commutatiuam ſpectat, cui proprium eſt, cùm non poteſt reddi æquale, id quod eſt poſſibile reddere, ſiue vnus tantùm ſit creditor, ſiue ſi plures. Quod tamen in diſtributiuâ non accidit, cuius eſt proprius reſpectus ille in debiti redditione præciſus, & ſolùm ea, quæ ſunt communia, diuidentis: hic enim juſtitiam aliquam conſtituit: ſed non aliam: ergo illam; vnde immeritò confunduntur.

Propria vtriuſque proportio.

Pactâ mercede ſolutâ non eſt vlterior ex juſtitia obligatio.

51 Dico quartò. Reges Catholici reddentes Conquiſitoribus pactam mercedem laborum, non videntur ad aliquid vlterius obligati ex rigore juſtitiæ, etiamſi poſteà minùs proportionata videatur. Sic Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *lib.* 2. *Cap.*30.*n.*20. vbi pro eo Hiſpanas leges adducit. Ratio eſt, quia generaliter loquendo vltra pactam mercedem nihil debetur vlterius: dicere enim poteſt ita ſoluens Euangelicum illud *Matt.* 20. *v.*13. *&* 14. *Amice, non facio tibi iniuriam: Nónne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum*

Matt. 20. v.13. & 14.

eſt,

Digitized by Google

eſt, & vade &c. Et tamen iſti minùs proportionatam ſibi redditam mercedem querebantur, vt patet ex v. 11. & 12. immeritò tamen; in quo fundatur Aſſertionis ratio. Licèt enim pacta merces minùs proportionata appareat iis, ad quos illius pertinet intereſſe, illa ſemper ſolet eſſe talium querela, & nullus ſuis aut ſuorum meritis æqualem redditam mercedem arbitratur. Quod tamen ſecus accidere, debet prudenter æſtimari; quandoquidem Reges noſtri non ſolùm iuſtiſſimi, ſed liberaliſſimi eſſe ſolent: & quando pactio inita eſt, negotium iſtud eſt diligenter expenſum, vt nullum iniuſtitiæ periculum timeri poſſit, etiamſi nihil vlteriùs redderetur. Pro quo ſunt Iuris regulæ in 6. 27. & 85. *Scienti, & conſentienti non fit iniuria.* Et, *Contractus ex conuentione legem accipere dignoſcuntur.* Præterquàm quòd Princeps poteſt rebus pretium competens aſſignare, aut lege, aut arbitrio, vt eſt recepta doctrina: ergo laboribus Conquiſitorum potuerunt Reges Catholici aſſignare illud, quod reipsâ contulerunt; & ita eſt iuſtum reputandum.

Etſi minùs poſteà proportionata videatur.

Cap. Scienti, & Cap. Contractus.

52 Dico quintò, etiamſi Conquiſitores ſub pactâ mercede non laborauerint, ſed ſperantes ſe à Regibus Catholicis iuſtè remunerandos; ſi id detur quod tunc iuſtum viſum eſt, non tenentur ſucceſſores ex iuſtitiæ rigore quidquam ampliùs impartiri. Conſtat ex dictis pro Aſſertione præcedenti: quod enim à Chriſtianiſſimis Regibus eſt proportionabile iudicatum, tale debet ab aliis reputari. Si enim iuſtum ſtipendium militis illud eſt, quod Chriſtiani Reges, tyrannico ſe minimè more gerentes, eiſdem aſſignant; cur non etiam reputari iuſtum debet illud, quod Conquiſitoribus, qui nihil aliud, quàm ſpeciale militiæ genus exerceant, à Regibus eſt Catholicis conſtitutum?

Idem oſtenditur, etiãſi merces pacta non ſit.

53 Vbi illud ex P. Leſſio *lib. 2. cap. 24. n. 24.* opportunè cadit; ait enim iuſtum ſtipendium ſpectatis omnibus circumſtantiis attendendum. Etſi enim functio aliqua multos labores coniunctos habeat: tamen ſi honores, & emolumenta alia ei adnexa ſint, ſtipendium poterit eſſe paruum: nam honor, & adiuncta commoda, ſunt veluti pars ſtipendii. Sic ille in rem noſtram: Nam Conquiſitores eximiè honorati ſunt à Catholicis Regibus, nobilitatis, & Equeſtris gradus titulis: habuerunt etiam emolumenta maxima, dum auro atque argento plenas prouincias ſubegerunt, aliiſque pretioſis fructibus locupletes. Quòd ſi minùs prouidi hac in parte fuêre, ſibi imputent, & non Regiæ defectui largitatis.

Ex circũſtantiis creſcit ſtipendium, & quales pro Conquiſitoribus.

54 Neque ex eo quòd ingentis pretii ſint, quæ Catholicis Regibus conquiſita ſunt, merces venit computanda, ſed iuxta laboris qualitatem & proportionem. Pro quo elegans eſt Senecæ doctrina *lib. 6. de beneficiis cap. 14.* in quo ita ſcribit; *Illos ex toto præteribo, quorum mercenarium beneficium eſt, quod qui dat, non computat cui, ſed quanti daturus ſit, quod vndique in ſe conuerſum eſt. Vendit mihi aliquis frumentum; Viuere non poſſum, niſi emero; ſed non debeo vitam, quia emi. Nec quàm neceſſarium fuerit æſtimo, ſine quo victurus non fui; ſed quàm gratuitum, quod non habuiſſem, niſi emiſſem, in quo inuehendo mercator non cogitauit quantùm auxilij allaturus eſſet mihi, ſed quantùm haberi ſibi quod emi non debeo.* Hæc ille. Iuxta quæ, quòd Conquiſitores multa & magna Catholicis Regibus ſuo labore contulerint, non debet ita attendi, vt laboris pretium debeat iuxta illius magnitudinem æſtimari, ſed iuxta illius quantitatem, quandoquidem rem volunt iuxta iuſtitiæ rigorem agi. Quemadmodum militi pugnanti in Regiâ claſſe contra Anglos, conantes theſauros Indicos in Hiſpaniam tranſmiſſos diripere, & bono quidem euentu, non debetur ingens aliquod ſtipendium theſauris dictis proportionatum, ſed idem quod pugnantis ſimiliter pro qualibet alia cauſſa. Quòd ſi Conquiſitores dicant ſe eum, cui labores impendebant ſuos, etiam attendiſſe, & non id tantùm quod ab eo dandum; inde iuſtitiæ titulus nequit allegari; quia ſolius eſt gratitudinis, vt ex verbis Senecæ compertiſſimum habetur. Si illud etiam addamus, generale eſſe & connaturale vaſallis Regiis, & maximè Hiſpanis, Regum ſuorum gloriam & amplificationem regnorum, conſequenterque eorumdem obſequium, affectare.

Merces nõ ex re partâ, ſed ex laboris qualitate penſanda.

Seneca.

Quod Conquiſitoribus applicatur.

Obiectio quædam depulſa.

55 Dico ſextò, etſi ex rigore juſtitiæ non teneantur Reges noſtri Conquiſitores ampliùs munerari; ex juſtitiâ tamen latè ſumptâ, prout gratitudinem complectitur, aut prouidentialem ſeu architectonicam, & ex decentiâ maximâ, debent illos, ſi ad miſerandam fortunam deuoluti fuerint, eiuſdem remedio ſubleuare. Hoc luculenter oſtendit Dom. Solorzanus *citato cap. 30. n. 21. & ſeqq. & cap. 10. n. 78. & 79.* & in Politicâ *lib. 3. cap. 11. in fine, & c. 30.* & quidem vt ex Caſſiodoro vidimus *nu.* 47. juſtitia remuneratiua ad ipſos ſe equos oſtendit, *& tanta iuſtitiæ vis eſt, vt nec illis tardiùs detur laboris pretium, qui ſentire non poterant denegatum.* Quomodo ergo illa non ſe ad benemeritos cum inſigni prærogatiuâ & excellentiâ meritorum extendat, qui denegatum præmium ſentire poſſunt, & ſenſum lachrymis & gemitibus declarare?

Quod genus obligationis erga illos.

Caſſiodor.

56 At dices Conquiſitorum iam nullum ſupereſſe, ad quem poſſit remuneratio peruenire. Verùm etſi illi non ſint, ſunt tamen nati natorum, & qui naſcentur ab illis: in quibus oportet parentum merita compenſari. Beneficium equidem collatum filio ad patrem ſpectat, quod iſte pluris æſtimare ſolet, quàm ſi ad propriam illius perſonam deueniret: pro quo Seneca *lib. 5. de beneficijs cap. 19.* vbi ſic loquentem inducit: *Etiamnùm, cùm filium tuum ſeruaui, ad genua procumbis, dijs vota ſoluis, tamquàm ipſe ſeruatus. Illæ voces exeunt tibi: nihil intereſt mea, an me ſeruaueris: duos ſeruaſti; immò me magis.* Hæc ille: iuxta quæ parentum remuneratio eſt, quæ erga filios exercetur; qui licèt patrem amiſerint, naturæ principium, in alterius patris curam venire debent, qui eorum amoliatur incommoda, & opportunis ſubuentionibus tueatur. Et talis profectò Chriſtianus Princeps, & Chriſtianorum maximus, de quo agimus: cui veriùs, quod Theodorici nomine à Caſſiodoro dictum, venit adaptandum. Sic enim *lib. 4. 42.* ſcribit ille: *Benè principalis clementia ſuſcipit, quos pietas paterna deſtituit: quia ſub parente publico, genitoris minimè ſentiri debet amiſſio. Ad nos ſiquidem recurrit infantia deſtituta, quibus vniuerſorum hominum proficiunt incrementa.* Sic ille, qui de ſenatorum filiis loquebatur. Cuius adnotanda ratio, quòd ſcilicet vniuerſorum hominum

In poſteris remuneratio continuanda.

Seneca.

In quibus parentes remuneratione æſtimare plus ſoliti.

Princeps parentis loco ſuccedit. Caſſiodor.

Digitized by Google

hominum incrementa, ad profectum Principum ſpectant. Id quod in cauſâ præſenti videtur præcipuum locum habere, quando de remuneratione eorum agimus, quorum laboribus incrementa Regibus noſtris ingentia profecerunt, dum noui mundi facti domini, & immenſis locupletati diuitiis, ac diuerſarum gentium ſubiectione ampliſſimè decorati. Neque de his opus eſt addidiſſe complura : qui enim benemeritos ſe ſciunt, ſuam agent cauſam; & Regia pietas ſemper eſt ad talium voces exprompta, ſi è proximo audiantur. Quod tamen non licet omnibus: vnde oportet vt Indiarum Gubernatoribus cura iſta feriò & ſæpiùs inculcetur. Ex dictis autem conſtat non eſſe audiendum Fr. Ioannem de Silua in Animaduerſionibus ad Regem noſtrum Philippum Tertium pro gubernatione Indiarum *Fol.* 32. *pag.* 1. vbi contendit neque Conquiſitoribus, neque eorum ſucceſſoribus remunerationem deberi, ob crudelitatem ipſorum, & Conquiſtæ qualitatem. De labore enim vtiliter impenſo conſtat, & quod inhumanum in conquiſtâ aſſeritur, nulli in ſpeciali, de cuius meritis aliàs conſtat, poterit imputari.

Fr. Ioan. Silua benemeritis infenſus exploditur.

CAPVT VI.

An præmia, quæ videntur Conquiſitorum propria, tutâ conſcientiâ poſſint aliis, in Hiſpania præſertim degentibus, applicari.

Conquiſitorum propria præmia ſunt Commendæ.

57 Conquiſitorum quidem propria præmia videntur Indorum Commendæ, de quibus latiſſimè, & eruditione omnigenâ diſſerit Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *lib.* 2. *& in Politica lib.* 3. Illæ enim Conquiſitoribus conceſſæ, in quibuſdam Indorum populis feudali ritu, cum quibuſdam ſcilicet obſequii perſonalis oneribus, vocante Rege, aut qui eius nomine præeſt; vt ſic ab Indis tributa accipiant, quæ Regi pendunt, ii, qui non ſunt Commendatariis aſſignati. Non ſunt autem perpetuæ; ſed ad duas, tres vel ad ſummum quatuor vitas; pro quo rationes non leues ſubeſſe, dubitari nequit; cùm res hæc attentiſſimâ conſideratione fuerit ventilata. Vitarum ergo prædictarum aduenientæ fine, Commendæ vacant, & Regiæ Coronæ incorporantur. Solent autem Reges noſtri, quæ eſt illorum magnificentia, Commendas huiuſmodi, cùm vacant, conferre aliis, præmiſsâ gratiâ ſucceſſionis in generali devacaturis, quæ dum in ſpeciali vacant, ſuum ſortiuntur effectum, & multoties in regionibus Indiarum exiſtentibus conferuntur, ac non rarò Magnatibus & Dynaſtis Hiſpaniæ, qui adminiſtratores ſubſtituunt, vt honoris & oneris habeant ſocietatem. De his ergo difficultas iſta procedit: circa quam

Aſſertio 1. Commendas poſſe à Rege pro libito concedi.

58 Dico primò, Reges noſtri abſque reatu mortalis culpæ poſſunt Commendas dictas conferre quibuſlibet, ſeruatis aliàs legibus iuſtæ donationis, quæ ſunt omni donationi communes. Hoc probo: nam Commendæ iſtæ vacantes poſſunt Coronæ incorporari : ergo & de earum redditibus liberales fieri donationes, quæ multoties Regiam decent dignitatem : vel antidotales, vt ſæpiùs accidit, ob reſpectum aliquem gratitudinis, vel pietatis cauſâ : quod etiam non rarò conſtat euenire.

Aſſertio 2. non licere, quãdo graues regni neceſſitates occurrunt.

59 Dico ſecundò. Commendarum traditio ex accidenti poteſt eſſe damnabilis : quando ſcilicet pingues hi redditus diuitibus dominis tribuuntur, ſicut hiſce temporibus, aut ſimilibus aliis bello infeſtis, propter quæ opus eſt vaſallos gabellis & impoſitionibus aggrauare, ab ipſis etiam Eccleſiis contributiones eiſdem moleſtiſſimas exigendo. Vt enim docent Aponte, Valenzuela, Rouius, Matuta, Papia, Amaya, & Raſtellus, quos adducit & ſequitur Diana *Parte* 6. *tract.* 6. *Reſolut.* 4. quando regnum eſt valdè tributis oneratum, debet Rex noua non exigere donatiua, nec tributa imponere, ſed ſuſpendere ac minuere gratias & penſiones perſonis particularibus conceſſas. Videatur citatus Auctor rem neruosè expendens, & P. Fagundez in Præcepta Decalogi *Tomo* 1. *lib.* 4. *cap.* 15. vbi in huiuſmodi neceſſitatibus donata à Regibus affirmat poſſe & debere repeti. Ergo donare, dum illæ inſtant, & ita largiter, res videtur contraria penitus æquitati.

Diana.

P. Fagundez.

Aſſertio 3. Commendas poſſe in Hiſpaniâ conferri.

60 Dico tertiò. Ex eo quòd Commendas Reges noſtri in Hiſpaniâ degentibus conferant, non videntur lethaliter peccare. Sequitur ex dictis, & quia ſi aliquid obſtaret, id maximè eſſet, non poſſe ſcilicet Commendatarios oneribus ſatisfacere Commendarum. Quod certè non vrget: nam Reges noſtri Commendas tribuentes, poſſunt earum onera vt libuerit tollere, aut ſaltem minorare, cùm ſint earum abſoluti domini, & illas concedentes talibus, concedunt pariter vt per alios poſſint adminiſtrari, & ſic per eoſdem oneribus ſatisfacere.

Quæ contra illam videantur militare.

61 Contra quam reſolutionem videntur facere quæ adducit Dom. Solorzanus *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 61. *& ſequentib.* & in Politicâ *lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 264. ſtylum huiuſmodi reprobando : nam etſi maximè benemeriti ſint ii, quibus Commendæ conferuntur; cùm tamen hæc merita in Indiis non fuerint acquiſita, non debent facilè in illis cum præiudicio aliorum præmiari, qui in ipſis & pro ipſis ſuum ſanguinem profuderunt, & præmium aliud nullum præter Commendas iſtas præſtolantur, & quia principatus & regna eiſdem modis & artibus conſeruari debent, quibus quæſita ſunt : Indiarum autem regna Commendarum illecebris adquiſita & enutrita ſunt, & ita illis ſublatis, atque à progenie Conquiſitorum in alios tranſmiſſis, ne peſſum eant, & in peius ruant vereri poſſumus. Quæ omnia eruditè exornant, & ſatis equidem conuenientiam ſtyli antiquioris oſtendunt, non tamen obligationem grauem in conſcientiæ foro conuincunt. Nam quod ad præmia Conquiſitorum ſpectat, *Cap. præced.* diſcuſſimus. Pro ſecuritate autem Indiarum aliter res diſponi poſſunt. Et experientiâ compertum habetur, in periculis parùm ſubſidij Commendatariorum conferre præſentiam & vnum ſtrenuum militem multis eorum præualere, vt non inficier aliquos, qui *Nomine auos referant, animis, manibuſque parentes.*

Digitized by Google

CAPVT VII.

An debeant Reges Catholici Eccleſiaſticos Benemeritos ob eum titulum in Beneficiorum præſentationibus anteferre.

Aſſertio 1. Benemeritos in Beneficiis ſimplicibus præferendos.

62 Dico primò. Si Beneficia ſimplicia ſint, licitè poſſunt præfati, cæteris etiam non paribus, anteferri. Id probo ex doctrina Mag. Bannez 2. 2. *quæſt.* 63. *artic.* 2. *Dub.* 3. *ad* 4. Ioan. Gutierrez *Canon.* 99. *Libr.* 2. *Cap.* 11. *num* 29. Zerolæ. verb. *Beneficia ad* 8. Thomæ Hurtadi *Tract.* 12. *num.* 1331. P. Vazquez *infrà Dub.* 5. P. Diſcaſtilli etiam *infra n.* 103. *& ſeqq.* P. Palai *infrà* item *num.*4. P. Leſſij *Libr.*2. *Cap.* 34. *num.* 69. & aliorum apud ipſos, iuxta quos Clerici Eccleſiæ, & diœceſis, in quâ eſt beneficium, meritò aliis, etiam dignioribus aliàs, præferuntur, *quia plerumque ſolent eſſe vtiliores & fideliores, quàm extranei: magis enim ei afficiuntur, magiſque omnia norunt, cùm ſint in eâ educati, firmiùſque reſident.* Quæ ſunt verba P. Leſſij. Atqui hæc in caſu noſtro militant: Benemeriti enim ſunt Conquiſitorum filij, & ita erga eccleſias illorum labore fundatas magis afficiuntur, vnde & vtiliores & fideliores ſunt ipſis, habentque reſidentiam firmiorem. Ex quo habetur non ſolùm extra regnum natis, ſed etiam intra regnum præferendos.

Vide etiam Gregorium Lopez in L. 11. Tit. 15. Parti. 1. Gloſſ. 2. & 3.

P. Leſſius.

Ob qualitatem dictâ fieri aliarum compenſationem.

63 Item iuxta D. Thomam adductum *num.* 40. meliori abſolutè & ſapientiori poteſt qui minùs eſt ſanctus ſcienſque, præferri, ſi id magis conferat ad bonum commune, propter potentiam vel induſtriam ſæcularem, aut aliquid huiuſmodi. *Sic* 2. 2. *q.* 66. *artic.* 2. Vnde eſt regula apud Maſtrillum de *Magiſtratu Lib.* 2. *Cap.* 1. *num.* 67. quam Scriptores alij frequenter vſurpant, & præ aliis Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 15. *num.* 59. quòd ille eſt dignior, qui aptior, etiamſi in eo plures non emineant, quæ in aliis viſuntur, qualitates. Atqui aptior in caſu noſtro is eſt, de quo loquimur, quia ad bonum commune ſpectat vt Benemeriti beneficiis honorentur: ſic enim amor erga Regem & regnum, à quo non parùm conſeruatio pendet, valdè æſtimabili nutrimento confouetur; ſic nobiles cognatæ feminæ iuuari poſſunt vt caſtè in matrimonio, aut religioſè in monaſteriis viuant, quarum multities pudicitia ob inopiam naufragatur. Pro quo *lib.* 4. *Tit.* 3. *l.* 1. *Recop. ibi: Caſan perientas,* & alia etiam conſiderari circa idem poſſunt, ac multa videri apud Dom. Solorzanum *Lib.* 3. *Cap.* 19. & in Politicâ. *Lib.* 4. *Cap.* 19. & apud Dom. D. Petrum de Reyna poſt hæc ſcripta viſum, etiam Eccleſiæ Habanenſis Epiſcopum *Tomo* 2. *de perfecto Prælato Lib.* 1. *Tract.* 2. *Cap.* 11. Quæ de beneficiis Curatis idem dicendum perſuadent. Poſitâ autem æqualitate libera eſt prorſus electio.

Aſſertio 2. Idem ſtatuens in Curatis.

64 Dico ſecundò. In præſentatione ad Beneficia Curata Benemeriti ſunt, ceteris etiam non paribus, aliis præferendi à Rege. Aſſertio hæc ſupponit receptam valde doctrinam de obligatione Patrum ad eligendum digniorem, quam generaliter tenent Doctores plures, quos adducunt & ſequuntur P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſiliorum. Cap.* 1. *Dub.* 5. P. Leſſius ſuprà. *num.* 62. P. Turrianus. 2. 2. *Tomo* 2. *Diſput.* 22. *Dub.* 1. P. Bauny in *Praxi Beneficiorum Diſp.* 3. *Quæſt.* 12. & de Curatis ſpecialiter Nauarra *Lib.* 2. *de Reſtitut. Cap.* 2. *num.* 150. Ioannes Gutierrez *ſuprà num.* 26. Diana *Parte* 2. *Tract.* 15. *Reſol.* 40. qui alios adducunt, & multò plures Thomas Hurtadus *ſuprà num.* 1512, qui de Patronis agit *num.* 1569. *&* 1630. & quidem de ſimplicibus etiam loquendo, aliquod ſaltem veniale in electione minùs digni eſſe peccatum tenent communiter Scriptores. Vnde Nauarræ ſententiam id negantis vt ſingularem notant P. Leſſius *ſuprà n.* 68. & P. Sancius. Videatur ille *ſuprà num.* 150. Ex quo fit circa Curata nullam poſſe dubitationem extare.

65 Probatur autem generaliter & facilè. Quia præferendo minus dignum aliquod damnum Eccleſiæ irrogatur, dum magis apto miniſtro priuatur, ex quo neceſſarium eſt vt aliquam iacturam patiatur. Violatur etiam diſtributiua iuſtitia, quæ proportionem meritorum attendit, & ita iniuria aliqualis infertur digniori: ergo aliquod peccatum in prouiſione huiuſmodi reperitur: peccatum enim iuxta Scripturæ loquendi modum iniuſtitia dicitur: vnde vbi ſpecialiter contra iuſtitiam proceditur, illius malitia iuxta ſpecialem magis rationem apparet.

In poſtpoſitione dignioris aliquod ſemper eſſe peccatum.

66 Iam verò doctrinam dictam caſui, de quo loquimur, applicando, conſtat ex dictis circa *præcedentem Aſſertionem* Benemeriti prærogatiuam ad dignitatem conferre; & ita clarè ſequitur quòd adiuncta meritis æqualibus faciat digniorem: ergo ſine aliquali culpâ non ſtat illum in prouiſione Beneficij poſthaberi.

Benemeritis applicata doctrina.

67 Quia verò Iura & Doctores videntur clamare Diœceſanos eſſe præferendos externis, vt videri poteſt Cap. *Nullus* & Cap. *Obitum*, 61. *diſt.* & Cap. *Metropolitano* & Cap. *Sacrorum* 63. diſt. ac ſæpè alibi. Pro quo & ſtant leges Hiſpaniæ, quas adducit Dom. Solorzanus *ſuprà num.* 14. quibus aliæ addi poſſunt; dubitari poteſt an in concurſu ſint Benemeriti præferendi. Et videtur quidem ſic dicendum, ceteris paribus, quia qualitas dicta ſublimioris rationis eſt, & in commune bonum magis conducens, cùm alia ad bonum magis ſpeciale conducat, iuxta dicta *num.* 63. Pro quo & facit qualitatem diœceſanatûs, vbi de Parochiis Indorum agitur, facilè poſſe per alias ſuperari; vnde non ſemper videtur ſtrictè ſeruanda & ita in legibus Recopilationis omittitur, & ſolùm pro tribus Epiſcopatibus intimatur *l.* 21. *Tit.* 3. *Lib.* 1. quæ *l.* 13. *Tit.* 15. *Parti.* 1. generalis habetur. Cùm enim de conuerſione illorum agatur, ille eligendus, qui aptior abſolutè ſit, iuxta qualitates *Cap.* 3. explicatas. In quo, quæ ex domiciliari incolatu ſumitur, parum videtur conducere. Cùm enim prouiſiones pro Eccleſiis Parœcialibus ſint, in quibus Diœceſani nec nati nec nutriti, reſpectu earum, qui Benemeriti ſunt, nihil minùs videntur habere, & ita ceſſat ratio, quam communiter Doctores adducunt, & de quâ *num.* 62. Vnde praxis Indicorum Epiſcoporum inualuit Miniſtros idoneos, vndecumque venerint, admittentium. Et Regiæ ſchedulæ idem ſupponunt, dum ſtatuunt vt Diœ-

An Diœceſani præferendi.

An etiam alij.

Digitized by Google

vt Diœceſani Indiarum aliis ceteris paribus, præferantur apud D. Solorij *cit. Cap.* 19. *n.* 25. Vnde etiam ex Hiſpaniâ paſſim videmus mitti Præbendarios & in Indiis non attentâ Diœceſi deſignari.

Aſſertio 3. *ſine graui culpa non ſtare Benemeritum poſthaberi.*

68 Dico tertiò. Stante doctrinâ prædictâ, qualitatem inquam Benemeriti ad maiorem dignitatem conferre, exceſſus videtur eſſe notabilis, & ita in quocumque alium præferente, id ſine reatu grauis culpæ non ſtare. Diximus quidem *Aſſertione* 1. inæqualitatem ratione naturalitatis conſtitui, vt naturales debeant præferri, ſi alij ſint, qui in qualitatibus ceteris non parum excedunt; hac enim ſolâ de cauſsâ notabiliter exceduntur, quia ſcilicet naturales ſunt: Ergo exceſſus talis non eſt exigui momenti. Hoc autem in Benemeritis pariter procedere ibidem oſtenſum. Pro quo & efficaciter depugnat Illuſtriſſimus Ioannes Zapata in *Diſceptatione de Iuſtitia diſtributiua Parte* 2. *Cap.* 15. *num.* 20. 21. *&* 25. in casûs præſentis ſpecie loquens, & ſolum articulum neceſſitatis aut magnæ vtilitatis excipiens.

Grauiter peccari in præteritione dignioris ex Tridentino oſtenditur.

69 Quòd autem ſic prouidentes, vt digniores poſthabeant, grauiter peccent, quicumque illi ſint, ex doctrina Concilij Tridentini manifeſtè deducitur: *Seſſione enim* 24. *Cap.* 1. *de Reformatione* ſic habet: *Omnes verò & ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque ius quacumque ratione, à Sede Apoſtolicâ habent, aut alioquin operam ſuam præſtant, nihil in iis pro præſenti temporum ratione innouando; hortatur & monet* (Synodus) *vt inprimis meminerint nihil ſe ad Dei gloriam & populorum ſalutem vtilius poſſe facere, quàm ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoueri ſtudeant: eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint; non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curauerint.* Hæc Concilium; quæ quidem omnes, vt ex verborum eiuſdem conſtat tenore, conſtringunt & ex adductâ ab eòdem irrefragabili ratione: quia ij, qui minùs dignos eligunt, alienis peccatis communicant, ideoque mortaliter peccant. Rogo namque, an Principes minùs dignos promouentes alienis peccatis communicent? Si enim non communicant; neque alij quidem, qui ad eorum promotionem quacumque ratione operam ſuam præſtant. Et vlteriùs inquiro, an Principes priuilegium habeant aliquod, vt alienis peccatis communicantes; non tamen moraliter peccent? Nihil certè tale in eorum perſuaſione regnabit; cùm ſic ſit illud proculdubio iuxta veritatis lucem clariſſimam aſſerendum potius, maiorem in illis eſſe obligationem quàm in aliis ſortis inferioris; quia forma populorum eſſe debent, & ſuo exemplo in re momenti tanti aliis prælucere.

Quod in Principibus etiam vrget.

Nec ſolum in præſentationibus ad Epiſcopatus, ſed in Curatis aliis.

70 Nec dicas in Capite præfato Concilij de ſolis Epiſcopis eſſe ſermonem. Nam, vt hoc verum ſit, ratio tamen à Concilio adducta omnes comprehendit prouiſiones, ne aliter prouidentes alienis peccatis communicent, & conſequenter cauſſa ſint notabilium in Eccleſiâ iacturarum. Rogo enim, an communicare peccatis Parochi, aut quæ ex eius minori idoneitate ſequuntur, ſtare ſine mortali peccato poſſit? Si enim id admittatur; ergo & communicare peccatis Epiſcopi & aliis ouium, ſimiliter ſtare poterit: quia non magis influit vnum promouês, quàm alium. Nec maior ſubditorum copia reddi pro ratione differentiæ poteſt: id enim probat maius futurum peccatum, non tamen aliud futurum tantùm veniale: ſicut ſcandalizans vnum, non ideò mortaliter non peccat, quia ſcandalizans plures peccat mortaliter, quod & in aliis eſt obuium generibus peccatorum. Neque ex eo quòd Concilium peccatorum communicationem affirmet, inferri veroſimiliter poteſt tantùm agere de indignorum promotione, ex quâ ſequi illa poſſunt; quod ſecus accidit in promotione digni, benè quidem adminiſtraturi, ſed non ita vtiliter vt alius, in quo aptitudo maior proſpectatur: Qui dicendi modus improbabilis viſus P. Dicaſtillo *Lib.* 2. *Tract.* 2. *Diſp.* 8. *num.* 92. moderno placuit Auctori: contra eum enim eſt communis intelligentia Doctorum circa citatum Concilij locum. Tum etiam verba ipſa eiuſdem, *Quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles*, vbi comparatio cum dignis & vtilibus fit. Prætereà, Doctiſſimi illi Concilij Patres iuxta receptiſſimum loquendi modum apud Doctores Theologos & Iuriſtas, ſunt affati; apud quos, cùm de materiâ præſenti ſermo eſt, comparatio digniorum cum minùs dignis in ſenſu proprio procedit, vt minùs digni neutiquam penitus indigni cenſeantur. Quod autem de communicatione peccatorum additum ideò fuit, quia frequenter ita accidit, & iuxta frequêter accidentia eſt regulariter iudicandum. Hæc ergo explicatio penitus refellendâ.

Præpoſtera Concilij explicatio reiecta.

Ioannes Poncius infrà. n. 73.

71 Poteſt autem poſitio noſtra vlteriùs vrgeri ex eo quòd tradunt Abulenſis, Sotus, Salon, & alij, quos adducit & ſequitur P. Thomas Sancius *ſuprà Dub.* 2. *num.* 28. & benè oſtendit Cardinalis Lugo *Tomo* 2. *de Iuſtitia Diſput.* 35. *n.* 18. præceptum ſcilicet eligendi digniorem eſſe de iure diuino & naturali: id enim expoſcit vt bona communia diſtribuantur melioribus, ſicut & præmia meritorum: & vt diſpenſans illa, fidelitatem ſeruet præficiendo Eccleſiæ & Reipublicæ miniſtrum digniorem. Pro quo obſeruo modum loquendi Concilij: neque enim præceptum ſub mortali imponit, & iubendi aut præcipiendi verbo vtitur, ſed hortatur & monet: & tamen peccatum mortale futurum eſſe ait in eius, quod hortatur & monet, tranſgreſſione: manifeſtè oſtendens diuinum eſſe præceptum, & illud ſe tantùm declarare. Cùm ergo tale ſit, omnes ligat; neque Principes, ad quos Eccleſiarum prouiſiones ſpectant, aliquo ſe poſſunt priuilegio defenſare.

De electione dignioris eſt præceptum naturale.

72 Ex quo pariter infertur numquam id eſſe licitum, quia numquam licet alienis communicare peccatis, aut præceptum diuinum vel naturale tranſgredi, in quibus nulla admittitur diſpenſatio. Quidquid nonnulli cenſeant, Principum libertati aliquantulùm indulgentes. Contra quos ſic P. Leſſius *ſuprà num.* 64. *Qui præſentant, vel eligunt, vel Beneſitia liberè conferunt, grauiter peccant, ſi digniores prætermittant, ſiue ſit Papa, ſiue Epiſcopus, ſiue Princeps ſæcularis; non enim ſunt domini Beneficiorum, ſed œconomi; vnde tamquam œconomi tenentur rem domini ſui, quantùm commodè poſſunt*

In omni caſu obligat.

P. Leſſius.

poſſunt, promouere. Sic ille. Pro quo & eſt Rotæ Deciſio apud Dianam *Parte* 11. *pag.* 593. *&* 598. vbi & ſecus factum annullatur. Tenet etiam de Rege loquens Dom. Zapata *ſuprà Cap.* 14. *num.* 19. contra quemdam qui ex eo arguebat quòd Tridentinum non agat de Regio patronatu, quod tamen eſſe falſum adducta conuincunt. Qui item Cap. 6. ita ſcribit: *Veriſſima eſt, & inter Doctores S. Theologiæ ſupremos, è quibus nullus vel nutu ipſo auſus eſt alienum inſinuare, quòd Beneficium ſeu Epiſcopatum digno conferre, digniore poſthabito, eſt mortale peccatum.* Sic ille, addens id intelligendum quando exceſſus eſt notabilis euidenter (quod & P. Dicaſtillus ſimiliter aſſerit *ſuprà num.* 84.) & circa id non eſſe anxiè laborandum. Plurimos pro Aſſertione Auctores cõgerit, pro quâ & videndus *Parte* 1. *Cap.* 12. *num.* 21. *& ſeqq.*

Dom. Zapata.

Probabile eſſe contrarium qui cenſeant. — *Diana.* — *P. Reginaldus.*

73 Circa quæ Diana Reſolut. 40. citatâ ita ſcribit: *Si hæc opinio eſſet vera, magnum pondus haberent Pontifices & Reges. Sed mihi probabilis videtur etiam contraria ſententia, quam ex Neotericis ſuſtinet Reginaldus Tomo 2. Lib. 30. Tract. 3. Cap. 14. num. 197. vbi ſic aſſerit: Qui ius habent conferendi Beneficia per prouiſionem liberam, vt Papa, ac nonnumquàm etiam Princeps ex priuilegio, vel conſenſu tacito Eccleſiæ, non tenentur eligere digniores, niſi in promptu ſint, ſed ſufficit eligere dignos; alioquin enim ſemper tenerentur digniorem quærere, quod à Papâ, vel Regibus exigere durum eſt.* Sic ille: quod P. Bauny *ſuprà* ait non videri à vero alienum, quamuis oppoſitum vt in praxi tutius amplectatur.

Diana ſuis verbis reſpondetur.

74 Sed certè Dianæ ſuis poſſumus verbis reſpondere, qui *Tractatu eodem Reſolut.* 67. probans in electionibus Officialium, quæ à Senatu fiunt in ciuitatibus, debere eligi digniores, & opponens durum id videri, ſic reſpondet: *Durus eſt hic ſermo; durus quidem, ſed verus, & communis inter Doctores.* Deinde vt à ſententiâ tantoperè fundatâ recedatur, debile ſatis fundamentum eſt, quòd videatur durum id à Papâ & Regibus exigere: multa enim dura dignitati ſunt eorum annexa, à quibus ſalus ſubditorum pendet, & ea debent neceſſariò deuorare. Et quia circa dura eorum verſatur obligatio, ideò *duriſſimum iudicium his, qui præſunt, fiet.* Sap. 6. *verſ.* 6. Prætterquam quòd minimè durum hoc videri debet, cùm facilè poſſint Principes miniſtris ſuis curam iſtam indicere, vt ſatis idoneos quærant, & ſibi proponant poſt diligentem informationem Eccleſiis præficiendos.

Quòd dura videatur obligatio nihil obſtat, quia tales Principum.

Sap. 6. v. 6.

P. Reginaldus ſententia à communi non diuerſa.

75 Præterea, P. Reginaldus ſententiam contrariam abſolutè non ſuſtinet, vt Diana eidem imponit: cùm clarè docet teneri Principes eligere digniores, *ſi in promptu ſint*, vt communiter accidit; ſunt enim in promptu, vel quia præſentes, aut non longè poſiti: quòd ſi remotiſſimi, vt in Indiis, eorum notitia cum informationibus de eorum idoneitate captatur. Illis autem occurrentibus, non eſt obligatio in conſcientiâ quærendi alios, quia ex tali conquiſitione prouiſio Eccleſiarum nimiùm differretur; cui damno debet per prouiſionem celerem obuiari, quia Eccleſiis eſt periculoſa vacatio. *Cap. Qui poſſit, de Electione in 6.* Et per hoc viam facilem Regibus noſtris oſtendimus, vt ſine anxietate conſcientiæ in negotio poſſint conſiderationis tantæ procedere.

Modus facilis Regibus noſtris oſtenditur.

Patronum Laicum non teneri ad dignioris præſentationem qui teneât.

76 Prætterquam quòd ſententia aſſerens, Patronum Laicum non teneri ſub mortali digniorem præſentare, non contemnendos Auctores habet. Sic enim tenet cum aliis Diana *ſuprà &* *Reſolut.* 37. *& Parte* 3. *Tract.* 5. *Reſolut.* 110. vbi plures congerit. Et *Parte* 4. *Tract.* 4. *Reſolut.* 170. defendit præſentationem digni omiſſo digniore, factam à Senatu Panormitano pro Parochiâ quadam, vti licitam in conſcientiæ foro. Pedraza *in Summa præcitat.* 7. §. 36. Dom. Machadus Electus Epiſcopus Popaianenſis, & morte curis ſcrupuloſis exemptus. *Tomo* 1. *pag.* 672. *num.* 5. P. Henriquez in Manuſſcriptis apud P. Thomam Sancium *Dub.* 5. *citato*, id affirmans quando Patroni habent ius præſentandi, quia conſtruxerunt & dotârunt Eccleſias de propriis bonis, & non ex ſolâ Pontificiâ conceſſione: quod eſt cernere in Eccleſiis Indiarum, cui omnino conſonat P. Vaſquez *Opuſculo de Beneficiis Cap.* 2. *Dub.* 4. P. Dicaſtillus *ſuprà num.* 101. & generaliùs Eligius Baſſæus verb. *Beneficium* 6. *numer.* 3. vbi Dianæ, & P. Reginaldi doctrinam amplectitur, de quâ nuper. P. Layman *Lib.* 4. *Tract.* 2. *Cap.* 15. *num.* 7. P. Palaus *Tomo* 2. *Tract.* 13. *Diſp.* 2. *Puncto* 7. *num.* 6. P. Bauny *ſuprà*, dum non à vero alienam affirmat eſſe Dianæ doctrinam, quidquid de tutiori praxi, vt diximus, arbitretur. Et nouiſſimè Ioannes Poncius *in curſu Theologico Diſput.* 59. *Quæſt.* 1. generaliter tenet digni electionem licere, digniore poſthabito, dummodò damna ex electione tali minimè timeantur; vt alios omittam. Noſtra ergo ſententia ſolidè roborata præcedit, vt Principes debeant contrariam praxim habere ſuſpectam: ſed probabilem aliam exhibemus, vt ſi quandoque in eo genere aliquid libeat, ſciant poſſe illud non violatis apertè iuſtitiæ præſcriptis exercere. Vt autem vitetur etiam veniale peccatum, quod neque aliqui ex citatis Auctoribus videntur agnoſcere, licet nõ ita perſpicuè loquantur; finis aliquis poteſt honeſtus attendi, vt non ſit ſola pro ratione voluntas, ſed ratio potiùs pro voluntate. Iuxta quod etiam loquitur Dom. Zapata *ſuprà Cap.* 7. *&* 17. *num.* 11. dicens non eſſe peccatum mortale aliquoties dignis dare, dummodò frequenter ratio maioris dignitatis habeatur. Et quòd Beneficia ſimplicia non ſunt minoris momenti, quia electi habent ſuffragium in ordine ad gubernationem, vt Canonici, & Præbendarij: vbi de Indiis ſpecialiùs loquitur, videndus etiam *Parte* 1. *Cap.* 4. *num.* 18. cui tamen aduerſatur Thomas Hurtadus dicens dignitates inferioris claſſis, vt Canonicatus &c., poſſe minùs dignis conferri. Vide *ſuprà num.* 65. & de obligatione ſub mortali circa alia loquitur, & ſpecialiùs de Curatis. Sed Dom. Zapatæ ſententiam tenet P. Dicaſtillus *ſuprà numer.* 97. Licet Pharcionius *Tract.* 1. *ſeſſione* 8. *Caſu.* 12. nullam reſpectu ſimplicium inter ipſa faciat exceptionem.

Quomodo Principes prædictâ debeant vti ſententiâ.

Dom. Zapata.

Quia verò circa Beneficia Curata ſpecialis eſt modus prouiſionis in Indiis, in quibus Regij patronatûs functiones Proreges & Præſides exequuntur, de illis inferiùs diſſerendum: prædicta enim reſolutio de Rege Catholico procedit, qui ad Epiſcopatus per ſe præſentat, & aliquando etiam ſolitus ad nonnulla Curata Beneficia ſimiliter præſentare.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VIII.

An Rex Catholicus ſpecialiter inſtructus eſſe debeat circa res Indicas, & ea quæ in ipſis geruntur, graui conſcientiæ obligatione.

Diſcurſu claro oſtenditur obligatio Regis Catholici ad habendam notitiam rerũ Indicarũ.

77 AFfirmatiuè reſpondeo, & ratio eſt clara. Quia vnuſquiſque tenetur earum rerum notitiam habere, quæ ad rectè adminiſtrandum officium, quo fungitur, neceſſaria eſt, vt communis ſenſus Doctorum firmat, pro quo videri poteſt P. Thomas Sancius *Tomo* 1. *Conſiliorum lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 36. *num.* 6. & Illuſtriſſimus Zapata *Parte* 1. *Diſceptationis de Iuſtitia diſtributiua cap.* 9. quod pro Indiis ait ſpecialiter vrgere *num.* 18. Atqui Rex Catholicus omnium præſtantiſſimo inter humanos officio fungitur: ergo debet ſcire, quæ ad illius rectam adminiſtrationem requiruntur. Atqui in adminiſtratione regnorum locum habent, & quidem ſatis nobilem, Indiæ: ergo quæ ad eas ſpectant ſcire debet ſub graui conſcientiæ obligatione. Omnia ſunt adeò perſpicua, vt ſuâ ſe luce manifeſtent. Et ita in ſpecie caſus noſtri tenet Fr. Ioannes de Silua in Animaduerſionibus pro Rege ipſo *fol.* 54. *pag.* 1.

In Regibus litterarum laudabilis.

Caſſiodor.

78 Nec jam de notitiâ illâ rerum ſublimiori loquimur, quæ ſe ad ſtudium litterarum extendit, qualem in Theodahado Amalaſcuncha Regina regni conſors prædicauit Caſſiodori verbis *lib.* 10. 3. ſic locuta: *Acceſſit hiſtoriæ deſiderabilis eruditio litterarum, quæ naturam laudabilem eximiè reddit ornatam. Ibi prudens inuenit, vnde ſapientior fiat: ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur: inde Princeps accipit, quemadmodum populos ſub æqualitate componat. Nec aliqua in mundo poteſt eſſe fortuna, quam litterarum non augeat glorioſa notitia.* Sic ille.

Non omnis neceſſaria, ſed quæ ad artẽ regendi ſpectat.

Pſal. 2. v 10.

Campenſis.

79 De aliâ nobis ſermo eſt, quæ ad artem regendi ſpectat, vt ſciat Princeps populos ſibi commiſſos imperio regere, bono communi conſulens, quod ex eius maximè prouidentiâ deriuatur. Pro quo *Pſal.* 2. *v.* 10. ſic vates Rex: *Et nunc Reges intelligite: erudimini qui judicatis terram.* Vbi Ioannes Campenſis ita vertit: *Idcircò Reges quæſo ſapite, & diſciplinam recipite, ô judices terræ!* Vult ergo illos eſſe ſapientes: atque vt tales ſint, eruditionem, & diſciplinam libenter excipere: & ea certè ſapientia, quæ ad rectam adminiſtrationem muneris ſibi commiſſi conducit. Vnde ſequitur: *Seruite Domino in timore, &c.* Seruiunt enim Reges Domino in timore, dum non ſuam, ſed communem cauſam agunt, intelligentes de omnibus ſibi concreditis reddendam eſſe rationem, & quis ad hæc non timeat? Quis non judiciale illud Interrogatorium ſeueriſſimi omnium Iudicis extimeſcat? Quando ad examen ii, qui aliorum fuerunt judices, vocabuntur. Ideò Sapiens, poſt alia inculcanda Regibus, ſic *Sapient.* 6. *v.* 10. eoſdem adhortatur: *Ad vos ergo Reges ſunt hi ſermones mei, vt diſcatis ſapientiam, & non excidatis: qui enim cuſtodierint juſta juſtè, juſtificabuntur: & qui didicerint iſta, inuenient quid reſpondeant.* Quid inquam reſpondeant ad finale illud Interrogatorium, tremore artuum omnium formidandum.

Dei aduertenda timore ob formidandum examen.

Sapient. 6. v. 10.

Circa Indias quomodo id ſpeciale ob earum diſtantiam.

80 Et hæc quidem communia Regibus omnibus ſunt, & Catholico erga omnia ſua regna ac multiplices congruunt principatus. Sunt autem pro Indiis neceſſariò refricanda, quia illarum diſtantia in causâ eſſe poteſt vt res earum aut ignorentur penitus, aut minùs attentè diſponantur. Quâ conſideratione homines quidam, in quorum perſona loquitur Eliphaz, exiſtimarunt Deum res humanas non curare, vtpote ab illis longiſſimo diſcretum interuallo. *Iob* 22. *v.* 14. & 15. vbi ſic ille: *Et dicit: Quid enim nouit Deus? & quaſi per caliginem judicat. Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat.* Circa quæ P. Gaſpar Sancius terque quaterque venerandus interpres ita ſcribit: *Immò puto hunc eſſe Idumæis prouerbialem dicendi modum, cùm ſignificare volunt aliquid longè eſſe remotum; aut aliquem ab aliquâ curâ ſic abeſſe procul, vt in alia omnia quàm longiſſimè abierit.* Sic ille. Longa ergo diſtantia curam rerum ſic diſtantium abolere ſolet: ex quo ſatis humanitus conſideratione fundato, id rati homines illi, quod & falſi: Deo ſcilicet non morem alium in ſuâ gubernatione ſeruari, ſuper cæli cardines ambulanti, & ita res humanas non curare: vel ſi fortè aliquantulùm circa illos digreditur, quaſi per caliginem judicare.

Iob 22. v. 14. & 15.

Inde nonnullos Deo mundi curam valdè tenuem adſcripſiſſe.

Eorum redarguta deceptio.

81 Sed omninò illi decepti: Deus enim, etſi ſublimis, rebus tamen omnibus eſt præſentiſſimus: omnia manu tangit, & attentiſſimè conſpicit, quæ remotiſſima judicantur. *Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſius ſunt.* Sic *Pſal.* 94. *v.* 5. vbi Pſalterium Romanum: *Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit.* Ipſe inquam conſpicit fines terræ, & diſtantiſſimas montium altitudines, manuque tenet, vt regat. Per ſe, & non per caliginem judicat, vt ſe Regem magnum hac ratione demonſtret, & faciat hominibus manifeſtum. Ideò ſic præmiſit vates: *Quoniam Deus magnus Dominus & Rex magnus ſuper omnem terram.* Verè Rex magnus, qui diſtantis terræ terminos & manu tractat & intimâ inſpectione probatur habere præſentes: & altitudines montiũ ipſius ſunt. Benè hic congruit lectio alia: *Ipſe conſpicit.* Quomodò enim non conſpiciat quæ ſua ſunt? Certè ſi non conſpiceret, non eſſent ſua, ſed aliena deberent meritò judicari.

Pſal. 94. v. 5.

Deus Magnus Rex, quia diſtantia attendit vt regat.

Rex Catholicus Dei in hac cauſa imitatione formandus.

82 Iuxta hoc ergo Rex Catholicus ſe gerat oportet, vt Dei ſcilicet imitatione formetur. Si enim Reges Numinis inſtar ſunt, vnde Homerus de quodam ſic:

Vadentemque per vrbem adſpectant Numinis inſtar.

Homerus.

Seneca.

Pro quo & Seneca *lib.* 1. *de Clementiâ cap.* 14. ſic ſcribit: *Nec alio nomine Rectorem ſuum intuetur, quàm ſi dij immortales poteſtatem viſendi tui faciant, intueremur venerantes, colenteſque. Quid autem? Non proximum illum locum tenetis? &c.* Si inquam alij Reges tali debent imitatione præcellere: quid Rex Catholicus, quem Deus ampliſſimo omnium imperio decorauit? Fines ergo terræ, Indicas inquam Regiones, non per caliginem judicet: manu eas teneat, & notitiâ ſolicitè partâ conſpiciat: ſuæ enim ſunt; vnde & manu & conſpectu digniſſimæ. *Decet prudentiæ*

Digitized by Google

noſtræ curam, ſubiectorum negotijs adhibere cuſtodiam; quia nobis ordinantibus illa fieri debent, quæ Regiam poſſunt demonſtrare præſentiam. aiebat Theodoricus apud Caſſiodorum *lib.* 4.37. Qui per caliginem videt, nihil poteſt per ſe conueniens, & ex quo eius demonſtretur præſentia, in negotiis ſubditorum ordinare. Si ad judicandum proceſſerit, judicabit per caliginem; cùm tamen Regale judicium debeat ipſum meridianum ſplendorem exæquare. *Et judicium tuum tamquam meridiem. Pſalm.* 36. *v.* 3. Si ergo Rex Catholicus ſuæ velit conſcientiæ conſulere, vt velle ſemper deprehenditur, optet inſtrui circa iſta, & eruditionem non tantùm oblatam excipiat, ſed animitus ipſe conquirat: vt qui duobus illis præ aliis gaudet titulis, vnde & alij multoties omittuntur, contentus dici *Hiſpaniarum, & Indiarum Rex Catholicus*: Hiſpanias meridiano fulgore judicet, & Indias manu pariter & benigno conſpectu complectatur.

Caſſiodor.

Pſal. 36. v. 3.

CAPVT IX.

An Rex Catholicus tutâ poſſit conſcientiâ eligere ad Indica officia quos velit, Regio non audito Concilio, vel ipſius judicium non ſecutus, etiam in Eccleſiaſticis.

Varia in Regia Curiâ Conſilia Conſilij ſtudioſos Reges Catholicos manifeſtant.

83 Difficultas hæc omnibus, & circa omnia, communis poteſt eſſe Principibus, quibus omnino neceſſarium ſapientium eſſe conſilium, res eſt penitus explorata, pro qua multi multa. Et quàm hoc cordi fuerit Regibus noſtris, tot Conſiliorum erectorum in Curiâ grauiſſima & ſapientiſſima Tribunalia demonſtrant. Conſiliorum enim nomine nobilitata ſunt, etiamſi diuerſarum cauſarum deciſiones ab eiſdem progrediantur; quia pro Conſiliis Regum noſtrorum auribus ingerendis videntur quàm maximè conſtituta. Videant ergo illi quos eligant, cùm non alij eſſe debeant, niſi quos in rebus momenti magni dignentur. Ne ſi ſecùs fiat, minùs idoneis adlectis, id eueniat, quod apud exteri Legati relationem ad ſuam tranſmiſſam Rempublicam jam pridem me legiſſe memini: Nullibi ſcilicet plura eſſe quàm in Hiſpani Regis Curiâ Conſilia, & Conſilij minùs. Quod certè ex eo proceſſit animo, quem æmulatio dura ſicut infernus ſolet in extraneis pectoribus contra Hiſpaniæ magnitudinem & gloriam inflammare. Erit autem quæſtio ſpecialis in ijs, quæ ad Indias ſpectant, ob peculiarem diſtantiæ rationem, & minoris earum notitiæ, vnde maior Conſiliorum ratio videtur militare. De vtroque aliquid.

Aliqua officia poteſt Rex ſuo arbitrio conferre.

84 Dico Primò. Quædam ſunt, in quibus Rex ſuum ſequi poteſt arbitrium, officia conferens, honeſtatis ſemper habitâ ratione. Id probo; nam ſi Rex ſciat aliquem in Belgio aut Orano egregiè militaſſe, & occurrat prouiſio militaris alicuius officij, non eſt vnde oriatur impoſſibilitas talem eo fine conſultationibus honorandi. Si enim illæ requiſitæ, id eſſet propter notitiam comparandam; quod tamen neceſſarium non eſt: *Eum* enim, *qui certus eſt, certiorari vlteriùs non oportet*, vt habet Regula 31. juris *in* 6. Neque obſtat pro rebus talibus Conſiliarios deſignatos: quia cùm eos deſignauit, non ſibi manus ligauit Rex, quo minùs poſſit ſine illis id agere, quod rationi non conſtat aduerſari.

Milites non niſi maturitate perſpectâ, gubernatores conſtituendi.

85 . Dico ſecundò. Si officium à Rege conferendum, gubernationem concernat non parui momenti, etiamſi cum militiâ connexum, non eſt ſecura in conſcientiâ deſignatio militis ſtrenui, licet benè notus ſit Principi, ſi de illius prudentiâ & maturitate non habetur ſatisfactio. De hoc actum à me in *Epithalamio ſacro circa Titulum à num.* 7. vbi plura adduxi conſideratione digniſſima, & ad Indias ſpectantia, quæ operæ erit aliquale pretium adiiſſe. Ratio autem eſt irrefragabilis: quia aptus ad militiam, non adeò eſt aptus ad præfecturam; ſunt enim dotes diuerſæ, & ita non ſe inuicem inferentes; pro quo & experientiæ frequentiſſimæ, non ſine magno animi dolore ſuccurrunt. Videmus enim (vt alia omittam) Chilenſe regnum, optimam Occidentalis huius Tractus portionem, hac ex cauſa ferè deperditum, cæde multiplici, deprædatione ac deuaſtatione conſimili, violatione ſacrorum, multorum captiuitate, & totalis præſentiſſimo periculo ac irreparabilis amiſſionis. Hic ergo, quod de Galliâ Theodoricus, cuilibet iſtarum poſſumus aptare Prouinciæ, dum ait: *Deſiderat viros egregios coacta cladibus ſuis*, Gubernatores ſcilicet, de quibus agebat, & qualem ipſe ibidem in aliorum exemplum ſic commendat Gemellum: *Firmum eſt judicium, cuius tenetur exemplum: nec locus ambiguitati relinquitur, vbi experimenta probabilia ſuffragantur. Explorauimus efficaciam tuam per diuerſos induſtriæ gradus; ſed non imparem meruiſti gratiam varijs actionibus æqualiter approbatus. Hinc eſt quod præſenti tempore in Galliis, nobis Deo auxiliante ſubiectis, Vicarium te Præfectorum noſtra mittit auctoritas.* Sic ille, & in cauſam præſentem opportunè, apud Caſſiodor. *Lib.* 3.16.

Damna ex contraria praxi permagna.

Caſſiodor.

Poſitiua notitia idoneitatis requiſita.

P. Thom. Sancius.

86 Pro eodem juuat P. Thomam Sancium excipere *Tomo* 1. *Conſiliorum lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 36. *n.* 5. ſic ſcribentem; *Tertiò nota non ſat eſſe electori ignorare eſſe indignum electum, ſed tenetur ſcire electum poſitiuè eſſe dignum, aut per ſe ipſum, aut teſtimonio fide dignorum: & aliàs peccat mortaliter, & tenetur reſtituere damna, quia exponit ſe periculo eligendi indignum. Sic Salon ibi (ſcilicet 2.2. quæſt. 63. fol. 1041.) & quidam docti iuniores; quorum nonnulli notant in ſuis Manuſcriptis hoc habere verum, etiam in priuatis renuntiantibus & vendentibus hæc officia, & in vendentibus ea nomine Regis; non enim vendere debent maius offerentibus pretium, ſed idoneis.* Hæc ille, qui præcipuè loquitur de officiis juriſdictionem habentibus, de quibus & nos loquimur: & præcipuè locum habent in illis, qui ad gubernationem Indicarum Prouinciarum deſtinantur, quorum errores difficilem habent correctionem. Et in Eccleſiaſticis magis vrget, vt benè expendit P. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 56. cùm Adriano quos & ſecutus videtur P. Sancius. Idem tenet, poſitiuam notitiam dignitatis exigens, Dom. Zapata *Parte* 2. *cap.* 6. *num.* 35. *& ſeqq.* qui etiam *cap.* 15. *n.* 3. *& Parte* 3. *cap.* 1. *num.* 2. cùm multis affirmat eligentem ad reſtitutionem teneri ob damna ex indigni electione ſecuta: Eccleſiæ quidem, ſi officium Eccleſiaſticum ſit: Reipu-

Etiam in vendentibus & renuntiantibus.

Et præcipuè in Eccleſiaſticis.

Obligatio reſtitutionis ex omiſſione.

Digitized by Google

Reipublicæ verò, ſi ſæculare: pro quo & *cap.* 3. *num.*5.

Benigna circa Eccleſiaſticas prouiſiones doctrina. P. Sancius.

87 Dico tertiò. Circa electionem Eccleſiaſticorum benigna eſt Salonis doctrina *ſuprà. Fol.* 1003. & ſequenti, quam P. Sancius amplexus *citato capite dub.*12.*num.*4. ſic dicens: *Si quis elector habet amicum vel familiarem, quem certiſſimè ſcit eſſe dignum, poteſt eligere illum, quando non videt certiſſimè & euidenter alium eſſe digniorem, ſed probabiliter tantùm. Ratio, quia ea certitudo, quâ nouit ſuum familiarem eſſe dignum, habitâ longâ experientiâ, præferenda eſt opinioni, quæ habetur de maiori alterius dignitate, eſtque elector ſecurior quando nouit hunc certò dignum, de digniori verò eſt dubius.* Sic doctus Pater: juxta quæ, & alia *ſuperiùs* dicta, non tenetur Rex Catholicus in huiuſmodi prouiſionibus Conſilium Indiarum aut Cameræ conſultare, ſed juxta priuatam ſcientiam prouidere. Quod quidem poteſt in Confeſſariis, & Capellanis accidere, & in aliis aſſiſtentiæ frequentioris. Immò addo. Etiamſi Conſilium & Camera alium proponant, & digniorem cenſeant, non teneri ſe illis conformare, ob rationem dictam; quia ſcilicet ipſius eſt certa notitia, & ſic præualet alteri, quæ de aliorum habetur dignitate. Licet enim Conſilij judicium interueniat, illud probabilem cognitionem non excedit: niſi fortè aliqua eſſet perſona Conſiliariis nota, de quâ Regi non minùs quàm de aliâ ſibi familiari conſtaret. Quo euentu eorum atteſtationi ſtandum eſſe videtur, quæ moralem infert certitudinem.

Rex contra Conſilij judicium poteſt ex priuatâ ſcientiâ procedere.

Dignior poteſt alteri officio reſeruari.

88 Sed nihilominùs dici poteſt etiam tunc certitudinem Regis eſſe maiorem, quia eſt experimentalis, quod non habet alia reſpectu ipſius, licèt talis ſit reſpectu aliorum. Cùm dici item poſſit, etiam ſtante æqualitate notitiæ, poſſe Regem familiari ſuo gratificari, quia alius à Conſilio propoſitus, poſteà poterit ſimili aut meliori officio donari; juxta valdè probabilem ſententiam eorum, qui dicunt, minùs dignum poſſe in dicto caſu præferri. *Non enim eſt nimis curandum, quòd hic vel ille primò eligatur, cùm poſſint alij prudenter reſeruari ad alia ſimilia officia, & fortaſſe meliora, citò vacatura. Neque enim magnum Eccleſia incommodum timeri poteſt, quòd paulò antè hic quàm ille alius, qui fortaſſe dignior eſt, promoueatur.* Verba ſunt Cardinalis Lugo *Tomo* 2. *de Iuſtitia, Diſputat.* 35. *num.*25. & 48.

Cardinalis Lugo.

CAPVT X.

An in Beneficijs ſimplicibus, quæ ſunt Regiæ prouiſionis in Indijs, & per concurſum conferuntur, poſſit Rex Catholicus minùs dignum præponenere digniori.

89 CAnonicatus aliqui ſic conferri ſoliti, vt Magiſtralis, Doctoralis, Scripturarius, & Pœnitentiarius pro quibus fit concurſus, & ſuffragium præſtant Prælati, & Capitulares. Suffragia autem ad Regem cum Prælatorum, & Proregis informatione mittuntur, & electo ab ipſo ac præſentato fit Canonica collatio, juxta Eccleſiæ conſuetudinem inſtituta. De his ergo procedit difficultas. Circa quam.

Dico primò. In huiuſmodi prouiſionibus grauiter delinquitur, ſi minùs dignus præferatur. Eſt receptiſſima ſententia, pro quâ videri poſſunt P. Thomas Sancius *Tomo* 1. *Conſiliorum, lib.*2. *cap.*1. *dub.* 3. *num.*23. Vbi adducit Nauarrum, Nauarram, & Aragonem. P. Leſſius *lib.*2. *cap.*34. *num.*68. M. Ioannes Zapata *Diſceptatione de juſtitia diſtributiua, Parte* 1. *cap.*7. qui tamen *Parte* 3. *cap.* 3. ait (in quo & conſentit Pharaonius *Tract.*2. *Sen.* 8. *Caſu.* 2.) non eſſe obligationem reſtitutionis. Dom. Solorzanus *lib.*3. *cap.*15. *n.* 66. *& ſeqq.* Vbi quamplures accumulat. Et in Politicâ *pag.*631. Diana *Parte* 2. *Tract.*15. *Reſol.* 40. in fine; vbi licèt videatur de Beneficijs Curatis loqui, juxta quæſitum in Titulo, reſolutio tamen eſt generalis, ad quam conſequenter loquitur *Reſolut.* 38. §. *Quarta opinio*, vbi probat Beneficia ſimplicia poſſe conferri minùs dignis, quia dantur ſine concurſu; vt alios omittam. Probari poteſt

Aſſertio 1. *in concurſu digniorem præferendum.*

90 Primò. Quia huiuſmodi Canonicatus maiorem ſufficientiam requirunt quàm Curata, vt benè expendit P. Sancius *ſuprà num.*21. & ex eo infert etiam, ſecluſo concurſu, dignioribus debere conferri. Quod & tenet P. Leſſius *ſuprà nu.* 64. & Cardinalis Lugo *Tomo* 2. *de Iuſtitia, Diſputat.* 35. *numer.* 20. Ergo cùm per concurſum nouus titulus, & quidem ſingularis æſtimationis, addatur, non poteſt minùs dignus anteferri.

1. ratio ex maiori ſufficientiâ requiſita.

91 Secundò. Nam dignior prætermiſſus grauem patitur honoris jacturam in concurſu ſuperatus; ergo ſtare illud ſine graui eligentis culpâ nequit; etiamſi eligens ſit Rex, quia Reges non ſunt honoris alieni domini, & indignum eſt, vt clamant humanæ & ſacræ leges, quòd inde naſcantur iniuriæ, vnde jura naſcantur. Id quod præſertim reſpectu honoris Eccleſiaſticorum eſt certum, qui & ipſe ſacer eſt, ſicut & ſpeciale ius per oppoſitionem adquiſitum.

2. ex honoris jacturâ, cuius Rex non eſt dominus.

Tertiò. Quia Rex concurſum ad huiuſmodi prouiſiones ſtatuens ex Pontificiæ Sedis indulto, ſe ad ſeruandam iuſtitiam obligauit; aliàs eſſet inutilis, cùm poſſit, ſicut in Canonicatibus aliis, prouiſio fieri, aliunde habitâ ſufficientiæ notitiâ: ergo tenetur ſuæ ſtare promiſſioni, quæ grauiter obligat, cùm ſit in re graui, ſub onerosâ oppoſitionis conditione, juxta irrefragabilem Scriptorum doctrinam, Regibus maximè retinendam, & Chriſtianis ante alios, ſingularique ratione Catholico, vt Regi Chriſto comprobetur ſimilis; de quo vates Euangelicus præclarum illud: *Et erit juſtitia cingulum lumborum eius; & fides cinctorium renum eius.* Iſaiæ 11. v. 5.

3. ex Regia promiſſione.

Iſaiæ 11. v. 5.

93 Dico ſecundò. Plura ſuffragia in caſu dicto non ſunt dignitatis maioris fundamentum, vnde poteſt Rex alium præferre, ſi aliàs æquè dignum cenſeat, propter adiunctas qualitates. Probatur: Quia ſi certum fundamentum eſſet, immeritò ſuffragia ad Regem mitterentur & Beneficia iſta tamdiu vacarent: quod enim Rex facturus eſt, poſſet facere eius locum tenens, eum præſentans, quem certiſſimum eſt à Rege præſentandum, cùm nequeat ille, ſi Chriſtianè acturus ſit, quidquam contrarium attentare. Cùm ergo

Aſſertio 2. *plura ſuffragia non ſemper obligare.*

Digitized by Google

ergo ad Regem mittantur ſuffragia, ſignum manifeſtum eſt, iuxta eorum pluralitatem non eſſe neceſſariò iudicandum.

Roboratur aſſertum.

94 Deinde, licet ad Canonicatus dictos ratio doctrinæ præſertim habeatur, non tamen illa ſola attendi debet, ſed aliæ, vt dixi, qualitates: Atqui iſtæ poſſunt aliunde cognoſci, & non ex ſolâ ſuffragatione habentium ius ad illam; ergo & propter illas fieri prouiſio in eo, qui pauciora ſuffragia tulit. Prætereà, etiamſi noua notitia non accedat, illæ ipſæ qualitates, quæ in oppoſitoribus proponuntur, poſſunt aliter à Rege, adhibitâ conſultatione, perpendi, & ex illis ipſe maiorem conijcere dignitatem.

Aſſertio 3. probabile eſſe Regem non teneri ad eligendum digniorem ſub reatu mortali.

95 Dico tertiò, probabile eſt non teneri Regem in caſu dicto eligere digniorem ſub onere mortalis peccati; digniorem inquam ab aliis iudicatum, etiamſi nihil eorum occurrat, de quibus in Aſſertione præcedenti. Quod explicatur

Ratione exigui exceſſus.

Primò Quia exceſſus poteſt eſſe paruus, ob vnum ſcilicet, aut aliud ſuffragium: quando autem talis eſt, minùs digni prælationem non eſſe mortalem communis ſententia firmat. Pro quo videri poteſt P. Thomas Sancius *ſuprà num.* 17. vbi alios adducit.

Secundò. Quia exiguus exceſſus exiſtimari poteſt, etiamſi plura ſuffragia ſint. Demus enim eſſe quatuor: tunc ſuſpicari poteſt, iuxta id, quod frequenter accidit, eorum aliqua non eſſe omnino iuſtificata, & fauori aut alteri humano reſpectui aliquid datum: vnde quæ reſtant ſuffragia non magnum exceſſum faciunt.

Et quia Rex ſe noluit aliter obligare.

96 Tertiò. Quia Rex liberam habet prouiſionem reſpectu ſimplicium Beneficiorum, & ita non tenetur digniores ad huiuſmodi Canonicatus eligere, vbi per concurſum non conferuntur: Atqui non videtur inuerosimile noluiſſe ſibi adeò graue onus imponere, vt aliter faciens reatum æternæ damnationis incurreret. Nec propterea inutilis concurſus redditur, tum quia frequentiùs ad plura ſuffragia & informationes attenditur; tum etiam quia ſic promouentur litteræ, oppoſitionis plauſibili ſatis exercitatione. Item, quia maior ſic acquiritur benemeritorum notitia, dum oppoſitio Regi, & Regiis Conſiliariis per eoſdem innoteſcit. Concurſum autem non ſemper eſſe formalem benè obſeruat P. Dicaſtillus. *Lib.* 2. *Tract.* 2. *Diſp.* 8. *num.* 154.

Oppoſitionis vtilitates.

Qui faueant Doctores.

97 Tandem, quia Doctores plures de Patrono laico loquentes, & cum non teneri grauiter ad digniorem præſentandum affirmantes, non excipiunt præſentationes, quæ ab eis poſt concurſum fiunt. Et Nauarrus in *Manuali Cap.* 25. *num.* 57. aſſerit, ſecluſo iuramento, non eſſe mortale eligere minùs idoneos ad Cathedras, quę per oppoſitionem dantur. Id quod in Beneficiis etiam tradunt alij, quos adducit Dom. Solorzanus *Tomo* 1. *Lib.* 3. *Cap.* 15. *num.* 69. Iuxta quæ oppoſitio ex ſe grauem obligationem non infert. Et quod plus eſt, Concilium Tridentinum *Seſſione* 24. *Cap.* 18. *de Reformatione*, præcipiens vt Patronus Eccleſiaſticus digniorem præſentet, de laico nihil decernit tale: & tamen de concurſu agit pro beneficiis Curatis. Ex quo plures inferunt Patronum laicum ad dignioris præſentationem non eſſe grauiter obligatum. Quæ omnia Aſſertionem propoſitam ſatis veroſimilem oſtēdunt. Cùm autem ſententia oppoſita communior & ſolidioribus ſit innixa principiis, id Reges debet reddere in huiuſmodi prouiſione cautiſſimos: quod autem poſtremò addimus, propterea eſt, quia & illud veroſimile, & vt non vndequaque rationabile eorum arbitrium obſtruamus.

Tridentinum vt innuet.

CAPVT XI.

An Rex Catholicus ſine lethalis culpæ reatu Indos poſſit, aut eorum aliquos, in totalem redigere ſeruitutem.

§. I.

De generali ſeruitute Reſolutio negatiua.

Bulla Caliſti 3. & Nicolai 5. circa Indorum ſeruitutē.

VT fieri id poſſit, videtur apertè fauere Bulla Calliſti Tertij, quæ incipit, *Dudum*, & Nicolai Quinti aliam inſertam habet, in quâ ſic loquitur: *Nos prædicta & ſingula debitâ meditatione penſantes, quòd cùm olim præfato Alfonſo Regi quoſcumque Chriſti inimicos vbicumque conſtitutos, ac Regna, Ducatus, Principatus, dominia, poſſeſſiones, & mobilia bona quæcumque per eos detenta ac poſſeſſa inuadendi, conquirendi, expugnandi, debellandi, & ſubiugandi, illorumque perſonas in perpetuam ſeruitutem redigendi &c. aliis noſtris Litteris plenam & liberam inter cetera commiſerimus facultatem.* Et inferiùs. *Litteras facultatis præfatas, quarum tenores ad verbum præſentibus Litteris volumus pro inſertis &c. quæcumque etiam alia ante data dictarum facultatum acquiſita, & ad ea, quæ in poſterùm nomine dictorum Alfonſi Regis, ſuorumque ſucceſſorum, & Infantis, in ipſis, ac circumuicinis, & vlterioribus partibus, de infidelium ac paganorum manibus acquiri poterunt, prouincias, inſulas, portus, & maria quæcumque extendi, & illa ſub eiſdem facultatis Litteris comprehendi &c.* Iuxta quæ videtur Pontifex Portugalliæ Regibus, & conſequenter Regibus Catholicis eorumque legitimis ſucceſſoribus, redigendi in ſeruitutē Indos facultatem præbuiſſe. Et licet in priori clauſulâ de iis tantùm videatur loqui, qui inimici Chriſti ſunt, quales dici Indi non poſſunt, quibus de Chriſto nihil vnquam fuerat annuntiatū: poſterior autem de illis abſque vllâ dubitatione procedit, cùm de acquirendis ex paganorum ac infidelium terris ſtatuat, etiam in vlterioribus ac remotioribus partibus in quibus id omne vult locum habere, quod de aliis fuerat præmiſſum: & erat eorum vnum facultas redigendi in perpetuam ſeruitutem.

Aſſertio 1. Indos non poſſe generaliter in ſeruitutem redigi.

Bulla Pauli 3.

99 Dico primò, Indi generaliter non potuerunt, nec poſſunt in perpetuam ſeruitutem redigi. Conſtat ex Pauli Tertij iteratâ declaratione: in Bullâ enim, quæ incipit, *Dilecte fili noſter*, ſub datâ *Anni* 1537. *die* 23. *Maij*, ad Cardinalem Taueram pro executione directâ, ſic ait: *Nos igitur attendentes Indos ipſos, licet extra gremium Eccleſiæ exiſtant, non tamen ſuâ libertate, aut rerum ſuarum dominio priuatos vel priuandos eſſe, & cùm homines, ideòque fidei & ſalutis capaces ſint, non ſeruitute delendos, ſed prædicationibus & exemplis ad vitam inuitandos fore &c.* Et in aliâ ſub Datâ eiuſdem menſis & anni, die autem 28. ita loqui-

tur;

Digitized by Google

Alia eiuſdem.

tur: *Ac volentes ſuper his congruis remediis prouidere prædictos Indos, & omnes alias gentes ad notitiam Chriſtianorum inpoſterùm deuenturas, licèt extra fidem Chriſtianam exiſtant, ſuâ libertate, ac rerum ſuarum dominio huiuſmodi vti & potiri & gaudere liberè & licitè poſſe, nec in ſeruitutem redigi debere; ac quidquid ſecus fieri contigerit, irritum: ipſoſque Indos, & alias gentes, verbi Dei prædicatione & exemplo bonæ vitæ, ad dictam fidem Chriſti inuitandos fore, auctoritate Apoſtolicâ per præſentes Litteras decernimus & declaramus.* Sic Pontifex omnem circa hoc dubitationem excludens, adiiciens inſuper pœnas grauiſſimas, excommunicationis ſcilicet latæ ſententiæ ſibi reſeruatæ, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti. Teſtatur autem ibidem à Carolo Quinto Imperatore & Rege noſtro idem publico edicto prohibitum: pro quo & extant prohibitiones aliç Catholicorum Regum, de quibus Dom. Solorzanus *Tomo* 1. *Lib.* 2. *Cap.* 9. *num.* 75. & *Lib.* 3. *Cap.* 6. *à num.* 28. & *Cap.* 7. *num.* 56. & *in Politica Lib.* 2. *Cap.* 1.

Regum edicta pro eodem.

Bullæ Pōtificum circa illud conciliantur.

100 Quid ergo? Conſtitutiones Apoſtolicæ ſibi eſſe contrariæ poſſunt, & aliud Nicolaus & Calliſtus, aliud Paulus circa rem adeò grauem arbitrantur? Nullo modo. Debellationem quidem & ſeruitutem concedunt priores, ſed iuxta Iuris formam rationabiliter temperandam; Iuris inquam naturalis, & gentium, & Chriſtianâ conſuetudine regulatam. Si ita reſiſtant, vt priuari vitâ poſſint, meritò & ſerui poſſunt fieri; ſeruitus enim pro ſeruatâ vitâ ſuccedit. Quando autem reſiſtentia in Indis talis ſit, attentâ debet & Chriſtianis pectoribus dignâ conſideratione penſari, neque enim quæuis ſufficit. Quid enim, ſi reſiſtant Indi naturâ pauidi vt plurimùm in aduenis incognitis, ſuo capiti conſulentes? Quid ſi etiam animoſiores ad ſpectaculum ſibi formidandum, quando ſcilicet Hiſpanos milites conſpexerunt? Quâ conſideratione cautum Regiis ſchedulis vt Indi in ſeruitutem redacti, quia poſt datam Regi obedientiam rebellarunt, in ſuam vindicentur libertatem. *Porque eſtos no ſe pudieron hacer eſclauos, aunque fueſo por ocaſion de rebelion. Tomo* 4. *pag.* 370. & *ſeqq.* Si ergo nec rebellantes redigi in ſeruitutem poſſunt, quantò potiùs ad horrendum illis aduentum reſiſtentes? Victoria, & Sotus, quos adducit & ſequitur Salon. 2. 2. *Tomo* 1. *Col.* 351. & *ſeqq.* affirmant Indos non aliter ſeruos fieri poſſe, quàm ſi volentibus Euangelium in iis regionibus prædicare, ipſi reſiſtant, & vti reſiſtentibus prædicationi Euangelij bellum inferatur. Sed Bañez 2. 2. *q.* 10. *artic.* 10. *verſ. Ex his ſequitur,* id non admittit, ſi poſteà barbari reſipiſcant; quia tale bellum cederet in ſcandalum Euangelij. Ferdinandus Zurita in *Enchiridio Quæſtionum Indicarum, Quæſt* 23. *Propoſit.* 2. vt veroſimile proponit Indos, qui legatos ſine ſaluo conductu venientes occidunt, iniuſtitiam non committere, ſi gentis ſibi aduerſæ ſint, à quâ meritò timere poſſint. Ecce quantâ cum circumſpectione hoc eſt in negotio procedendum, vt deueniatur ad caſum, in quo ſeruitus licita eſſe queat. Sed quia aliqua eſſe poteſt, ſi videlicet ita reſiſtentes non reſipiſcant, id concedit Pontifex, omnem in eo euentu ſcrupulum eximens, iam enim illi manifeſti hoſtes Chriſti comprobantur, & cum Mauris & Turcis numerandi.

Quando ſeruitus liceat.

Non inferenda ſemper rebellantibus.

Tituli amplius explicantur.

Bañez.

Ferdinandus Zurita.

Ratio Aſſertionis ex forma Apoſtolicæ donationis.

101 Ratio autem pro Aſſertione ex conceſſione ampliſſimâ ab Apoſtolicâ Sede Regibus Catholicis factâ euidenter deducitur. Nam illa eſt in ordine ad conuerſionem Indorum, vt ex dictis *Cap.* 1. & *ſeqq.* conſtat. Atqui ad huiuſmodi finem non confert, ſed obeſt nimium iugum ſeruitutis duriſſimum: ergo non eſt generaliter vt licita admittenda. Maior conſtat, & Minor eſt certa, indicaturque à Paulo Tertio, dum ait Indos non ſeruitute delendos, ſed prædicationibus & exemplis ad vitam inuitandos: redderetur enim nimis odioſa religio; quæ non niſi malo omnium maximo, morte exceptâ, prouenîret.

Et quòd in illa perſonale dominium reſeruatū.

102 Præterea, Reges Catholici Indias poſſident Pontificiâ conceſſione: Atqui Pontifex in conceſſione dicta perſonale Indorum dominium non conceſſit; ergo nequit illud niſi per ſummam iniuriam vſurpari. De Maiori conſtat, & Minor eſt manifeſta ex Bullis conceſſionis Alexandri Sexti: in priori enim tantùm terræ repertæ & reperiendæ cum illarum dominiis, ciuitatibus, caſtris, locis, villis &c. conceduntur. Vbi & ſupponitur nullum eſſe titulum ad inferendam ſeruitutem; ſic enim dicitur: *In quibus quamplurimæ gentes pacificè viuentes, & , vt aſſeritur, nudi incedentes, nec carnibus veſcentes, inhabitant; & , vt præfatij nuntij veſtri poſſunt opinari, gentes ipſæ in inſulis & terris prædictis habitantes, credunt vnum Deum Creatorem in cælis eſſe, ac ad fidem Catholicam amplexandum ſatis apti videntur, ſpeſque habetur quòd, ſi erudirentur, nomen Saluatoris Domini noſtri* IESV *Chriſti in terris & inſulis prædictis faterentur.* Hæc Pontifex; iuxta quæ planum eſt illum ad inducendam ſeruitutem contra naturæ iura facultatem minimè concedere voluiſſe, nec tale ipſi veniſſe in mentem: Pacificè enim viuentes, & ad Chriſti fidem ſuſcipiendam ſatis apti, quo poterant iure in ſeruitutem redigi, quæ, vt diximus, necis loco ſubſtituitur iuſto bello inferibilis, eſtque poſt illam malorum extremum, ſicut & eorum formidabile compendium. Pro quo neruosè militat Fr. Ioannes de Silua in Animaduerſionibus citatis *fol.* 16. cuius illa, inter alia verba: *Ni el Papa Alexandro quando hizo à los Reyes de Caſtilla ſupremos y ſoberanos Monarchas de las Indias, les concedio coſa alguna en perjuicio de eſte derecho natural, y de las Gentes.* Sic ille, probans eodem loco non eſſe in terris huiuſmodi poteſtatem.

Bullæ Alexandri.

Fr. Ioan. de Sylua.

§. II.

Quomodo aliquando licita Indorum ſeruitus.

Aſſertio 2. licere aliquando Indorum ſeruitutem.

103 DIco ſecundò. Aliquando Indi redigi in perpetuam ſeruitutem tutâ conſcientiâ poſſunt. Sic citati. *num.* 100. & probatur: Quia Indis poteſt iuſtum bellum inferri, & ita etiam poſſunt occidi, ſi id ratio, iuſtæ defenſionis admittat: ergo & ſerui fieri, ſeruitute cum morte commutatâ, quæ eſt communi conſenſu probata doctrina. Tale autem bellum & eſſe poteſt, & iam multis retro annis experimur in regno Chilenſi, vbi durum ſatis à ſtirpe genus, infidum, refractarium, quod neque huma-

In Chilenſibus iuſtificata.

na

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

na neque diuina fides in rationabili contineat officio; id quod nunc maximè, generali rebellione, non ſine ingenti concuſſione animi comprobatum. His poſt expectatam diu reductionem, & oblata pacis fœdera, nec quidquam eorum obtentum, indicta eſt ſeruitus Regiâ ſanctione, de quâ Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *citato. Cap.* 8. *num.* 8. *& ſeqq.* & in Politicâ *pag.* 70. & licèt nonnullis neque conueniens, neque iuſta viſa fuerit: poſt rebellionem tamen dictam audiui eos aliter ſentientes. Pro iuſtitiâ autem, præter communem rationem, & Doctorum auctoritatem, ſic generaliter decernentium, irrefragabile ſuppetit argumentum, ex eo deſumptum, quod omnes, ſi non ſpeculatiuè, practicè tamen amplectimur, dum mancipia Æthiopica & emimus & vendimus, hæc abſque vllo conſcientiæ remorſu ſeruorum iure tractamus: Atqui in illis minor ſeruitutis apparet titulus, vt videri poteſt apud P. Molinam *Diſput.* 34. *& ſeqq.* & P. Thomam Sancium *Tomo* 1 *Conſiliorum Lib.* 1. *Cap.* 1. *Dub.* 4. Dom. Solorzanum *Tomo* 1. *Lib.* 3. *Cap.* 8. *num.* 108. *& ſeqq. &* in Politica *pag.* 69. *§. Porque.* & alios, de quo & nos *Titulo* 9. *à num.* 180. calamo fuſiori. Ergo circa Clientes non eſt in quo hærere debeamus, cùm belli titulus manifeſtus ſit, & ab omnibus admiſſus, vt benè oſtendit P. Sancius *ſuprà num.* 1. *& Dub.* 3. *num.* 5. Pro quo & Cardinalis Lugo *Tomo* 1. *de Iuſtitia. Diſput.* 6. *num.* 11.

Ex Æthiopicis mancipiis roboratur.

104 Dici poteſt à Regibus Catholicis hoc iudicatum illicitum, vt vidimus *num.* 100. verbis illis: *Porque eſtos no ſe pudieron hacer es clauos, aunque fueſe por ocaſion de rebelion.* Sed id non obſtat; concedimus enim non bellum quodlibet, aut rebellionem quamcumque, ad ſeruitutem ſufficere, ſicut *Superiùs* explicatum; iteratam tamen, neque cum ſecuritate Noſtrorum, & eorum, qui Chriſtianam ſunt religionem amplexi, aut emendationis ſpe, titulum eſſe ſufficientem affirmamus.

Ex Regia ſchedula reſponſio in qua & rebellantes eximuntur, cur ſit factu.

105 Id tamen circa præfatam legem ſeruitutis addiderim, eam ruinæ illius regni occaſionem infandam præbuiſſe; dum enim prædæ huic quæſtuoſæ immoderatiùs ab exercitûs noſtri Præfectis incumbitur, non iam Dei, & publicæ cauſſæ res acta, & ita nec iuſtitiæ obſeruati limites, vnde omnia in peius ruere, & retro ſublapſa referri conſpicimus. Non placuit aliquibus pax, in quâ prædæ parùm; & ita facile fuit belli vix extinctum incendium ſuſcitari. Videant ergo Reges noſtri quod iam admonui *Cap.* 9. & Gubernatores prouinciis talibus ſelectiſſimos aſſignent, ni velint id, quod multis eſt & quæſtuoſiſſimis laboribus partum, vnius diei ſpatio deperditum complorari.

Occaſio auaritia inde ſumpta, rebellionem excitauit.

Ad Reges noſtros admonitio.

106 Dico tertiò. In hac ſeruitutis lege nón videtur rationi ac pietati conſonum vt pueri aut puellæ, etiam rationis compotes, comprehendantur. Probatur

Aſſertio 3. pueros reſeruandos.

Primò à ſimili: Nam Philippus Secundus Rex noſter non permiſit Maurorum filios in rebellione Granatenſi ſeruos fieri, vt teſtatur Cardinalis Lugo *ſuprà num.* 13. & ante illum P. Molina *Diſput.* 33. vbi diſputat an contrarium licitè fieri potuerit: & licet affirmatiuam ſententiam amplectatur; oppoſitæ tamen non leuia fundamenta proponit, quibus conatur ſatisfacere; non tamen ita apertè, vt fundamenta prædicta ſuo robore videantur penitus deſtituta. Quod ergo cum Mauris factum, Hiſpaniæ infeſtiſſimis hoſtibus; cur non etiam cum Indis fiat, de quibus inter Hiſpanos educatis & ſeparatis à parentibus, id ſperare poſſumus, quod in plurimis eorum etiam ſeruis deprehendimus, Chriſtianos ſcilicet mores, & æternæ ſalutis pignora non leuia, de quo poſſum propriæ experientiæ ſuffragio iudicare.

1. Maurorum Granatenſium exemplo.

107 Secundò, quia etiam poſt iteratam rebellionem ſunt qui cenſeant, ſic rebellantes non poſſe fieri ſeruos, quia rebellionis non leues excuſationes inueniunt, quandoquidem non leuiter ſunt ad excutiendum ſociale iugum prouocati; ergo ſeruitutem ad impubes extendi, neque rationi neque pietati conſonum apparet.

2. Ex rebellionis excuſationibus.

Tertiò, quia in omnibus bellis, quæ in partibus Indiarum contra indigenas geruntur, negotium fidei principaliter debet attendi, cùm à Sede Apoſtolicâ eo ſint reſpectu Catholicis Regibus attributæ; atqui libertate eorum, de quibus agimus, negotium fidei promouetur; ergo debet illa in ipſis ſartatecta ſeruari. Major eſt certa ob rationem poſitam, & Minor clara; nam ſeruitus fructuoſæ fidei obeſt ſuſceptioni, ad quam libertas confert, vt iam vidimus *§. præcedenti* ex mente Pontificum, & ratione.

3. Ex fine conuerſionis in donatione Indiarum.

108 Dices ex hoc ſequi etiam adultos non debere ſeruitute mulctari, quia ſic ad fidem aptiores inueniuntur. Sed hoc non ſatisfacit; quia adultos ſupponimus eſſe Chriſtiani nominis inimicos, neque de illis quidquam poſſe eo in genere firmum expectari: At de filiis aliter ſentiendum ob dicta *num.* 106. Quòd ſi ſperaretur adultos libertatis conſeruatione ad fidei ſuſceptionem meliùs diſponendos, idem profectò dicendum. Et hac de cauſſa Reges noſtri tantopere fuerunt de Indorum libertate ſoliciti, vt neque belli jus, neque rebellionem illi obſtare cenſuerint; quia ſcilicet negotium fidei Chriſtianiſſimo calore tractabant, quod arbitrabantur hoc pacto meliùs proceſſurum. Faciant ergo tantis digni parentibus filij, quòd de eorum zelo ac pietate non eſt cur minùs ſperare, eorum plenè conſcij, debeamus.

In adultis aliam eſſe rationē.

CAPVT XII.

Minerisnè effodiendis poſſint Indi, talem non meriti pœnam, ſine labe culpæ lethalis addici.

109 POſt Indorum libertatem, circa quam Reges Catholici, vt vidimus, eximiè fuêre ſoliciti, nihil videtur ita poſſe eorum ſolicitas conſcientias agere, vt id, de quo quæſtio & controuerſia præſens agitatur. Videtur enim hæc ad Mineras compulſio quoddam ſeruitutis, & duræ ſatis, genus: adeò vt inter ſeruorum officia neutiquam numeretur, iuxta receptam apud Romanos conſuetudinem, quidquid antè de antiquioribus fuerit minùs humanè agentibus, & infelices in eo ſucceſſus expertis. Pro quo Athenæus *Libr.* 6. *Cap.* 7. ſuo de tempore

In mineris labor ſupra ſeruorum labores.

pore

Digitized by Google

pore ſic locutus Horatius *Epiſt.* 16. *Libr.* 1.

Horatius.

Vendere cùm poſſis, captiuum occidere noli:
Seruiet vtiliter; ſine paſcat durus, aretque,
Nauiget, ac mediis hiemet mercator in vndis:
Annonæ proſit, portet frumenta, penuſque.

Licitum in Indis vt cenſeant quidam, & Regiâ diſpoſitione ſancitum.

Quo non obſtáte, fuerũt qui compelli poſſe cõſerent, moderatione adiectâ, vt Chriſtianam pietatem decet, ſi videlicet per interualla hæc fiant, & in ſoluendo laboris pretio ſpecialiſſima habeatur cura, cum cautionibus aliis, circa quorum obſeruantiam attentiſſimos opus eſt ſe gerere Magiſtratus. Et ita quidem diſpoſitum: cùm fuerint, qui erga hoc Regibus noſtris ſcrupulum omnem exemerint; nihil enim à piiſſimis Principibus ſine hoc eſt ſaluo conductu tentatum. Diſpoſitioni autem à viris doctis, & Chriſtiano zelo æſtuantibus reclamatum; ex quo factum, vt res in conſilium multorum fuerit ſemel iterumque vocata, & Reges noſtri de tollendo hoc onere miſellis iſtis ſeriò tractauerint, & pro eo reſcripſerint; quod tamen non potuit, vt eorum erat deſiderium, executioni mandari. Teſtantur autem illi in Reſcriptis variis deſiderare ſe onus iſtud ab Indorum ceruicibus amouere; ſed tollerandum illud, donec melioris diſpoſitionis opportunum tempus adueniat. *Que ſin embargo de lo proueido por cedulas antiguas, cerca de que no fueſen compellidos à eſte trabajo contra ſu voluntad.* Verba ſunt decretoriæ Schedulæ, quæ extat *Tomo* 4. *pag.* 315.

Sed non ſine vrgenti ſcrupulo.

Regium reſcriptum.

Fuerunt ergo qui ſic anteà prouidêre, hac graui ſaucij curâ, quia ſpinam, quam educere conabantur aliqui, alij contrà ſentientes validiùs infigebant. Statutum eſt nihilominùs in ſchedulâ præfatâ oppoſitum; ſed non ad tranquillandos Regios animos noui & ſanè docti conſiliantes ſuffecerunt. Iterùm de tollendo deliberatum grauamine, & deſignatum tempus pro executione commodiùs inducendâ. Nequidquam tamen; & ita res in eôdem ſtatu, quem & nunc habet, eſt relicta.

Qui ſemper vrget.

110 Eſt ergo cauſſa hæc pro vtraque parte ſatis ſuperque ventilata, vt nihil à me addi in præſenti poſſit, cuicumque adhæſero, quod magni queat eſſe momenti. Licitum ſi dixero eſſe grauamen, iam melioribus teſtibus id firmatum, quorum auctoritate res agitur. Si illicitum aſſeruero, nihil meâ exiſtimatione confecerim; neque currentem hanc tanto impetu machinam puſillæ vocis inſtantiâ reuocauerim. Fr. Michaël de Agia Franciſcanus ex profeſſo probandum aſſumpſit licitã eſſe Indorum ad metalla effodienda compulſionem, ſic Regium Reſcriptum Philippi Tertij *Anno* 1601. tranſmiſſum interpretans *pag.* 60. *& ſeqq.* Cuius ſententiæ quamplures viri docti in Limanâ hac vrbe ſubſcripſerunt; duodecim inquam maioris abollæ Theologi, & Iuris vtriuſque Profeſſores, aut in eôdem verſati; & præter eos decem alij S. Philippi Collegæ, qui videntur ad augendum numerum ſubſcribentium adſciti: licet enim in eo Collegio plures fuerint, qui Iuriſprudentiæ ſtudentes, in eâ inſignes euaſerint facultate, & primarias in hoc regno ſedes occuparint; dum tamen ibidem agerent, vix gradum ſtudentium prætergreſſi, neque experientiâ, neque rerum notitiâ adeò excellere potuerunt, vt eorum iudicium in re tantâ, contrà ſentientibus & clamantibus quamplurimis ſcientiâ, prudentiâ, experientiâ, & religione conſpicuis, tanti fieri debuerit, & tot ſubſcriptionibus paginas onerari. Illud maioris profectò momẽti, quod citatus Pater atteſtatur, Proregem ſcilicet Dom. Ludouicum à Velaſco, affirmaſſe ipſi, alios à ſe conſultos idem cenſuiſſe, & in re omnes eſſe conformes, licèt viis diuerſis incedentes. Quod ſi ita eſt, cur non & eorum ſubſcriptiones dictus Pater obtinuit, & ſuæ lucubrationi contexuit?

F. Michaël de Agia affirmantis partis acer propugnator, qui & alios congerit non penitus ſufficientes.

111 Contrarium tamen, vt dixi, quamplurimi corditùs tenuerunt, ex quibus eiuſdem Religionis alumnus Fr. Ioannes de Silua in Animaduerſionibus iam citatis *fol.* 69. *pag.* 1. cuius, quia nimis acerba, nolo verba tranſcribere. Et R. P. Fr. Antonius Martinez, vir ob inſignem probitatem & doctrinam, muneraque in eâdem Religione præclarè geſta, magnæ apud omnes exiſtimationis; qui id non ſolùm verbo, ſed & ſcripto teſtatus, vt citatus Auctor affirmat, qui contra ſe Religioſos omnes aliorum Ordinum videtur habuiſſe, cùm nullum ex illis habeat ſui placiti ſubſcriptorem. Et erant tunc Limæ viri doctiſſimi, ſi vſpiam aliàs. Habuit etiam alios ſpectatæ doctrinæ maſtyges, inter quos fuit, qui ſatis doctum circa hoc elaborauit opuſculum, quod apud me habeo manu-ſcriptum, in quo pius, expertus, & eruditus Auctor P. Agiæ ſententiam apertiſſimâ ratiocinatione conuellit, & quàm ſint eius leuia fundamenta, & verò etiam falſa, demonſtrat. Ignoratum autem à me Auctorem Dom. Solorzanus fecit manifeſtum *Tomo* 1. *Lib.* 2. *Cap.* 23. *num.* 7. *& Tomo* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 14. *num.* 2. & in Politicâ *Lib.* 2. *Cap.* 16. *in principio.* Fuit enim Senator priùs Regius in Limano Prætorio, & poſtea Societatis noſtræ Religioſus, P. Franciſcus Coëllius, ab eôdem quidem meritò, ſed citra meritum, felici quondam diſcipulo in Salmanticenſi Academiâ collaudatus. Et eius quidem opuſculi ſubſidiis inſtructus, aliaque à ſe, aut ab aliis adiecta perpendens citatus Scriptor, ſententiam Magiſtri ſui præferendam cenſuit *citato Lib.* 1. *Cap.* 15. *num.* 6. vtpotè in vtrôque foro ſecuriorem, & ſolidioribus rationibus innitentem. Indicat autem oppoſitam ſatis probabilem *Cap.* 14. *num.* 1. Quod ego quidem negare nequeo, ſed extrinſecâ probabilitate, ab auctoritate inquam multorum, de quâ dictum, addito ſapientium Conſiliariorum in Regio Senatu, aliorumque, inter quos res eſt agitata, iudicio. Si enim eius fundamenta expendantur, leuia quidem deprehenduntur, &, vt dixi, nonnulla etiam apertè falſa. Et ita Dom. Solorzanus in Politica *loco ſuperiùs adducto*, qui reſpondet *num.* 1. *Capitis* 14. nihil de probabilitate ſubiunxit, ne ſic anſam continuationi præſtaret.

Contra illum duo ex eâdem Religione depugnant.

Et validiùs P. Franciſcus Coëllius è Societate, cum laude adductus.

Sententia affirmans probabilis tantùm ab extrinſeco.

112 Quod vt ampliùs oſtendam, obſeruo id, quod eſt quidem obſeruatione digniſſimum, Principes inquam noſtros grauia inconuenientia dignoſcere, quæ in hac metallicâ coactione ſine vmbra aliqua tergiuerſationis occurrunt, & ad onus hoc tollendum potenter induci, immò & impelli, vt iam dictum. Pro quo Regis noſtri Philippi Secundi Salomonis Hiſpani in regnandi ſcientiâ, verba præſtat auſcultari; ſic enim loquitur in Reſcripto quodam, quod adducit citatus

Grauia inconuenientia in coactione huiuſmodi noſtri Reges agnoſcunt, vnde circa illam religione tanguntur.

tatus P. Coellius num. 123. *Siguenſe grandes inconuenientes: eſpecialmente que como van muchos tales Indios à ſeruir fuera de ſu tierra y naturaleza, cinquenta, y otras mas leguas, à donde eſtan las minas, è ir cargados con ſus comidas, mantas, y camas, adolecen algunos de ellos, y mueren. Demas que la doctrina Chriſtiana, que à los tales ſe auia de dar, ſe impide, y ſe cometen otras ofenſas de Dios nueſtro Señor, è ſe menos caba la gente de eſa nueua Eſpaña, è ſe ſiguen muchos daños è inconuenientes à la uida y ſalud de los dichos Indios* &c. Reſcriptum autem hoc Nouæ-Hiſpaniæ miſſum, Carolo Quinto gubernante, & eius nomine Maximiliano & Mariâ Caroli ipſius filiâ Hiſpaniæ gubernatoribus *die 22. Februarij Anni* 1549. Sed à Philippo Secundo *die* 30. *Nouembris Anni* 1568. ad Peruuium extendi iuſſum, vbi eadem ratio, & ita eadem iuris diſpoſitio erat pariter requiſita. Quod in Regiis ſchedulis vim legis habentibus ſpecialiter locum habere, cum aliis probat Dom. Villaroel *Parte 2. Pacificæ gubernationis Quæſt. 11. Artic. 4. num. 42. & ſeqq.* Præfata autem inconuenientia non minora modò, quàm olim; niſi quòd imminuto valde Indorum numero, onus dictum ad pauciores reducitur, & ita magis importabile reddi neceſſarium eſt; vnde & Reges noſtri pro illo ſubmouendo ſoliciti, modum quærunt, ſed non inueniunt, procraſtinatione vtcumque contenti.

Reſcriptum ad vnam Prouinciâ quomodo aliis commune.

Ex timore conſcientiæ Regum noſtrorum arguitur contra prætenſam probabilitatem.

113 Sed rogo iam cur ita ſint circa negotium iſtud anxij, cùm eorum conſcientiæ poſſint, non ſubleuato grauamine, de quo loquimur, tranquillari? Ad tranquillandam enim conſcientiam opinio ſatis probabilis ſufficit, ea præſertim quæ & intrinſecâ & extrinſecâ probabilitate prædita comperitur. Hac de cauſſa cùm Indiarum occupationem licitam multi eſſe negarent, nec leuibus fundamentis, quia nec Pontifex potuit, quod erat alienum conferre: Regum tamen noſtrorum conſcientiæ omnino fuêre tranquillæ, nec de dimittendo tali dominio tractarunt, quia pro illis erat probabilis ſatis opinio de poteſtate Pontificis, quam ipſos ſecutos Pontifices multi Doctores affirmant; & hoc ſatis ſuperque eſt ad tranquillitatem conſcientiæ quantumuis timoratis inducendam. Item Catholici Reges de dimittendo regno Portugalliæ numquàm cogitarunt; cùm tamen eſſent plures, qui non ſine fundamento alterius ius præferendum affirmarent: quod meritò ab ipſis præſtitum, quia ſententiam ſunt probabilem ſatis amplexi, auctoritate, Iuribus, & rationibus commendatam. Quod & in multis aliis poſſem ſimiliter demonſtrare. Cùm ergo eorum animi in eâ, quam ſequuntur, de grauamine Indorum ſententiâ conquieſcant, ſignum eſt illam non eâ probabilitate gaudere, quâ gaudent aliæ, & ita non ſolidis fundamentis comprobari.

Non ſola eorum pietas, ſed & iuſtitia debet in tali cauſa militare.

114 Si dicas hoc ipſorum pietati tribuendum. Fatebor equidem: quis enim Regum noſtrorum perſpectiſſimam non habeat pietatem? Sed certè non ſola ibi pietas, ſed iuſtitia etiam videtur pro miſeris iſtis aduocare. Quod manifeſtè conſtat ex eorum atteſtatione in nuper adducto Reſcripto, in quo damna commemorant, quæ Indi ex ſtatutâ coactione ad metallorum effoſſionem incurrunt: ad ea enim impedienda non ſola pietas, ſed iuſtitia compellit, cui proprium eſt ius ſuum vnicuique conferre, & ſeruare incolume, dum ratione officij peculiaris oritur obligatio.

115 Et hoc quidem quod in Mineris aliis cenſetur durum, in Minera Huanca Velicenſi, quæ viui eſt argenti, duriſſimum ſanè videtur. Vnde præfatus P. Agia, qui Indos ad huiuſmodi operas compelli poſſe probauerat, vbi rem propriis oculis attentè perſpexit, in profunditatem centum quinquaginta ſtatuum deſcendens (eſt autem nobis *Status*, humani corporis menſura) per ſcalas penſiles, & exiguæ lumine lucernæ, palinodiam teſtatiſſimam recantauit, vt conſtat ex vltimâ clauſulâ dictæ lucubrationis. Et licèt modò Indorum labor in monte illo non ita dicatur eſſe terribilis, vti erat quando à prædicto Patre profunditas eſt illa luſtrata; ſemper tamen damna paruo diſcrimine perſeuerant. Vnde Rex noſter Philippus Quartus, votis communibus ſoſpitandus, poſt vltimam conſultationem circa hoc habitam, Regiâ ſanè & Chriſtianâ magnanimitate promiſit, obtentâ, vt ſperatur, pace, quam tot vndique bella diſterminant; Indos à labore prædicto penitus releuandos, & ex Hiſpaniâ, Germaniâ, ac Prouinciis aliis magnis quantumuis ſumptibus, neceſſariam argenti viui copiam exportandam. Sic Dom Solorzanus *Cap. 15. citato num. 91.* Sit ergo pax, ô pacis Auctor, in diebus noſtris, vt poſt noſtros dies pacis fructum pacifici maris accolæ, quem deſiderant, conſequantur. Neque ego de hoc plura, vbi non per campos eruditionis excurſo, ſed rem conſcientiæ ago, conſulens breuitati, certuſque poſt longiores diſcurſus nihil obtinendum amplius, quàm quod poſtremâ illâ eſt conſultatione firmatum.

In Mineris argenti viui id certius comperitur.

Palinodia P. Agia.

116 Vnum illud addam, quod minimè prætereundum duxi, cùm rei notitia ad me hoc ipſo, quo iſta ſcribo, tempore, Noſtrorum per litteras relatione delata fuerit, heri videlicet: Deprehenſum ſcilicet Indos, qui ex regione non parùm diſſitâ ad Huanca velicanum montem aduehuntur, cùm propè accedunt, monti ſacrificare ſolitos hoc ritu, vt intra domum aliquam conuenientes, ex mayzio, & aliis terræ fructibus, familiari ipſorum alimento, quilibet coram ſe paruum diſponat aceruum: hos autem omnes copulantes, ex iis grandiorem aceruum conſtituunt, & illum monti ſuis ceremoniis immolant, ab eo enixè poſtulantes, ne illis noxius & exitialis ſit, vt de more habet, nec tremuli & intoxicati fatalis & lethalis pulueris hauſtu, ſed incolumes ad lares proprios reuertantur. Adeò parùm in iſtis prouexit fides poſt diuturnam illius prædicationem, dum importuno huic labori affixi, vix poſſunt ſeriò, & cùm debitâ ad fidem affectione piâ, de illius neceſſario ad ſalutem dictamine cogitare.

Indi monti Huanca velicano ſacrificant, vt euadãt incolumes.

117 Dum Hebræi in Ægypto intolerandis laboribus affliguntur, periclitatur fides, & in Idololatriæ barathrum eorum plurimi deturbantur. Hinc Deus illis per Ezechielem 23. *verſ.* 8. ſic exprobrat: *Inſuper & fornicationes ſuas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit.* Hinc & vitulum in deſerto poſt tot Dei mirabilia à Deo in eorum patrata gratiam, mirè infideles adorant, quaſi Apin Ægyptium, vt boni teſtantur Interpretes.

Intolerandi labores fidei obices.

Ezech. 23. v. 8.

Ex Hebræis in Ægypto comprobatum.

Videndus

Digitized by Google

Exodi 2. v. 1.

Videndus P. Cornelius circa *Exodi* 1. v. 10. & Deo quidem de ipſorum agente libertate, Moſes hæret, qui ad eam perficiendam mittebatur. *Reſpondens Moyſes, ait; Non credent mihi, neque audient vocem meam; ſed dicent; non apparuit tibi Dominus. Exodi* 2. v. 1. Non credent conturbati animi oppreſſione duriſſimâ. Si enim conturbatus animus non eſt aptus ad exequendum munus ſuum, munus inquam circa communes & familiares etiam functiones: quomodo aptus ad res fidei ſit, vbi ſupernaturale negotium geritur, & cum iis agitur, qui ad huiuſmodi vix quieti & ceſſantes emergunt; inſtructionibus iteratis? *Apparuit* (Gedeoni) *Angelus Domini; & ait; Dominus tecum, virorum fortiſſime. Dixitque ei Gedeon: ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia? vbi ſunt mirabilia eius, quæ narrauerunt Patres noſtri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? Iudic.* 6. v. 12. & 13. Ecce vocem vacillantium circa fidem, dum plus æquo à dominantibus exercentur. *Et oppreſſi ſunt valdè ab eis.* v. 1. Ipſa videtur nutare Gedeonis fides, viri fortiſſimi: quid ergo faciant imbecilles?

Et ex Madianitica ſeruitute.

Iudic. 6. v. 12 & 13.

v. 1.

118 Ergo ſingularis Protector fidei Rex Catholicus illam in ſuis Indis radicandam accuret, duriſſimi laboris oppreſſione ſubmotâ: ſic victorias ſibi de infeſtiſſimis poterit hoſtibus præclaras & frequentes polliceri. Timeo enim ne Idololatria in regionibus iſtis non penitus extirpata, curſum victoriarum impediat. Victurus Gedeon, & memorabili profectò victoriâ, præ aliis omnibus, quæ in Scripturis ſacris celebrantur; ab Idololatriæ expunctione captare iubetur auſpicium, cùm ei dicitur: *Deſtrueſque aram Baal, quæ eſt patris tui: & nemus, quod circa aram eſt, ſuccide. Fecit ſicut præceperat Dominus.* v. 25. & 27. & Deus pariter, quod promiſerat, adimpleuit feliciſſimâ victoriâ, qualem in Euangelii Luce futuram Euangelicus Vates annuntiat, cùm ait: *Superaſti, ſicut in die Madian: quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum miſtum ſanguine erit in combuſtionem; & cibus ignis. Iſaiæ* 9. v. 4. & 5. Violenti, & tumultuum excitatores inhiantes prædæ, quæ ex Indiis optima tranſmittitur, feliciter ſuperandi, & totus ille ſanguineus apparatus ferro flammaque mactandus. Vbi & Iacobi Ianſonij expoſitio ſic habet: *Violentiam Tyrannorum, amor religionis, quaſi quidam ignis, abſumet.* Sic illi ſcribens in *Pſalmum* 47. v. 9. Si ergo Tyranni eò deueniunt per Dei gratiam, vt amor religionis eos quaſi quidam ignis abſumat: quod de Rege noſtro æquum fuerit expectemus, in quo tyrannicum nihil, ſed paterna omnia, vndè Auguſto feliciùs: ſpontaneis imperat;

Victorque volentes
Per populos dat iura, viamq; affectat Olympo.

Virgilius 4. *Georgicorum.* Abſumet eum profectò ignis religionis, vt zelo fidei exæſtuans, eam in remotis hiſce terris ſtabilire curet, idololatriæ reliquiis penitus profligatis. Sic autem hoſtes ſuos fortunatiſſimè ſuperabit, *ſicut in die Madian:* paucis ſcilicet militibus plures, & Chriſtianis populis pace deſideratiſſimâ reſtitutâ. Pro quo conſideratione digniſſimum occurrit id quod in Noua-Hiſpania feliciſſimè dicitur obtigiſſe, in nouis inquam conuerſis nullas Idololatriæ reliquias deprehenſas. Cuius rationem adducit P. *Theſauri Indici Tom. I.*

Felices victoriæ ex profligata Idololatria in Indijs Regi Catholico promittuntur.

Iud. 6. v. 25. & 27.

Iſaiæ 9. v. 4. & 5.

Iacobus Ianſonius.

Virgilius.

Felix præ alijs in Nouâ Hiſpaniâ conuerſio, quia Indi ad Mineras non compulſi.

Fr. Ioannes de Silua, *ſuprà fol.* 47. *pag.* 2. & *fol.* 91. *pag.* 1. quòd Indi ad Mineras non compellantur. Qui & *fol.* 46. *pag.* 1. ex argenti abundantiâ in regno illo per voluntarios Indos educta arguit, vt in Peruuio, & aliis Indicis regionibus, idem ſibi poſſint Reges noſtri polliceri. Pro quo item *fol.* 84. & 85.

P. Fr. Ioan. de Silua.

CAPVT XIII.

An Reges Catholici ſecurâ conſcientiâ indulgere poſſint aut permittere Indorum ſeruitium perſonale.

119 Seruitium perſonale ſpecialiter dictum, vt modò de illo diſſerimus, quoddam eſt ſeruiendi genus coactum, ad voluntatem eorum, qui eam ſibi licere exiſtimant facultatem, ſiue quia Commendatarii, ſiue aliis titulis: ratione quorum aliquem erga Indos exercent dominatum. Itaque aut cogunt ſeruire ſemper inuitos, libertatis titulo conſeruato; aut certis diebus, tenuiſſimi victûs ſtipendio, vt poſſint diebus aliis ſuo commodo laborare. Circa hoc

Quid ſeruitiũ perſonale ſit.

120 Dico, vti certiſſimum, ſine graui peccato, & reſtitutionis onere, id non poſſe conſtare. Videndus Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *lib.* 1. *cap.* 1. & *in Politica lib.* 2. *cap.* 2. Pro quo & militat P. Fr. Ioannes de Silua in Animaduerſionibus pro Indicâ gubernatione *fol.* 26. & toto ferè Memoriali 2. ac præſertim *fol.* 41. vbi ait in Concilio Prouinciali Mexicano *Anni* 1583. Patres omnes, nemine diſcrepante, diſtributionem Indorum ad ſeruitium præfatum iniquam iudicaſſe. Ratio eſt; quia hoc eſt genus quoddam ſeruitutis, à quo Indi ſunt prorſus eximij, vt vidimus *cap.* 11. Item, quia hoc legibus in ſpeciali prohibitum, de quibus Dom. Solorzanus citato *cap.* 1. *num.* 12. & *ſeqq.* Ex quo ſequitur neque Reges Catholicos tale genus ſeruitij indulgere alicui, aut permittere poſſe, niſi fortè in delicti pœnam, quod & ab ipſis vetitum reſpectu cuiuſuis particularis: nam ad miniſteria publica, & Regium famulitium, nihil obſtat obligari. Reges namque ſubditorum ſunt Angeli tutelares, & defendere tenentur eos, ne iniuriam ab aliis, nihil tale meriti, patiantur. Et quemadmodùm eos non poſſunt ſeruituti totali ſubiicere; ita neque partiali, quæ ſine ingenti eorum oppreſſione non ſolet ſtare communiter; cùm ingens aliàs oppreſſio, ſit violenta diminutio libertatis.

Non licere reſoluitur.

Fr. Ioan. de Silua.

Concilium Prouinciale Mexicanum.

Ratio aſſerti ex Indorum libertate.

121 Quia verò aliqui longi temporis vſu ſe poſſunt hac in parte tueri, omnis conſuetudo circa hoc per eaſdem eſt leges reprobata. Et vt non expreſsè reprobaretur, nihil propterea iuuare illa poſſet, niſi quòd ratione illius ad maiorem reſtitutionem, ob multiplicatas per ſpatia temporum iniurias, tenerentur. Quando enim tale quid inter Chriſtianos viſum, vt alii aliorum perſonali addicantur ſeruitio, nullo pœnali merito, inter Hiſpanos præcipuè, vbi inconcuſſa habentur iura pretioſiſſimæ libertatis? Non poteſt quiſpiam ſeruitutem in rebus conſtituere, niſi qui dominus earum eſt, vt conſtat ex *Inſtitut. de ſeruitutibus lib.* 2. *Titul.* 3. §. 4. etiamſi ſeruitute dominium abſolutum

Neque circa hoc ſuffragari conſuetudinem.

Inſtit. de ſeruitut.

Digitized by Google

Seruitus in rebus niſi à domino n. equit impo-ni, vnde pro perſonis arguitur. l. Sancimus.

ſolutum non amittatur. Quomodo ergo libero homini ſeruitus imponi valeat, qui nullum præter Deum dominum recognoſcit? Eſt autem de rebus ad perſonas vſitatum in jure argumentum, vt probat Euerardus *in Topicis legalibus loco* 38. & perſonæ rebus quibuſlibet pretioſiſſimis præponuntur *l. Sancimus Cod. de Sacros. Eccleſ.* & alibi. Sufficiat ergo Indis quòd ſemper cum metu viuant, hoc enim genus ſeruitutis eſt iuxta Horatii illud *Epiſt.* 16.

Seruitus eſt vita in metu. Horatius.

Qui metuens viuit, mihi liber non erit vmquam:
Non illis durius aliud ſeruitutis genus adiiciamus.

Circa Cõfeſſarios difficultas, vbi ſeruitium perſonale viget.

122 Sed quid Confeſſarii facient vbi perſonale ſeruitium perſeuerat, obnitentibus quibuſdam vrbibus aut etiam Prouinciis, eò quòd dicant non poſſe aliter ea, quæ ad victum neceſſaria ſunt, ex terræ fructibus, aut re pecuariâ comparari?

Non abſoluendos malæ fidei pœnitentes, & quid de dubiis.

Reſpondeo tales, ſi in malâ fide ſint, nequaquàm abſoluendos, vt eſt compertum, cuius erit indicium, ſi de ſeruitii talis coactione in Confeſſione ſe accuſent. Si verò vt dubii, Confeſſarius ſuo non deſit officio, id quod eſt obligationis aperiens. Quid enim? Dicat ſeruitium eſſe licitum? Mentietur. Pœnitentis id conſcientiæ relinquat? Non erit id certè conueniens, nec licebit: ideò enim dubitationem proponit ſuam, vt à Confeſſario, Claues non ſolùm poteſtatis habente, ſed ſcientiæ etiam, dirigatur.

Inſtantia ex illorum periculo,

123 Dices poſſe Confeſſarium rationabiliter ſuſpicari, ſi illicitum dicat eſſe ſeruitium, & reſtitutionis obligationem aperiat, Pœnitentem nihilominùs contra illius declarationem acturum, ex quo maius in ipſum damnum reſultabit, quod euitare Confeſſarius debet, temporale vnius incommodum ſpirituali alterius poſthabendo.

cuiuſſuis eliditur, cum vtili doctrina.

Verùm hoc non videtur ſtare poſſe in caſu, de quo loquimur: rogat enim Pœnitens an peccatum ſit in eo foro, in quo nequit Confeſſarius reſponſionem legitimam denegare. Si præſertim confiteatur ſe ſub eo dubio ſeruitium retinuiſſe: an ſcilicet grauiter peccarit, nec ne? Tunc enim graue peccatum eſt, vt communiter Doctores admittunt. Si enim Confeſſarius id Pœnitentis conſcientiæ remittat, conſcientia dubia relinquitur, vt erat anteà, & ita ſimiliter ſuſpicari poterit eum in peccatum relapſurum. Si enim id rationabiliter detectâ veritate ſuſpicatur, multò id erit certius dubio permanente. Et quidem Pœnitens tenetur veritatem inquirere: ergo & Confeſſarius directè reſpondere. Videantur Portel *Tomo* 2. *Caſu*. 45. *num*. 5. P. Thomas Sanchius *lib*. 2. *de Matrimonio*, *diſp*. 38. *num*. 8. P. Coninck *diſput*. 8. *de Sacramento Confeſſionis num*. 14. P. Layman *lib*. 3. *tract*. 6. *cap*. 13. *quæſt*. 4. *num*. 7. & P. Palaus *Tomo* 4. *tractat*. 23. *Puncto* 18. *numer*. 10.

Si bona ſit fides, Diſſimulare vt Confeſſarius poſſit.

124 Si autem Pœnitens in bonâ fide ſit, & ex manifeſtatione peccatum graue in retentione ſeruitii veroſimiliter timeatur, poterit diſſimulare Confeſſarius, juxta valde receptam doctrinam, pro quâ P. Palaus *ſuprà num* 7. plures adducit, quos & ipſe ſequitur, ſicut & Portel *n*. 1. *& ſeqq*. & circa quam ſic loquitur Eligius Baſſæus in Floribus Theologiæ Moralis *ver. Confeſſarius* 4. *num*. 18. Quòd ſcilicet cùm nulla ex monitione ſperatur vtilitas, & ignorantia inuincibilis eſt, ſiue facti ſiue iuris diuini, naturalis aut humani, non tenetur Confeſſarius docere, vel monere: immò tenetur in hoc caſu tacere propter inconuenientia, quæ inde ſequerentur. Et hoc verum, quamuis per ignorantiam peccatum illud ſit in detrimentum proximi. Ratio eſt, quia nulli laqueum debemus iniicere: ſed admonere in hoc euentu nihil aliud eſſet quàm laqueum & offendiculum apponere; nam conſtitutus in ſtatu bonæ Fidei, Confeſſarii monitione in malo & periculoſo verſabitur. Vnde cauere debet Confeſſarius ne plus reſpondeat quàm à Pœnitente interrogatur: ad ſummum contentus ſit ipſe Confeſſarius interrogare Pœnitentem, nihilnè ſit, quod animum eius grauet, aut conſcientiam ſcrupuloſam reddat: quo pacto intelliget an culpâ ignorantiâ laboret. Sic Baſſæus, pro quo & videndus P. Eſcobar de Mandoza *Tomo* 2. *Theolog. moral. lib*. 16. *num*. 630. Et quod de Confeſſario dictum eſt, de Prædicatore pariter aſſerendum. Si enim in aliquod veniat oppidum, in quo tale aliquid receptum vſu perſpiciat, & ex admonitione id timeat, quod diximus, debet ab admonitione temperare; cùm præſertim monitiones huiuſmodi grauia ſoleant incommoda ſuſcitare. Vnde cùm Auguſtæ contractus quidam vſurarius inualuiſſet, quem tamen defendebant ciues, conſultus Gregorius XIII. iniquum eſſe reſpondit, neque abſoluendos, qui ab eo non abſtinerent: ſed neque in ſuggeſtrâ, neque in cathedrâ eam rem tractandam, ne daretur turbis occaſio. Sic P. Sacchinus *Parte* 4. *Hiſtoriæ Societatis lib*. 3. *n*. 121.

Eligius Baſſæus.

Sicut & Prædicator.

CAPVT XIV.

An Indi licitè poſſint ad labores alios Reipublicæ vtiles inuiti conduci, vel id debeant ſub grauis culpæ reatu Reges Catholici prohibere.

§. I.

Recenſentur labores, & diuerſæ ſententiæ, ac Primò Aſſertio proponitur.

Diuerſi Indorum labores.

125 MVlti ſunt tales lege interdicti labores, aut Regiâ facultate conceſſi, vſuuè introducti, pro colendis ſcilicet agris, pro paſtoritiâ curâ, pro litterarum commercio; aut tabellariatu, pro pannificio, pro ædificiis ſacris & communibus, pro viarum hoſpitiis, pro exportandis rebus ductu & oneribus iumentorum, aliiſque: de quibus meritò dubitatum an licitè inuitis imponantur.

Quos licere inuitis negant plures.

126 In quâ quæſtione affirmat Dom. Solorzanus plures paſſim doctos pariter ac pios & Religioſos viros ſe agnouiſſe, qui Indorum cauſam agentes, & miſeram atque abiectam eorum conditionem dolentes, iniuriaſque ac oppreſſiones, quas ſæpè horum ſeruitiorum occaſione patiuntur, coactionem iſtam abſolutè & generaliter damnarunt, qui & Regias aures aſſiduis litteris & querelis ſuper ea tollenda implere non deſinunt.

Pro

Digitized by Google

Pro quorum ſententia grauia ſtatim, & ſatis vrgentia fundamenta proponit. Et nihilominùs contrariam amplectitur, vt videri poteſt *Tomo 2. lib. 1. cap. 4. & 5. &* in Politicâ *lib. 2. cap. 5. 6. & 7.* Nouem tamen cautiones omnino ſeruandas apponit, ſeu mauis dicere conditiones ad coactionis huiuſmodi juſtificationem; ſcilicet juſtè diſpertiendos inter omnes labores, vt non quidam nimis onerentur, aliis otiantibus: vt ſeruitia ſint conſueta & moderata: vt propriis commodis priùs conſulere ſinantur; vt robuſti tantùm, & poſt annos plenæ pubertatis, ſenibus, fœminiſque prorſus excluſis: ne longiùs à ſuis oppidis abducantur: vt ſalarium competens in manu propriâ ſoluatur: vt moderato pretio ea, quæ ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria ſunt, in locis, vbi laborauerint, poſſint inuenire: vt in publicam vtilitatem deſignatos in priuatam nullus traducere permittatur, aliis vſibus applicando, & quandoque vendendo: vt circa fidem, & Chriſtianam profeſſionem nullum accipiant detrimentum. Quibus luculenter exornatis, ſic ſubiicit, *n. 97. cap. 5. citati. Quoniam omnes ſuperiores leges & cautiones ad vngüem ſeruare in tantâ hominum rerum, prouinciarumq́ue diuerſitate ac peruerſitate, Magiſtratuumq́ue diſtantiâ, difficilè eſt; illis autem non ſeruatis, Indorum ad prædicta ſeruitia coactio non iniuſtitiam tantùm, verùm tyrannidem quoque aut rapinam redolere videtur; meritò video plures doctos, pios, & graues viros, in eâ conſulendâ aut approbandâ, hærere pariter & horrere; ipſumq́ue ſupremum Indiarum* Conſilium *(quod non minori prudentiâ quàm pietate refulget) ita variè, & ſemper quidem parcè & ſtrictè ſuper hoc articulo reſcripſiſſe.* Hæc ille. Pro quo & in Politicâ *pag. 105. Col. 2.*

Affirmat Dom. Solorzanus nouam additis conditionibus, quæ recenſentur.

Sed illius placitum ſibi non conſtans demonſtratur.

127 Quibus ſanè doctiſſimus vir id, quod ædificauerat, videtur penitus demoliri. Ait enim amplectendam affirmantium ſententiam ſub conditionibus antè viſis. Atqui eôdem atteſtante, conditiones tales ſunt ſeruatu difficiles, & iis non ſeruatis in tyrannidem incurritur: ergo ſententia talis nequit ſuſtineri. Conſequentia eſt legitima: quia id, ex quo in tyrannidē facilè prolabi poteſt, nequit tutâ conſcientiâ permitti, vt eſt cuiuis ſanè ſapienti manifeſtum. Præterquàm quòd paria ſunt aliquid eſſe impoſſibile, & multùm difficile. *l. Apud Iulianum 5. Conſtat. C. de legat. 1.* Pro quo & alia apud eumdem *Cap. 4. cit. num.* 109. Si ergo difficilè eſt, & valdè quidem difficilè, vt experimentis eſt innumeris comprobatum, conditiones ſeruari prædictas, impoſſibiles debent profectò reputari. Ex quo ſequitur prædictam ſententiam locum habere non poſſe, cùm impoſſibilia requirat; & præterea impoſſibile eſſe non incurri tyrannidem; cùm ſit impoſſibile poni illud, per quod certum periculum tyrannidis tolleretur. Quibus præiactis

L. Apud Iulianum.

Aſſertio 1. licitam eſſe compulſionem, ſi moderatio adhibeatur.

128 Dico Primò. Licitè poſſunt Indi ad labores aliquos Reipublicæ inprimis neceſſarios Chriſtianâ moderatione compelli, juxta dicta *ſuperiùs.* Sic P. Acoſta *lib. 3. de procurandâ Indorum ſalute cap. 17.* & plures alii non minùs pii, docti, & prudentes Theologiæ ac Iuriſprudentiæ Profeſſores, vt teſtatur Dom. Solorzanus *Cap. 4. cit. num.* 48. & in Politicâ. *pag. 87. Col. 2.* Quod & ipſe adeò robuſtè & eleganter probat, vt de veriſimilitudine, ac morali ferè euidentiâ vix dubio

locus relinquatur. Et verò Fr. Ioannes de Silua, qui in Animaduerſionibus pluries allegatis contra perſonale ſeruitium acerrimè præliatur; illud in Peruuio admittendum aſſerit, ſi fiat vt in Chilenſi regno, cum piâ ſcilicet tractatione, etiamſi aliqualis compulſio interueniat. Sic *fol. 67. &* 68. & generaliùs *fol. 86. &* 87. Quod & leges Catholicorum Regum noſtrorum mihi validè perſuadent, cùm à piiſſimis, & poſt conſultationem iteratam ac ſedulam, ſint profectæ pectoribus: de quorum præſertim erga Indos beneuolentiâ multiplicia extant argumenta. Et præterea eſt ratio penitus irrefragabilis: nam vaſalli liberi poſſunt ad opera Reipublicæ neceſſaria compelli, quæ per alios præſtari commodè nequeunt, cum eâ moderatione, quam lex naturalis & Chriſtiana præſcribit: ergo & Indi, etiamſi liberi. Antecedens eſt certum: nam vaſalli ſunt membra Reipublicæ: ergo vt talia ſeruire in neceſſariis debent. Cùm ergo debeant, ad Principem ſpectat eos iuxta neceſſitatis diuerſa genera cum debitâ moderatione compellere. Et quidem poteſt Princeps ſubditorum vitam in bello exponere, vt cum communi ſententiâ obſeruat P. Leſſius *Lib. 2. cap. 4. num.* 58. pro quo & videndus Diana *Parte 6. tractat. 4. Reſolut. 25.* & Caramuel *in Theologia morali num.* 60. vbi ſic definit dominium iuriſdictionis: *Eſt ius publicum conſeruandi communitatem, quæ dicitur ſubeſſe tali dominio, ſimulque deſtruendi quemcumque inuaſorem; & hoc in commodum Reipublicæ. Taleq́; Regi concedimus in ſingula membra Reipublicæ, tale in omnia ſubditorum bona, tale in omnium actiones; publico proſpicere bono, legibusq́ue directiuis, coactiuis, & pœnis etiam capitalibus, omnia damna ſibi commiſſo populo imminentia tenetur auertere.* Hæc ille. Sicut ergo cùm bellum imminet, compelluntur Hiſpani, & non Indi, quia illi præ iſtis idonei: ita ad alia, quæ meliùs ab Indis præſtari poſſunt, & communi bono congruunt, illi præ aliis poſſunt, debentq́ue compelli.

Fr. Ioan. de Silua.

Probatio legibus, & ratione.

Ex dominio iuriſdictionis, quod definitur. Caramuel.

§. II.

Aſſertiones aliæ pro Indorum operis, magis in ſpeciali.

Aſſertio 2. pro agricultura.

129 Dico ſecundò. Pro agriculturâ conuenienter poſſunt compelli Indi, congruâ laboris mercede, & opportunitate temporis aſſignatâ. Sic citati: & conſtat, quia occupatio hæc omnium eſt maximè neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem, circa quam à noſtris eſt Regibus opportunè prouiſum. Videndus Dom. Solorzanus *Tomo 2. lib. 1. Cap. 7.* & in Politicâ *lib. 2. cap. 9.*

Circa tenue ſalarium difficultas.

Illud difficile, quod ad ſalarium ſpectat; videtur enim tenue, cùm duplo maius voluntariis ſoluatur agricolis, ex quo apparet illud neque infimi attingere quantitatem. Accedit alimenta etiam eſſe tenuia; ſolùm enim mayzium toſtum, aut aquâ ferè merâ decoctum, quotidie tribuitur: vnde iſti coguntur toto ſui laboris tempore pane & aquâ jeiunare. Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur. Et mirum quidem eſt, quòd cùm rerum omnium pretia ſupra modum excreuerint, & omnium artificum ſtipendia ſint majora, in ſolis Indis ad laborem ex laribus propriis & patriis extractis, labor æqua-

Digitized by Google

lem æſtimationem jam pridem taxatam retineat, quam voluntarij, prout illis fuit viſum, adauxerunt. Videntur ergo juſtitiæ leges exigere, vt circa hoc Regia prouidentia diſponat quod facto opus eſt, ne Deus in terras modis iniquis exactas noua maledicta congerat, & pro pretioſis fructibus ſpinas faciat & tribulos germinare. Hinc admonet Spiritus Sanctus *Eccli. 7. v.3.* verbis illis: *Fili, non ſemines mala in ſulcis iniuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum* Et *Oſee 4. v. 13. Araſtis impietatem; iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis frugem mendacij.* Quæ licet ad myſticum ſenſum communiter referant Interpretes, eum etiam habere poſſunt, quem intendimus. Comedere autem frugem mendacij quid ſit, benè P. Cornelius expoſuit dicens fruges & fructus dici mentiri, cùm tantum non reddunt, quantum in germine promittebant: puta, cùm ſeges ſiccitate vel aurugine in agro deperit, aut in horreis à vermibus, aut vento, aëreue corrupto atteritur, conſumitur, & euaneſcit. Et huiuſmodi diuinæ maledictionis effecta paſſim videmus.

Proptereà infauſtæ ſationes.

Eccli 7. v. 3.

Oſee 4. v. 13.

Et fruges mendacij.

130 Dico tertiò. Similiter eſt de paſtoritia cura dicendum. Circa quam Dom. Solorzanus *Lib. 1. citato Cap. 9. num. 23. & ſeqq.* & in Politica *pag. 122. Col. 1.* piè & ſapienter obſeruat ſalarium Indis paſtoribus aſſignatum, eorum eſſe labori valde improportionatum, & minus multò quàm agricolis dari ſolitum, iuxta taxam ſtabilitam: quia ſic arbitratus prudentiſſimus aliàs legiſlator; videtur ſanè deceptus, exiſtimans paſtores, dum greges in paſcuis quietè pabulantur, aliquid poſſe, quod quæſtum aliquem præſtet, operari. Quod cùm ad Reges noſtros eſſet delatum, pietate ſolitâ de maiori ſtipendio prouiderunt. Video autem gregum dominos ingenuè fateri; non poſſe ex pacto genus hoc commercij ſuſtineri, quia ſuorum eſt perexiguum. Quæ fortè querela ad Regias aures perueniet; nec tamen propterea ab incepto deſiſtendum: licet enim huius generis minus aliquid ſit; id tamen erit, quod ſuſtentationi ſufficiet, frugali inquam: & quod ex hoc fortè defecerit, poteſt alimentorum aliorum copiâ ſuppleri. Poterit etiam Regia Maieſtas, vt priſtina abundantia non deſit, gregum dominis aliquid de vectigali exactione remittere; quod eius erit piâ & magnificâ prouidentiâ digniſſimum; vel aliter poſt ſapientium conſilium prouidere.

Aſſertio 3. de paſtoritia cura præcedenti ſim ilis.

131 Dico quartò. Pro itinerantium commodo licitè Indi compelli poſſunt in hoſpitiis deſeruire. Videndus Dom. Solorzanus *ſuprà Cap. 11.* & in Politica *Libr. 2. Cap. 13. ad finem.* Neque circa illud videtur eſſe ſpecialis difficultas, niſi quòd beſtiarum cuſtodibus nimis eſt tenue ſalarium aſſignatum. Miſero enim Indo, qui per noctem, frigoribus & ſæpè imbribus aut niuibus horridam, ſub Ioue profectò frigido, & apertis camporum ſpatiis, oneraria, & ſeſſoria iumenta cuſtodiuit, regalis vnus tribuitur, cùm ſit labor ille multò ampliùs æſtimandus. Debent ergo Reges Catholici circa hoc etiam curam & pietatem ſuam extendere; cùm ſit etiam conſideratione digniſſimum hoſpitia quamplura eſſe Indorum ſubſidio deſtituta, ob eorum penuriam; vnde labor iſte mercium ſimilitudine ponderandus, quæ fiunt ob raritatem pretioſiores. Quamquàm & raritatis huius alia reddatur cauſſa; quia videlicet ab itinerantibus Indi præfati inhumanè tractantur, incommodorum tædio; & diuino ac humano timore poſthabito, iis in locis, vbi non habent miſeri puſillitatis ingenitæ defenſorem. *Cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum: Geneſ. 4. verſ. 8.*

Aſſertio 4. de labore in hoſpitiis viarum. Vti de tenuitate ſalarij pro cuſtodibus beſtiarum

Viantium inhumanitas condemnata.

132 Præfata etiam hoſpitio deſeruientium raritas effecit, vt id, quod iam pridem erat in vſu apud nos, in deſuetudinem ferè abierit, quòd ſcilicet Indi onera quædam ex hoſpitio vno ad aliud portent. Quod quidem licitè fieri poſſe cẽſent aliqui, quos adducit & ſequitur Dom. Zolorzanus *Cap. 11. n. 11. & ſeqq.* & in Politica *ſuprà §. 4. & ſeqq.* Quia tamen viſum eſt noſtris Regibus inhumanum, pluribus id reſcriptis abrogarunt, apud citatum videndis Auctorem. Quibus non obſtantibus prædicta ſententia procedit, quia illius propugnatores exiſtimant in aliquibus regionibus vix, aut ne vix quidem poſſe onerationem iſtam excuſari. Neque credibile eſſe Reges noſtros hanc itinerantium moleſtiam peruidiſſe, aut peruiſam non curaſſe. Congruâ deinde mercede labori ſolutâ, & onerum moderatione prouiſâ, non videtur locus ſcrupulo ſupereſſe, cùm Indis de more ſit oneratis iter agere, & illud ſanè longinquum.

Vt ſarcinas exportent an cogi poſſint.

§. III.

Duæ aliæ Aſſertiones cum reſolutione vtilis quæſtionis.

133 Dico quintò, Pannificij officinæ non ſine grauibus Indorum incommodis conceduntur: vnde non immeritò à Regibus noſtris ſæpiùs prohibitæ: licet aliàs etiam conceſſæ cum moderationibus numquàm obſeruatis, neque vſpiam obſeruandis. Quando enim Indi inuoluntarij ſunt, officinæ dictæ in diros carceres conuertuntur, & pro diurnis penſis ſeruorum more tractantur. Negari profectò nequit pannificia huiuſmodi valde vtilia Indicis eſſe Prouinciis; ſed vtilitas hæc aliis poteſt modis obtineri, ſi videlicet officinæ tales concedantur iis, qui eas intra vrbes habere voluerint, voluntariis operariis conquiſitis. Quo pacto multis pauperibus fœminis ſubueniri poſſet, quæ in lanificio poſſent vtiliter occupari. Ad quod etiam ſeruire poſſent Æthiopes, ex quorum ſocietate cum Indis non poſſunt ea damna timeri, quæ Reges noſtri cauenda penitus cenſuerunt; & tunc contingent, cùm extra vrbes talis concurſus habetur; & coguntur præfati intra eoſdem parietes diutiùs commorari. Et arbitrium hoc circa officinarum talium permiſſionem aliqui rerum Indicarum experientiſſimi vti commodiſſimum comprobarunt, ſuper quo & ſcripta longiuſcula prodierunt. Neque obiiciat quiſpiam viſitatione frequenti inconuenientia dicta officinarum huiuſmodi poſſe vitari; hoc enim facilè dicitur ſed non facilè adimpletur, ſicut alia, quæ pro ſubleuandis Indis à Regibus noſtris ſanctiſſimè nouimus conſtituta. Circa quæ Dom. Solorzanus cùm multa dicat & piè, & eruditè *ſuprà Cap. 10.*

Aſſertio 5. circa pannorum officinas, quarum incommoda referuntur.

Vtilitas quomodo poſſit aliter obtineri.

Viſitatione non vitantur incommoda. Regus ſchedulis non firmatis.

Digitized by Google

Cap. 10. & in Politica *Cap.* 12. cum Regiarum ſchedularum inobſeruantiâ concludit. Dum ergo permiſſio præualet, ad conſcientiæ tribunal cauſſa eſt iſta penitus reuocanda. Non probat ille pueros decennio maiores ad labores textrinæ diſtribui. Sed cùm id ordinationes regni permittunt, circa hoc velle ſcrupulum iniicere, eſt voces, vt dicitur, fundere in deſerto.

Quid de pueris.

Aſſertio 6. de diſtributione Indorum ad domeſtica priuatorum miniſteria. Et quid non liceat.

134 Dico ſexto, Diſtributio Indorum, vt priuatis ſeruiant, in domeſticis miniſteriis debet penitus prohiberi. Sic factum à Regibus noſtris, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *Lib.* 1. *Cap.* 2. & in Politica *Lib.* 2. *Cap.* 3. & quia ſtrictæ circa hoc prohibitiones nondum fuerant exactæ executioni mandatæ, hoc ipſo tempore, quo hæc ſcribo, executio à Rege noſtro efficaciter intimata, pro quâ Excellentiſſimi Comitis Albæ de Aliſte Peruuiani Proregis cura peruigilat, &, vt credo, negotium hoc feliciter abſoluetur.

Difficultas circa redemptionem laboris pretio ab Indis reddito.

135 Occurrebat autem circa hoc, ſtante diſtributione præfatâ, quæ & forſan alicubi perſeuerat; quotidiana quæſtio, an ſcilicet Indi poſſint miniſterium dictum pretio redimere, quæ & pro huiuſmodi aliis poteſt deſeruire. Et poſſe quidem Indos ipſos dubitari nequit: quiuis enim ſuam poteſt redimere vexationem: quod videtur etiam veroſimile ex parte eorum, ad quos ſeruitij vtilitas pertinebit. Illud tamen difficile, an ſupra pretium ab ipſo, cui miniſterium exhibetur, pro eôdem aſſignatum, recipi aliquid poſſit. Et viſus affirmantem partem approbauit, quia ſi miniſterium tale à voluntario ſit famulo, loco obligati, exhibendum, pluris profectò conſtabit, & ita qui ſeruitium ſuum pretio redimit, hos debet maiores ſumptus compenſare. E. g. Indus lignationi pro coquinæ commodo deſtinatur, vt quotidie faſcem lignorum adducat, qui in vrbe ſex aut octo regalibus venditur. Qui ergo vult laborem redimere, totidem exhibet, vnde dierum continuatione nimis quantùm redemptionis pretium excreſcit; cùm tamen ipſe pro labore duos tantùm regales accipiat.

Iniuſtitia in eo deteсta ex parte eorum, cui labor exhibetur.

136 In quo tamen manifeſta iniuſtitia deprehenditur; Nam ſi labor ſeruientis huius tantum valet quantum ſoluit: ergo pretium eidem aſſignatum, cùm perſonaliter ſeruit, duorum ſcilicet, & vnius aliquando regalis, iniuſtum eſt, cùm infra dimidium ſit: neque quiſquam poteſt pretij diminutionem ſtabilire, quod commune eſt, in pauperum ac miſerorum præiudicium, vt eſt doctrina communis.

Vrgetur ex doctrina certa circa rerum pretium quod non ex commodo alicuius æſtimatur.

137 Præterea. Demus Indum iſtum, ſi non ſeruiat, in conſcientiâ teneri compenſationem laboris offerre. Tunc certè non aliam quàm duorum regalium, quibus eius labor æſtimatur; licet aliàs labor dictus maioris eſſet pretij apud herum; quia illud debet quaſi per accidens reputari. Quemadmodum ſi Indus ſit ad auri vel argenti effoſſionem obligatus, & die aliquo laborare deſinat, non debet Mineræ domino tantùm auri aut argenti reddere, quantùm, ſi laboraſſet, eruiſſet, ſed quantùm labor eius æſtimatur: ſi ponamus inquam ad id in conſcientiâ obligari. Et idem eſt de laborantibus in expiſcatione margaritarum. Pretium enim rerum non pendet ex alicuius commodo, ſed ex communi æſtimatione, vt benè P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 21. *num.* 67. & 76. ex quo Caramuel ſic ſcribit in Theologia morali num. 477. *Pictor vili pretio pigmenta emit, quæ ſcit ſua arte ita attemperanda, vt oculis gratiſſimis magno pretio vendantur. Et hoc tuta conſcientia in omnium opinione.* Sic ille. Videndus etiam Cardinalis Lugo *Diſput.* 26. *de Iuſtitia num.* 44. & P. Bauny *de Contractibus Lib.* 1. *Quæſt.* 8. Sicut ergo in conſcientiâ talis non teneretur ſoluere, niſi quantùm labori eius eſt pretium aſſignatum; ita neque cùm redimit, plus debetur, ac proinde nequit cogi totum commodum exæquare. Et quidem cùm exiguum eſt laboris pretium à legiſlatoribus deſignatum, non eſt credibile exiſtimaſſe illos, voluntariè laborantes adeò ſuperius pretium laboris accipere: talis enim inæqualitas iuſtitiæ contraria eſt, & eo ipſo quòd quis inuitus ſeruiat, maius debet pretium laboris habere, quia labor voluntarius, ſicut & merces, vileſcit. Voluerunt ergo ciuium neceſſitati ſuccurrere, vt eſſent opportuni ac neceſſarij ſeruientes iis, quibus deeſſe voluntarij poterant, cùm Indi ad ſeruiendum proni non ſint, vacationem à curis & laboribus magnis tunc opibus præferentes: modò enim quamplures ſunt, quos lenocinium mercedis, ſicut & negotiationis inuitat, vt lautiùs comedant, & elegantiùs veſtiantur. Quod autem de domeſticis ſeruientibus diximus quoad pretij taxationem, de iis pariter, qui in Mineris laborant, dictum accipiatur.

Caramuel.

Legiſlatorum circa hoc mens.

§. IV.

Aſſertio Septima circa Cocam, & notanda quædam circa illam.

Coca quid ſit.

138 Coca notiſſimum eſt folium in regionibus iſtis arbuſculæ feruidioris ſoli, quæ miras dicitur habere virtutes, de quibus præſertim P. Euſebius Nieremberg *Lib.* 12. *naturalis hiſtoriæ Cap.* 25. & alij, quos adducit Dom. Solorzanus *ſuprà Lib.* 1. *Cap.* 8. & in Politicâ *ſuprà Cap.* 10. Ex eo præſertim in æſtimatione apud Indos, quia commanſo & ſucco hauſto, vires augere dicitur, & ad tolerandam inediam & ſitim, valde efficacem experiuntur. Vnde qui in Mineris laborant, eâ præſertim vtuntur, & ita quæſtum magnum Coiceſorum dominis præſtat & in eo verſatis commercio, ad Minerarum loca, & Potoſinas præſertim exportata. P. Sacchinus *Lib.* 2. *hiſtoriæ Societatis num.* 147. ſic de illa: *Coca maximam Peruiæ mercaturam continet. Ea eſt herba puſilla, ſaligno folio ſimilis, tam perditè indigenis in amoribus, vt non niſi in ore ferant, ac ſeſe ſi opus ſit, venditis parent.* Sic ille. Circa quam

P. Sacchinus.

Aſſertio 7. Indos non poſſe ad illius culturam diſtribui.

139 Dico ſeptimò. Non licet Indos ad huius plantæ culturam diſtribui. Sic Dom. Solorzanus *ſuprà* & Regum noſtrorum prouida diſpoſitio id ſeuerè prohibentium. Ratio eſt, Quia bonum publicum talem coactum laborem non requirit, ſine huius enim folij copiâ labor quicumque Indorum conſiſtere poteſt, ex iis, qui cum moderatione poſſunt iniungi Chriſtianâ: vires enim alimenta conſiliant, quorum abundantia ſuppetit: vnde videmus Indos conti-

Digitized by Google

nuè laborantes, etiam vbi folij iſtius copia eſt nulla, communibus alimentis vegetatos.

Multa culturæ incommoda.

140 Prætereà. In culturâ dictâ multa admiſcentur incommoda. In primis enim ſolum, quod plantæ iſtæ requirunt, & aër congenius, ob feruorem nimium, Indorum eſt valde exitiale ſaluti. Deinde, multas à dominis prædiorum huiuſmodi patiuntur iniurias, dum acerbè vexantur, & in conualle illud lacrymarum deducti, ægerimè permittuntur exire. Item, quæ ad fidem & Chriſtianos mores ſpectant, peſſimè diſpenſantur: vix enim eſt Sacerdos, qui apud eos velit diutiùs commorari. Quod quidem in præcipuâ culturæ huiuſce prouinciâ ita accidere fideli relatione perdidici: de quo & P. Sacchinus *Lib. 2. citato num.* 301. ita ſcribit: *Sunt ea iuga propter aſperitatem in hoſpitalia, & conualles proximæ propter aëris inclementiam, & incubantis caloris vim, valetudini pernitioſæ. Tamen quia nihil imperuium, nihil formidoloſum auro eſt, cùm Coca ibi proueniat, cuius quæſtioſiſſimum commercium in Peruuiâ eſt, valde ab externis & indigenis celebrantur. Ceterùm quia non tam multos diuina quàm humana inuitant lucra, inopiâ Sacerdotum numquàm ferè Diuinis de rebus ibi ſermo auditur. &c.*

P. Sacchinus.

Ad diaboli cultum adhibetur.

141 Tandem, folia dicta ad ſuperſtitiones & Idolorum ſacrificia ab Indis frequenter aſſumuntur; & diabolo per eam culto ſic proculdubio agente, abuſus illa ſumendi ad Hiſpanos, fœminas præſertim, eſt infeliciter peruagatus, malorum complurium origo deteſtabilis comperitur, vt opus fuerit Inquiſitorum cenſuram nonnullos in hac parte reos iudicialiter experiri.

Ob decimarum accretionem minimè promouenda.

142 Neque obiiciant Eccleſiaſtici ex culturâ huiuſmodi decimas non parùm augeri, & ita promouendam illam Indorum diſtributione. Huic enim obiectioni Canonicum Ius ex directo ſe opponit, dum in *Regula* 48. ſic habet in 6. *Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuriâ, vel iacturâ.* Accedit in Conſilio Limenſi 2. *Anni* 1567. *Parte* 1. *Can.* 124. Patres contra vſum talem inſurgere, & Gubernatores hortari vt Indos ab iſto labore ſubmoueant, vel ſaltem ad illum nulla ratione compellant. Reddunt autem rationem his verbis: *Quia Coca res eſt ſine vtilitate, & valde apta ad abuſum & ſuperſtitiones Indorum: ex cuius comeſtione paruum habent fructum, & multos ex culturâ labores, illiuſque occaſione multos periiſſe, & etiam nunc perire.* Sic illi. Quod ergo ſic viſum eſt Peruuianæ Eccleſiæ Primoribus, non debent alij, in eorum ſuffecti locum, minùs conueniens æſtimare. Et ſi illi quidquid futurum commodi in huiuſmodi commercio poſthabendum cenſuerunt, idem etiam ſucceſſores bono ſpiritu ductos conuenit poſthabere.

Regula, Locupletari.

Concilium 2. Limenſe.

Coca an licitè vendi poſſit.

143 Sed quæſtio hic ex dictis oboritur. Cùm enim dictum ſit Cocâ quamplures abuti, & ad ſuperſtitiones, aliaque grauia facinora eamdem aſſumi, non videtur licite vendi poſſe, ne ſic vendens alterius peccato communicet, ſitque illius cauſſa, & conſimili reatu teneatur. Quæ difficultas per ea videtur expedienda principia, quæ circa rerum indifferentium venditionem apud Doctores occurrunt, vt aduertit Ferdinandus Zurita in *Enchiridio Quæſtionum Indicarum Quæſt.* 30. *Propoſit.* 3. Et communis reſolutio eſt affirmatiua; quando tamen, licet indifferentes ſint, non creduntur hic & nunc ad prauum vſum comparari: aut talis ſunt generis, quòd regulariter loquendo ad prauum vſum applicentur: tunc enim, niſi grauis ſubſit cauſſa, vendi nequeunt. Circa quod tanta eſt in Auctoribus varietas, tot exceptiones, aut ampliationes, vt vix quidquam iuxta illos firmum ſtatui poſſit, quod ſcilicet aduerſantes ſe non habere poſſit gloriari. Pro quo præſertim videri poſſunt Societatis Auctores, de Charitate vti & de ſcandalo differentes, & etiam de Contractibus, qui ſunt ſanè permulti, & prætereà alij, de quorum placitis agit Diana Parte 1. Tract. 8. *Reſolut.* 41. *Parte* 3. *Tract.* 5. *Reſolut.* 36. & *Tract.* 6. *Reſolut.* 44. *Parte* 4. *Tract.* 3. *Reſolut.* 60. *Parte* 5. *Tract.* 7. *Reſolut.* 36. & *ſeqq.* & *in Additionibus ad Tractatum citatum.*

Iuxta doctrinam de venditione indifferentium concludendũ, quæ fixa non eſt.

144 Poteſt ergo Coca vendi, cùm res indifferens ſit, & ita vſu receptum, in publicis enim tabernis exponitur. Quod ex multorum doctrinâ deducit Dom. Solorzanus *ſuprà n.* 17. & *ſeqq.* & in Politicâ *pag.* 117. & Ferdinandum Zuritam ſpecialiter adducit *num.* 20. vt omnimodum Aſſertorem: cùm tamen ille ſolùm dicat ſæpiſſimè licitam eſſe venditionem, non tamen ſemper. Iuuant autem pro eôdem, quæ habet *Quæſt.* 39. circa tributum in deorum cultum veroſimiliter expendendum. Et de venditione, cùm Indi emunt, nullus eſſe ſcrupulus debet, quia illi ipsâ ad bonum naturæ frequenter vtuntur. Quod & reſpectu aliorum dicendum; etiamſi ſuſpicio ſit ad vſum non bonum aſſumi: quando illa, vt diximus, publicè expoſita eſt: ſi enim negetur, frequentium erit diſſidiorum occaſio, & ita rationabilis eſt cauſſa non negandi, quam ſufficere ad hoc multi, ex citatis, Scriptores tradunt. Si autem non ſit publicè expoſita, & negari ſine mendacio, ac iurgiorum cauſsâ poſſit: ſi videlicet qui vult emere, neſciat à tabernario haberi illam in ſecretiori tabernæ parte; videtur dicendum juxta communiter receptam doctrinam, non poſſe vendi prauè vſuro, aut de quo eſt veriſimilis conjectura. Iam enim hic alieno peccato ſine momenti aliqualis neceſſitate communicat.

Poteſt vendi omnibus, quando eſt expoſita venditioni.

Si non ſit expoſita, non ſemper licet.

145 Vbi duplex eſſe euaſio poteſt. Prima, volentem emere jam eſſe ad peccatum à ſe ipſo determinatum, & ita non eſſe locum cooperationi: quia juxta communem & receptiſſimam ſententiam, actus externus non addit nouam malitiam interno. Secunda, eum, qui ab hoc non emerit, empturum ab alio, & ita negatione non euitari peccatum. Propter quam rationem aliqui ſic opinantur, ſed non benè.

Euaſio duplex.

146 Et quoad Primam, quæ eſt Emmanuelis Roderici *Tomo* 1. *Summæ Cap.* 23. *num.* 8. Lodeſmæ *in Summa Tomo* 2. *Tract.* 27. *Cap.* 2. *Dub.* 4. Pro quâ & Diana *Parte* 11. *Tract.* 5. *Reſolut.* 50. adducit P. Ferrantinum id admittentem in vendente cœnam volenti frangere jejunium, aut etiam Idolum ſacrificaturo, vel amaſiæ imaginem picturo: ſtat omnium conſenſus, teſte Lorcâ 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 9. *num.* 5. dicentium nefas eſſe vendere ea, quæ per ſe ad infidelitatem conferunt, neque alium vſum habent, vt veſtes Sacerdotales, Idola, eorum templa, Synagogas, & ſimilia, quia hoc eſt prauis actionibus

Prima improbatur, ex eo quòd emtor ſit determinatus ad peccandum.

Digitized by Google

bus cooperari. Atqui juxta doctrinam dictam hæc eſſent licita, quia ea ementes jam ſunt ad prauos actus à ſeipſis determinati, quia nullam malitiam inter nis addunt. Deinde, hic & nunc iſte peccat: ergo & præbens peccati materiam hic & nunc etiam peccat. Item, ſequeretur poſſe aliquem juuare alium ad occiſionem alterius, quod dici vllo pacto nequit. Patet Sequela. Nam poteſt iſte ſibi veroſimiliter perſuadere, ſi ipſe non juuet, alios, qui juuent, futuros ad quod à ſeipſis jam determinati ſint. Licèt ergo actus externus aliam malitiam non addat interno; in eius tamen doctrinæ applicatione error apertus committitur: quando enim quis poſt voluntatem, quam habet, occidendo aliquem, & ſic de aliis, hic & nunc in actum homicidij prorumpit, alius eſt internus actus, quo hic & nunc ſe ad occiſionem applicat, & ad illum adiuuat, qui ad externum cooperatur: non enim vellet hic & nunc occidere, niſi haberet adiutorem. Malè ergo doctrina illa de malitiâ non diſtinctâ actûs externi applicatur. Videatur caſus ſimilis apud P. Arriagam *Tomo* 5. *Diſput.* 49. *num.* 66. qui & nobiſcum ſentit. *num. ſequenti.*

Malè applicari doctrinam de non diſtinctâ malitia actus externi.

147. Quoad Secundam autem inſurgit P. Suarez *Diſput.* 10. *de Charitate Sect.* 3. *num.* 2. P. Palaus *Tomo* 1. *Tract.* 6. *Diſput.* 6. *Puncto* 10. *num.* 40. & alij, contra nonnullos, ex quibus eſt P. Thomas Sancius *Lib.* 1. *Operis moralis Cap.* 7. *num.* 16. & alios, quos adducit Pharaonius *Tract.* 1. *Seſſione* 11. *Caſu* 18. & Diana *citato Tract.* 7. *Reſolut.* 38. vbi cum illis ait tantùm eſſe culpam venialem, alio peccante mortaliter: quod equidem parùm Theologicè dictum videtur: Nam aut mortale propter cooperationem ad mortale eſſe debet, aut nullum, eò quòd reuerà cooperatio non ſit, quandoquidem etiam, tali actione non ſtante, non desineret peccatum perpetrari. Quâ conſideratione poſſet ſic materiam miniſtrans ſe tueri. Eſſe autem mortale probatur communiter, quia quòd futurus ſit alius venditor, eſt per accidens, & qui nunc vult emere, me negante, poteſt mutare voluntatem. Ad quæ dici poteſt, attentis circumſtantiis poſſe certum eſſe moraliter venditorem de vtroque, & ita hic & nunc non eſſe per accidens id, quod dicitur, ſed voluntatem ementis eſſe talem, vt ſit cum aliorum cooperatione infallibilitate morali connexa. Quod ſi contingat deſiſtere, id potiùs per accidens dici poterit accidiſſe.

Secunda de non defectuo qui vendat, exploditur.

Tantùm veniale in eo eſſe malè aliqui cenſent.

Communis ratio videtur infirma.

148 Probo ergo. Quia moralis illa certitudo futuri peccati, non tollit obligationem non cooperandi ad illud: ergo propter illam immeritò negatur eſſe mortalem. Aſſumptum oſtendo. Nam in ipſo determinato ad peccandum, ſtante tali determinatione, eſt obligatio non exequendi illam: ergo etiam in aliis cognitio determinationis non tollit obligationem. Deinde, ratione nuper adductâ: quia iſte hic & nūc mortaliter peccat: ergo & mortaliter peccat etiam hic & nunc peccato cooperans. Præterea. Iſte petens materiā peccati peccat mortaliter: ergo & illam præbens. Conſequentiā oſtendo: nam ſi non peccaret materiā præbens, neque ille peccaret, qui eam poſtularet: quod enim dari ſine peccato poteſt, ſine peccato etiam peti ab eo poteſt. Tandem. Ego non pecco dum vendo, quia vendet alius. Tunc ſic. Ille alius peccabitnè, an non? Peccabit certè; & ita videntur Auctores aduerſi ſupponere. Atqui non aliâ ratione peccabit, niſi quia cooperabitur peccato iſtius: ergo & ego ob eamdem rationem. Quin etiam, quòd ex eo fiet non ſolum me poſſe vendere, ſed etiam teneri, quia alterius peccatum debeo charitatis lege vitare. Ex quo manifeſtè ſequitur contra Dianam nec peccatum veniale in eo interuenire, quia nullus ad peccandū etiam venialiter poteſt obligari, etiamſi per illud alterius ſit crimen quantumuis immane vitandum: quod tamen in casûs contingentiâ numquàm occurret: peccatum etiam ad nihil honeſtum eſt vtile, cùm bonum non ſit.

Validiores alia proponuntur.

Circa veniale recurritur.

§. V.

Circa nonnullos alios Indorum labores extrema Reſolutio.

149 Dico octauò, pro cōſtructione Eccleſiarum licitè poſſunt Indi compelli, juſtâ mercede ſignatâ ſic Dom. Solorzanus *ſuprà Lib.* 1. *Cap.* 6. & in Politicâ *Lib.* 2. *Cap.* 8. Conſtat ex dictis §. 1. Quia inter bona publica hoc locum debet habere præcipuum, cùm humanis debeant anteferri Diuina. Et in primis ad conſtructionem Eccleſiarum in propriis eorum oppidis, id eſt maximè conueniens, vt Indi rerum diuinarum ſingularem poſſint formare conceptum: ſunt enim eâ indole, vt externis hiſce mirificè afficiantur, & vbi ſqualida & inamœna ſunt, eorum corda ſordibus talibus hæreſcere videantur. Deinde, in Eccleſiis Cathedralibus idem congruit, in quibus non ſolùm decentia, ſed quædam debet ſpectari majeſtas; tum ob earum præſtantiam inter ceteras, tum ad excitandos Indorum ſpiritus, vt dudum dicebamus: tùm denique vt obligati ad diuina officia in illis quotidie peragenda, id poſſint cum voluptate aliquâ etiam ſenſibili peragere, & non ſolùm corda, ſed etiam caro, in Deum viuum exultare.

Aſſertio 8. de Conſtructione Eccleſiarum.

150 Dico nonò. Pro ædificiis profanis idem ſtare poteſt, ſi publicæ vtilitatis ſint, & non priuatorum, neque alij ſuppetant, quibus fabrica poſſit promoueri. Ratio petenda ex dictis §. 1. & ex ſimilitudine aliorum, de quibus §. 2. Quod autem de priuatorum ædificiis dictum, non debet in caſu extraordinariò intelligi, vt ruinæ publicæ ob terræ motus, quales viſæ non ſemel, & hoc ipſo *anno* 1657. Ciuitate Purēn, ſeu Cōceptionis, in Chilenſi regno, ſolo penitus coæquatâ, vno perſtante templo & domo Societatis noſtræ, & vix quopiam domicilio alio ruinam minitante: tunc enim bonum publicum id videtur poſtulare. Iuſtâ tamen, vt dictum ſæpiùs, & Regiis inculcatur in ſchedulis, ſolutâ mercede; quam expediet à Magiſtratibus prò Indis, & operariis aliis, attentâ conſideratione taxari, ſi non vſus ipſe induxerit moderatam.

Aſſertio 10. de ædificiis profanis.

Ciuitatis Purenſis euerſio.

151 An autem maior eſſe debeat, quàm aliorum temporum, dubitari meritò poteſt; quia raritas pretium auget, iuxta commune Doctorum effatum, & in his occaſionibus difficiliùs inueniuntur operarij ob multitudinem operarum. Aliunde autem inhumanum, & à charitate Chriſtiana

Circà mercedem ruinarum tempore difficultat.

Digitized by Google

Chriſtianâ videtur extraneum, communi ex infelicitate direſcere, & ſic eam reddere duriorem.

Poſſe maiorem exigi.

Sed certè inhumanum non eſſe receptiſſimus vſus oſtendit: ſterilitas enim, quæ etiam infelicitatis eſt genus, & calamitates aliæ pretium augent rerum multarum. Et licèt prouidere Magiſtratus debeant, ne in illis pretia rerum exorbitent; ita tamen taxare debent vt maiora ſint ſolitis. Vnde non ſolùm maius illud pretium contra juſtitiam non eſt, ſed neque contra charitatem; quia charitati non opponitur ordinata rerum diſpoſitio, juxta quam rerum pretia pro diuerſitate temporum debent variari. Aliàs Magiſtratus, qui calamitatis tempore pretia rerum augent, contra charitatem peccarent, quod dici nequit. Et qui tunc etiam ſummo vendit pretio, ſimiliter contra charitatem delinquet, immò & qui medio, cùm poſſet infimo: per quod calamitas tolerabilis redderetur. Præterquàm quòd eo tempore quiuis meritò ſibi conſulit, quia & ipſe vendens, quæ neceſſaria ſunt etiam cariùs emit, & cùm neſciat quem exitum res habituræ ſint, culpandus non eſt, ſi de neceſſariis ſibi ſtudeat prouidere: poteſt ergo operas ſuas cariùs aliquantò vendere: ſicut & vendi etiam cariùs poſſunt, quæ magis tunc neceſſaria occurrunt, vt ſunt ea, quæ pro ædificiis requiruntur; hoc enim & rationes adductæ oſtendunt, & Doctores tradunt, cùm de pretio agunt, quod ex emptorum creſcit multitudine & neceſſitate maiori. *Propemodum enim donare videtur, qui vendit rogatus*, vt Caſſiodorus ait *lib.* 4. 5. Pro quo videri Auctores Societatis poſſunt, qui de contractibus ſcribunt, & qui ex iis inter Recentiores id eleganter exprimit P. Bauny *lib.* 1. *tr.* 2. *q.* 8. & 9. videndus item *quæſt.* 1. & qui alios voluerit, videat in primis P. Molinam *diſput.* 348. & P. Leſſium *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 2.

Neque id eſſe contra charitatē.

Sicut nec res aliàs cariùs vendi.

Caſſiodor.

Aſſertio vltima de tabellariis.

152. Dico decimò, & vltimò, Indi meritò compelli poſſunt ad commercium litterarum. Conſtat ex dictis, quia labor hic vtiliſſimus eſt Reipublicæ. Licèt autem per alios præſtari poſſit, vt in hoc regno circa vias præcipuas factum, magno communicationis breuioris commodo, quod prouidæ diſpoſitioni Excellentiſſimi Marchionis de Mancera meritiſſimi Proregis, ſicut & alia boni publici emolumenta, debetur: non tamen ad omnes poteſt vias extendi, vnde pro illis Indorum ſubſidium adhibetur. Immò & ad alias ſuo labore coadiuuant ſucceſſione frequenti, vt breuis ſit labor. In iſtâ tamen breuitate nimiùm poſſunt fatigari, dum pedites præeunt tabellarium equitantem incitato curſu, vt & ipſi ferè currentes ire cogantur. Circa quod Regiam prouidentiam & pietatem extendi æquitas poſtulat, & vt labori huiuſmodi competens ſtipendium accedat. Et cùm litterarum tranſmiſſio ſatis quæſtuoſa ſit, magno pro illâ pretio deſignato, ſicque ingentes per annum redditus tabellario ſupremo proueniant: contra æquitatem eſt ſtrenuos eo in negotio miniſtros minimâ portione dimittere, & luxum ac ſplendorem ſuperuacuum foueri ſanguine puſillorum. *Vltra omnes crudelitates eſt diuitem velle fieri de exiguitate mendici. Amentur honeſta lucra, horreantur damnoſa compendia.* Caſſiodorus *lib.* 12. 13.

De eorum ſtipendio.

Caſſiodor.

§. VI.

Additio circa genus quoddam ſeruitij Indorum, ab eorum originem trahentis voluntate.

Ianaconæ qui ſint.

153 SVnt apud Occidentales noſtros, qui dicuntur *Ianaconæ*, quæ vox *Seruitores* ſonat, & ad varia laborum applicantur genera, jam pridem Hiſpanorum domeſtici, patrio relicto ſolo, aut domeſticorum filii, & vernaculi; in quorum domibus ac prædiis vxores ducentes, & quandoque terras ſibi colendas accipientes, videntur de illorum facti jure, quod & iidem ita contendunt, vt non liceat prædictis quò voluerint commigrare. De quibus eruditè tractat Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *lib.* 1. *cap.* 3. & in Politicâ *lib.* 2. *cap.* 4. & reſoluit contra aliquos iniquum eſſe eos ita tenere, vt aliò migrandi non habeant facultatem. Quod quidem à Regibus noſtris ita conſtitutum: ſed quia mandatorum talium executio aliquibus viſa eſt obnoxia periculis, ſuperſederi juſſum, donec magis expediens aliud jubeatur. De quo & D. Gaſpar de Eſcalona in *Gazophylatio Peruuiano lib.* 2. *Parte* 2. *cap.* 19. *num.* 7. Si ergo alicubi viget adhuc oppreſſa libertas, permiſſioni Regum noſtrorum, non mandato tribuendum. Et eſſe quidem iniquum ex dictis conſtat, quia Indi non ſunt minùs quàm alii liberi, vt Reges iidem piiſſimi, iuxta Apoſtolicæ Sedis conſtitutiones, frequentiſſimè clamitant, de quo *cap.* 11. ergo nequeunt vt ſerui in domibus aut prædiis detineri.

Nequit illis voluntaria migratio prohiberi.

Obiectio diſſoluta ex voluntariâ Indorum pactione.

154. Dici poteſt eos ſe in hanc neceſſitatem voluntariè conieciſſe, volentes quibuſdam cum conditionibus perpetuò ſeruire. Sed hoc eſt leue, vt benè oſtendit Dom. Solorzanus *ſuprà*. Id ego addiderim, contractum dictum à lege penitus reprobatum & nullum habitum, vt patet ex reſcriptis Regiis ab eòdem adductis, quibus Indi in ſuâ iubentur libertate conſtitui. Præterea. Vt demus Indos ſic potuiſſe libertati ſuæ præiudicium inferre, at filiorum libertati minimè officere potuerunt. Cùm ergo non ſolùm circa parentes, ſed etiam circa filios, & vniuerſam progeniem, qui contrà agunt, ius eſſe contendant, non eſt voluntarium fundamentum ſeruitutis, quod originalis peccati ſimilitudine volunt ſine termino propagari.

An grauiter peccent Ianaconas retinentes.

155 Sed dubium hoc loco non prætereundum occurrit, an ſcilicet grauiter peccent cum eo onere Ianaconas retinentes. Ad quod reſpondeo poſſe excuſari bonâ fide, & bona fides poteſt facilè ex vſu præſumi: quæ ſi adſit, & ſit veroſimilis ſuſpicio monitionem de iniuſtâ retentione non habituram effectum, id dicendum quod de ſeruitio perſonali *num.* 124. Bona autem fides ex eo fundari poteſt, quòd retentionis iniuſtitia, & Regiæ prohibitiones ignorentur. Sed eſſe etiam aliunde poteſt, quia licet Regiæ prohibitiones innoteſcant, poteſt quis communem ſententiam allegare, legem ſcilicet non receptam à populo, non eſſe obligatoriam, & inſuper juſtitiam retentionis ſaltem eſſe probabilem: illam enim defendunt Malienzus, Beſaranus, Agia, & quod

Stare circa id bonam poſſe fidem, cui deferendum.

Digitized by Google

Sententia affirmantis probabilis.

quod plus eſt, erga Indos beneuolentiſſimè affectus P. Acoſta *lib. 3. de procurandâ Indorum ſalute cap. 17.* quorum fundamenta, adiectis aliis, adducit Dom. Solorzanus, qui *num. 45.* & in Politicâ *pag. 80. §. Però cumque,* ea non inepta eſſe pronuntiat: addens quòd ſi hic articulus in diſceptationem permitteretur adduci, ipſe indubitanter conſuleret, vt vbi ſine magno Reipublicæ incommodo fieri poſſit, ceſſare tale ſeruitium juberetur. Quod quidem & ego omnino ſic faciendum exiſtimo; & rationes, quæ olim executioni obſtare viſæ ſunt, jam non ſubſiſtere: vt meritò debeat ſanctè, & ex juſtitiæ præſcripto diſpoſitum, ad executionem perduci, ſicut alia quæ pro Indorum beneficio videmus præcipi & pariter ſtabiliri. Dum autem id non fit, opinioni dictæ ſua ſit auctoritas, neque rationibus, neque exemplis, neque Doctorum patrocinio penitus deſtitutæ. Et nos ad alia tranſitum faciamus.

Quid circa rem totam conuenientius videatur.

CAPVT XV.

An ſine graui conſcientiæ grauamine annua claſſium expeditio à Rege Catholico poſſit vllatenus impediri.

Non licet annuam claſſium expeditionem impedire.

156 DIco vnicè, id minimè eſſe licitum, generaliter loquendo. Patet: nam Rex Catholicus, quà Rex, debet grauibus regni damnis obuiare: quà Rex Indiarum, conuerſioni Indorum, & Chriſtiano ſtatui eorumdem incumbere, & de neceſſariis, ac etiam vtilibus prouidere: Atqui omnibus iſtis deeſt, dum claſſis expeditionem non curat: ergo cùm materia ſit non ſolùm grauis, ſed grauiſſima, etiam illius graue poterit eſſe delictum. Maior eſt certa, & ſine controuerſiâ apud Doctores, & ita Reges noſtri talem obligationem agnoſcunt, & ſic teſtantur ſæpiùs: audiendi tamen in Reſcripto, quod habetur *Tomo 2. Pagina 1.* ſic dicentes: *Nos zelando el ſeruicio de Dios N. Señor, bien, prouecho, y aliuio de nueſtros ſubditos y naturales, y à la paz y ſoſsiego de los pueblos de la Nueua Eſpaña, y Prouincias de ſuſo declaradas, ſegun ſomos obligados à Dios, y à ellos, para cumplir con el oficio, que de Dios tenemos en la tierra, &c.* Quòd autem ad obligationem promouendi fidem inter Indos ſpectat, jam eos audiuimus ſic ingenuè proteſtantes *cap. 3.* in Corollario. Sed hîc ſuo loquantur idiomate, vt fideliùs percipiantur, dum ſic aiunt: *Segun la obligacion y cargo, con que ſomos ſeñores de las Indias y Eſtados del mar Oceano, ninguna coſa deſeamos mas que la publicacion y ampliacion de la ley Euangelica, y la conuerſion de los Indios à nueſtra ſanta Fe Catolica, &c.*

Obligatio Regũ Catholicorum ab eiſdem pronunciata.

Damna ex retardatione ſecuta, quoad temporalia.

157 Iam Minor oſtenditur. Nam retardatione claſſis res multæ ad vſum neceſſariæ, aut valde conuenientes deficiunt, & quæ apud nos ſunt cariùs emuntur, inductâ raritate. Quâ ratione monopolia damnant communiter Doctores, & mortale dicunt eſſe peccatum, quia ſi non contra juſtitiam, contra charitatem tamen delinquitur, vt videri poteſt apud P. Molinam *Diſput. 345. in fine.* P. Leſſium *lib. 2. cap. 21. num. 151.* & P. Bauny eoſdem ſecutum *lib. 1. quæſt. 6. dicto 4.* poſt Cardinalem Lugo *Diſput. 26. de Iuſtitia num. 78.* P. Amicum *Diſput. 21. de Iuſtitia, num. 281.* Hoc autem damnum pauperes præſertim tangit, & ad res ſacras extenditur, pro quibus lintea, telæ, cera, thus, & alia multa deſeruiunt. Quæ omnia quando hæc ſcribo veriſſima comprobantur: vna enim ceræ libra octo regalibus emi ſolita, nunc quadraginta conſtat, & multis in locis plus multò, ſicque alia. Non poteſt ergo de damnis ex retardatione huiuſmodi dubitari.

Monopolia ſaltem ſunt citra charitatem.

Damna in ſpiritualibus.

158 Quod verò ad negotium fidei ſpectat, eſt pariter manifeſtum: eſt enim illud omnium grauiſſimum, & ita inceſſantem prouidentiam exigit: nec poteſt dici diligenter prouidere, qui per annum ceſſat, cùm ſit ingens ſpatium. Hinc Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 1. de Reformatione,* de reſidentiâ Prælatorum agens, ſic ait: *Intereà meminerint diſceſſuri, ita omnibus ſuis prouidendum, vt quantum fieri poterit ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant.* Sic cùm præmiſiſſet, quia damna ex abſentia videntur futura, ſi diutina illa ſit, jubet, quando vltra cauſas ibidem aſſignatas futura eſt, *nullo pacto debere duos, aut ad ſummum, tres menſes excedere, & haberi rationem, vt id æquâ ex causâ fiat, quod an ita ſit, abſcedentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam & timoratam forè, cùm Deo corda pateant, cuius opus non fraudulenter agere ſuo periculo teneantur.* Verba Concilii ſunt: quod quidem vlteriùs ſpatium non breue judicauit, ad breue ſiquidem licentiam indulget; *Quoniam qui aliquantiſper tantùm abſunt, ex veterum Canonum ſententia, non videntur abeſſe, quia ſtatim reuerſuri ſunt.* Quæ etiam ſunt illius verba. Quod autem reſidentia in Epiſcopo facit, in Rege noſtro ſupereminens prouidentia requirit, vt illa non ita ceſſet, quòd intra annum illius effectus aliquis non deprehendatur; ſin minùs damna non leuia ſubſequentur.

Annus eſt ingens ſpatium.

Concilium Trident.

Ex eo quòd Reges Catholici, Legati Sedis Apoſtolicæ in Indijs ſint, pro Aſſertione arguitur.

159 Quod roboratur ex eo quod cum multis Auctoribus tradit Dom. Solorzanus *Tomo 2. lib. 3. cap. 2. num. 40.* & in Politicâ *pag. 509. §. Y hablando.* Reges ſcilicet Catholicos per conceſſionem Sedis Apoſtolicæ, de quâ *cap. 1.* ipſius Apoſtolicæ Sedis Legatos effectos, quia illis eſt Indorum conuerſio commiſſa, & ampliſſima conceſſa poteſtas ad Indicæ Eccleſiæ fundationem: & Dom. Reyna initio Operis de Perfecto Prælato cùm Regali Conſilio Indiarum loquens. Quod vt, in rigore loquendo, ita non ſit; id tamen ſatis exprimit eorum obligationem in ordine ad id, quod prædicto titulo volunt Auctores dicti declarare. Quòd ſcilicet aut Legati ſint, aut Legatorum adinſtar; & ita Legatorum curam numquàm ipſis defuturam; vnde & debent ſupra Epiſcopos vigilare, & ita præſentes eſſe ſpiritu, vbi illi corpore; nec præſentiam talem per annum ſubtrahere effectibus comprobatam. Cùm etiam in claſſe Indicâ præſentationes ſoleant Epiſcoporum tranſmitti, aut Pontificiæ Bullę confirmationis, ſi non & ipſi veniant Epiſcopi. Quo in genere dici nequit quanta experiamur incommoda, Cathedralibus Eccleſiis Paſtorum ſolatio diutiſſimè viduatis. Nec fit ſatis ex eo quòd nauis aliqua cum Regiis ſoleat litteris mitti: tales enim minùs ſecuræ ſunt; & quæ magni momenti res habentur, non ſolent frequentibus earum exponi periculis. Vnde hoc prouidentiæ

Digitized by Google

tiç generc ſatis non fit prægrandi iſti obligationi.

Eorum, ad quã expeditio ſpectat, culpa detegitur.

160 Et mihi quidem indubitatum eſt Reges noſtros circa hoc ſecurâ conſcientiâ procedere, quia iuxta allegata ab iis, ad quos talis ſpectat expeditio. Videant ergo illi quomodo in hac parte ſe gerant, quibus incumbit Regiam exonerare conſcientiam, ne proprias aggrauent, malorum ingentium, de quibus eſt dictum, auctores; timeantque formidabilem Chriſti ſententiam *Matth.* 18. *v.* 6. dicentis: *Qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Sic, ſic meretur demergi, qui cauſſa eſt damni ſpiritualis in puſillo vno, vt ſcilicet molæ aſinariæ adſtrictus in abyſſum inferni demergatur. Quid ergo de illo erit, qui complurium temporalium ac ſpiritualium eſt cauſſa damnorum? Sic arguit D. Ambroſius; *Quod ſi is*, inquiens, *qui vnum ſcandalizauerit, molâ circumligatus iactari debet in mare; quid de te pronuntias, per cuius ſcelus omnis anima ſauciata eſt?* Huic certè non aſinaria mola ſuſpenſa ad collum, ſed omnibus excelſior mons, vt pœnæ pondus, peccati ponderi reddatur æquale, Indicâ in multitudine omnium maximè ſcandalizanti puſillos, jam feliciter credentes in Chriſtum; & infeliciter forſitan, ſublatis ſpiritualibus præſidiis, defecturos. Sed meliora Deus, quando neque hoſtibus par eſt errorem iſtum exorare.

Matth. 18. v. 6.

Eorum pœna ſcandalizantium puſillos, Indos ſcilicet.

D. Ambroſius, apud Nouarium ibi, quod tamẽ in Auctore non occurrit.

CAPVT XVI.

An officia honoraria in Indijs vendi licitè à Rege Catholico poſſint.

Aſſertio 1. officia poſſe vendi, eſſe valdè probabile.

161 Dico primò. Tot ſunt Doctores, & quidem non contemnendæ auctoritatis, qui licitam dicunt officiorum venditionem ſecundùm ſe conſideratam, & ita praxis hujuſmodi venditionis inualuit, vt licèt vnus aut alter ex Recentioribus contrarium teneat, non poſſit de eximiâ talis ſententiæ probabilitate dubitari. Videndi illi apud Dom. Solorzanum *Tomo* 2. *Lib.* 5. *Cap. Vnico. num.* 99. *& ſeqq.* & in Politicâ *Libr.* 6. *Cap.* 13. Dianam *Parte* 3. *Tract.* 5. *Reſolut.* 108. P. Thomam Sancium *Tomo* 1. *Conſiliorum Lib.* 2. *Cap.* 1. *Dub.* 37. Cardinalem Lugo *Tomo* 2. *de Iuſtitia, Diſput.* 34. *num.* 24. Eligium Baſſæum V. *Emptio num.* 8. Pharaonium *Tract.* 2. *Seſſione* 21. *Caſu* 5. qui eamdem ampleсtuntur, & nouiſſimè Ioannes Pontius *in Curſu Theologico Diſput.* 59. *Quæſt.* 1.

Ratio ex ſummâ diſpenſandi facultate.

162 Communis ratio eſt, quia ſunt talium officiorum domini, & ita de illis diſponere poſſunt, ſi id eſſe vtile judicarint. Quia tamen ſunt qui non dominos, ſed diſpenſatores agnoſcunt, ex eo etiam poteſt ſententia iſta probari. Nam Principes ſupremi habent diſpenſationis ampliſſimum jus, prout ſcilicet conueniens eſſe Reipublicæ judicauerint: ergo & per venditionem, quia illa vtilis eſſe poteſt; ſicut tutor, etſi dominus bonorum non ſit ad pupillum ſpectantium, diſponere tamen de illis poteſt vtilitatis ratione permotus, & eâdem comprobatâ.

Euaſio ex diſconuenientiâ.

163 Dices non poſſe vtilitatem ſubeſſe. quando communiter Doctores, etiamſi poſſibilitatem venditionis admittant, conuenientiam negant, vt videri præſertim poteſt apud P. Leſſium *Lib.* 2. *Cap.* 32. *Dub.* 4. & P. Fagundez *de Iuſtitia Lib.* 5. *Cap.* 23. *num.* 7. Non poteſt autem aliquid ſimul eſſe vtile, & diſconueniens.

præcluditur, quia eſſe in eo vtilitas poteſt.

Sed hoc non vrget. Quia Doctores non negant aliquando eſſe conuenientiam poſſe; alioquin ſecum ipſis eorum dicta pugnarent: dicunt autem communiter, & vt in plurimùm non eſſe conuenientem, & ita ſine magnâ conſideratione non eſſe ad illam deueniendum. Eſt autem inter illos non vnus circa hoc ſentiendi modus: aliqui enim conuenientiam in eo ſpecialem agnoſcunt: pro quo videri poteſt P. Azorius *Tomo* 3. *Libr.* 8. *Cap.* 7. *Quæſt.* 3. P. Filliucius *Tomo* 2. *Tract.* 34. *Parte* 2. *Cap.* 2. *num.* 44. Corduba *in Summa Quæſt.* 117. quos adducit, nec reprobat Diana *ſuprà*. Et Cardinalis Lugo *ſuprà* etiam *num.* 27. benè ſtatuit pro regulâ hoc ad prudentiam Principis cum conſilio virorum prudentium ac timentium Deum ſpectare, qui de venditionis conuenientiâ iudicabunt.

Regula in eo ſeruanda.

Aſſertio 2. pro Indiis idem ſtatuens.

164 Dico ſecundò. Aſſertio præcedens ad Indias poteſt cum eôdem gradu probabilitatis extendi, & fortè majori: Quia cùm in illis homines locupletiores ſint, maior inde vtilitas poteſt accreſcere ad occurrentium neceſſitatum ſubleuamen, minora etiam patiuntur grauamina quàm ij, qui in Hiſpaniâ degunt, qui cùm ad contributiones frequentes adigantur, minorem reportant fructum ex officiis pretio comparatis.

Aſſertio 3. pro habentibus item iuriſdictionem.

165 Dico tertiò. Officia iuriſdictionem habentia vendi etiam poſſunt à Regibus Catholicis. Sic citati, ſi nonnullos excipias, contra quos ingenioſè philoſophatur Cardinalis Lugo *num.* 28. *& ſeqq.* Probatur autem ex eôdem fundamento, quod vel hoc probat, vel nihil. Vbi tantùm dici poteſt periculum in venditione ſubeſſe tali, quia iudicaturam emens, vt pretium à ſe datum compenſet, iuſtitiam vendet, & etiam iniuſtitiam, ſi cum emolumento futurum ſit. Quod certè non vrget: cùm ſupponamus venditionẽ talẽ non niſi dignis hominibus faciendam, à quibus nihil timeri tale cum fundamento poſſit, ſicut in aliis eſt officiis aſſerendum, in quibus etiam ſimile periculum eſſe poteſt. Et quidem multi plus tabellionem, quàm iudicem timent, cùm à fide inſtrumentorum maxima quæque iuſtitiæ momenta dependeant. Vbi & conuenientiæ ratio afferri poteſt, de quâ P. Azor *ſuprà*, quòd ſcilicet emens officium, cum moderatione procedet, ne ſimul, ſi ſecus egerit, & officium perdat & pretium. Et cùm venale officium ſit, vereri meritò poteſt, ne Princeps facilè contra ſe credat obiecta, vt nouum emolumentum ablatione officij, & venditione iteratâ conquirat.

Vulgaris de vendenda iuſtitia obiectio diluta.

Exemplum D. Caroli vendentis Vritanum Principatum, & alia Regum noſtrorum, vbi de Titulatis notandum aliquid.

166 Confirmatur Diui Caroli Borromæi exemplo, qui Vritano Principatu vendito, pretij ſummam vno die eſt pauperibus dilargitus: & tamen Principatùs talis iuriſdictionem habebat, ſicut & Reges noſtri vaſſallagium vendunt, cum Titulo Ducatùs, Marchionatùs, Comitatùs, Vicecomitatùs, & ſimilibus, vbi licèt diſcrimen aliquod eſſe videatur inter Titulatos iſtos, & inferiores judices, quod Cardinalis Lugo ſapienter expendit: non tamen abſolutè conuincit, ſed majorem aliquam conuenientiam probat, quod

eſt

Digitized by Google

eſt citati Auctoris intentum. Et quidem cùm ille etiam exiſtimet vaſallorum dominum poſſe officia vendere, ſi ipſe vaſallagium emit, ſuſpicio eſſe poteſt, quòd ſit illa etiam, quæ iuriſdictionem habent, venditurus: ergo non euitatur inconueniens, nullumque eſt inter officia prædicta diſcrimen: poſſunt igitur vendi à Rege, vtilitate diſpectâ.

Aſſertio 4. idem pro Indiis firmans.

167 Dico quartò. Aſſertio præcedens etiam reſpectu Indiarum locum habere poteſt. Probatur ex dictis circa illam, & circa ſecundam. Item à ſimili. Nam Auditores Regij nequeunt intra Prouinciam matrimonium contrahere, ſicut neque eorum filij: quod ita ſeuerè leges prohibent, vt ex ſolo tractatu pœnam amiſſionis officij ſubeant. Cuius ea eſt ratio, quòd ſcilicet iuſtitiam non cenſeantur rectè adminiſtraturi, carnis & ſanguinis reſpectibus retardati. Quibus non obſtantibus, licentiæ ad hoc frequenter conceduntur pretij non leuis intuitu, quod ſeruitium dicitur: & ita in Regali Audientiâ Limanâ maior Auditorum pars hujuſmodi potitur indulto. Quod ergo eſſe inconueniens poterat, pretij exhibitione ſopitur, quia vtilitas ex venditione non contemnenda deprehenditur: cùm tamen in ordine ad exercitium iuſtitiæ per idoneos miniſtros leges prohibitiuæ ſeruentur, & ita iudiciale aliquid vendi eſt manifeſtum. Ergo & in venditione officij pariter dici poteſt. Nec dicas, licentias tales injuſtè dari; id enim dici nequit abſolutè loquendo: quia ſicut Rex poteſt legem dictam abrogare, ita & in eâdem diſpenſare. Dixi, *Abſolutè loquendo*, nam in caſu indiuiduali videndum attentè quibus concedatur indultum: grauia enim ex hujuſmodi matrimoniis incommoda oriri experientia monſtrauit, & merentur tales vt in ſolitudinem à cognatis, aſperam licet ipſis, transferantur.

Ex matrimoniis Regiorum Senatorum validum argumentum.

Pro illis licentiæ iuſtè conceduntur.

Aſſertio 5. negans in officiis circa Indos.

168 Dico quintò. Officia, quibus erga ſolos Indos exercetur juriſdictio, non poſſunt licitè vendi. Hoc probo: nam in officiis dictis, quod ementes inquirunt, non eſt honor, ſed vtilitas & copia pecuniæ: ergo cùm & pecunia tradita, & alia multò numeroſior, ſit per emptoris ſolicitudinem congerenda, neceſſarium eſt miſeros iſtos ſupra modum grauari, & eorum ſanguine conuiuium iſtud auaritiæ fæculentiſſimum apparari. Et quale hoc in Chriſtianâ Republicâ monſtrum, cùm Tullius *Lib. 2. de officiis*, gubernatores non ſolùm à cupiditate liberos, ſed ab illius etiam ſuſpicione futuros eſſe teſtetur? Nec dicas, pingue ſtipendium aſſignatum à Rege: nam licet illud juſtum fuerit viſum, quando talia ſunt officia diſpoſita, & res paruò conſtabant, neque ita vanitas & ambitio prouexerant: vix tamen jam ad expenſas itineris ſufficiunt, ſi præſertim ex Hiſpaniâ Prætores veniant, aut tota ſit conducenda familia, adjectis ſyndicatûs ſumptibus, qui non mediocres eſſe ſolent.

Neque est ſtipendio perſugium.

Sequeretur ſine illo ſeruire, quod proprium Turcis.

169 Et quidem cùm plus ſit quod pro officio datur, quàm quod ſalarij præſtat valor, coguntur ſic ementes ſine Regio ſalario ſeruire; & ita illud è viſceribus Indorum excutient. Atqui ſine Regio ſalario ſeruire Regios Miniſtros, & eius nomine iuſtitiam adminiſtrantes, & illud aliunde corradere, indigniſſimum eſt, & Turcicum ſapit ingenium: cùm tamen ex diametro pugnent duæ iſtæ maximæ orbis Monarchæ. Pro quo ita ſcribit P. Adamus Contzen *Libr. 1. Politicorum Cap. 16. Duo ſunt hoc tempore potentes Monarchæ, Hiſpaniarum Rex, & Turcorum Imperator: diuerſa ſtudia vtriuſque, hunc tyrannum, illum legitimum Regem oſtendunt, Hiſpanus Academiis, arte bellicâ, nauigationibus, plurimo ſumptu ſubditos exercet, ad magna excitat, & tantas opes ad Principum dignitatem, ad nobilitatis ſplendorem, animos alendos ac firmandos impendit. Othomanides verò inſcitiâ, pauperie, ſeruitio, tot populos premit: Timariotas, & Ianizaros, Prouinciarum ſpoliis ſaginat.* &c. Quid ergo ita Hiſpano magis indecorum Imperio, quàm ſi tale quid dici poſſit, Gubernatores ſcilicet ſtipendio fraudatos Prouinciarum Indicarum ſpoliis ſaginari? Pro quo multa alia dici poſſent, ſed pietati iſthæc ſatis; quæ ſi abſit, inutile fuerit dies & noctes Tullios, & Demoſthenes declamare. Videatur Illuſtriſſimus Ioannes Zapata *Parte 2. Cap. 18. num. 5. & ſeqq.* vbi cum multis poteſtatem concedit, conuenientiam negat, & tres conditiones apponit, quæ quia rarò adeſſe poſſunt, venditio regulariter eſſe ſolet injuſta. Vna ex illis ad ſalarium ſpectat, de quo dictum. Pro quo & Pontius *Diſp. 59. q. 1.*

P. Adamus Contzen.

Illorum imperium tyrannicū, Hiſpanum legitimum vnde probetur.

Ioannes Zapata.

CAPVT XVII.

Reges Catholici vt poſſint tributa Indis imponere.

170 DIco Primò, id ſtare licitè poſſe: pro quo ſpecialiter videri poteſt dudum citatus Antiſtes *Parte 2. Cap. 19.* Conſtat, quia vaſalli ſunt, & ita Regi debent pro neceſſariis ad commodam adminiſtrationem regni ſuccurrere. Circa quod ſic D. Ioannes Chryſoſtomus Homilia 23. Apoſtoli præceptum expendens ad Rom. 13. v. 6. & 7. *Propterea ab antiquis temporibus communi omnium ſenſu Principes à nobis ſuſtentari debere viſum eſt, ob id quòd ſua ipſorum negligentes, communia curent. Quòd ſi Paulus tunc, cùm Gentiles adhuc eſſent Principes, iſta præcepit, multò magis oportet ea fidelibus exhibere.* Sic ille. Verba Apoſtoli ſunt: *Ideò enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes.* Vbi tributi præſtiti geminam rationem induxit: quia ſcilicet Reges Dei miniſtri ſunt bono publico deſtinati. *Seruientes.* Vt quaſi aliis, qui vtiliter ex conuentione ſeruiunt, ſua debeat merces congrua & opportuna perſolui. Nec ſeruitium quodlibet, ſed continuum deſignat Apoſtolus: verbum enim Græcum προσκαρτεροῦντες *ſignificat continuam diligentiam & intenſam curam, vt Dei loco bonis ſint in tutelam, malis in vltionem*, vt doctè P. Cornelius adnotauit. Et D. Auguſtinus *Lib. 4. de doctrinâ Chriſtianâ Cap. 29.* vno verbo expreſſit, pro *Seruientes* reddens *Perſeuerantes.*

Aſſertio 1. tributa poſſe Indis imponi.

D. Ioan. Chryſoſt. ſed non ſecundùm Brixij exactam tranſlationem.

Rom. 13. v. 6.

Duplex ex Apoſtolo ratio, Regum obligationem oſtendens.

P. Cornelius.

D. Auguſtin.

171 Pergit D. Paulus, & ſic infert: *Reddite omnibus debita: Cui tributum, tributum: Cui vectigal, vectigal.* Quod ſic conſtruendum iuxta citatum Interpretem, ſubintellecta ſupplendo: *Reddite omnibus debita: Cui tributum debetis, tributum reddite: Cui vectigal debetis, vectigal reddite.* Reddant ergo Indi: ſed continuam illam, diligentem, & intenſam curam ſibi præ aliis debitam experian-

Robur additum ex D. Paulo v. 7. & quàm ſit debita Regalis circa eos cura, ob varios titulos.

experiantur. Debitam quidem vti miſeris & pauperibus,& qui labore ſuo ingentes Regibus Catholicis theſauros congeſſerunt. Circa quod non eſt opus dixiſſe plura, ſed verbis P. Acoſtæ *Lib. 3. de Procurandâ Indorum ſalute Cap 6.* claudere probationem; ſic enim ſcribit: *Quam rem, cùm & diuinorum Librorum auctoritas, & ratio ipſa ſatis muniat atque confirmet; neque noſtrorum Theologorum, eorum quoque qui cauſſæ Indicæ ſtudioſiores ſunt, aliquanta ab eis tributa exigi poſſe quiſquam neget, nihil eſt cur in hoc loco plano & expedito ampliùs immoremur.* Sic ille. Quæ autem in hoc eſſe moderatio debeat, Indorum diuerſitas, & terrarum varietas, poſt conſiderationem, Chriſtianâ pietate inter præcipuos Conſiliarios adhibitâ, ſeriam & induſtriam indicabit. Vt aliquid tamen circa id ſubiiciam,

P. Acoſta.

Aſſertiõnis certitudo.

Aſſertio 2. Indis Mineris addictis nequit imponi tributum.

172 Dico ſecundo. Indis in Mineralibus ex neceſſitate laborantibus non videtur vllo modo licitum aliqua imponi tributa. Ratio eſt vrgens. Nam ſtipendium eſt labori eorum inæquale, vnde qui voluntariè laborant, plus multò lucrantur: ergo quod ſtipendij deeſt, remiſſione debet tributi aliquatenus compenſari. Nec dicas ſtipendium non à Rege, ſed à Minerarum dominis eſſe ſoluendum; id enim minimè ſatisfacit: nam tales domini ſtipendium tantum modò per legem taxatum ſoluunt, & huius inproportionis cauſſa eſt ipſa lex. Præterquam quòd ex huiuſmodi labore commodum magnum reportat Rex, cùm ipſi quinta pars eruti theſauri reddatur: ergo debet ille relaxatione tributi, quod minus eſt mercedis labori redditæ compenſare. Si tamen compenſatio dici poteſt, vbi etiam relaxatione poſitâ, valde eſt minus, quod labori redditur miſerorum. Et Aſſertionem noſtram probant ea, quæ adducit Dom. Solorzanus *Tomo 2. Libr. 1. Cap. 18.* & præſertim *num. 50. & ſeqq.* & in Politicâ *Pag. 174. 5. Lo qual. Quòd cùm tot, atque adeò grauia ſeruitia (de quibus in præcedentibus Capitulis egimus) Indi ſubire cogantur; in tributis, quoad fieri poſſit, leuari debent: cùm operarum & munerum perſonalium præbitio inter tributa connumeretur, ipſiſque tributis non minùs vtilis & neceſſaria ſit, vt latè docet & probat Adamus Contzen Libr. 8. Politicor. Cap. 8. pag. 637. & nemo debeat duplici onere moleſtari, nec vltra vires prægrauari, vt in Rubri. Et Nigro. C. Ne operæ à Collatoribus exigantur. l. Priuatæ. Et l. Euidenter C. de excuſat. Muner. Lib. 10.* &c. Quis enim non videat doctrinam hanc Aſſertioni propoſitæ apertè ſuffragari, vt vel eam probet, vel nihil? Cùm enim ſeruitium, quod in Mineris effodiendis Indi exhibent, adeò graue ſit; nec ſtipendium ipſi proportionatum accedat; dum ſoluere aliàs tributum coguntur labore ipſo affatim perſolutum, manifeſtum eſt duplici onere moleſtari, quod omni eſt aduerſum æquitati, & diſſonum pietati.

Validè illa roboratur.

Dom. Solorzanus.

Aſſertio 3. tributum per capita tantum exigendũ

173 Dico tertio. Tributum Indorum juxta capita tantùm exigendum: & graue peccatum eſt à communitate indiſcriminatim exigi, quidquid Indorum Reguli clament aliquorum mortes comprobantes. Ratio eſt clara; nam mortui tributa non debent, & quæ debebant à viuis exigere, inhumanum eſt, & juſtitiæ penitus aduerſatur. Et ita deciſum Regio reſcripto Regis noſtri Philippi Secundi *An.* 1562. apud Dom. Solorzanum *ſuprà num. 97.* & in Politicâ *pag. 176. Col. 2.* Vnde ab illius, & ſucceſſorum alieniſſimum pietate; quod narrat Fr. Ioannes de Silua in Animaduerſionibus ſæpiùs citatis *fol. 88. pag. 1.* inuentam ſcilicet viduam, quæ pro maritis tribus, duobus filiis, & genero vno, mortuis omnibus, tributum ſoluere cogeretur.

174 Dices morientibus quibuſdam, naſci alios, & qui naſcuntur & ob minorem ætatem à ſolutione tributi eximuntur, grandiores factos ad eam obligari: & ſic poſſe quorumdam defectus aliorum ſuperuentione penſari. Vnde ſunt Iuriſconſulti aliqui magnæ auctoritatis, qui obligationem agnoſcunt in communitate ad quotam tributi aliquam ſolui ſolitam, etiamſi ad minorem numerum Capita ſint redacta: cuius ea videtur eſſe ratio, præter conſuetudinem; quòd licet minor nunc numerus ſit, aliquando fuit major, & deinceps etiam major eſſe poſſit, ſicut in cenſibus accidit: pro quo videnda quæ adducit Dom. Solorzanus *ſuprà num. 94. & ſeqq.* qui tamen, dum ibidem contrarium tenet, non videtur poſteà locutus conſequenter *Cap. 20. num. 13. & ſeqq.* compenſationem dictam admittens & probans, dum pro mortuis nouò nati ſufficiuntur. Pro quo & in Politicâ *pag.* 195. *Col.* 2. 5. *Y en efeto.*

Euaſio ex ſupplemento naſcentium, & naſcendorum.

175 Sed hoc non vrget. Nam vt doctrina illa ſtare poſſit, quæ non eſt ita recepta, in præſenti nequit applicari: conſtat enim Indorum numerum non creſcere, ſed minui; vnde compenſatio locum habere nequit: ſicut neque haberet in cenſibus, ſi ſemper fructus minores eſſent, vt contingeret ſi res cenſuaria redderetur ex parte infructifera: tunc enim pro rato penſio minuenda, juxta Bullam Pij V. de Cenſibus, pro quâ videri poteſt P. Leſſius *Libr. 2. Cap. 22. num.* 88. & alij, eſtque decima inter conditiones.

præcluſa ex Indorũ diminutione,

& cenſuũ paritate.

176 Dico quarto. Indis infidelibus de rigore juſtitiæ tributa poſſunt imponi. Sic P. Acoſta *ſuprà*, quem ſequitur Dom. Solorzanus *num. 20. & ſeqq.* & ratio eſt, quia eorum dominus eſt Rex Catholicus, cùm ſit abſolutè dominus Indiarum, ſub cuius etiam ſunt tutelâ, debetque illis in temporalibus ac ſpiritualibus prouidere. Quod autem ad conuenientiam ſpectat, videndum an id expediat vt ſic ad fidem compellantur, duriorum inquam tributorum exactione, juxta Diui Gregorij doctrinam *Libr. 3. Epiſt. 26.* aliqui enim Indos filios timoris vocare ſolent. Quòd ſi ita ad fidem venientes non ſolidi Chriſtiani ſint futuri; erunt certè eorum filij, aut nepotes. Si autem medium hoc parùm opportunè cedat, liberalitate potiùs ac benignitate trahendi, pro quo eſt grauis obligatio in conſcientiâ, cùm à Catholicis Regibus debeat Indorum ſalus mediis commodioribus procurari. Vnde & nouiter conuerſis onus tributandi non ſtatim imponitur, & quæ ſuccedit impoſitio valdè moderata eſſe ſolet, ſic Regum noſtrorum mitiſſimo ingenio diſpenſante. Et ita Paraquaria Eccleſia, Primitiuæ æmula, non igne & ferro, ſed placidiſſimâ Patrum Societatis noſtræ tractatione fundata, Regum noſtrorum adminiculante clementiâ, & magnificentiæ fructibus exundante, vt & Miniſtri ex Hiſpaniâ veniant,

Aſſertio 4. Infidelibus de rigore iuſtitiæ poſſe tributa imponi.

De conuenientia diuerſimodè indicandũ.

Quæ Regum Catholicorum obligatio.

Paraquaria Eccleſiæ fundatio eorumdem largitate.

niant, & in Reductionibus eorumdem expenſis ſuſtententur.

Aſſertio 5. fœminis tributa non imponenda.

177 Dico quintò. Licèt fœminæ ad præſtationem aliquam obligari poſſint, quia & pro illis cura Regalis inuigilat, in Indiis tamen non debet tale ipſis onus imponi, ſicut in Peruuianis prouinciis factum, non ſic in quibuſdam aliis, de quo Dom. Zolorzanus *cap.* 19. *num.* 5. *& ſeqq.* & in Politicâ *lib.* 2. *cap.*20. *poſt principium.* Ratio eſt, quia earum eſt cenſus tenuiſſimus, & ita erga reculas ſuas afficiuntur, vt pro numulo vno mille clamores emittant. Scio eſſe plures pro ſuâ tenuitate munificas, vbi pietatis negotium agitur; ſed ex iis iſtæ, quæ ſpecialiùs inſtructæ, & ex commercio cum Europæis, plus & cenſûs, & Chriſtianæ conſuetudinis compararunt. Aliarum minutiſſimæ facultates, & juxta eas animi magnitudo. Quid ergo ab iſtis exigatur, quibus ſatiùs fuerit tribuiſſe? *Prouidentiſſimi Principis eſt grauiter imminutis relinquere tributariam functionem.* Sic Theodoricus ore Magni Caſſiodori *lib.*4.36. vbi & illud; *Tributa enim non debent à triſtibus exigi, per quos tributarios feliciter acquiſiui.* Certè ſi fœminæ tributa ſoluunt, non ſine ingenti triſtitiâ earumdem exigenda; per eas tamen Reges noſtri feliciter tributarios accipiunt, quos pariunt, nutriunt, educant, vt omnium maximè de tributis meritæ debeant reputari. Accedit communis ſententia, quam cum multis tenet P. Thomas Sancius *Tomo* 1. *Conſilior. lib.*2. *cap.*4. *dub.*15. & eum ſecutus Cardinalis Lugo *Tomo* 2. *de Iuſtitia diſput.* 36. *num.*69. pauperes ſcilicet non debere gabellas. Et tales illæ, de quibus loquimur.

Caſſiodor.

Fauet titulus paupertatis, iuxta communem ſententiâ.

Aſſertio 6. de impuberibus, ſenibus &c.

178 Dico ſextò. Impuberes, pauperes, impeditos, ſenes, & huiuſmodi alios ad tributa compellere, à Chriſtianâ eſt pietate, immò & humano quoppiam reſpectu, penitus alienum. Videndus Dom. Solorzanus *citato cap.* 19. vbi quòd ob ſterilitatem etiam facienda remiſſio. In quo quidem euentu Indi Regiis Audientiis viciniores benignè audiuntur, non ita remotiores, compellentibus Prætoribus Indorum Regulos taxatas integrè ſoluere penſiones, ne eorum tribuatur incuriæ Regium ex hac parte patrimonium imminutum. Opus ergo eſſet vt Regia circa hoc prouidentia verſaretur, & Reſcripto aliquo Indos juberet audiri, cùm ſterilitatis, aut fortuiti alterius caſus notam calamitatem ab eiſdem contigerit allegari. Quòd ſi dubia; audiantur quidem, & veritate compertâ decernatur. Pro quo ſic apud Caſſiodorum Theodoricus *Lib.* 4. 50. *Campani Veſuuij montis hoſtilitate vaſtati, Clementiæ noſtræ ſupplices lacrymas profuderunt; vt agrorum fructibus enudati, ſubleuentur onere tributariæ functionis. Quod fieri debere noſtra meritò pietas acquieſcit. Sed quia nobis dubia eſt vniuſcuiuſque indiſcuſſa calamitas, magnitudinem veſtram ad Nolanum, ſiue Neapolitanum territorium, probatæ fidei virum præcipimus deſtinare, &c.* Verendum tamen ne ſub probationis prætextu, Indi grauiùs, miſſis probatoribus, onerentur. Obeat ergo pro ſui officii obligatione Prouinciam Prætor, ſic enim facilè poterit quidquid acciderit explorare.

Sterilitatis tempore facienda remiſſio.

Remoti etiam audiendi.

Caſſiodor.

Nec pecunia pro fructibus exigenda.

179 Nec magni videtur indulgentia facienda, quando id, quod Indi ex fructibus tenentur ſoluere, ob ſterilitatis infortuniū in pecunia admittitur, eâ moderatione, vt non ſecundùm præſentis temporis valorem, qui maior eſt, ſed ſecundùm antiquiorem ſit compenſatio facienda. Cùm enim ſpecies, non pecuniam, reddere teneantur, deficientibus illis iniuriâ temporum, ad illarum non tenentur penſionem. Vnde neque Theodoricus, impius aliàs rex & hæreticus, talem compenſationem pecuniæ pro fructibus faciendam eſſe mandauit; quia duriſſimum profectò onus eſt, & quando eſt tale, iniuſtè imponi communis ſententia eſt, vt ſi decem pro centum exigantur: prout videri poteſt apud P. Sancium *ſuprà Dub.* 13. Item. Gregorius Nonus *Cap. Propter ſterilitatem.* 3. *de locato, & conducto*, remiſſionem faciendam colonis Eccleſiæ propter ſterilitatem præcipit; *afficientem magnò incommodo conductores.* Nulli autem vt Indi magno afficiuntur incommodò, ſi ſterilitas ſuperueniat: vnde remiſſione tributi debet ab eorum Principibus ſubleuari; aliàs incommoda geminantur, quandoquidem victualia illis deſunt, & aliunde pecunia ad illa emenda prorſus neceſſaria, eiſdem pro tributariâ penſione ſubtrahitur non valentibus reluctari.

Duriſſimi oneris tributum nequit imponi. & quale illud.

Cap. Propter ſterilitatem.

180 Nec de obligationibus Regis Catholici plura, quem ſcio in deliberatione circa res Indicas, vbi conſcientiæ periculum agitur, numquàm ſine Conſilii maturitate procedere. Vnde quæ à nobis dicta, non tam ipſi, quàm iis, quibus directio iſta ex officio, aut aliàs incumbit, aliquali eſſe vſui poterunt: cùm præſertim ab eo ſcripta ſint, quem neque ob natale ſolum priuato affectu ductum ſuſpicari poſſit: neque ob experientiæ defectum; eſt enim quinquaginta ferè annorum tranſactione firmata, præceps quidquam eidem poſſit imputari. Iam ergo ad alia.

Digitized by Google

TITVLVS II.

DE REGIO INDIARVM CONSILIO,

Eiuſque coram Deo obligationibus, vt conſcientiæ ſecuritas habeatur.

Regij Indiarum Conſilij munus, dignitas, & obligatio erga Principem.

1. Quæ de Catholici Regis obligationibus dicta ſunt à nobis *Titulo præcedenti*, ad Regium Indiarum Conſilium maximâ ex parte pertinere conſtat; eſt enim velut immediatum organum, per quod ampliſſima gubernatio earumdem exercetur. Ideò in hoc Titulo breuiores erimus, ſecuritati conſcientiæ magnorum illorum virorum conſulentes, quos Catholici Reges ad exonerationem propriarum conſcientiarum delegerunt, vt ex eorumdem atteſtatione compertum habemus, de quâ *Titulo præced. Cap. 3. in fine*, verbis illis: *Noſtri Conſilij, qui ſunt, conſcientias ſuas exonerent, quandoquidem per illos Nos conſcientias noſtras eo onere liberamus.* Ex quibus apparet quanto illi debeant ſtudio circa conſcientiæ in iis, quæ ad eorum munus ſpectant, inoffenſum iter attendere, quorum fidei tantopere Catholici Reges deferunt, pro eorum erratis apud Deum rationem exactiſſimam reddituri. Et certè, vt nullus ſubeſſet timor, amor tamen deberet hoc in eorum præſtare pectoribus erga beneficos Principes, ſingulari honorificentiâ in eoſdem amanter effuſos, juxta illud Athalarici Regis apud Caſſiodorum *Lib.* 8. 2. de Romanis Senatoribus allocuto: *Conſtat enim excellentiſſimos Patres tantò ampliùs poſſe diligere, quantò maiores bonores à cæteris Ordinibus viſi ſunt accepiſſe.* Sic ille. Neque aliter ampliora illis ſperare à benigniſſimis Principibus licebit, quàm à præfato Rege promiſſum eiſdem, dum ſubdit: *Si qua autem nobis poſtulanda creditis, quæ veſtræ ſecuritatis incrementa multiplicent, indubitanter petite, commoniti, quos ad fundendas preces nos etiam videmur hortari.* Sic Rex. Neque aurea illius prætereunda concluſio, dum ita finem dicendi facit: *Nunc veſtrûm eſt, tale aliquid ſperare, quod communem Rempublicam poſſit augere.* Non ergo propriis commodis inhiandum, ſed in id dirigendus intuitus, quod communem Rempublicam poſſit augere. Indicam equidem, quâ communior nulla; cuius diuitiis, ſi qua eſt diues Reſpublica, locupletata eſt; & multæ ſe locupletiſſimas gloriantur. Aut Indicam pariter & Hiſpanam; ab illâ enim huius augmenta, ſi tamen illa ab iſtâ, vt par eſt, prouidâ ſolicitudine gubernetur. Hoc opus, hic labor Indicorum Conſiliariorum eſt, pro quibus ſit

Caſſiodor.

CAPVT I.

An Regii Indiarum Conſiliarii ſub mortali teneantur rerum Indicarum ſpecialem notitiam ſtudio & inquiſitione ſolicitâ comparare.

Regum obligatio in Conſiliariis maior.

2 Videnda circa hoc quæ à nobis dicta *Titulo præcedenti cap.* 8. ea enim ad Conſiliarios Regios potiori ratione trahenda, qui velut Regis oculi eſſe debent ad remotiſſima hæc imperia peruidenda, & ita beneficio lucis viam monſtrare conſpicuam, & non per caliginem judicare. Iam pro iiſdem

3 Dico primò. Conſiliarii Indici ſub mortali tenentur circa res Indicas ſpecialem comparare notitiam inquiſitione ſolicitâ. Probatur

Aſſertio 1. obligationis ſub mortali Conſiliariis incumbens circa notitiam rerum Indicarum.

Primò ex ordinatione ſextâ eiuſdem Conſilii, in quâ illis grauiter iniungitur, vt in Indiarum hiſtoriis, Coſmographiâ, deſcriptione, & nauigatione ſpecialem inſtructionem accurent, illâ redditâ ratione: *Quoniam res nulla intelligi aut tractari poteſt, cuius non fuerit priùs probè notum ſubiectum ab iis, qui de illo ſunt habituri quæſtionem, & ſententiam prolaturi.* Quæ quidem lex, cùm ad maximè ſubſtantiale requiſitum ſpectet, abſque dubio grauiſſimam obligationem inducit: leges enim ciuiles poſſe in conſcientiâ obligare tenent communiter ſcriptores Theologi & Iuriſperiti, ex quibus plures adducit P. Suarez *lib.* 3. *de legibus cap.* 21. *num.* 5. vbi & ait Aſſertionem eſſe de fide aut fidei proximam. Obligationem autem eſſe ſub mortali, quando materia eſt grauis, neque

Probatio 1. ex Regia ordinatione.

Leges Ciuiles poſſe in conſcientia obligare, dogma certum.

Digitized by Google

Diuerſa ſententia circa modum obligationis.

que de contrariâ legiſlatoris intentione conſtat, cum aliis oſtendit *cap.* 24. *& ſeqq.* quibus addendus Illuſtriſſimus Villatoel *Parte* 1. *Gubernationis pacifi:æ quæſt.*2. *artic.*1. *num.*12. Sed intentionem talem cum lege non poſſe conſiſtere, ſi materia grauis ſit, eoque ipſo grauiter obligare, tenent P. Vaſquez *Tom.*2. *in* 1.2. *diſp.*158. *n.*32. *& ſeqq.* P. Salmeron *Tom.*4. *in Euangelia, Parte* 3. *tr.*12. §. *Differt autem.* P. Amicus *diſp.*5. *de Iuſtitia, n.*216. P. Becanus de legibus, *cap.*6. *q.*3 *n.*13. *& ſeqq.* & alii.

In omni tamen Ordinatio mortalem indicat tranſgreſſionem.

In omni ergo opinione legem dictam conſtat obligare. Nam licet ſint qui probabiliter aſſerant, etiã cùm materia eſt grauis, poſſe obligationem eſſe ſub veniali, aut etiam ſine peccato, & talem reputandam, quando contrarium aliunde non conſtat, pro quo videri poteſt Thomas à Iesu *in Regulâ Carmelitarum Parte* 2. *Dub.*8. §. *vltim., quia, & ſeqq.* addunt tamen conſtare tunc, cùm ſeclusâ graui obligatione non videretur ſufficienter bono

Notanda regula ad obligationem grauẽ dignoſcendam.

communi prouiſum in re magni momenti, quod in caſu noſtro contingit: & videri pro eo poteſt P. Arriaga *Tomo* 2. *in* 1.2. *Diſput.* 16. *num.*68. de quo *& inferiùs cap.* 9. Præterquàm quòd Ordinatio dicta non tam eſt ciuilis lex, quam naturalis declaratio, vt jam probo, arguens.

Probatio 2. ex naturali obligatione, ratione officij.

4 Secundò, quia is, qui ignorat ea, ſine quibus publicum officium exercere nequit, grauiter peccat, vt eſt receptiſſima omnium ſententia, pro quâ videri poſſunt Cardinalis Lugo *Tomo* 2. *de Iuſtitia, diſput.* 37. *ſect.* 1. P. Thomas Sancius *Tomo* 1. *Conſil. lib.* 2. *cap.* 1 *dub.* 36. *num.* 6. P. Leſſius *lib.*2. *cap.*7. *num.*33. & alii: Atqui Regii Conſiliarii ſine notitiâ dictâ nequeunt publicum & grauiſſimum, quo potiuntur, officium conuenienter exercere: ergo grauiter peccant eam non

Ex qua & obligatio reſtitutionis.

ſtudentes comparare. Diſcurſus eſt euidens, juxta quem deducunt communiter Doctores eum, qui præbet conſilium, teneri ad reſtitutionem ſi ratione ignorantiæ damnum ſubſequatur, vt videri poteſt apud P. Leſſium, Cardinalem Lugo, *citatis locis*, & alios: quando ſcilicet ratione officii & profeſſionis tenebatur ſcire, & propterea ad conſiliandum eſt adhibitus.

Probatio 3. ex damnis ob ignorãtiam ſubſecutis.

5 Tertiò. Conſiliarii rerum Indicarum inſcii poſſunt eſſe damnorum grauiſſimorum cauſa: ergo grauiter peccant inſtructionem erga eoſdem negligendo. Conſequentia eſt euidens ex receptiſſimâ omnium doctrinâ de damno dato, & Antecedens negari nequit, quia grauiſſima damna ex inordinatâ & cæcâ gubernatione ſequuntur, cui inſcius Conſiliarius aſſiſtit; non ſecùs ac naui, cui inſcius accidit gubernator, quod Plato *in Dialogo de Regno, & Lib.*8. *de Republica*, & Plutarchus *in Moralibus* eleganter proſequuntur. Et ſicut

Claudianus.

Ruit in præceps amiſſo piſce ſodali,
Bellua, ſulcandas cui præuius edocet vndas.

& cum Spiritu ſanctò cauſam iſtam in propriis terminis decidendo: *Vbi non eſt gubernator, populus corruet; ſalus autem vbi multa conſilia* Prouerb. 11. *v.*14.

Prouerb. 11. v. 14. Vbi conſilium deeſt, gubernator non eſſe cẽſetur.

Vbi pro eòdem ducit non eſſe gubernatorem, ac ſine ſapientium conſilio gubernare. Non enim agitur de Republicâ, cui nullus gubernator aſſiſtat, ſed quæ illum habeat, conſiliis tamen ſapientium deſtitutum. Vnde Theodotion ſic legit: *In incogitantia corruit populus; ſalus autem in homine multi conſilij.* & Caſſianus Collatio-

Theodot.

Caſſianus.

ne 2. *de diſcretione cap.* 4. ita: *Quibus non eſt gubernatio, id eſt, Conſilium & diſcretio, cadunt vt folia.* Quod exponens magnus interpres in eum locum, ſic ait: *Eſt Metalepſis, ex conſilijs enim intelligitur gubernatio bona, conſulta, & prudens; ex gubernatione ipſa gubernator, vt vertit Noſter. Senſus eſt. q. d. Vbi non eſt gubernator ſapientiâ & prudentiâ gubernandi præditus, ibi in multa pericula & damna corruet populus; at vbi is adeſt, & conſilio vel proprio pollet, vel alieno vtitur; ibi populus ſaluus, & à malis omnibus immunis ſecuruſque conſiſtit.* Sic ille.

P. Cornel.

Aſſertio 2. ignarũ poſſe officium admittere, ſi promptus inſtrui.

6 Dico ſecundò. Qui non eſt notitiâ rerum Indicarum inſtructus, aptus tamen aliàs, poteſt Conſiliarii dignitatem admittere, immò & ad illam ſe offerre. Probatur. Quia quod in hac parte initio deeſt, poteſt quotidiano & ſolerti ſtudio ſupplere, cùm huiuſmodi peritia, non adeundo ſcholas, & exercitationes habendo, ſed legendo, audiendo, & percuntando, poſſit ſufficienter, quantùm res ipſa patitur, comparari.

Aſſertio 3. de promouendis ad Conſilium Indicis Auditoribus.

7 Dico tertiò. Satis eſſet expediens vt ex iis, qui in Indiis Regii fuerint Auditores, aliqui ad Regium earum Conſilium aduocentur. Ratio conuenientiæ eſt comperta. Sed vitandus ſcopulus vnus, dum cura eſt ab altero declinandi. Ne ſcilicet eò traducantur ii, quos in Cancellariis Indicis omnimodæ integritatis fama non penitus dignos tantâ reddidit promotione, ne cognationibus implicati: niſi fortè & hoc ipſum periculum integritatis experimenta ſuperârint. Ibi profectò quàm iſthic nocentiores.

Aſſertio 4. de promouendis Aduocatis, quorum dignitas cõmẽdatur.

8 Dico quartò. Expediet item ex Aduocatis in eòdem Conſilio nonnullos ad munus prædictum, ſi dotibus requiſitis excelluerint, promouere. Hi enim rerum Indicarum cognitione jam præditi, meliùs de illis judicabunt. Eſt autem Aduocationis officium Senatoriâ dignitate digniſſimum. Vnde Athalaricus rex Aratorem tali dignatus honore, ſic ſcribit apùd Caſſiodorum *lib.*8. 12. *Decet enim tractatores habere doctiſſimos, quibus poteſtas ſumma committitur; vt nullo defectu impediente meritorum, prouiſa Reipublicæ vtilitas explicetur. Alij ſunt honores, qui ſe ordinaria prouiſione componunt; de generali autem ſecuritate ſolicito talis aſſociandus fuit, qui parem in ſuis ſtudijs non haberet. Neque enim adhuc minùs probatus agnoſceris, licèt primæuus veneris ad honores. Aduocationis te campus exercuit, te iudicij noſtri culmen elegit.* Sic ille.

Caſſiodor.

Nobilitatis præcipua ratio non habenda.

Certè in re tantâ nobilitatis rationem habere præcipuam ſine experientiæ præſidio, ac excellenti litterarum auctario, valde periculoſum eſt, & ita Regiâ animaduerſione digniſſimum. Habeat quidem honores condignos litterata nobilitas; ſed vbi publicum, & maioris momenti negotium agitur, non munus hominibus, ſed homines muneri conquirantur.

D 3 CAPVT

CAPVT II.

Conſiliarij Regij qualiter ad prouidenda ea, quæ negotium fidei in Indiis concernunt, teneantur.

Aſſertio 1. teneri ſub mortali Conſiliarios ad negotium fidei promouendum.

9 DIco primò. Tenentur ſub mortalis peccati reatu. Probatur Primò ex dictis *num.* 1. Nam præcipua Regum Catholicorum cura huc ſpectat & ſpectare debet; Atqui illi ad exonerandas circa hoc conſcientias Conſilium erexerunt: ergo Conſiliarij pari obligationis titulo conſtringuntur. Secundò. Quia Ordinationes primariæ pro eòdem Conſilio editæ hoc præ aliis exigunt, vt videri poteſt in *Summario Recopilationis legum Indicarum Libr.* 2. *Tit.* 2. *Ordinat.* 8. & 9. Sibi ergo illud Diui Iſidori pro Indicà Eccleſiâ ſpecialiter dictum intelligant, quatenus Principum noſtrorum auctoritatem hac in parte communicant, & 23. *Quæſt.* 5. *Cap. Principes ſæculi*, habetur: *Cognoſcant Principes ſæculi ſe Deo eſſe reddituros rationem, propter Eccleſiam, quam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt. Nam ſiue augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſiue ſoluatur; ille ab eis rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam tradidit.* Sic ille.

Cap. Principes.

Aſſertio 2. eamdem eſſe circa miſſionem Miniſtrorum Euangelij.

10 Dico ſecundò. Regij Conſiliarij grauiter peccant, ſi non curent idoneos Miniſtros in Indias mitti ad fidem in illis promouendam. Probatur ex dictis *Cap.* 3. *Tit. præced.* & præſertim *in Corollario.* Ex quo ſequitur non eſſe tali obligationi conſonas difficultates, quas multi, dum tales Miniſtri poſtulantur, obiiciunt; vel quia neceſſarios non iudicant, vel quia dolent Regium ærarium, expenſis in eorum tranſmiſſione faciendis, neceſſitatum turbine occurrente, grauari. Quo in articulo Reges noſtri benigniores & munificentiores eſſe ſolent, rati quàm veriſſimè ditius tunc ærarium fore, cùm ſeruit Chriſto. Dictum quidem ſic à Theodorico Rege verbis illis: *Indigentiam iuſtè fugimus, quæ ſuadet exceſſus: dum pernitioſa res eſt in imperante tenuitas.* Caſſiodorus *Lib.* 1. 19. Sed additum ſtatim. *Modus vbique laudandus eſt.* Ad modum autem pertinet, eam non poſthabere obligationem, ratione cuius locupletari ærarium ſolet aſſiduè; vt in caſu noſtro contingit, cùm ſit orbi vniuerſo perſpicuum ex theſauris Indicis, ærarium Regium frequentia incrementa ſortiri. Et præterea non arbitraria, ſed maximè vrgens agatur cauſſa; vnde inter occurrentes neceſſitates hæc debet omnium potiſſima reputari.

In quorum nulli modum non ſeruant.

Caſſiodorus.

Ad illius ſeruationem quomodo vrgendi.

11 Hic ergo laudandus eſt modus, vt meritò reluctanti Conſilio dicere Rex Catholicus poſſit, quod aliàs Chriſtus Baptiſtæ ſuo difficultatem obiicienti impoſitæ functionis: *ſine modo; ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Matth.* 3. *v.* 15. Vbi doctus Interpres: *ſic enim decet nos &c. Non ego tantùm, ſed etiam tu.* Tu quidem, qui *ſine modo* oppoſitum conſiliaris; cùm ad juſtitiam implendam ego & tu pariter vrgeamur. *Sine modo.* Scio *Modo* aduerbium eſſe, ſicut & *ſine* verbum: & ita dum nomen facio, in præpoſitionem verbo ſimiliter commutato, latentem ſenſum, non ſola verba deſumo; quæ tamen ſenſûs proprietate retentâ, accommodationem aliquam, vbi imitatio eſſe poteſt, non excludunt, non infrequenti apud Scriptores ſacros vſu. Imitetur ergo Rex Catholicus regum terræ Principem, dicatque Conſiliario minùs ſe digna conſilianti: *Sine modo eſt tuum in re adeo iuſtâ conſilium, & ita ſine modo difficultates obiicere, Decet enim, Decorum eſt* (ſic aliqui legunt apud Nouarinum) *vt ego & tu omnem in hoc iuſtitiam impleamus. Impleamus, inquam quod Apoſtolicæ Sedi promiſimus, & homagium illud diuinum, quo facti ſumus Chriſti, & eius Eccleſiæ debitores.*

Matth. 3. *v.* 15.

Aſſertio 3. Negotia ad bonum ſpirituale Indorum ſpectantia eſſe præferenda.

12 Dico tertiò. Cùm negotia occurrunt ad religionem ſpectantia, qualia ſunt omnia, quæ ad ſpirituale bonum Indorum pertinent, etiamſi tantùm indirectè, vt temporalia quædam, quæ ad id conducere poſſunt, aliis omnibus præferenda ſunt, & ſub grauis peccati reatu antè illa diſcutienda, & quantum eſſe breuius poſſit, decidenda. Conſtat ex dictis: nam hoc eſt juxta mentem Regum Catholicorum, vt ipſorum verba manifeſtant: pro quo & eſt ratio compertiſſima: quia præcipua minùs præcipuis præferenda ſunt, & acceſſoriis principalia: Negotia autem ad fidem Indorum ſpectantia, circa præcipua & principalia verſantur; quorum comparatione reliqua multò minoris facienda, cùm circa corporalia verſentur, illa circa ſalutem animarum. Pro quo eſt *Cap. ſi habes* 24. *Quæſt.* 3. ex Diuo Auguſtino deſumptum in Epiſtolâ ad Auxilium Epiſcopum, in quo ſic dicitur: *Vnde & ſi vna anima per iſtam ſeueritatem diſciplinæ, quâ tota domus iſta anathematizata eſt, ſine Baptiſmate de corpore exeundo perierit, innumerabilium mors corporum, ſi de Eccleſiâ homines innocentes violenter abſtrahantur & interficiantur, huic damno non poteſt comparari.* Hæc ibi. Si ergo vnius animæ ſalus tanti facienda eſt, quid de tot millibus, quarum in Regio Indiarum Conſilio negotium agitur, æquum fuerit ſentiamus? Vt magni illi viri intelligant de earum ſalute ante omnia, & præ omnibus, juxta occurrentes articulos, deliberationem celerrimam ſuſcipiendam.

Cap. ſi habes.

Vnius animæ ſalus rebus omnibus præhabenda.

Regia Ordinationes quid propterea decernant.

13 Accedit; hac de cauſsâ à Regibus noſtris Conſilio injunctum, vt à litigiis inter partes cognoſcendis & terminandis abſtineat, & huiuſmodi cauſſas Indicis Audientiis remittat; vt ſcilicet ad ea, quæ gubernationem concernunt, pleniùs poſſit & opportuniùs attendere, in quibus liquet fidei cauſſas eſſe præcipuas. Hinc Diuus Leo Magnus Marcianum Auguſtum meritò his verbis alloquitur *Epiſt.* 43. in quibus eiuſdem præclarum elogium continetur: *Sed quia pio ſtudio humanis negotiis diuina præponitis, & rationabiliter ac religioſè regni veſtri viribus creditis profuturum, ſi nulla ſit in Sacerdotum ſenſibus diſſonantia, nulla ſit in Euangelij prædicatione diſcordia; ego etiam veſtris diſpoſitionibus non renitor, optans vt omnium cordibus Catholica fides, quæ non poteſt niſi vna eſſe, firmetur.* Sic ille: qui & Theodoſium Imperatorem *Epiſt.* 7. ſic affatus: *Quantùm præſidij Dominus Eccleſiæ ſuæ in fide veſtræ clementiæ præparauit, his etiam litteris, quas ad me miſiſtis, oſtenditur, vt vobis non ſolum Regium, ſed etiam Sacerdotalem animum ineſſe gaudeamus. Si quidem præter imperiales & publicas curas piiſſimam ſolicitudinem Chriſtianæ Religionis habetis: quia tunc eſt optimus regni ve-*

D. Leo Magnus. Marciani Auguſti præclarum exemplum.

Theodoſij item.

ſtri

Digitized by Google

ſtri ſtatus , quando ſempiternæ & incommutabili Trinitati vnius Deitatis confeſſione ſeruitur. Hæc ſanctiſſimus & eloquentiſſimus Pontifex , quæ Regij Conſiliarij ad ſuam poſſunt dignitatem & ſolicitudinem deriuare , humanis negotiis præponentes diuina , & non Regium ſolùm, ſed Sacerdotalem animum concipientes; vt ſic Catholicorum Regum Imperium ampliſſimis profectibus ſtabiliatur , ſplendeat , dilatetur.

Conſiliariis vt tenendam.

CAPVT III.

In proponendis ac conſultandis idoneis miniſtris qualiter Conſiliariorum Indicorum conſcientiæ circa ſæcularia Officia poſſint grauiter onerari.

Benemeritos, ceteris paribus, præferendos.

14 Conſulenda circa hoc , quæ diximus Titulo præced. *Cap.* 5. & 6. pro Benemeritis , qui abſque dubio ſunt, ceteris paribus , præferendi ; aliàs juſtitia grauiuiter læditur , & grauis juſtitiæ violatio grauis etiam culpa eſt. Et licèt Rex ob ſuperiorem in prouiſionibus facultatem non peccare, poſſit fortè contingere; non ita Conſiliarium , ad quem ſpectat plena pro Benemeritis informatio , quidquid Rex ſit pro ſuâ voluntate facturus. Immò etſi præſumatur Regem non electurum præ aliis benemerentem , obligatio propoſitionis incumbit; ea enim notitia, quæ modò non juuat, in aliâ occaſione juuabit , vt prætermiſſus nunc , ad prouiſionem aliam, meliorem forſitan, reſeruetur. Pro his & aliis generaliter

Obſeruatio notanda.

Aſſertio 1. ſub mortali proponendos digniores, quidquid de diuerſitate opinionum ſit circa Regis electionem.

15. Dico primò , etiamſi ſententia ſatis probabilis ſit Principem non teneri ſub mortali ad electionem digniorum pro ſæcularibus muneribus ; pro quâ non ſolùm boni Auctores ſunt, ſed habere etiam fortiſſima argumenta affirmat P. Thomas Sancius *Tomo* 1. *Conſiliorum Lib.* 2. *Cap.* 1. *Dub.* 36. *num.* 8. & tenet item *num.* 15. & Cardinalis Lugo *Tomo* 2. *de Iuſtitia Diſput.* 34. *num.* 17. & 19. Diana *Parte* 2. *Tract.* 15. *Reſolut.* 67. & *Parte* 4. *Tract.* 4. *Reſolut.* 172. P. Luiſius Turrianus in *Selectis Cent.* 2. *Cenſur. Dub.* 87. poſt Patrem Vaſquez *Opuſculo de Beneficiis n.* 97. Ante quem Card. Caietanus *in Summa V. Electio.* Quos & ſecuti Molfeſius, & Homobonus, quos adducit Diana *Parte* 1. *Tract.* 15. *Reſol.* 67. Conſiliarij tamen ſub mortali tenentur proponere digniores, gradu dignitatis expreſſo. Sic Illuſtriſſimus Zapata *Parte* 2. *Cap.* 6. *num.* 25. & colligitur ex Dom. Solorzano *Tomo* 2. *Libro* 4. *Cap.* 12. *num.* 31. & *ſeqq.* & in Politicâ *pag.* 898. vbi alios refert. Qui ex eodem Conſilio cùm fuerit , non poterunt illius Conſiliarij cum fundamento conqueri, quod illis rerum earum inſcij onus grauiſſimum imponamus : cùm aliàs opinio ſatis probabilis ſit, teneri electores ad digniorum prælationem , & Conſiliarios conſequenter : ne , ſi aliter faciant , eorum cooperentur peccato, quod non ſolùm ex charitatis lege , ſed ratione officij debuerant euitare. Videantur dictæ opinionis Auctores apud P. Sancium *ſuprà num.* 9. & Dianam: ex quibus eoſdem congerit Cardinalis Lugo, & Eligius Baſſæus *V. Electio* 11. vbi eamdem amplexus.

Ratio concludens, ex officij inſtitutione.

16 Ratio eſt clara : nam ea eſt Regis intentio , dum Conſiliarios aſſumit , vt ſcilicet ei notitiam Reipublicæ vtiliſſimam , quam aſſequi per ſe nequit , inſtillent : Atqui digniorum notitia vtiliſſima eſt Reipublicæ , aliàs numquàm poterunt ad publica munera emergere : ergo illam non inſtillare Regi , ſine graui ſtare reatu nequit. Vnde dubitari non poteſt Regem, ſi sciret ita ſe Conſiliarios gerere , eos grauiſſimè puniturum. Et de Indiis loquendo, id eſt magis vrgens : quæ enim in illis damna ex minùs conuenienti gubernatione proueniunt, difficilè reparantur, ob Regalis immanem diſtantiâ poteſtatis.

Aſſertio 2. præcedentem intelligi cùm notitia ſufficiens habetur, quod non frequens, ob Indicas relationes.

17 Dico ſecundò. Aſſertio præcedens ita intelligenda eſt , vt tunc procedat , quando de majori dignitate , certa aut certitudini proxima habetur notitia, juxta dicta *Titulo præced. num.* 72. quod non ſæpè contingit. Si enim informationes ſumendæ ſint juxta ea, quæ ex Indiis remittuntur , magnum eſt in illis errandi periculum, vt expertus admonet Dom. Solorzanus *ſuprà num.* 20. dicens hac de cauſſâ multùm cauere Conſiliarios Indicos debere , ne faciles ſint ad credendas delationes & relaxationes , quæ ex Indiis ſcribuntur , quia ſæpè facilè decipiuntur. Pro quo & videndus *Cap.* 8. *num.* 18. & addi certè à me poſſent experientiæ multiplices veritatis hujus , quas tamen ſufficiat hoc generali aſſerto protuliſſe. Iuxta quæ non erit facilè exceſſum dignitatis inter conſultandos & proponendos deprehendere , & ita proponi omnes poterunt; vel ſi vnuſquiſpiam , id pro libito proponentis. Quòd ſi exceſſus notabilis non ſit , ſed momenti exigui , non erit cur Regij Conſiliarij minùs anxij in hoc eſſe negotio debeant, ſi Chriſtianè aliàs , & ſemotis affectibus , procedere ſint parati. Vnde Conſiliario , qui cognatum habet , de cuius ipſi capacitate ad munus aliquod innoteſcit, non prohibetur iuxta merita probè nota proponere : neque enim ſic idoneus , propter cognitionem Conſiliarij , idoneitatem amiſit , quæ ad auctarium meritorum conferre poteſt; cùm ſit ſatis æquum Conſiliarios à Rege hoc pacto honorari , quorum fidelitatem in ſublimi adeò munere ſæpiùs contigerit experiri.

Notanda pro praxi.

Æqualitatem & exceſſum quomodo explicet Card. Lugo.

18 Æqualitatem autem , vel exceſſum non obſtantem in electione aliter explicat Cardinalis Lugo *ſuprà num.* 22. ait enim, eligentem vnum illam debere regulam obſeruare , vt ex electione Miniſtri non ſequantur inconuenientia in Communitate , ex fidelitate ſcilicet & iuſtitiâ. Quâ obligatione ſemel poſitâ, parùm diſcriminis in praxi eſſe poterit : quia poſitis duobus , quorum alter eſt dignus , alter dignior, an ille, quem dicis eſſe dignum , talis eſt , vt eo electo Communitas non patiatur detrimentum in ordine ad ſuum finem ? Si enim talis eſt , illa maior dignitas alterius videtur per accidens ſe habere ad hoc vt debeat præferri. Nam ſi prior habet tantam ſcientiam & peritiam , vt non ſit periculum errorum in ſuo officio per ignorantiam , illa maior doctrina & peritia alterius, licèt reddat illum aptum ad aliud officium difficilius , quod ſubtiliorem & maiorem doctrinam exigit, non tamen videtur reddere illum aptiorem

Digitized by Google

tiorem ad hoc officium, ad quod ille doctrinæ exceſſus non conducit. Si ille prior ob minorem doctrinam ſit in periculo errandi circa hoc officium, jam eo ipſo non eſt dignus ſimpliciter, nec eligi poterit, niſi in defectu alterius. Vnde in praxi ſæpè decipiuntur electores judicando dignum, qui reuerà non eſt talis ſimpliciter; ſed intantùm eligi poſſet, inquantùm non inuenitur alius, qui verè dignus ſit: ad quem inueniendum deberet apponi maior diligentia, quæ frequenter ab electoribus non adhibetur; ſed ex iis, quos obuios habent, in quibus fortè nullus eſt ſimpliciter dignus, ſed ſolùm minùs indignus, eligunt, quem malè vocant digniorem. Iuxta quam philoſophandi rationem videtur conſequenter dicendum, poſſe etiam Conſiliarios quemcumque abſolutè dignum proponere, ſine exceſſus qualitate; quia per accidens ſe habet ille; cùm etiam ſublato, nulla inconuenientia in officio, de quo agitur, exercitio timeantur. Quod propter grauiſſimi ſcriptoris auctoritatem poteſt vt probabile ſuſtineri.

Quid inde pro Conſiliarijs.

19 Sed eſt certè doctrina illa difficilis. Nam etiamſi ex electione minùs digni nulla ſpecialia inconuenientia timeantur, exceſſus alterius non ſe habet per accidens, quia confert vt officium, de quo agitur, meliùs tractetur, & maiora commoda in Republicâ ſubſequantur. Quis enim dubitet meliorem cuiuſque muneris tractationem Reipublicæ accidere commodiorem? Sicut in miniſteriis ſeruilibus eſt videre: vnus enim alio meliùs ſeruit, eſtque talis melior ſeruiendi modus abſque dubio commodior iis, in quorum commodum adhibetur. Et quidem ſine periculo errandi poteſt eſſe maior perfectio in modo operandi: ad bonum autem Reipublicæ non ſolùm confert quòd erroris periculum abſit, ſed etiam quòd miniſteria perfectiùs obeantur. Maior autem iſta perfectio non poteſt dici per accidens, cùm ad tale miniſterium ſpectet, quà tale eſt, ex quo boni aliqui effectus haberi poſſunt, quos ex miniſterio minùs dignè obito Reſpublica non habebit. Quod quidem adeò videtur perſpicuum, vt mirer viro tanto talem philoſophandi modum placuiſſe.

Difficilis explicatio dicta oſtenditur, contra quam arguitur efficaciter.

20 Quem ex ipſius doctrinâ poſſumus etiam apertè conuellere, quia *num.* 18. docet in concurſu digniorem eligendum, quia licèt vterque pertingat ad gradum dignitatis, qui requiritur vt ſatisfaciat Communitati; ille tamen doctior, vtilior eſt ipſi communitati, atque ideò magis dignus, non ſolùm comparatiuè ad alium concurrentem, ſed in ordine ad ipſum officium. Tum quia licèt ille minùs doctus poſſit occurrere inconuenientibus & periculis circa tale munus; alius tamen, qui maiorem doctrinam, vigilantiam & experientiam habet, non ſolùm periculis occurrere poterit, ſed etiam noua commoda & maiores vtilitates Communitati afferre, quod in Gubernatore magis ſpecialiter proſequitur. Tum etiam quia dignus non poterit occurrere, & vitare inconuenientia & pericula ſubtiliora, licèt communiter occurrentia poſſit; quæ tamen dignior præſtare poterit. Sic ille philoſophatur, manifeſtiſſimè oſtendens maiorem dignitatem non ſe habere per accidens in concurſu. Sed ex eâdem doctrinâ non minùs manifeſtè ſequitur, etiam concurſu non extante, idem ſimiliter dicendum; quia ſiue hoc ſiue illo modo prouiſio officii fiat, ſemper Reipublicæ aut Communitatis bonum attenditur. Quare doctus Magiſter *num.* 21. docet in praxi ſemper regulariter eſſe eligendos meliores; cùm enim exceſſus per accidens ſe habeat, illum non debet elector attendere, quandoquidem attendere non debet quæ per accidens ſe habent; quæ enim per accidens ſe habent in ordine ad officium, etiam ſe habent per accidens in ordine ad electionem, vt ſi exceſſus ſit in muſicâ, poëſi, aut mathematicis.

& ex eiuſdem doctrinâ conuellitur de eligendo in cōcurſu meliora.

21 Et quidē cùm regulariter eligēdos digniores dicat, quidquid de vnâ aut alterâ digni electione ſit, ob grauia incōuenientia, quæ alias in Republicâ ſequerentur; obreperēt enim frequenter Indigni, languerēt ſtudia, ingenia torperēt, egregiorū in Rempublicam meritorum cura eſſet nulla, ſed ambitione omnia miſcerentur. Cùm, inquam hoc ita ſit, non video cur contendat, diſcrimē hoc dignorū & digniorum non multùm in praxi plerumq; referre. Si enim in praxi digniores, prçterēdi ob incōuenientia illa grauiſſima, quæ ex aliorum electione ſequuntur; ergo diſcrimen tale quoad praxim multùm refert. Quomodo enim non multùm referat, ex cuius omiſſione adeò grauia incommoda ſequerentur? Hoc ergo Regii Indiarum Conſiliarii ſeriò pro ſuo doctrinæ & pietatis gradu ſublimiore conſiderent, & præfatis inconuenientibus ſtudeant idoneorum Miniſtrorum examine ſubuenire.

Et de regulari digniorū in praxi electione, cuius oppoſiti damna recenſentur.

CAPVT IV.

Circa Eccleſiaſticas prouiſiones Quæſtio eadem.

Circa hoc videnda quæ diximus *Titulo præcedenti cap.* 7. pro quo &

22 Dico primò. Ad Eccleſiaſtica munera digniores debent à Regiis Conſiliariis in conſultatione præferri. Conſtat ex dictis *num.* 15. & 16. Si enim ad temporalia munera digniores præferendi ſunt cum qualitatis exceſſu, euidens eſt in Eccleſiaſticis idem potiori jure faciendum. Pro quo & videnda quæ diximus Cap. 2. Nam Eccleſiaſticæ prouiſiones negotium conuerſionis Indorum concernunt, & ita ſunt ex eo etiam capite temporalibus præferendæ. Quibus addo indigentiam, & perſpectam nobilitatem, ad dignitatem conducere: id quod in Benemeritis Indicis obſeruandum, juxta id, quod tradit Illuſtriſſimus *Zapata Parte* 1. *cap.* 8. *n.* 10. & 11.

Aſſertio 1. *digniores in Conſultationibus praferēdos.*

Indigentiã & nobilitatem ad dignitatem ſpectare.

23 Dico ſecundò. Idem deceptionis periculum, quod eſſe *Cap. præced. Aſſert.* 2. vidimus, ob ſiniſtras relationes, in causâ præſenti verſatur: vnde Regii Conſiliarii poſſunt juxta prudentem in caſu ſingulari diſcurſum, dignitatis conceptum efformare. Conſtat ex ibidem adnotatis: pro quo & multa poſſem experimentis frequentibus deprehenſa hoc in genere, hoc inquam ſacro & inuiolabili, cumulare.

Aſſertio 2. *de periculo deceptionis juxta dicta* num. 6.

24 Dico tertiò. Regii Conſiliarii ad Epiſcopatus non debent proponere prætenſores, ſiue manifeſti, ſiue ſint etiam ſimulati, quod non erit difficile conjectare. Conſtat; quia eo ipſo quòd

Aſſertio 3. *ad Epiſcopatus non eſſe proponendos prætenſores.*

Digitized by Google

quòd prætendant, ſunt indigni judicandi, vt clamant Iuca. *L. Si quemquam* 39. *C. de Epiſcopis & Clericis*, ſic aiunt Imperatores:

L. Si quēquam.

Caſtus & humilis noſtris temporibus eligatur Epiſcopus, vt quocumque locorum perueneris, omnia vitæ integritate purifices. Tantùm ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. Profectò enim indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus inuitus. Sic illi. *Cap. Miramur* 61. *diſt.* ex Diuo Leone Magno *Epiſt.* 85. *al.* 83. ſic habetur:

Cap. Miramur.

Non eſt hoc conſulere populis, ſed nocere; nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen; integritas enim Præſidentium, ſalus eſt ſubditorum; & vbi eſt incolumitas obedientiæ, ibi eſt forma doctrinæ. Principatus autem, quem aut fiducia extorſit, aut ambitus occupauit, etiamſi moribus aut actibus non offendit, ipſo tamen initij ſui eſt pernicioſus exemplo; & difficile eſt vt bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.

Cap. Nullus itaque.

25 Ex Symmacho Papâ ſic etiam in *Cap. Nullus itaque*, 1. *quæſt.* 1. decernitur. *Nullus itaque per ambitum ad Epiſcopalem honorem permittatur accedere; nam cùm hic exceſſus in laicali conuerſatione culpetur, quis dubitat quin Religioſis, & Deo ſeruientibus inuiciat vel incutiat opprobrium?* Sic ibi.

Gloſſa.

Vbi Gloſſa marginalis hæc habet: *Infamia irrogatur dignitatem petenti.* Nomine autem Religioſorum Clericos intelligi, Gloſſa ibidem aduertit. Pro laicali autem conuerſatione alluditur ad *L.* 1.

L. 1. D. ad L. Iuliam.

D. Ad L. Iuliam, de ambitu, vbi pœna ſtatuitur ambientibus. *Cap. Sicut is* 1. *quæſt.* 6. ex Diuo Gregorio *lib.* 7. *Epiſtol.* 110. ita dicitur; *Sicut is, qui inuitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris altaribus eſt admouendus; ſic qui vltrò ambit, vel importunum ſe ingerit, eſt procuIdubio repellendus. Nam qui ſic nititur ad altiora conſcendere, quid aliud agit, niſi vt creſcendo decreſcat, & aſcendendo exteriùs, interiùs in profundum deſcendat.* Sic ille. Vbi de Ordinatione Sacerdotum agit; ſed ex eo ad Epiſcopalem dignitatem robuſtius inſtruitur argumentum: & doctrina Textûs eſt generalis pro electione, licèt de Sacerdotio præceſſerit Pontificia doctrina. Vnde

1. Tim. 3. v. 1.

Gloſſa adducit locum Apoſtoli 1. *Timoth.* 3. *verſ.* 1. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.*

Ex Apoſtoli loco de Epiſcopatus deſiderio nō colligi ambitionis illecebram.

26 Ne autem quiſpiam eo deceptus ambitionem foueat, occurrit *Cap. Qui Epiſcopatum.* 8. *quæſt.* 1. vbi ſic dicitur: *Itaque à ſtudio cognoſcendæ veritatis nemo prohibetur; quod ad laudabile pertinet otium; locus verò ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, & ſi ita teneatur atque adminiſtretur, vt decet, tamen non decenter appetitur. Quamobrem otium ſanctum quærit charitas veritatis; negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis; quam ſarcinam, ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati. Si autem imponatur, ſuſcipienda eſt propter charitatis*

D. Auguſt.

neceſſitatem. Sic ibi ex Diuo Auguſtino *Lib.* 19. *cap.* 19. *de ciuitate Dei.* Sit ergo licet bonum opus Epiſcopatus; ſit licet (vt hoc etiam demus) deſiderium (prò quo videri poteſt P. Henriquez *Lib.* 10. *cap.* 32. & Baſſæus *v. Epiſcopus nu.* 3. alios adducentes) non tamen decenter ambitur:

Non omne, quod deſiderari poteſt, eſt cum effectu procurabile.

aliqua enim deſiderari poſſunt, quæ non poſſunt procurari. Sic deſiderare Sacerdos poteſt, vt ſcelerati capitali afficiantur ſupplicio ob commune bonum, quod tamen ſolicitare nequit, irregularitatis aliàs pœnam ſubiturus. Videantur alia apud P. Suarium *Tomo* 4. *de Religion. lib.* 6. *cap.* 7. & 8. P. Bauny *Tomo* 1. *Tractat.* 8. *in Epitome Capitis* 4. §. *Sextò, ne ambitu*, & alios: quorum eſt potiùs probanda doctrina, quàm ea, quæ placuit Dom. Villarroel ſuam cauſam agenti *Parte* 1. *Pacificæ gubernationis*, *Quæſt.* 1. *Articul.* 13. ptæſertim *numer.* 54. & *ſeqq.* & *numer.* 76. vbi de promotione.

27 Eſt autem tunc indignior & damnabilior ambitionis peſtis, cum venalitatis aliquid intercedit, quam præſertim Diuus Gregorius abolendam dixit citato *Cap. Sicut is.* Et in prætenſoribus Indicis eſt penitius diſpiciendum, qui ad huiuſmodi conquiſtas ſolent accedere aureis & argenteis armis roborati. Si præſertim Religioſi fuerint, qui à Curiâ penitus relegandi, ſpe omni obtinendi, quod ambiunt, obtruncatâ. Et licèt omnes ſimoniæ ſe dicant monſtrum hæreticale perhorreſcere, neſcio an reipsâ virus eiuſdem euitetur. Cùm enim auro & argento res agatur, mutabuntur quidem nomina, mali pernicie non mutatâ.

Venalitas in prædictis peſtis penitus abolenda.

Circa quod ſubtiliter & eleganter Caramuel, non ambitu, ſed meritorum ſuffragio jam Epiſcopus, in hunc modũ declamat, ſimonis Magi hiſtoriâ præmiſsâ, de quâ *Act.* 8. in Theologiâ morali *n.* 865. *Cùm rigorem hunc verborũ ſubaudio* (ſcilicet D. Petri dicentis ſimoni; *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſideri*) *hæreo totus, & miror, vel noſtrates eſſe tam doctos, vel tam indoctum Petrum. Piſcator ille erat, hi Doctores: ſed permiſit Omnipotens multa reprehenſione digna in verbis Doctorum, nulla in Piſcatorum reperiri. An non poſſet Simoni Petrus vendere, non quidem ſpiritum ſanctum, ſed honorem inde reſultantem, eo modo, quo locus honoratior pro ſepultura vendi dicitur citra ſimoniam? & quidem Simonem non curaſſe ſpiritum ſanctum, ſed plauſum atque auctoritatem, quam apud vulgus habere poterat, videtur ex verbis ſequentibus D. Petri ſuaderi, videlicet:* Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto; cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. *Deinde, cur non poſſet Petrus abſtrahendo ab ſpiritu ſancto, vendere laborem inſumptum in conceſſione huius poteſtatis: nam vel debebat manus ſimoni imponere, vel aliquem locum adire, vel aliqua verba proferre; quæ omnia phyſica & materialia pretio æſtimabilia ſunt, juxta eorum doctrinam, qui docent intercedendi onus & laborem itineris ſuſcepti pro collatione Beneficij vendi poſſe? & ſi ſine ſimoniâ poſſimus res ſpirituales commutare, vt ſi te obſtringas ad dandam Eleëmoſynam tali pauperi, & ego ad conferendum Beneficium; cur non poſſet Petrus poteſtatem illam tradere, & titulo eleëmoſynæ pecuniam oblatam accipere? Verè hæc omnia obſcura & intricata ſunt, quia ſi potuerunt fieri, non eſt cur tam crudè Simon à Petro reprehendatur; maximè cùm debeamus proximorum actiones in meliorem partem interpretari. Fateor me hærere, cùm hanc hiſtoriam lego; videtur enim omnes opiniones benignas, quæ in hac materiâ ſunt, deſtruere.*

Eleg̃s Caramuelis diſcurſus circa Simoniæ palliationem, viſu commẽdatam.

Sic ille. Et verò vt hiſtoria illa omnes benignas opiniones non deſtruat; quoſdam certè venalitatis palliatæ modos, quos magna artium magiſtra adinuenit ambitio, neque Conſiliariis Regiis, viris ſanè ſcientiſſimis ignoti eſſe poſſunt, apertiſſimè demolitur. Vbi ergo tale aliquid, quod abſit, olfecerint, ſic *infamibus portæ non pateant dignitatum. Cap. Infamibus, de regulis iuris in ſexto*: earum præſertim, quæ inter omnes ampliſſimæ,

Quæ opiniones circa Simoniam, D. Petri ſententia conuellat.

mæ, de quibus propoſita Aſſertio pronuntiauit.

Aſſertio 4. in Beneficys alijs prætenſionẽ non arguere indignitatem.

28 Dico quartò. In Beneficiis aliis prætenſio non probat indignitatem, ſi nihil prætereà vitioſum, de quo nuper, admiſceatur. Probatio eſt facilis, quia aliàs non liceret concurſus oppoſitorum ad Beneficia, quem tamen Concilium Tridentinum in prouiſione Parochialium iniungit *Seſſione 24. cap. 18. de Reformatione*, & Pius V. *in Conſtitutionibus An. 1566. die 15. Aprilis.* Quòd ſi in Parochialibus id licet curam animarum habentibus, minùs erit inconueniens in ſimplicibus, vnde etiam pro illis concurſus quandoque præcipitur, vt in Canonicatibus, de quibus *Titulo præced. cap. 10.* & in multis patrimonialibus. Vnde & viros virtute inſignes ſcimus per concurſum Beneficia non ſemel aſſecutos, qui poſteà memorabiles fuerunt in Dei Eccleſiâ Prælati. Et quidem cùm edicta ponuntur, idonei omnes ad concurſum euocantur, vnde qui concurrunt, ambientes dici nequeunt, ſubituri examen, & electionem aliorum judicio ſubmittentes. In aliis autem non ita eſt juſtificata prætenſio, quia non veniunt vocati, neque ſe ſubiiciunt examini. Sed tamen quia ipſa Beneficii vacatio quoddam genus videtur vocationis, & merita etiam judicio prouiſuri trutinanda proponuntur, non eſt id, niſi vitioſum aliquid, vt dixi, interueniat, penitus reprobandum. Ceteris autem paribus, non prætendens, & benè notus præferendus, quia abſque dubio dignior, juxta D. Gregorii doctrinam, de qua *num. 25.*

Concurſus ad Beneficia vt liceat.

Eligendorũ forma ex D. Hormiſda.

29 Vt autem DD. Conſiliarii eligendorum formam præ oculis habeant, illam hìc breui deſcriptione ſubiiciam ex Diuo Hormiſdâ Papâ de Hiſpanis Epiſcopis ad Epiſcopos Hiſpanos etiam ſcribente *Epiſt. 4. c. 1.* in hunc modũ: *Irreprehenſibiles enim eſſe conuenit, quos præeſſe neceſſe eſt, corrigendis; nec quidquam illi deeſſe perſonæ, penes quam eſt religionis ſumma, & ſubſtantia diſciplinæ. Promptus debet eſſe ad impertiendum, beneuolus viduis, hoſpitalis, promptus ad miniſtrandum, facilis ad ſubeundas vexationes, nil habens, in quo erubeſcat, non ignorans quis ſit dignior ſubleuatione.* Sic ille. Ex Concilio etiam Carthaginienſi 4. cui Diuus Auguſtinus interfuit: *Capite* enim 1. ſic habet: *Qui Epiſcopus ordinandus eſt, antè examinetur, ſi naturâ ſit prudens, ſi docibilis, ſi moribus temperatus, ſi vitâ caſtus, ſi ſobrius, ſi peruigil, ſi ſemper ſuis negotiis cauens, ſi humilis, ſi affabilis, ſi miſericors, ſi litteratus, ſi in lege Domini inſtructus, ſi in Scripturarum ſenſibus cautus vel acutus, ſi in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitatus, &c.* Cap. *Qui Epiſcopus 23. diſt.* Item ex Synodo Romanâ ſub Eugenio II. & Aquiſgranenſi *Can. 13.* vbi ſic ſcriptum: *Ille modis omnibus debet ad exemplum viuendi pertrahi, qui cunctis carnis paſſionibus moriens, jam ſpiritualiter viuit, qui mundi proſpera contemnit, qui nulla aduerſa pertimeſcit, qui ſola æterna deſiderat. Cuius intentioni benè congruens, nec omninò per imbecillitatem corpus, nec valdè per contumaciam repugnat ſpiritus; qui ad aliena capienda non ducitur, ſed propria largitur, qui nulla illicita perpetrat, ſed perpetrata ab alijs vt propria deploret.* Sic ibi.

Et ex Concilio Carthaginenſi.

Et ex Aquiſgranenſi.

Quærendi tales extra Curiam.

30 At dicent: Et vbinam tales? Certè non inter Curiæ ſtrepitum, & aulicas intruſiones. Quærantur ergo alibi, ſicut quæruntur ſtrenui duces, cùm aliquid momenti magni bello tractandum occurrit. Quòd ſi non inueniantur omnibus præfatis dotibus exornati, optimi erunt, qui iuxta Poëtam, vitiis, ſine quibus nemo vixerit, minimis vrgebuntur. Hoc dum non fit, neque tuta eſſe conſcientia poteſt, nec ſana Reſpublica; Indica præſertim, cui ſerò, & à longè præſidia ſanitatis aduehuntur.

CAPVT V.

Grauia quædam incommoda, quæ vitare Regij Conſiliarij debent in Epiſcoporum prouiſione, vt tuta eſſe ipſorum conſcientia queat.

1. Incommodum in prouiſione Epiſcoporũ longinqua tranſlatio.

31 PRimum ſit, ne Epiſcopi ex vno regno ad aliud transferantur, quando id ſine magnis ſumptibus, & longiſſimis itineribus terrâ marique eſſe nequit, ſi præſertim ſenes fuerint, aut aliis corporis incommodis præpediti. Ex Nouâ-Hiſpaniâ ad Peruuium vidimus nonnullos tales aduenìſſe, qui in regno illo poterant decentiſſimè promoueri, aut victuros parùm, aut cum difficultate victuros. Vnum aliquem feliciorem in hac parte, Illuſtriſſimum D. Dom. Ildefonſum Ocon, qui ex Incatanenſi Eccleſiâ in Cuſcenſem promotus, Argentopolitanus Archiepiſcopus obiit Anno 1656. dicentem audiui, nihil inconſultius & diſſonantius illo ſuo tranſitu fieri potuiſſe. Quod quidem ſi ex notitiæ defectu oritur, id eſſe conſtat non leui ex culpâ damnabile, vt dictum *Cap. 1.* ſi alio reſpectu; nullus certè occurrere talis poteſt, qui adeò eſt vacantibus Eccleſiis pernicioſus, detrimentoſus pauperibus, opportuno ſubuentore carentibus, quorum & neceſſaria ſubſidia in expenſis itinerum conſumuntur. Cùm tamen ita diſponi res debeant, *vt eorum cautela, & Eccleſiæ ſeruentur indemnes, & cuicumque neceſſaria pro ſuo modo miniſtrentur.* Cap. *Ecce, 39. diſt.* ex D. Gregorio *lib. 8. Epiſt. 4.*

Vacantiũ Eccleſiarũ damna.

D. Gregor.

2. Ne nimis ſenes eligantur.

32 Secundum, ne nimium ſenes eligantur, quia vel eos mortuos electionis inſtrumenta reperient, vel Sede non conſcenſâ decedent, ſeu paullò pòſt: ſicque vacatio vna aliam diuturnam, & plenam periculis ſubſequetur. Vidimus hoc non multis abhinc annis, octogenariorum, & ſupra, electionibus non ſine ingenti detrimento fruſtratis. Pro quo & eſt à Diuo Gregorio decretum *Libr. 12. Epiſtol. 6.* quod habemus in *Cap. Archidiaconum, 85. diſt.* vbi ſic dicitur: *Archidiaconum Florentinum Eccleſiæ Anconitanæ qui ad Epiſcopatum fuerat electus, Scripturæ quidem ſacræ ſcientiam habere, ſed in ætatis ſenio iam confectum accepimus, vt ad regiminis officium non poſſit aſſurgere, &c.* Neque obſtat aliquem in quibuſdam vigorem conſpici annis ſuperiorem; fallax enim ille, & itinerum defatigatione marceſſet. Epiſcopus Ciuitatis Purenſis, ſeu Conceptionis in Chilenſi regno, ad Eccleſiam ciuitatis Sancti Iacobi in eodem regno promotus, ætate longiſſimâ, iam iam conſcenſurus nauim, dum neſcio quid cibi tenuioris ſumit & potùs, animam exhalauit. Dolet paternis viſceribus Diuus Leo *Epiſtol. 84. Cap. 1.* quòd *Sacerdos*, (Epiſcopum intelligit) ad dura fuerit laboris huiuſce compulſus: *cui non*

D. Gregor.

Epiſcopi Purenſis mors.

Digitized by Google

Moleſtiam itineris in Epiſcopo dolet D. Leo.

non ob moleſtiam ægritudinis, non ob ſæuitiam hiemis darentur induciæ: ſed iter aſperum & periculoſ plenū, per inuios cautes (aliàs, niues) agere cogeretur. Quibus certè non minora in itineribus Indicis conſpiciuntur, niſi quòd etiam longiora.

3. longa vacantia Eccleſiarū.

33 Tertium, & grauiſſimum profectò, iamque inſinuatum, dum non ſedulò prouidetur ne Sedes Epiſcopales diuturnâ vacatione tabeſcant. Pro quo eſt *Cap. Ne pro defectu, de electione*, in quo ſic ſtatuit Innocentius Tertius: *Ne pro defectu Paſtoris gregem Dominicum Lupus rapax inuadat, aut in facultatibus ſuis Eccleſiâ viduata graue diſpendium patiatur: volentes in hoc etiam occurrere periculis animarum, & Eccleſiarum indemnitatibus prouidere: ſtatuimus vt vltra tres menſes Cathedralis Eccleſia vel Regularis, Prælato non vacet &c.* Idem antiquiorum Patrum decretis ſtatutum fuiſſe habemus in *Cap. obeuntibus 63. diſt.* vbi ſic dicitur: *Obeuntibus ſanè Epiſcopis, quoniam vltra tres menſes vacare Eccleſiam, Sanctorum Patrum prohibent ſanctiones* &c. Concilium etiam Tridentinum Epiſcopis æquâ ex cauſsâ abſentiam trium concedit menſium, eorum ſuper hoc conſcientias onerando. Et quia abſentia illa trimeſtris, cum detrimento gregis futura regulariter creditur, id vt prouideant ne ita ſit, verbis grauiſſimis admonentur *Seſſione 23. Cap. 1. de Reformatione.* Quæ cùm ita ſe habeant, facilè videri poteſt quàm ſit Indiarum Eccleſiis exitioſa futura, non vnius aut alterius, ſed plurimùm annorum ſæpè vacatio: & quàm eorum grauatæ conſcientiæ maneant, qui potuerunt, nec voluerunt tamen, opportuniùs prouidere. Argyro-politanam Eccleſiam ſeptennio vidimus viduatam Paſtore: Eccleſiam S. Iacobi Chilenſem non minori ſpatio etiam nunc videmus ſolatio eiuſdem orbatam; & nondum ſtatim finis: Pompaianenſis duodennalem ſuſtinuit orbitatem: Panamenſis, Chartaginienſis, S. Marthæ, & fortè aliæ, diuturnâ viduitate mirum erit ſi non penitus marcuerunt. Et damna quidem videmus, cùm eorum non videamus auctores: certè tamen ſcientes ad Conſilium Regium remedij ipſorum curam pertinere: ſiue totum illud ſit, aut illius portio, Cameræ ſcilicet, iuxta diuerſas circa hoc diſpoſitiones, quarum vtilitates ipſi viderint diſponentes; dummodò communis, & non priuatorum commodi ratio potiſſimùm habeatur.

Cap. Ne pro defectu.

Cap. Obeuntibus.

Concilium Tridentinum.

Quanta illius in Indiis, & quàm frequentia detrimenta.

Quibus tribuenda.

Præfatorū damnorum cauſſa, faciles ſæpè Epiſcoporū mutationes.

34 Præfata autem vacantiarum incommoda, ex alio non ſemel oriuntur incommodo, mutatione inquam Prælatorum: non enim ita facilè repletur Sedes ac contingit vacuari: neque tam opportunè ſpirituale Matrimonium contrahitur cum ſecundo, ac cum tranſlato diſſoluitur. Et de tranſlatione quidem Innocentius Tertius *Cap. Quantò perſonam, de tranſlatione Epiſcopi*, ita loquitur: *Non enim homo, ſed Deus ſeparat, quos Romanus Pontifex (qui non puri hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris) Eccleſiarum neceſſitate, & vtilitate penſatâ, non humanâ, ſed diuinâ potiùs auctoritate diſſoluit.* Sic ille. Hanc autem neceſſitatem, vel vtilitatem in huiuſmodi mutationibus rariſſimè in Indiis accidere, nos, qui videmus & tangimus, non dubij poſſumus proteſtari. Et mirum profectò eſt Conſilij Dominos meliùs videre, & penetrare profundiùs, longiſſimo terrarum & marium diuortio ſeparatos.

Cap. Quanto perſonam.

Neque neceſſitas neque vtilitas communiter in illis.

Non quælibet vtilitatem eſſe ſufficientem.

35 Fateor vtilitatem amplos habere terminos, & ita poſſe illam, licet non eximiam, aliqualem tamen, in mutationibus iſtis deprehendi. Verùm neque hoc videtur ſatisfacere, quia hi, qui rem iſtam proximiùs & intimiùs inſpiciunt, nihil tale deprehendunt: & ſatis periculoſa res eſt; quandoquidem, vt cum aliis habet P. Amicus *Tomo 8. Diſput. 22. num. 73.* tranſlatio facta ſine ſufficienti cauſsâ, ſaltem probabiliter æſtimata, eſt irrita; ſicut diſpenſatio in votis, vel in matrimonio. Deinde, qualiſcumque vtilitas, quæ ſcilicet parui momenti eſt, non debet ad tales mutationes attendi, quia per illas Matrimonium ſpirituale diſſoluitur, vt conſtat ex *citato Capite*, & præſertim ex antecedenti ſatis memorabili, quod incipit *Inter corporalia*; in quo maius illius vinculum quàm matrimonij corporalis eſſe deciditur, & probatur: Atqui matrimonium corporale non qualicumque vtilitate, ſed maximâ diſſolui poteſt, vt omnes de hoc agentes Doctores affirmant. Præterquam quòd vtilitas talis non eſt conſiderabilis ad mutationem, quando ex mutatione ipſâ frequentia inconuenientia reſultant, ad quæ potiùs attendendum: quandoquidem id, quod vtilitatis Eccleſiæ vni videtur accreſcere, decreſcit alteri, quæ vtili ſponſo viduatur.

Ex tranſitu ad aliā Religionem arguitur, communiter non probato. D. Thomas.

36 Propter quam rationem Doctores communiter improbant tranſitum Religioſi ad Religionem alteram, intuitu etiam maioris perfectionis. Pro quo ſic D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 189. *artic.* 8. in Corpore: *Reſpondeo dicendum quòd tranſire de Religione ad Religionem, niſi propter magnam vtilitatem vel neceſſitatem, non eſt laudabile: tum quia ex hoc plerumque ſcandalizantur illi, qui relinquuntur: tum etiam quia faciliùs proficit aliquis in Religione, quam conſueuit, quàm in illa, quam non conſueuit, ceteris paribus.* Sic ille adducens ſtatim verba Abbatis Neſterotis apud Caſſianum *Collat. 14. Cap. 5.* vbi ſic ait: *Vnicuique vtile eſt, vt ſecundum propoſitum, quod elegit, ſiue gratiam, quam accepit, ſummo ſtudio ac diligentiâ ad operis arrepti perfectionem peruenire feſtinet, & aliorum quidem laudans admiranſque virtutes, nequaquam à ſuâ, quam ſemel elegit, profeſſione diſcedat.* Hæc ille. Nec omittenda alia ex *Cap. 6.* vbi ita loquitur: *Impoſſibile namque eſt vnum eumdem hominem, ſimul vniuerſis, quas ſuperiùs comprehendi, fulgere virtutibus. Quas ſi quis voluerit pariter affectare, in id eum incidere neceſſe eſt, vt dum omnes ſequitur, nullam integrè conſequatur: magiſque ex hac mutatione ac varietate diſpendium capiat, quàm profectum.* Videndus P. Suarez *Tomo 4. de Religione Tract. 8. Lib. 3. Cap. 9.* Iuxta quæ conſtat non quamlibet vtilitatem ſufficere, vt ſit mutatio iſta laudabilis, & attendendum damnum, quod derelictæ Religioni obuenire poteſt ex frequenti ſcandalo, propter quod vtilitas prætenſa debet nihili reputari, & ſuſpecta haberi, cùm maior vtilitas ex conſuetis poſſit virtutum exercitationibus, quàm ex nouiter aſſumptis ſperari: bona enim conſueta relinquere, & inſolita inchoare, non ſolet eſſe ad profectum vtile, vt ex D. Thomâ concludit P. Suarez *ſuprà num. 3.*

Caſſianus.

Ob defectum vtilitatis.

Quā magna eſſe debet in trāſlatione E-

37 In caſu autem noſtro de tranſlatione Epiſcoporum idem accidere manifeſtum eſt, pro quo non quæuis vtilitas, ſed magna requiritur:

minor

Digitized by Google

piſcoporũ, pro quo applicatio tranſitus Religioſi.

minor enim non curanda, quia damnum Eccleſiæ relictæ, ad quam maior ob conſuetudinem profectus deriuabitur, dignâ eſt etiam attentione penſandum: vnde quæ ſperatur in aliâ vtilitatis accretio, incerta redditur, maiuſque ex hac mutatione diſpendium, quàm captandum commodum, vt ex Caſſiani iam auctoritate firmatum.

Validè arguitur ex eo quòd electus poteſt non admittere promotionem, ſicut primariam electionem.

38 Pro quo eſt aliud ſatis mihi robuſtum argumentum. Nam ſi electus ad aliam Eccleſiam electioni non annuat, minimè ad nouum illud onus ſubeundum compelletur. Licet enim Summus Pontifex compellere poſſit, id tamen eſt, magnâ neceſſitate aut vtilitate interueniente; aliàs non rectè faciet, medio vtens adeò acri & inſolito, ad diſſoluendum ſpirituale Matrimonium, quod, vt fatetur ipſe, *Eccleſiarum neceſſitate vel vtilitate penſatâ, non humanâ, ſed diuinâ potiùs auctoritate diſſoluit*; vt iam vidimus. Ideò vſus aliter haber, & promotionẽ nõ acceptans in prioris ſponſæ gremio ſinitur requieſcens. Ex hoc iam arguo. Ergo in ordinariâ Eccleſiarum mutatione non eſt momenti alicuius vtilitas. Patet illatio, quia ſi talis eſſet, non poſſent tutâ conſcientiâ illi, ad quos prouiſio pertinet, non acceptantibus acquieſcere, cùm ad maiorem earum vtilitatem procurandam teneantur. Cùm ergo acceptent, ſicut & primariam renuntiationem in nondum Epiſcopis, ſignum eſt de maiori Eccleſiarum vtilitate non eſſe ſolicitos, vt eam cenſeant ex huiuſmodi mutationibus prouenturam. Quòd ſi dicant attendi quidem vtilitatem, ſed recuſante vno, alium paris meriti conquiri. Tunc ſic. Ergo cùm inueniri alius poſſit, non eſt conueniens hunc eligi, ad cuius promotionem neceſſaria eſt diſolutio Matrimonij ſpiritualis, quæ ſecundùm ſe diſconueniens eſt, & ſine magni alicuius boni intuitu nequit honeſtari. Et hæc, vt dixi, in Indiis magis vrgent, vbi eminùs proſpecta fallit vtilitas, & vacationum incommoda cominùs ſentiuntur.

Dilatio Conſecrationis quàm in Indiis frequens, & exitioſa.

Cap. Quoniam.

39 Et illarum quidem frequens cauſſa eſt dilatio conſecrationis ob Bullas nimis quantùm retardatas. Cuius dilationis periculum Pelagius Papa recognoſcit, vt habetur in *Cap. Quoniam* 100. *diſt.* illis verbis: *At per hoc Epiſcoporum conſecratio viduatis Eccleſiis non ſine periculo protelatur.* Sic ille. Cui quidem incommodo à Regio Conſilio ſatis videtur occurſum, dum pariter cum prouiſione Regiâ prouiſio iniungitur ad Eccleſiam ſuam profectus, dum Bullæ expediuntur, & Capitulo Cathedrali ſimul hortamentum dirigitur, vt gubernationem eidem deferat, ne indigenæ Paſtoris curâ diu deſtituti damna ineluctabilia, quæ iam vidimus ex atteſtatione ſacrorum Canonum, patiantur. Et hoc quidem ſi fieret, damna dicta, licèt non penitus, magnâ tamen ex parte ceſſarent. Non fit tamen, & ſunt qui Eccleſias adeant ante conſecrationem, cauſſas ſemper ſuo iudicio veroſimiliter obtendentes. Res ergo hæc momenti tanti preſſiùs diſponenda, ſeriâ deliberatione Conſilij, & Pontificis conſultatione. De quo quidem actum iam, vt apud Dom. Solorzanum videri poteſt *Lib.* 3. *Cap.* 13. *num.* 113. *& ſeqq.* & in Politicâ *Lib.* 4. *Cap.* 13. *verſus finem.* Et licèt quædam abhibitæ cautiones, parum nihilominùs & profecerunt & ſunt ſemper profecturæ, dum non valida ſecuris ad radicem arboris admouetur.

Illis non ſatis occurſum per ſchedulam gubernationis.

Quid in eo videatur opportunius ſcilicet confirmandi vices alicui tribus.

40 Quòd ſi quidquam meum eſſet in hac cauſâ iudicium valiturum, ſic profectò conſulerem, vt Indicorum Epiſcoporum confirmatio à Legato, vel Nuntio in Curiâ exiſtente peteretur, & quidquid ad Conſecrationem ex Apoſtolicæ Sedis præſcripto neceſſarium fuerit, Sede ipsâ Apoſtolicâ Vices ſuas Legatis & Nuntiis ad hæc munia conferente, & cum obligatione ad eamdem Apoſtolicam Sedem pro Bullis obtinendis, vbi primùm opportunitas fuerit, recurrendi. Quod equidem non debet reputari abſurdum: extraordinaria enim quæ occurrunt, non ſunt ordinariis modis aut mediis diſponenda, & aliquid remittendum de iure, vbi exacta iuris obſeruatio incipit eſſe damnoſa. Regibus Catholicis pro moderatione Indiarum multa ſunt ab Apoſtolicâ Sede præter aut etiam contra communes regulas iuris indulta, vt ſint non pauci, qui cenſeant eum eſſe Sedis eiuſdem Legatum, vt diximus *Titulo præcedenti Cap.* 15. quod in laicâ perſonâ quis non cenſeat admirandum? Ergo & pro Indiarum bono id, quod vti conueniens profero, poterit cum minori admiratione præſtari. Pro quo facit *Cap. Valde* 94. *diſt.* in quo ſic ait Symmachus Pontifex: *Valde neceſſarium proſpeximus eſſe, vt ſicut Prædeceſſorum noſtrorum fuit iudicium, ita vni eidemque perſonæ omnia committamus: & vbi præſentes eſſe non poſſumus, noſtra per eum, cui præcipimus, repræſentetur auctoritas. Quapropter Petro* &c. Poterit etiam facultas confirmandi Indiarum Patriarchæ concedi, quo pacto dignitas illa non erit nudi tituli, ſed de re maximè Indicis Eccleſiis conuenienti.

Roboratur ex conceſſionibus aliis pro Indiis,

& ex Apoſtolicæ Sedis ſtylo.

Cap. Valde.

Non ſemper illa Sedi Apoſtolicæ reſeruata, pro quo iura varia iuxta quæ aliis id tributum.

41 Quod roborari ex eo poteſt valdè in cauſâ iſtâ congruenti; confirmationem ſcilicet Epiſcoporum non ſemper fuerit à Sede Apoſtolicâ requiſitam. Vnde Concilium Nicænum 1. *Can.* 4. ſic ſtatuit: *Poteſtas ſanè vel confirmatio, pertinebit per ſingulas Prouincias ad Metropolitanum Epiſcopum.* Quod habetur in *Cap. Epiſcopi* 64. *diſt.* & eiuſdem Concilij decretum aliud extat in *Cap. Illud, eadem diſt.* Ad Primatis auctoritatem ſpectare determinat Concilium Carthaginienſe 3. Ad Legatum Sardicenſe. Diuus Leo Magnus Epiſt. 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum & Primatem ita ſcribit: *De perſonâ autem conſecrandi Epiſcopi, & de Cleri, plebiſque conſenſu, Metropolitanus Epiſcopus ad Fraternitatem tuam referat: quodque in Prouinciâ benè placuit, ſcire te faciat: vt ordinationem celebrandam tua quoque firmet auctoritas. Quæ rectis diſpoſitionibus nihil moræ aut difficultatis debet adſerre, ne gregi Domini diu deſit cura Paſtorum.* Sic ille, quod & habetur in *Cap. De perſona* 65. *diſt.* Addit autem ſtatim quid faciendum, quando Metropolitano defuncto alius eſt in eius locum ſubrogandus: quod videri poteſt in *Cap. Metropolitano* 63. *diſt.* & etiam 77. *in principio.* Nicolaus Pontifex Ioanni Rauennati Archiepiſcopo ita ſcribit: Epiſcopos per Æmiliam non Conſecres, niſi poſt electionem vel conſenſum Cleri & populi. *Cap. Epiſcopos* 63. *diſt.* Gelaſius Epiſcopis per Dandaniam conſtitutis ſic præcipit: *Sicut vetus conſuetudo depoſcit, vnanimiter ſtatuatis Antiſtites, & viciſſim, ſi Metropolitanus humanæ conditionis ſorte deceſſerit, à Comprouincialibus Epiſcopis (ſicut forma tranſmiſit) ſacrari modis*

D. Leo Magnus.

Cap. Epiſcopos.

Gelaſius Pontifex.

Digitized by Google

dis omnibus cenſeatis. Neque ſibi quemquam, quod vobis antiquâ diſpoſitione conceſſum eſt, patiamini vendicare. Cap. Quia per ambitiones 65. *diſt.* Pro quo & eſt tota *Diſtinctio* 64. & videri alia poſſunt apud P. Bauny *Tomo* 1. *Tract.* 8. *Quæſt.* 5. *& ſeqq.* & apud Dianam *Parte* 10. *Tract.* 1.

Longinquitatis præſertim ratione.

42 Sed illud magis ad rem quòd propter longinquitatem inuenimus priuilegium hoc à Sede Apoſtolicâ non ſemel fuiſſe conceſſum. Sic enim loquitur Gelaſius Papa in *Cap. Pudenda* 24. *Quæſt.* 1. *Is mos antiquus fuit, vt quia pro longinquitate vel difficultate itineris, ab Apoſtolico onerosum illis fuerat ordinari: ipſi ſe inuicem Mediolanenſis & Aquileienſis ordinare Epiſcopi debuiſſent: ita tamen vt in eâ ciuitate, in quâ erat ordinandus Epiſcopus, alterius ciuitatis Pontifex occurrere debuiſſet: vt Ordinandi electio à præſenti Ordinatore ex conſenſu vniuerſalis, cui præferendus erat, Eccleſiæ, melius ac faciliùs potuiſſet agnoſci.* Sic ibi ob lōginquitatem & difficultatem ei, de quâ agimus, nullo modo comparabilem.

Cap. Pudenda 24. *quæſt.* 1.

Pro Hiſpaniâ conceſſio ſpecialis.

Cap. Cùm longè.

43 Pro Hiſpaniâ verò extat Concilij Toletani 12. Canon. 6. à Gratiano deſumptus, & *Diſt.* 63. *Cap. Cùm longè*, his verbis expreſſus: *Cùm longè lateque diffuſo tractu terrarum, commeantium impeditur celeritas nuntiorum, quo aut nequeat Regibus audientibus decedentis Præſulis tranſitus notificari, aut de ſucceſſore morientis Epiſcopi libera Principis electio expectari: naſcitur ſæpè aut noſtro Ordini de relatione talium difficultas, aut Regiæ poteſtati, dum conſultum noſtrum pro ſubrogandis Pontificibus ſuſtinet numeroſa neceſſitas. Vnde placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ atque Galliæ vt ſaluo priuilegio vniuſcuiuſque Prouinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici quoſcumque Regalis poteſtas elegerit, & iam dicti Toletani Epiſcopi iudicium dignos eſſe probauerit, in quibuſlibet Prouinciis & in præcedentium Sedibus præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores: ita tamen vt quiſquis ille fuerit ordinatus, poſt ordinationis ſuæ tempus, intra trium menſium ſpatium, Metropolitani proprij præſentiam viſurus accedat.* Sic ibi. Ex quo longinquitatis & neceſſitatis incomparabili diſcrimine ponderato, vt nuper circa Mediolanum, & Aquileiam, alius opportunæ prouiſionis modus occurrit: ſi videlicet confirmatio Indicorum Prǽſulum Toletano Antiſtiti, vtpotè Hiſpaniarum Primati committatur. Vacante autem Toletanâ Sede, Legato, Nuntio, Patriarchæ, aut Hiſpalenſi Archipræſuli, vel alteri, qui commodior fuerit iudicatus. Quod dum non ita diſponitur, ſibi penitus perſuaſum habeant Prouiſores damnis & periculis vacantiarum nullatenus obuiandum: cùm tamen nihil in rebus Indicis occurrat, cui de præſentiori magis debeat remedio prouideri.

Toletano Præſuli confirmatio meritò committenda.

CAPVT VI.

An Conſilium Indiarum tutâ conſcientiâ cauſſarum decimalium cognitionem & deciſionem aſſumat.

§. I.

Aſſertio prima propoſita & comprobata.

Decimales cauſſæ fori ſunt Eccleſiaſtici, pro quo iura varia.

44 CVm decimales cauſſæ ſpirituales ſint, & ita Eccleſiaſtici fori ex *Cap. Tua*, de decimis. *Cap. Statuimus. Cap. In ſacris. Cap. In canonibus. Cap. Similiter. Cap. Quia iuxta* 16. *Quæſt.* 1. *Cap. Decretum* 10. *Quæſt.* 1. Caput autem *Conuenior* 23. *Quæſt.* 8. & *Cap. Per lectis* 25. *diſt.* ab iis adducta, in ſpeciali non loquuntur. Pro quo & Dom Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 1. *num.* 37. adducit Clement. *Diſpendioſam, de iudiciis*, quæ tamen parùm videtur conducere, quia ibi tantùm decimarum cauſſa inter eas numeratur, quarum non eſt protrahenda tractatio, ſed breuiter terminanda: ſicut & Decretalis Alexandri Tertij ab eodem relata *Lib.* 4. ſub titulo de iudiciis, incipiens *Relatum*, cùm in poſteriori compilatione deſideretur. Vrget tamen ſummâ auctoritas Bullæ Cœnæ in 14. *Excommunicatione* Sedi Apoſtolicæ reſeruatâ, vbi de decimis expreſſa mentio, quarum iudicium prohibet à iudicibus ſæcularibus vſurpari: quamuis non videatur omnem vſurpationem comprehendere, ſed quando cauſſæ tales à iudicibus Apoſtolicis ad propria tribunalia, & prætextu exemptionum & gratiarum, auocantur: de quo diuerſæ ſunt Scriptorum ſententiæ, circa quas videri poteſt P. Palaus *Parte* 6. *Diſput.* 3. *Puncto* 15. Ad inſtitutum tamen præſens omnino conducit, quia decimales cauſſæ inter ſpirituales recenſentur. Cùm inquam cauſſæ iſtæ tales ſint, & ita aperta prohibitio, meritò quæſtio ſuboritur, de quâ *in Titulo*, & eo præſertim, quia prohibitione dictâ non obſtante, videmus eam à Regio Senatu ad ſe acriter aduocatam. Et quod id meritò factum, contendit Dom. Solorzanus *ſuprà num.* 42. *& ſeqq.* vbi plures adducit id tenentes, & Regia item reſcripta, quibus idem ſtatuitur, aut ſupponi videtur. Pro quo & in Politicâ *Lib.* 4. *Cap.* 1. Circa quod

Inde quæſtio præſens.

45 Dico primò. Præter ius percipiendi duos Nouenos in diſtributione decimarum reſeruatos, nihil prætereà Regibus Catholicis iuris conuenit vt Indiarum dominis, propter quod eorum Conſilium poſſit ſe decimalibus cauſſis immiſcere. Probatio eſt euidens. Nam ſi ſpeciale aliquod ius competeret, id eſſet ob titulum donationis eiſdem factæ ab Alexandro Sexto, cuius tenorem adducit Dom. Solorzanus *ſuprà num.* 7. Atqui hoc non ſufficit; ergo nullus eſt titulus ſpecialis. Maiōr eſt certa, & eam, qui aduerſantur, admittunt. Minor autem oſtenditur. *Primò.* Quia donatio hæc non habuit effectum: ſic enim in illa Pontifex: *Poſtquàm illæ acquiſitæ ac recuperatæ fuerint (vt præfertur) aſſignata priùs realiter & cum effectu, iuxta ordinationem tunc Diœceſanorum locorum, quorum conſcientias ſuper hoc oneramus, Eccleſiis in dictis Inſulis erigendis, per Vos, & ſucceſſores veſtros præfatos, de veſtris, & eorum bonis dote ſufficiente, ex quâ illis præſidentes, earumque Rectores, ſe commodè ſuſtentare, & onera dictis Eccleſiis pro tempore incumbentia perferre, ac cultum diuinum ad laudem Omnipotentis Dei commodè exercere, iuraque Epiſcopalia perſoluere poſſint, decimam huiuſmodi percipere, ac licitè & liberè leuare valeatis, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium de ſpeciali dono gratiæ indulgemus.* Sic Alexander. Tunc ſic. Regibus Catholicis talis eſt facta conceſſio ſub conditione onerosâ fundandi & dotandi Eccleſias ex propriis bonis: ergo eâ non impletâ, diſpoſitio Pontificia non ſubſiſtit. Antecedens eſt ipſa conceſſionis forma, & conſequentia certiſſima ex indubitatis iuris vtriuſque regulis: pro quo

Aſſertio 1. *Præter duos Nouenos nihil iuris in decimis Regibus noſtris competere.*

Probatio ex eo quòd donatio Pontificia non ſuffragatur.

Digitized by Google

quo videri plures Textus poſſunt, quos adducit Gloſſa in *Cap. Verùm, de conditionibus appoſitis*, & quæ adducit Dom. Solorzanus *Tomo 2. lib. 2. cap. 11. n. 35. & 36.*

Conditionē à Pontifice appoſitam non impletam.

46 Tunc vltra. Conditio dicta non eſt impleta, vt conſtat ex eo quòd Reges Catholici Eccleſias ex propriis bonis non dotarunt, ſed donatas ſibi decimas redonarunt Eccleſijs, ex quibus illarum fundationes promotæ, & dotes pariter conſtitutæ. Sic conſtat ex formâ redonationis eiuſdem, quam adducit Antonius de Herrera *in Hiſtoria generali Indiarum Decade 1. Lib. 8. Cap. 10. pag. 278.* vbi capitulationes & ſolemnitates adnumerat, quibus hæc facta renuntiatio *Anno* 1512. cùm Bulla conceſſionis ſubdata fuerit *Anni* 1501. Illo autem interiecto temporis ſpatio executioni commoditas defuit ob ipſius breuitatem, & quia tunc non fuerunt certi & ſtabiles Diœceſani locorum, iuxta quorum ordinationem negotium adeò graue tranſigendum Pontifex demandarat. Epiſcopis autem jam deſignatis, renuntiatio facta eſt, quibuſcum id, quod erat expediens, poſt attentam conſiderationem, & doctorum virorum conſultationem, ſolemnis eſt illa pactio celebrata. Ex quo manifeſtum relinquitur donationem Pontificiam defectu impletæ conditionis minimè effectum habuiſſe. Res ergo in eôdem ſtatu relicta, quem, ſi non extitiſſet donatio, erat habitura: & ita ratione conceſſionis nihil ſpeciale intercedit, ob quod decimarum cauſa debeat, aut poſſit, à Regio Conſilio tractari.

Renuntiatio decimarū quomodo à Regibus Catholicis facta.

Eccleſiis Indiarū ſuum reſtitutum jus, ex quo efficaciter arguitur.

47 Deinde, à Catholicis Regibus jus, quod ad percipiendas decimas beneficio Sedis Apoſtolicæ competebat, Indiarum eſt Eccleſiis reſtitutum: ergo eum habet ſtatum res hæc, quem habuiſſet non ex tantâ conceſſione. Antecedens conſtat ex verbis Capitulationis, ſic enim aiunt Ferdinandus & Ioanna eius filia Hiſpaniæ Regina: *Queſus Alteza, porqi los dichos Obiſpos conla Clerecia, tengan carge de rogar à Dios porſus vidas, y Reales eſtados, y porſus animas quando de eſte mundo partan, è de los Reyes, que enſu Reyno ſucedieren, è de los fieles Chriſtianos, que adquiriendo y deſcubriendo las dichas Inſulas murieron, les hacen merced, gracia, y donation, deſde agora para ſiempre Iamas, de los diezmos à ſus Altezas pertenecientes en las dichas Iſlas, y han por bien que los lleben, ſeguen, è por la forma, que à ſus Altezas pertenencen por conceſſion y donacion, que de ellos les hizo el Papa Alexandro ſexto de felice recordacion, &c.* Cùm ergo abſolute faciant donationem, jus omne cedunt, quod eſt proprium donationi, quod & expreſſiſſimè profitentur poſtremis verbis, dum aiunt, *ſibi benè placere, vt Epiſcopi & Clerus decimas habeant, juxta eam formam, quà ad ſuas Celſitudines pertinebant, ſecundùm conceſſionem & donationem Alexandri ſexti.* Omne ergo jus, quod ex donatione habebant, donatione tranfundunt; vnde non remanet in eiſdem; ne contradictio ſubſit manifeſta.

Verba Capitulationis.

§. II.

Reſponſiones quædam confutatæ.

Renuntiationē fuiſſe totalem oſtenditur.

48 NEc dicas donationem quidem veram fuiſſe, ſed non totalem, niſi reſpectu earum decimarum, quæ ex Inſulis tunc detectis competebant: hoc enim inſtantiam habet manifeſtam. Nam id Eccleſiis donarunt, quod ipſis fuerat ab Apoſtolicâ Sede conceſſum. Aut ergo ab Apoſtolicâ Sede illarum tantùm Inſularum decimæ conceſſæ ſunt; & ſic quæ poſteà, detectis ingentibus tractibus, multiplices & pingues obueniunt, minimè Regalis juris erunt, & ita naturam ſuam ſpiritualem & Eccleſiaſticam conſeruabunt; ac proinde habemus intentum. Aut conceſſio ad illas, & omnes alias detegendas ſe extendit, quod ex Textu perſpicuum habetur, verbis illis: *Indias & partes Indiarum acquirere.* Et inferiùs. *Et quia pro recuperatione Inſularum, & partium prædictarum, &c.* Atqui Reges Catholici donationem faciunt juxta formam conceſſionis ſibi factæ: ergo non ad prædictas tantùm, ſed abſolutè ad partes omnes Indiarum debet extenſa judicari. Deinde. In tali decimarum remiſſione, quam perpetuam eſſe volunt, generaliter loquuntur, neque vllam aut detectam aut detegendam terram ſibi reſeruant; cùm tamen ex petitione, cui Pontifex annuit, omnino conſtet illos de conquiſitione aliarum terrarum cogitaſſe, & præſertim Regem Catholicum: Sereniſſima enim Iſabella etſi cogitauerat, jam tunc in viuis non erat, ſed eius filia Hiſpaniæ Regina, aut maioris illius partis: ergo cùm reſeruare potuerint, nec tamen reſeruauerint, nihil planè videntur excepiſſe. Quando etiam ratio remiſſionis eſt generalis; ſuſtentatio inquam ſacrorum miniſtrorum, & ſuffragia animarum, tum ſuarum, tum ſucceſſorum, & Conquiſtatorum. Item. Non occurrit coniectura aliqua, ex quâ intelligi poſſit voluiſſe erga detegendas terras donationem coarctare: videantur quæ in ſimili habet Dom. Solorzanus *Tomo 2. lib. 3. cap. 12. n. 64. & 65.*

Verba Alexandri VI.

Ex ratione donationis vrgetur.

Succeſſoribus renuntiationem præiudicaſſe.

Illud tamen poteſt vlteriùs reſponderi, donationem prædictam non potuiſſe ſucceſſoribus præiudicare. Quod tamen nullius eſt roboris. Cùm enim conceſſio illa ad inſtantiam ipſorum Regum à Pontificiâ Sede deſcenderit, ſicut per eorum placitum impetrata eſt, ita & potuit per beneplacitum eorum dein ipſi renuntiari. Cùm præſertim onerosa fuerit, grauamine impoſito dotandi Eccleſias, & earum miniſtros ex bonis Regalibus ſuſtentandi: quo pacto dubitari poterat an emolumentum, an detrimentum potiùs Regio patrimonio, ex quo tot extrahendi ſumptus, eſſet allatura. Præterquàm quòd id quod datur Eccleſiæ, non cenſetur in damnum Regii patrimonii cedere: vnde donatio Conſtantini, quâ maior nulla, juſta, ſancta, & ab Eccleſiâ laudibus, & gratitudinis argumentis aliis celebrata; licet jura Imperii nequeant alienari. Pro quo ſunt ſcriptores circa *Cap. Conſtantinus, 90. diſt.* & prætereà Rebuffus de *decimis cap. 10. num. 17.* in propriis terminis. Rubeus *de juribus Regalibus Priuilegio 11.* Philippus Probus *in eodem Tractatu 9. q. 2. num. 15 & quæſt. 60. num. 10. & 36. & quæſt. 61. num. 2.* Valeorzuela

Donatio Eccleſiæ in detrimentū Regij patrimonij non cedit.

zuela contra Venetos *Parte* 2. *num.* 12. Thomas Bozius *de ſignis Eccleſiæ Tomo* 3. *lib.* 10. *Cap.* 89. Anaſtaſius Germonius *de immunitate Eccleſ.Cap.*9. *per totum.* Valdes *de dignitate Regum Hiſpanorum Cap.* 21. Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *lib.*3. *Cap.* 4. *num.*10. *& ſeqq. & Cap.* 12.*num.*62. vbi plurimos congerit. Et in Politicâ *Lib.*4. *cap.* 4. *num.*12. P. Molina *Tomo* 1. *tractat.* 2. *Diſput.* 25. apud quem Bartholus, Panormitanus, & Maior. Quod ergo ad donationem Alexandri Sexti ſpectat, non habere jam vim vllam, dictâ renuntiatione poſitâ, ſatis ex dictis habetur manifeſtum.

Conceſſionē Alexandri ab alijs Pōtificibus confirmatam, vnde oſtendi queat.

50 Quia verò dicitur conceſſionem præfatā ab aliis ſummis Pontificibus confirmatā fuiſſe, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *Lib.*3. *cap.* 1. *num.*7. & in Politicâ, *pag.*499. licèt nullum in ſpeciali adducat; quod & videtur admittendum ex eo quòd erectio non Eccleſiarum Cathedralium, quæ ex auctoritate Apoſtolicæ Sedis fiunt; ad eamdem Sedem cum debitâ obedientiâ & ſubmiſſione remittuntur, vt per eam, ſi oportere viſum fuerit, approbentur & confirmentur: quod ſemper ob ſummam ipſarum erectionum juſtificationem, & conuenientem diſpoſitionem, obtinetur: vt teſtatur Auctor idem *cap.*4. *num.*5. In ipſis namque erectionibus diſtributio decimarum recenſetur, & Nouenorum duorum ratio redditur, qui Regibus noſtris in ſignum ſuperioritatis & Patronatus juris aſſignantur. Non poſſent autem Noueni tales tribui, niſi in Regibus noſtris jus aliquod eſſet ſpeciale ad illos ex tali aſſignatione leuandos. Ob ſuperioritatem enim, & jus patronatûs præcisè non poteſt Eccleſia Cathedralis penſionem ſibi ex decimis ſoluendam imponere, quæ vim legis teneat; cùm præſertim adeò pinguis ſit in multis Epiſcopatibus, vt viginti millia argenteorum ponderum, ſeu octi-regalium excedat. Iuſtificari ergo illa poteſt, quia eſt veluti portio ex decimis, quæ ad Reges noſtros per conceſſionem Pontificiam pertinent, ſibi ab eiſdem reſeruata.

Duorum Nouenorū juſtificatio.

Videtur eſſe per modum ſalarij ob protectionē.

51 Niſi fortè dicatur Nouenorum aſſignationem eſſe per modum ſolutionis, eò quòd Regi vt Patrono aliquid per modum ſalarii debeatur, quandoquidem Eccleſias Indicas ſpeciali defendit curâ, & erga earum rectam adminiſtrationem magna gubernationis verſatur pars, miniſtrique plures ſint in Regio Conſilio, & Audientiis aliis, in quorum ſuſtentatione quæſtuoſiſſimæ expenſæ fiunt, ad quas videtur æquiſſimum vt Eccleſiæ liberali recognitione concurrant, in quarum commodum totus iſte cedit prouidentiæ Regalis apparatus.

Sed non admittitur.

52 Verùm reſponſio iſta nequit ſuſtineri. Nam Reges Catholici tenentur ad protectionem Eccleſiarum, etiam nullo ab ipſis, quod rationem ſalarii habeat, pretio reportato. Aliàs Eccleſiæ ad tributa & gabellas tenerentur, quæ eo titulo Regibus à vaſſallis conferuntur: quod eſt manifeſtè contra immunitatis prærogatiuam. Vnde in orbe Chriſtiano nihil tale reperietur. Et ſic *L.* 55. *Titul.*6. *Parte* 1. ſtatuitur vt Regibus ob donata, titulo dotationis nihil ſit tribuendum ab Eccleſiis. Quòd ſi in Hiſpaniâ Tertiæ, & ſubſidium ac Excuſatum, quod vocant, Regi penduntur; id ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ priuilegio aut conceſſione procedit. Et pro Indiarum Eccleſiis eſt ratio ſpecialis, ad quarum protectionem tenentur Reges noſtri ob Indiarum ampliſſimam donationem eo titulo factam: vnde ſuis ſtipendiis non militant in huiuſmodi protectione, ſed illa ſatis cumulata recipiunt theſauris Indicis reportatis. Doctrina erga prædicta nequit ſuſtineri.

Reges Catholici ad Indiarum Eccleſiarū tenentur protectionē.

§. III.

Circa duos Nouenos obſeruanda doctrina, & nouum robur ex Regia ceſſione.

Duorum Nouenorū penſio vnde ſcrupuloſa videatur.

53 PRopter dicta nuper ſunt qui ſcrupuloſam cenſeant Nouenorum huiuſmodi penſionem; eò quòd ad illam portionem leuandam ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ, neceſſarium ſit vt conditio ab eâ impoſita impleatur; ſcilicet Eccleſias à Regibus Catholicis ex propriis bonis dotari, quod tamen non fit. Sicut autem conditio impleri debuit ad leuandum integrè decimas, ita & ad eius partem, ſi illa in Pontificiâ fundatur conceſſione; fundamentum autem aliud jam vidimus non extare. Et hi quidem videntur ſupponere præter conceſſionem Alexandi Sexti, aliam non eſſe, ratione cuius Regibus noſtris jus poſſit competere decimale. Vnde non apparet ita compertum, quod Dom. Solorzanus proteſtatur, ſcilicet alios idem conceſſiſſe Pontifices, dum conceſſum confirmarunt. Et mirum profectò eſt confirmationem talem in ſpeciali non produci, ex cuius tenore multæ poſſent circa hoc difficultates & ſcrupuli ſubmoueri.

Augetur difficultas ex recurſu in erectionibus ad Bullam Alexandri.

54 Præterquàm quòd vbi de fundatione & donatione Eccleſiarum agitur, & quantâ cum exactione circa hoc Regum noſtrorum prouidentia verſetur, ad Bullam Alexandri Sexti recurritur, & juxta formam in eâ expreſſam omnia peracta demonſtrantur. Pro quo videndus Dom. Solorzanus *Lib.*3. *cap.*4. *num.*2. *& ſeqq.* & in Politicâ *Lib.* 4. *cap.* 4. *in principio*; vbi ait à Regibus noſtris fundatas Eccleſias, & eorum curâ Epiſcopatus conſtitutos & conuenientes miniſtros aſſignatos, liberaliter fructibus pro eorum ſuſtentatione relictis, ſibi priùs ab Apoſtolica Sede conceſſis: & vbi decimæ non ſufficiunt, ex Regiis juribus, & redditibus ad eamdem ſuſtentationem competentibus prouentibus aſſignatis; addens tandem in hunc modum: *ſequentes nimirùm tenorem Bullæ dictæ conceſſionis, ibi: Aſſignata priùs realiter, & cum effectu, &c. de veſtris, & eorum bonis dote ſufficiente, &c.* Non ergo Bulla alia eſſe videtur, cuius tenor in hoc negotio debeat obſeruari. Et quidem cùm poſt prædictam conceſſionem præcipua fuerit Indiarum detectio, vt eius comparatione, quod tunc erat, parui debuerit æſtimari: Bullæ circa fundationem Eccleſiarum, & Epiſcopatuum erectionem impetratæ, magis eſſe ſpeciales debuerunt: vnde juxta earum tenorem, quæ ad hoc ſpectant potiùs peragenda. Cùm ergo nihil videamus tale, videntur Bullæ tales non extare.

Dom. Solorzanus.

Defenditur tamen illorum penſio & exactio.

55 Nihilominùs non damnanda Nouenorum conſtitutio, & eorumdem exactio, quia quod ad conceſſionem Pontificiam deſiderari poteſt,

Digitized by Google

poteſt, commodam habet iuxta dicta expoſitionem. Pontifices enim videntur eam approbaſſe, dum Eccleſiarum erectiones approbarunt: in quibus cùm mentio fiat Bullæ Alexandri Sexti, iuxta cuius tenorem diſpoſitæ ſunt, eadem pariter comprobata & facit pro eodem exceptio, quæ in citatâ lege Partitarum habetur verbis illis: *Fueras ende aquello, que eſtos Señores touieron para ſi ſeña ladamente.* Nec dici poteſt Reges noſtros conditionem ab eo poſitam non implere: licèt enim ex propriis bonis eas non penitus dotent, id quod facere tantùm plenè debebant, ſi integrè decimas leuarent: ad earum tamen conſtructionem, quæ ſine ingentibus ſumptibus nequit ad colophonem perduci, eximiâ pietate concurrunt. Cùm etiam Noueni iſti in vſus expendantur pios, & ſæpè fabricis eccleſiarum applicentur, vt teſtatur Dom Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 4. *num.* 18. & in Politicâ *pag.* 522. §. *Y oy la retendran.* Et præterea cùm Nouenus cum dimidio hoſpitalibus aſſignatus pro infirmorum minimè ſubleuatione ſufficiat, etſi his proximis annis ad ſexdecim ferè millia argenteorum ponderum ſeu octo regalium, inter duos, Hiſpanorum ſcilicet & Indorum, diſtribuendorum in Limanâ hac Eccleſia excreuerit: ex tributis & iuribus aliis ſatis magnam ſummam adiiciunt: vt Regium patrimonium ex contributione dictâ Nouenorum neutiquam videatur augeri, quando in id certiùs impenditur, in quod à miniſtris ſacris minùs forſan securè impendendum poſſet ſuſpicari.

Probatio 1. Aſſertionis concluditur & incompetentia iudicũ laicorum oſtenditur.

56 Iuxta quæ, ſiue vna tantùm Bulla conceſſionis fuerit ſiue plures, manifeſtum relinquitur Reges noſtros decimarum ius virtute illarum habitum in Eccleſias reuocaſſe: vnde & ab eiſdem adminiſtrantur & diſtribuuntur, plenariâ penitus poteſtate. Ex quo clara relinquitur Conſequentia præcipua, & Aſſertionis probatio; ſcilicet non poſſe iudices ſæculares in earum ſe cauſſis immiſcere: tum quia ſpirituales ſunt, vt Canonico iure deciſum, quod iam vidimus *num.* 44. tum quia eſt iudicium de re alterius proprium forum habentis; & ita illi ſunt prorſus incompetentes: ſicut incompetentes haberentur iudices Eccleſiaſtici, ſi vellent de laicorum bonis iudicare. Vnde ius ipſum Canonicum cauſſas tales ad illos remittendas eſſe decernit, etiamſi Clerici ſint actores. *Cap. Si Clericus. Cap. Ex tenore, de foro competenti*, vbi præclara illa ſententia: *Nos igitur attendentes, quòd ſic ſumus viduis in iuſtitia debitores, quòd aliis iniuſtitiam facere non debemus.* Verba ſunt Innocentij Tertij. In vſurpatione ergo alieni fori iniuſtitia eſt: vt animaduertant ſæculares iudices Eccleſiaſtici fori cauſſas vſurpantes, non ſolùm contra Religionem delinquere, ſed iuſtitiam etiam violare.

Cap. Ex tenore.

Vſurpatio alieni fori eſt contra iuſtitiam.

§. IV.

Vlterior probatio, & notanda quædam.

Tali in cauſſarum decimaliũ cognitione, etiamſi Regi con-

57 DEinde Poſitio illa, de quâ poſt Aſſertionè *n.* 45. probari vlteriùs poteſt: nam etiamſi demus priuilegiũ leuandi decimas Regibus noſtris competere, non ideò ſequitur earum cauſſas poſſe à laicis tribunalibus iudicari: ergo ea ratio minimè ſuffragatur. Antecedens probatur ex receptiſſimâ ſententiâ affirmante, quando decimæ in feudum, ſeu emphytheuſim ſæcularibus conceduntur, earum cauſſam ad iudicem Eccleſiaſticum pertinere. Pro quâ plures adducit Diana *Parte* 1. *Tract.* 2. *Reſolut.* 91. *Parte* 3. *Tract.* 1. *Reſolut* 50. & *Parte* 4. *Tract.* 1. *Reſolut.* 56. Eſtque expreſſa deciſio Rotæ, vt idem teſtatur Auctor ex Antonio de Marinis per extenſum illam proponente. Et eamdem, cùm de iure decimandi agitur & non de facto, præter citatos à Dianâ tenent Barboſa *Lib.* 3. *de iure Eccleſ. Cap.* 26. §. 4. *num.* 1. & 3. Molfeſius *Tractatu* 6. *Cap.* 4. *num.* 64. Trullens *in Decalogum Lib.* 3. *Cap.* 3. *Dub.* 8. *num.* 11. Gutierrez *de iuramento confirmatorio. Parte* 1. *Cap.* 2. *num.* 35. Zerola *Parte* 1. *v. Decima*, §. 6. Leander de Sacramento *Tractatu circa Quintum Eccleſiæ præceptum*, *Quæſt.* 29. Baſſæus *v. Decimæ num.* 12. Doctor Carraſcus del Saz Panamenſis Cancellariæ Senator & Iuriſconſultus egregius, *in Tractatu de iudice competente decimarum Cap.* 6. §. 2. *num.* 2. & 3. Tondutus de præuentione iudicij 2. *parte Cap.* 25. *num.* 2. Rebuffus *Tractatu de decimis. Quæſt.* 12. *num.* 2. P. Suarez *Tomo* 1. *de Religione Libr.* 1. *de diuino cultu Cap.* 38. *num.* 15. & 16. P. Leſſius *Libr.* 2. *Cap.* 39. *num.* 18. P. Caſtro Palaus *Tomo* 2. *Tract.* 10. *Diſputat. Vnica Puncto* 15. *num.* 5. & 8. P. Vincentius Tancredi *Tract.* 1. *de Religione Lib.* 2. *Quæſt.* 2. alios adducens. Et eſt adeò communis ſententia Theologorum, vt vix ſit, qui ex illis in oppoſitam inclinarit.

cua. ubi ex feudo & Emphytheuſi arguitur.

58 Solus P. Henriquez *Libr.* 7. qui eſt de Indulgentiis. *Cap.* 27 *in Gloſſâ lit. L.* aſſerit de decimis nobilibus laicis à Pontifice conceſſis, non Epiſcopum, ſed laicum iudicare. Et eſſe probabile cùm decimæ in perpetuum conceduntur, affirmat P. Palaus *ſuprà num.* 6. & Patrem Henriquez adducens Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 1. *num.* 44. aut ita reſoluere poſt Nauarrum in *Manuali Cap.* 21. *num.* 3. & alios Theologos, & Iuriſtas. Sed certè citatus Pater nullum pro eo Theologum adducit: nam nonnulli ab eo *Litterâ antecedenti* citati, ad rem aliam pertinent, quòd ſcilicet, quamuis mulier, communiter loquendo, non ſit capax iuriſdictionis ſpiritualis, eam Pontifex poteſt reddere capacem: ex quo pro decimis arguit: quod non negamus, licèt negari non ſine magno fundamento poſſit: vnde id vt certum videtur admittere Dom. Solorzanus *ſuprà num.* 42. dum ait ius decimandi ſpirituale eſſe, & ita iudices laicos ad iudicandum de illis penitus incapaces, atque ita non agi de eo in caſu præſenti, ſed de temporali earum perceptione. Nullum eſt ergo à Theologis ſententiæ iſti patrocinium, & citatus Pater praxim appoſuit, non illius iuſtificationem: neque enim omnis praxis illam habet. Vnde Couarruuias *Practicarum Quæſtionum Cap.* 35. *num.* 1. §. *Non oberit*, cùm ſtatuiſſet cauſſam poſſeſſionis rei ſpiritualis vel quaſi ſpiritualis, non poſſe per laicum iudicem examinari, ſubdit ſic: *Ex quibus opinor vſum forenſem Galliæ admodum refragari iuris Pontificij receptis concluſionibus.* Additque ſtatim: *Tametſi quandoque Reipublicæ conueniat illum etiam apud nos admitti.* Sic ille acſi in Catholiciſſimo regno expediens eſſe poſſit Iuris Pontificij receptis concluſionibus

Patrem Henriquez non benè pro contrariâ ſententia adduci

Circa ius decimandi rem eſſe certam communi aſſenſu

Non omnis praxis iuſtificata.

Couarruuias.

Digitized by Google

bus refragari. Præterea P. Henriquez non ab Epiſcopis, ſed à laicis iudicibus cognitionem haberi dixit: Atqui hoc de cognitione quoad factū poteſt intelligi, quam eſſe licitam plures ex citatis admittunt, licèt ſint qui negent, vt videri poteſt apud Dianam *loco citato Partis* 4. Cùm ergo res hæc ſpiritualis ſit, in eâ examinandâ Theologorum potiùs habenda eſt ratio, præſertim ſi ex Iuriſperitis plures ſint, qui eorum ſententiam amplectantur, vt in præſenti contingit.

Cognitionem quoad factum plures admittunt.

In cauſſa iſta Theologorum potius habenda ratio.

59 Vnde P. Suarez *ſuprà num.* 16, admonet cautè legendum Couarruuiam, qui *Capite citato num.* 2. §. *Tertiò, quoties*, contrariam à nobis propoſitæ ſententiam ſtatuit. & *Lib.* 1. *Variarum Cap.* 17. *Dicto* 9. iudicium etiam circa decimas legibus Hiſpaniæ ſtatutum in caſu ſpeciali, vt iuſtiſſimum in ſæculari tribunali defendit: ſicut & alios ſimiliter loquentes, quia pluſquàm oportet inclinant in fauorem ſæcularium Principum. Quod & P. Azor *Tomo* 1. *Lib.* 7. *Cap.* 25. & 36. etiā adnotauit, dum conſuetudines dictas ſæpiùs vocat corruptelas. Et cùm *Cap.* 25. §. *Tertiò quæritur*, donationis, de qua agimus, Regibus Hiſpaniæ in Indiis factæ, inſerat mentionem, cum modis aliis, quibus à Sede Apoſtolicâ dari ſolent decimæ ob merita laicorum: ſequenti ſtatim §. affirmat donatione prædictâ non obſtante, earum cauſſas ad iudices tantùm Eccleſiaſticos pertinere. Et addit ſic: *Nec ſufficit in hoc ſi Romanus Pontifex tolerat id, quod fit in Curiis vel Prætoriis Ciuilium Principum ſecundùm poſtremam ſententiam: quia aut non tolerat, quippe qui ſæpiùs reclamat: aut ſi tacet, at tolerat, id ſolùm facit, quoniam id commodè impedire nequeat, aut ignoret illud, quòd laicorum auctoritate, vel conſenſu fit.* Sic ille.

Cautè legendos Auctores aduerſantes.

P. Azor. Tolerantiam Pontificis non excuſare.

60 Et prædicta quidem cautio meliùs hìc cadit, quàm vbi Dom. Solorzanus eam cenſuit adhibendam; circa doctrinam ſcilicet Gregorij Lopez in *l.* 17. *Tit.* 4. *Partis* 3. *verbo*, *Caſi ellos* vbi ita ſcribit: *Si Rex donet alicui partem aliquam decimarum, quæ Regi competunt ex priuilegio Pontificis, & ſuper tali donatione lis oriatur; ſitque quæſtio ſuper iure decimandi vel quotâ decimæ, quod non poteſt in Curiâ Regis cognoſci: quia ſicut ipſe cognoſcere non poteſt de tali cauſſa, veluti merè ſpirituali, ſic nec eius Curiâ.* Sic ille, ſubdens hoc eſſe benè notandum ad limitationem *l.* 27. *Tit.* 18. *Partis* 3. quæ Regi tribuit cognitionem priuilegiorum & donationum, quas facit: Ad quæ ſic ait Dom. Solorzanus *citato Cap.* 1. *num.* 60. *Vnde cautè legendus eſt noſter Gregorius Lopez quatenus explicans illum Textum &c. loquitur enim contra apertam tot & tantorum virorum doctrinam: vel eſt ſtrictè circa terminos, in quibus loquitur, intelligendus: nempè quando de mero iure percipiēdi decimas agitur: quod vbi abſolutè in quæſtionem deducitur, non negamus eſſe ſpirituale vel ſpirituali annexum, vt dixi ſuprà n.* 42. & *reſoluit Azeuedo in dicta l. cit.* 5. *libri Recopilat.* Hæc ille, qui cautionem meritò debuiſſet apponere cum magnis illis Theologis, de quibus nuper, ſi oppoſitum docuiſſet. Doctrina præclariſſimi Iuriſconſulti, & Conſiliarij Regii, ac Iuriſconſultorum Hiſpanorum Principis, tanto viro eſt profectò digniſſima; qui ad veritatis præſcriptum, non ad gratiam, eſt locutus. Vnde re meliùs expenſâ nihil tale in Politicâ duxit apponendum. Videatur *pag.* 503. *Col.* 2.

Gregorij Lopez doctrina penitus amplectenda, contra immeritam Dom. Solorzani cautionem.

Dom. Solorzanus.

61 Et præfata quidem ſententia abſolutè ab illo defenditur, vt non habeat locum explicatio adhibita: nam propterea non ſolùm poſuit quæſtionem *ſuper iure decimandi*, *ſed etiam ſuper quotâ decimæ*, vt diſtincta ſcilicet à iure. Et præterea citatus Doctor affirmat doctrinam ſuam eſſe limitationem ad citatam legem, in quâ Regi tribuitur cognitio priuilegiorum & donationum, quas facit: at ſi cognoſcere poſſet non ſub reſpectu illo ſpiritualitatis, ſed ſub alio, de tali priuilegio decimarum à ſe conceſſo, non eſſet abſoluta limitatio, cùm remaneat abſoluta cognitio quantùm ad id, de quo lis communiter eſſe poteſt. Tum etiam quando tractantur huiuſmodi quæſtiones, non ſolent tales reſpectus attendi, ſed quod ad intereſſe partium pertinet: ergo cùm abſolutam limitationem eſſe dicat, ideò planè eſt, quia etiam ſub alio reſpectu cognitio talis haberi nequit: licet enim qualitas illa non attendatur, ineſt tamen Quemadmodùm licet quis, cùm Matrimonium contrahit, non attendat ad rationem Sacramenti; nihilominus cauſſa hæc generaliter ſpiritualis eſt, quia qualitas Sacramenti neceſſariò ineſt.

Sententiam veram abſolutè defendit, & non vt explicat citatus Auctor.

62 Et quidem (vt hoc etiam dicamus contra aduerſantes, & diſtinctione illâ ſe tuētes) cognitio cauſſæ decimalis vt à iudicibus laicis vſurpatur, & de cuius agitur iuſtificatione, aut ius tangit, aut non eſt eorum intento proficua. Hoc conſtat. Nam Doctores diſtinguentes in hoc caſu ius à facto, ſic explicant diſtinctionem, vt tunc de iure agatur, quando quæſtio eſt an quis debeat ſoluere, & non tantùm an ſoluerit. Stante enim vt certâ obligatione ſoluendi, poteſt contingere vt ſolutionem detrectet, vel quia fructus non eſſe cauſſetur, vel quia ſe iam ſoluiſſe contendat, aut aliquam velit compenſationem efficere ob æqualem ſibi debitam quantitatem: vt videri poteſt apud citatos, & eos, quos adducunt P. Tācredi *ſuprà num.* 7. & Baſſæus. Dicunt etiam aliqui quæſtionem eſſe facti, quando ad non ſoluendum decimas allegat quis priuilegium, aut etiam præſcriptionem. Tunc enim id, quod controuertitur, eſt, an ſit tale priuilegium, vel præſcriptio, nec ne: & tunc eſſe probabile poſſe cauſſam à laica poteſtate tractari, affirmat P. Palaus *ſuprà numer.* 7. cum Couarruuiâ, & Ioanne Geruia, & tenet P. Tancredi *Dicto* 4. & P. Fagundez *Lib.* 3. *in Præceptum* 5. *Eccleſiæ Cap.* 5. *num.* 10. ait ſe non audere eam ſententiam condemnare. Addunt tamen quòd ſi quæſtio ſit circa obligationem ſoluendi, eò quòd Eccleſia prætendat priuilegium non eſſe legitimum, aut etiam præſcriptionem, nequaquàm poſſe cauſſam niſi ab Eccleſiaſtico iudice tractari, quia iam eſt quæſtio iuris. Verùm doctrina hæc ex illis eſt, quarum Auctores P. Suarez cautè legendos eſſe iam admonuiſſe perſpeximus. Et ſanè iuxta eam omninò elidi & eludi poteſt quidquid de iudicio cauſſarum decimalium ab Eccleſiâ eſt conſtitutum. Quidquid enim de illis tractari poteſt, ad quæſtionem poteſt facti reuocari: An ſcilicet quis habeat vel non habeat titulum: habere enim, & non habere, res facti eſt: & vt deprehendatur, an ſit, vel non ſit, debet examinari qui allegatur: nam inualidus titulus reuerà titulus non eſt; & ita an priuilegium, vel præſcriptio ſit legitima.

Iudices laicos non ſolum facti, ſed ius etiam in decimarū cauſſa pertingere vbi quæſtio vtraque explicatur.

Quid aliqui ſentiant quādo allegatur priuilegium aut præſcriptio.

Digitized by Google

Poſitio de tractatione iuris demonſtratur.

63 Sed quidquid de hoc ſit, qui iudicium in cauſſis decimalibus ad ſe pertinere contendunt, rem non ſolùm facti, ſed iuris aſſumunt, quia ſine iuris examine ſtare eorum prætenſio nequit & intentio fundari. Agitur enim contra priuilegiatos, vnde priuilegia quoad valorem ſuum examinantur: quod ſi non fiat, procedi in cauſsâ nequit: priuilegij autem Pontificii valor res ſpiritualis eſt, ſicut & titulus ab eo proueniens & ius reſultans: ergo ſi de hoc agi nequit, neque etiam iudicium laicale in cauſsâ decimali procedere. Niſi dicant poſſe quidem examinari quoad valorem, quia eſt res facti. An ſcilicet reipſa ſit aliquod validum priuilegium. Iuxta quam reſponſionem, vt dicebam nuper, omnino elidi poteſt quidquid eſt circa hoc ab Eccleſiâ conſtitutum: immò & circa cauſſas alias ſpirituales, quæ omnino inueniuntur prohibitæ, vt Beneficiales quoad proprietatem, Matrimoniales, Clericales, Regulares &c. circa quod quiuis poteſt facilè diſcurſum efformare.

Priuilegiũ Põtificium examinari per laicos nequit. Et quæ inde abſurda.

§. V.

Inſtauratur probatio & manifeſtus pro Aſſertione diſcurſus.

Ex redonatione Eccleſiis factâ validè arguitur.

64 EX dictis circa ſecundam nuper probationem validiſſimum pro Aſſertione argumentum inſtauratur. Nam ſi adeò certum eſt iudices laicos non poſſe decimalium cauſſarum tractationem vſurpare, etiam cùm beneficiarius eſt laicus: quantò id erit certius, quando decimæ beneficio Apoſtolicæ Sedis acceptæ Eccleſiis redonantur? Tunc enim priſtinam omnino conditionem aſſumunt. Quod benè vidit Dom. Solorzanus, contrarius aliàs, dicens hanc eſſe communiorem & ſecuriorem opinionem, vt videri poteſt *Cap.* 12. *num.* 63. & in Politicâ *pag.* 600. §. *Pero ſin embargo*, *& ſeqq.* quam & ſecuti grauiſſimi Conſiliarij in Regio Indiarum Senatu, aliique, & Rex noſter Philippus Quartus amplexus, cùm ageretur de decimis vacantium Eccleſiarum, an ſcilicet de illis poſſet integrè diſponere: quod quidem renuit, reſeruatâ tantùm tertiâ parte in vſus piiſſimos expendendâ: pro quo idem *num.* 81. Quòd ſi de iuſtificatione illius tertiæ partis ſubdubites, ad beneplacitum poteſt Apoſtolicæ Sedis referri, cum quâ de erectionibus Eccleſiarum actum, ad quas ſuo modo etiam ſpectant diſtributiones fructuum vacantiarum: cùm præſertim in eos expendantur vſus, ad quos Præſules obligantur. Et antiquam circa diſpoſitionem vacantiarum conſuetudinem à Regibus Catholicis, primis ab erectis Eccleſiis obſeruatam, teſtatur Rex noſter in Reſcripto quodam *Ann.* 1631. de quo Dom. Solorzanus *ſupra num.* 31.

Inde Regis noſtri piiſſima reſolutio.

Tertiam vacantiarum partem vnde liceat diſtribuere eidem.

Ratio euidens pro incompetentia iudicum laicorum.

65 Ratiò autem generalis, vt non poſſint iudices laici cauſſarum decimalium cognitionem aſſumere, & quidem non ſolùm veroſimilis, ſed omnino euidens & manifeſta ea eſt, Nam Põtifex concedens decimas, non ideò concedit cauſſarum ad eaſdem ſpectantium deciſionem: ergo cùm conceſſa non ſit, temerè contra eius voluntatem vſurpatur, Antecedens conſtat: nam conceſſio decimarum, & facultas circa illas iudicandi, ſunt duæ diſtinctæ & non neceſſariò connexæ facultates: ergo vnam concedens, non ideò aliam concedere comprobatur. Antecedens negari nequit: nam facultas recipiendi decimas optimè ſtare poteſt ſine facultate circa illas iudicandi: vnde Pontifex concedens illam, poteſt abſolutè aliam denegare. Conſequentia autem eſt legitima: Nam à ſeparatis non fit illatio; & non conceſſa in materiâ iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, negata cenſentur, cùm abſolutè ſit prohibita, & in cauſsâ præſenti magis in ſpeciali. Vt viſum *ſuprà*. Pro quo eſt in propriis terminis notanda deciſio in *Cap. Tua*, *de decimis*, in quo ſic Innocentius Tertius: *Cùm laicis nulla ſit de ſpiritualibus concedendi vel diſponendi facultas, Imperialis conceſsio quantumcumque generaliter fiat, neminem poteſt à ſolutione decimarum eximere, quæ diuinâ conſtitutione debentur. Nec occaſione decimationis antiquæ (licet in feudum decimæ ſint conceſſæ) ſunt decimæ noualium vſurpandæ; cum in talibus non ſit extendenda licentia, ſed potiùs reſtringenda.* Hæc ibi. Ex quibus habemus in conceſſione decimarum non eſſe faciendam extenſionem vt noualia comprehendat, quia ſtandum eſt conceſſionis tenori, & reſtringenda potiùs, quàm extendenda conceſſio: cùm vnum ſtare ſine alio poſſit. Ergo in caſu noſtro conceſſio extendenda non eſt ad facultatem iudicandi de cauſsâ ſpirituali; cùm ſtare conceſſio decimarum poſſit ſine tali magis odioſâ conceſſione: faciliùs enim Eccleſia decimas concedet, quàm huiuſmodi facultatem. Vnde cùm in Bullâ Cœnæ non ſit excommunicatio contra raptores decimarum fulminata: contra eos tamen, qui cauſſam illarum ad laica tribunalia trahunt, extat ordine 14. licèt; vt *num.* 44. aduertimus, non videatur procedere vniuerſaliter contra omnes tale iudicium vſurpantes. Eſt tamen ſpecialiter contra laicos, licèt etiam Eccleſiaſticos comprehendat, qui talem cauſſam ab Apoſtólicis iudicibus ad ſe auocant, Apoſtolicarum aut aliàs prætextu litterarum: quatenus ſcilicet ij munere aliquo ſæculari funguntur in Curiis Principum, vt aduertit P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *part. Diſput.* 21. *num.* 76.

Conceſſio decimarũ, & iudicandi de illis, ſunt duæ inconnexæ facultates.

Cap. Tua de decimis.

Reſtringenda conceſſio circa illam.

Excommunicatio 14. Bullæ Cœnæ quomodo contra iudices laicos in cauſſis decimarum.

§. VI.

Aſſertiones aliæ.

Aſſertio 2. circa duos Nouenos vt habenda cognitio.

66 DIco ſecundò. Circa duos Nouenos, de quibus dictum Regibus noſtris competere, quos & illi ſibi aſſignandos decernunt variis reſcriptis, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *Cap.* 4. *num.* 15. & in Politicâ, *pag.* 522. *Col.* 1. *in principio.* Si de iure ſit quæſtio, idem videtur dicendum: quia eos tribuens Pontifex, nullibi quæſtionem circa ius exigendi illos iudicibus laicos inuenitur tribuiſſe, vnde negata debet reputari, iuxta dicta *num. præcedenti.* Quia verò quæſtio ordinariè videtur eſſe non poſſe circa ius, ſed circa factum; cùm ius exigendi ſine controuerſiâ ſit ex parte eorum, qui ſunt eos ſoluturi, fundatum; ideò probabile eſt, poſſe eorum cauſſam apud Regia tribunalia tractari. Videantur citati.

Aſſertio 3. Opinionem aduerſam

67 Dico tertiò. Licèt propter auctoritatem ſcriptorum, qui licitam aſſerunt tribunalium praxim

Digitized by Google

non ſine ſcrupulo poſſe defendi, licèt probabilis ab extrinſeco videatur.

praxim in caſu noſtro, ſententia iſta videatur probabilis: quia tamen ſolidis eſt fundamentis deſtituta, & contraria jure & ratione conſiſtit, negotium valdè ſcrupuloſum eſt eam in praxim deduci; & ita Regii Conſiliarii aliíque, ſi conſcientiæ quieti volunt conſulere, communiorem & ſecuriorem amplectantur. Cùm etiam Bulla Cœnæ eos meritò reddere debeat de ſui tranſgreſſione ſuſpectos; caſum enim hunc in eâ contentum

In Bulla Cœna caſus talis veroſimiliter cõprehenſus.

probat prætextus priuilegii Apoſtolici. Et quia non ſolùm auocatio à judicibus Apoſtolicis, ſed etiam ab aliis ſub cenſurâ præfatâ prohibetur, juxta ſatis congruam & maximè accommodatam litteræ intelligentiam, verbis illis: *Ab Auditoribus, & Commiſſariis noſtris, aliiſque judicibus Eccleſiaſticis, auocant.*

Verba illius.

Quod tenent P. Filliucius, & Mag. Souſa, quos adducit, & ſequitur Diana *Parte* 2. *tract.* 1. *Reſol.* 55. & ita videtur intellexiſſe Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 61. & in Politicâ, *pag.* 503. §. *vltimo*; vbi ait non eſſe cur vereantur, qui dictam juriſdictionem exercent, cenſuram talem, quia per illam non prohibentur caſus in jure permiſſi, vt aduertunt Nauarrus, Barboſa, & Martha; & talem eſſe præſentem. Additque *num. ſequenti*, cùm talis opinio ſit probabilis, eam ſecurè poſſe in praxim deduci ſine cenſuræ formidine, juxta communem doctrinam Theologorum, ex quibus nonnullos adducit cum Iuriſconſultis quibuſdam. Quod quidem ſapienter

Ex Regia reſolutione firmatur.

dictum. Sed nihilominùs, cùm idem *cap.* 12. *num.* 62. *&* 63. & in Politicâ, *pag.* 600. §. *Pero ſin embargo, & ſeqq.* vbi non jam Fiſcalem agebat, ſed juxta propriam locutus ſententiam & conſcientiam, opinionem contrariam communiorem, & ſecuriorem aſſerat, & iuxta eam à Rege noſtro, vt *num.* 64. diximus, judicatum; res, vt præmiſſum à nobis, valdè ſcrupuloſa relinquitur, & altâ reponendum mente, quod iam ex Innocentio propoſuimus. *num.* 65. dum ait: *Cùm in talibus non ſit extendenda licentia, ſed potius reſtringenda.* De quo hæc ſatis.

CAPVT VII.

An Regium Indiarum Conſilium poſſit ſine graui conſcientiæ grauamine cauſas Eccleſiaſtici fori, & præſertim ad perſonas Eccleſiaſticas pertinentes per viam violentiæ ad ſe delatas, adhibitâ cognitione tractare.

§. I.

Diuerſæ ſententiæ, & quædam ſpecialia pro affirmatiuâ.

Licitum recurſum per viam violentiæ quæ videantur oſtēdere.

68 Videtur certa reſolutio ex Regii eiuſdem Conſilii ordinationibus *cap.* 4. & ex Regio Reſcripto *An.* 1561. & praxi, de qua Dom. Solorzanus *lib.* 4. *c.* 12. *n.* 89. & in Politicâ *pag.* 767. Neque in illo videtur eſſe ſpecialis difficultas, ſi Conſilio Caſtellæ ſupremo, & Regiis Cancellariis licet: & vt liceat, eadem fundamenta ſuccurrunt: ſic enim & leges Hiſpanicæ ac Indicæ diſponunt, & praxi eſt frequentiſſimâ comprobatum, priuilegioque Pontificio inniti affirmat Illuſtriſſimus Zapata *Parte* 1. *cap.* 6. *num.* 9. ex Bañes 2. 2. *quæſt.* 67. *articul.* 1. *dub.* 2. *Concluſ.* 6. Quia verò pro Indiis nonnulla occurrunt conſideratione digniſſima, non potuit difficultas præſens conuenienter omitti.

Illicitum qui cenſeant.

69 In quâ, non obſtantibus legibus & praxi prædictis, omnino eſſe illicitum talem recurſum, nec poſſe ſic recurrentes audiri, & multò minùs Eccleſiaſticos judices ad deſiſtendum compelli, Notariis Eccleſiaſticis ad informandum aduocatis, tenent quamplures, quos adducunt Diana *Parte* 1. *tr.* 2. *Reſ.* 5. *&* 6. *&* 14. *& Parte* 2. *tr.* 1. *reſol.* 55. *& Parte* 5. *tract.* 1. *Reſol.* 13. & P. Fragoſus *Tomo* 2. *diſp.* 3. §. 13. *n.* 258. *verſ. Porrò, & ſequenti*, vbi id videtur ſentire, licèt poſteà oppoſitum tueatur. Apud eoſdem etiam plures occurrent oppoſitum ſentientes: pro quo & doctam allegationem vulgauit Doctor D. Petrus de Meneſſes occaſione cuiuſdam controuerſiæ inter

Doctor D. Petrus de Meneſſes cum laude adductus.

Vicarium generalem Limanæ huius Metropolis, & Prouincialem ſanctæ Fraternitatis, qui homicidam quemdam per ſententiam ſuſpendio addixit, Eccleſiam, ex quâ extractus fuerat, compellantem. Erat enim tunc ille Fiſcalis Regius, qui & poſteà in eâdem Cancellariâ Auditor; vir ſanè doctus & timoratæ conſcientiæ, pro quo poſſum pleniſſimum teſtimonium exhibere. Quod & admittit Thomas Hurtadus *Tomo* 1. *tractat.* 3. *n.* 129. *& ſequent.* ex voluntate præſumptâ Pontificis, quia non eſt alia via recurrendi ad ipſum; aliàs negat. Alii hærent, vt Nauarrus in *Manuali Cap.* 27. vbi ait ſe hoc Pontificis determinationi remittere; quod & facit P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *p. diſputat.* 21. *num.* 76. Pro quo ego nonnulla ſubiiciam, quæ non video ab aliis obſeruata.

Qui hæreant, nihil decernentes.

Pro ſuſtinendâ probabiliter praxi, eſt imprimis in Bulla Cœna non reprobatâ.

70 Et vt praxis Hiſpanorum tribunalium ſuſtineri poſſit, vti probabili ſententiæ innixa, id imprimis occurrit, Pontificem non videri damnare velle recurſum per viam violentiæ generali prohibitione: nam in Bullâ Cœnæ *Excommunicatione* 14. in qua illa habentur verba, *Etiam prætextu violentiæ*, probabile eſt non agi de omni auocatione cauſarum, ſed tantùm cùm à Commiſſariis Pontificiis auocantur: quod tenent Alterius, Vgolinus, & Bonacina apud Dianam *Parte* 2. *tractat.* 1. *Reſolut.* 55. & P. Fragoſus cum Menochio *Tomo* 2. *pag.* 208. §. *Secundo excuſatur.* In *Excommunicatione* autem 15. vbi directè agitur contra eos, qui Eccleſiaſticas perſonas ad laica tribunalia trahunt, talia verba non habentur; vbi tamen illa magis neceſſaria videbantur, ſi juxta mentem Pontificis, etiam recurſus prætextu violentiæ, Eccleſiaſticæ eſt libertati contrarius: quia hic frequentiùs occurrit, & ita illi debuit manifeſtum remedium adhiberi. Videtur ergo Pontifex noluiſſe practicatum adeò ſtylum apud Chriſtianas penitus condemnare Reſpublicas, ſed illum vt probabilem juxta earum mentem tolerare.

Pontificia tolerantia vim approbationis generaliter nō habet.

71 Licèt enim veriſſimum ſit tolerantiam Pontificis non eſſe approbationem: *Cùm multa per patientiam tolerentur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitiâ non debeant approbari.* Cap. *Cùm jam dudum*, de Præbendis. Pro quo & in *Cap. Denique* 4. *diſt.* ſic ex Diuo Gregorio habetur: *Ideò cum venia ſuo ingenio relinquendi ſunt, ne*

Digitized by Google

fortè peiores exiſtant, ſi à tali conſuetudine prohibeantur. Vt enim ait Salomon Prouerb. 30. verſ. 33. Qui multùm emungit, elicit ſanguinem. Sic ille. Quod benè cum Theologis aliis obſeruat P. Suarez *lib. 7. de Legibus cap. 13. num. 12.* Poteſt tamen eſſe tolerantia bonæ fidei fauens, quæ valdè diuerſa eſt ab eâ, quâ malum tolerat, ab iis, qui illud perpetrant, minimè bonum judicatum: dum Pontifex ſciens conſuetudinem aliquam eſſe contra ipſius mentem, ſed veroſimilibus rationibus communitam, eam tolerat, nolens ſuæ mentis apertione maioribus incommodis occaſionem miniſtrare; aut eos, qui conſuetudinem talem amplectuntur, in apertum damnationis diſcrimen adducere. Et quamuis de Hiſpanorum fide ac obedientiâ multùm ſibi poſſit, & meritò polliceri, & de aliis fortè: non tamen de omnibus; nec videtur expediens vrgere quoſdam, aliis ſuo arbitrio gubernandis.

Aliqua tamen eſt nõ tantùm permiſſiua praxis, vt in præſenti.

72 Deinde, Pontifex non ſolùm videtur praxim tolerare prædictam, ſed eiſdem ſuffragari. Nuntius enim in Curia exiſtens, ſi vim aliquam ſuâ ſententiâ videatur inferre, & pro eâ ad ſupremum Senatum litigans recurrat, ſiue ad Indiarum, cùm res agitur ad Indias pertinens, & Senatus Notarium ad faciendam relationem vocari ſtatuit; omninò annuit, nec tantùm merè negatiuè ſe habet in causâ non procedens, donec Conſilii decretum accedat. Vnde cùm *Anno 1636.* Conſilium Indicum Notarium ad faciendam relationem vocari ſtatuiſſet, pro quadã cauſa ad Indias ſpectante, de quâ in Nuntii Audientia tractabatur: id & Nuntius, & Notarius vti rem nouam recuſarunt; quia videlicet hoc ad ſupremum tantùm Conſilium pertinere contendebant. Videat qui voluerit Dom. Solorzanum *ſuprà* ſic teſtantem. Eſt ergo juxta Nuntii praxim, & nõ tantùm tolerantiam, judicio tali per viam violentiæ ſubmitti. Quod certè ſi contra Eccleſiaſticam immunitatem eſſet, fieri tutâ conſcientiâ non poſſet; ab eo præſertim, qui illius defenſionem debet ante alios, vti immediatius Pontificis organum, ſartam tectam conſeruare. Ex quo etiam apparet Pontificem, vt dixi, praxi huiuſmodi ſuffragari: quandoquidem ipſius Nuntius nihil tale ageret, niſi eidem ſciret eſſe probatum, cuius & ſequitur inſtructionem: cùm multa minoris momenti ſint, & cauſam publicam non ita concernentia, inter illa, quæ in ipsâ continentur.

Fauere illi ex Nuntij procedendi modo apparet.

Illius praxis iuxtam mentè Pontificis.

§. II.

Pro negatiua quæ videantur vigere.

73 IN contrarium verò id ſtat, quod eſt ex ſtylo ſacræ Rotæ notiſſimum, ad quam cùm aliqui pro iuſtitiæ obtentione recurrunt, ſi ad Curiam habuêre recurſum, minimè, niſi priùs abſolutionem excommunicationis eâ de causâ incurſæ obtinuerint, à ſacris iudicibus audiuntur. Eſt ergo illis mens Pontificis omnino perſpecta, cuius auctoritate decernunt. Et certè, ſi crederent ſententiam illos ſecutos probabilem, eorum ſtylus valdè eſſet iniurius, dum reos grauiſſimi peccati faciunt eos, qui de ſuâ ſalute ſoliciti credi debuiſſent. Cùm ergo abſolui faciant, ſignum eſt manifeſtum ita de laicali recurſu ſentire, vt nullus excuſationi locus eſſe videatur; ſic Pontifice legis auctore judicante. Pro quo in ſpeciali eſt notanda deciſio *An. 1647.* Innocentio X. Pontifice, quam adducit Diana *Parte 9.* ſic enim in eâ dicitur: *Domini dixerunt, Carolo obtentam abſolutionem ab excommunicatione ob recurſum ad judices laicos obtentam, non ſuffragari. Quamuis enim eiſdem recurſibus, & omnibus quibuſcumque iuribus inde forſan acquiſitis, in ampliſſima forma renuntiauerit: quia tamen non obſtante ſequeſtro de mandato Rotæ appoſito ſuper Beneficio inter ipſum & Sanctium controuerſo, adhuc de facto ſe conſonet in poſſeſſione eiuſdem Beneficij, & oblationes Chriſti fidelium recipit, vt probatur ex teſtibus in Summario Sanctij num. 8. & ſic apparet de clarâ & euidenti violatione ſequeſtri, juxta notata in Clement.* Ad compeſcendas, *de ſequeſtri poſſeſ. & fructib. minimè ſatisfecit conditioni in facultate abſoluendi à Sanctiſſimo appoſitæ per hanc ſuam tantum verbalem renuntiationem, vt in proximis terminis dixit Rota inter impreſſas, &c.* Ex quibus habemus quanto cum rigore res iſta in ſupremo illo Tribunali tractetur; & quàm exacta executio requiratur eorum, quæ pro abſolutione obtinendâ ab eôdem diſponuntur; accedente Pontificis non ſolùm notitiâ, ſed expreſſâ diſpoſitione, dum Breuia pro exequenda ſententia ad partium inſtantiam expediuntur. Non ergo de expreſſa Pontificis mente dubitari poteſt, & obligandi animo; nec quidquam ex parte ſe volentium conſuetudine dictâ tueri, quod momenti ſit alicuius, valet allegari. Accedunt Deciſiones duæ apud eumdem *Parte 5.* in cauſa Oſcannenſis Canonicatûs, & præſertim poſterior, in quâ punctum hoc ex profeſſo diſcuſſum.

Stylus ſacræ Rotæ contrariũ probat, dũ à cenſurâ ob recurſũ incursâ litigantes priùs iubet abſolui.

Egregium prædictæ veritatis exemplum ſub Innocentio X.

74 Pro quo etiam facit libros quoſdam ab Hiſpanis conſcriptos Auctoribus, in quibus recurſus huiuſmodi vt liciti & legitimi defenduntur, ab Apoſtolica Sede prohibitos: quæ tamen prohibitio in Hiſpania non eſt executioni mandata; immò executioni occurſum Regiis monitoriis. Conſtat ergo de Pontificis mente, quæ ad notabilem adeò demonſtrationem procedit. Menti autem illius expreſſæ quomodo poteſt ſaluâ conſcientiâ reſiſti?

Noua ratio ex prohibitione librorum in fauorem recurſûs.

75 Dici poteſt ius Regium circa hoc non in priuilegio aliquo, ſed in ipſo naturali iure fundari, ſuppoſitâ Regiâ dignitate; incumbit enim illi innocentes defendere, & omnem ſubditis factam iniuriam propulſare; quicumque ſit ille, qui fecerit, aut patiatur; quod in Eccleſiaſticis videtur potiorem locum habere, qui ob digniorem ſtatum digniores ſunt vt Regio brachio protegantur. Pro quo eſt *lex. 50. Titul. 6. Parte 1.* in qua ſic Rex Alfonſus cognomento Sapiens: *Franquezas en los Clerigos mas que otros omes, tambien en las perſonas, como en ſus coſas. Eſto les dieron los Emperadores, è los Reyes, per honra y reuerencia de la Sancta Ygleſia.* Et quidem ſi Eccleſiaſticus iudex aliquem pugnis aut fuſtibus cæderet, à quocumque poſſet ſic iniuriatus defendi: ergo & quando per ſententiam iniuria infertur ab ipſo, licita erit etiam defenſio, auctoritate præſertim Regiâ, ad quam hoc præcipuè ſpectat, vt citatus Rex his teſtatur verbis: *L. 13. Titul. 13. Part. 2. El Rey eſtà pueſto paramantener Iuſticia y verdad, è darà cada vno ſuderecho, ſegun*

Recurſum in naturali iure fundari, quorumdam reſpõſio.

Alfonſi Regis verba circa prærogatiuas Clericorũ.

Digitized by Google

Reges ad ſubditorum defenſionem conſtituti.

ſegun ſumerecimiento, eſpara defender à ſus vaſallos, que no reciban mal, ni fuerza & *l. 26. Tit.* 14. *Partita eadem: Los Reyes ſon cabeza, alma vida, y mantenimiento de ſus vaſallos, y ſe debe doler del mal, que reciben, como de ſus miembros, y ſer ſumero, y amparo.*

Iniuſtum iudicium non eſſe iudicium, neque iudicem, à quo illud. D. Thomas.

76 Iam probatur Conſequentia: nam ſententia iniuſta non eſt ſententia, neque iniuſtum iudicium eſt iudicium, quæ ſunt verba Diui Thomæ 2. 2. *quæſt.* 70. *artic.* 4. *ad* 2. vbi ſic ait: *Ad ſecundum dicendum, quòd iniuſtum iudicium non eſt iudicium: & ideò ex vi iudicij falſum teſtimonium in iniuſto iudicio prolatum ad iniuſtitiam impediendam non habet rationem mortalis peccatis ſed ſolùm ex iuramento violato.* Sic ille. Quod eleganter proſequitur Robertus Maranta *Diſput.* 1. quæ extat poſt Tractatum de ordine iudiciorum. *num.* 16. vbi ita ſcribit: *Quilibet iudex dicitur miniſter Dei in terris, Cap. Non ſolùm, & Cap. Qui malos* 24. *Quæſt* 5. *eiuſque iudicium videtur prodire de vultu Dei. Cap. Vt noſtrum, in principio, de appellationib. Cap.* 1. *in principio Extra. Vt Eccleſiaſt. Benef. De vultu autem Dei non poteſt egredi niſi iuſtitia & veritas: cùm Deus ipſe dicat: Ego ſum via, veritas, & vita, vt habetur Ioan. Cap.* 14. *Ergo quamdiu iudex ſequitur veritatem & iuſtitiam, dicitur miniſter Dei: ſed ſi facit iniuſtitiam, non Dei, ſed diaboli miniſter efficitur, nec tunc dicitur iudex. Cap. Iuſtum* 23. *Quæſt.* 2. *Gloſſa in Cap. Cùm æterni, in verb. Iudex, de re iudicata in* 6. & *dicit Caſſiodorus Lib.* 3. *Epiſt.* 28. *Tamdiu iudex dicitur, quamdiu iuſtus putatur.* Sic ille à Farinacio adductus *Tomo* 1. *Praxis criminalis num.* 89. Iuxta hæc ergo ius, quod Reges ad violentias propulſandas competere ſibi contendunt, conſequens quid eſt ad ipſam Regiam dignitatem; quâ ſtante nequit à quacumque alia humana poteſtate tolli, & ita contra Pontificiam propugnatur. Et eamdem rationem benè etiam proſequitur P. Palaus *Parte* 6. *Diſput.* 3. *Puncto* 14. *num.* 8. §. *Notanter.*

Robertus Maranta.

Nec Dei, ſed diaboli miniſtrum.

Iuris prædicti fundamentum improbatur.

77 Sed verò quamuis hoc ſit eleganter dictum, ex eo non videtur laicorum tribunalium cauſſa promoueri. Nam ſi vrgens eſſet, ex eâ fieret, cauſſarum Clericalium cognitionem & quamcumque ſacram, in quâ de grauamine aliquo litigantis agitur, ad tribunalia debere laicalia trahi: ſic enim iniuſtis iudiciis pleniùs obuiaretur. Cauſſæ etiam criminales omnes, ne delicta maneant impunita. Item. Is, qui ſententiâ ſe iniquâ grauatum putat, ſine appellatione poſſet ſtatim ad dicta recurrere tribunalia. Præthereà. Sicut Regi proprium eſt defendere ſubditos, ita & Pontifici Chriſtianos, & eos præſertim, qui in ſacro ſunt ordine conſtituti. Pro quo Innocentius Quartus in *Cap. Frequens, de reſtitutione ſpoliatorum in* 6. ita loquitur: *Nos qui voluntarios labores appetimus, vt quietem aliis præparemus: finem litibus cupientes imponi, & calumniæ materiam amputare &c.* Vbi Pontifex verba ex iure ciuili deſumpſit. *Authent. Vt diuinæ iuſſioni ſubſeri. in. gl. Quæſtoris, in principio Collat.* 9. vbi Imperator loquitur; vt ſcilicet non minorem in ſe curam ad remouendas Chriſtiani gregis iniurias Pontifex indicaret. Et quemadmodum Rex non omnia per ſe gerit & iudicat, ſed pro eo miniſtros deſtinat congruentes, ita & Pontifex. Quòd ſi aut ignorantiâ aut paſſione ducti deuiare à iuſtitiæ regulâ poſſunt: talē incommodum in ſuis nequit Rex quantumlibet prouidus declinare. Non ergo Eccleſiaſticorum errata certam habent in laicorum iudicio curationem. Cùm etiam ſententia inferiorum iudicum appellationis remedium habeat, immeritò creditur, quòd ſi prior iniqua eſt, alia etiam eodem ſit vitio pronuntianda. Quòd ſi grauamen aliquod ex priori accedat, cautum quomodò poſſit à ſuperiore iudice reparari. *Cap. Paſtoralis, de appellat.* Verbis illis: *Si appellans fuerit grauatus iniuſtè, grauamen huiuſmodi per Superiorem poterit emendari.* Non ergo vlla momenti alicuius apparet ratio, ob quam poſſit iuriſdictio Eccleſiaſtica dictis recurſibus implicari.

Pontificis generalis ſolicitudo.

Cap. Frequens.

Validum dilemma ex Pontificia excommunicatione.

78 Vlteriùs. Cùm Pontifex recurſum prohibendo ſeueriſſimam pœnam imponit, aut ſe putat certâ ad hoc iuriſdictione præditum, aut non? Si Primum: ergo certa eſt penitus iuriſdictio, & conſequenter ab eo excommunicati cum effectu in vtroque foro ligantur: & ita non eſt vera ea doctrina, quam laici iudices amplectuntur. Illatio eſt certa. Nam Pontifex errare nequit in his, quæ ab bonos mores ſpectant, ſicut neque in rebus fidei, vt eſt conſtantiſſima Theologorum ſententia, quidquid ſit de qualitate cenſuræ, quam oppoſitum meretur. Pro quo videnda quæ diximus *Titulo præced. Cap.* 4. §. 4. Secundum autem dici non poteſt: quia diſpoſitio Pontificia redderetur inutilis, cùm ſciat ſic diſponens, oppoſitum eſſe probabile, & ita ſecurâ poſſe conſcientiâ practicari. Item. Pœna illa grauiſſima excommunicationis Sedi Apoſtolicæ reſeruatæ, non eſſet iuſtitiæ & pietati conformis, cùm non caderet ſupra delictum graue manifeſtè tale: nec decens eſſet, vt Pontifex ita ſe infenſum Principibus Chriſtianis exhiberet, qui iuſtitiæ zelo viam non apertè damnabilem in Reipublicæ commodum elegiſſent.

§. III.

Reſolutio difficultatis, & quædam pro Indiis.

Aſſertio 1. negantem partem videri indubitabilem.

79 Dico primò. Negari nequit quin pro parte negante ſint vrgentiſſima fundamenta, vt non immeritò Cardinalis Toletus in *Summa, circa explicationem caſuum Bullæ Cœnæ, Excommunicat.* 11. in ſimili locutus exclamet: *Vtinam Principes Chriſtiani aperiant oculos ad videndum, & aures ad audiendum. Non enim iam excuſationem, vel ſubterfugium habere poſſunt.* Sic ille.

Aſſertio 2. Affirmatiua vſus parcè retinendus.

80 Dico ſecundò. Si iuxta affirmatiuam ſententiam procedendum ſit ob adductas coniecturas, grauium Scriptorum auctoritatem, quorum ſatis prolixum catalogum adducit Rota citata *num.* 73. & praxim temporis diuturnitate fundatam; id parcè, moderatè, & cum timore ſemper Chriſtiani pectoris digno peragendum. Videnda quæ diximus *num.* 67. Scimus iudices aliquos ob timorem dictum numquam directè reſpondiſſe: & alios morti proximos ad horum memoriam inconſolabiliter gemuiſſe.

Aſſertio 3. Senatum Regium

81 Dico tertiò. Senatus Regius Indiarum tenetur maximâ diligentiâ prouidere ne in Cancellariis ſibi ſubiectis graues circa hoc committantur

Digitized by Google

deberet Cãcellariarum Indicarum abuſibus obuiare.

tantur exceſſus. Id conſtat: nam cùm circa alia prouidere debeat, quæ inferioris multò momenti ſunt, circa hoc perſunctoriam habere curam non poteſt non graue conſcientiæ periculum importare. Vnde in ſyndicatu circa hoc deberet inquiri, & inter capita Interrogatorij, iſtud, vti rem tangens præ aliis conſiderabilem, collocari. Non enim ad Hiſpani Imperij magnitudinem ſpectat iuriſdictionis ſuæ limites circa perſonas ſacras extendi, & à ſubiectione Sedis Apoſtolicæ prætenſa ſubductio: cùm ex ſubiectione potiùs ſperari debeant magnitudinis incrementa. Pro quo illuſtre extat Diui Ambroſij teſtimonium in *Cap. Conuenior*, 23. *Quæſt.* 8. ſic dicentis: *Allegatur Imperatori licere omnia ipſius eſſe vniuerſa. Reſpondeo: noli grauare te Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina ſunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere: ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubiectus. Scriptum eſt enim: quæ Dei Deo: quæ Cæſaris, Cæſari. Matth. 22. Ad Imperatores palatia pertinent: ad Sacerdotes Eccleſiæ; publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum Tributum Cæſaris eſt, non negatur: Eccleſia Dei eſt; Cæſari vtique non debetur, quia ius Cæſaris eſſe non poteſt in templum Dei: quod cum honorificentiâ Imperatoris dictum nemo poteſt negare. Quid enim honorificentius, quàm vt Imperator Eccleſiæ filius eſſe dicatur. Quod enim dicitur, ſine peccato dicitur, & cum gratia dicitur. Imperator enim intra Eccleſiam eſt; bonus enim Imperator quærit auxilium, ac Eccleſia non refutat.* Sic ille. Tales ergo ſimus, & Rex noſter pro felicitate regiâ contra Coronæ aduerſarios frequenter imploret auxilium, non ipſi ab eius tribunalibus auxilium pro violentiis indecora frequentia requiramus. Sed de hoc rurſum

Magnitudo Hiſpani Imperij ex ſubiectione Pontificia creſcit.

D. Ambroſius.

Aſſertio 4. Recurſum in Indiis eſſe tolerabiliorem.

82 Dico quartò. Recurſus dictus in Indiis videtur tolerabilior, moderatione, quam diximus, obſeruatâ. Id probo. Nam cùm ſupremi indices Eccleſiaſtici, & Regiæ Maieſtatis præſentia longiùs abſint, maior eſt occaſio ſubditos diuexandi, & ita frequentiores oriuntur iniuriæ. Pater Iacobus Aluarez de Paz, ſanctitatis & doctrinæ laude conſpicuus, quarum egregium ſpecimen Orbi vniuerſo ſcripta luculentiſſima repræſentant, recurſum, de quo loquimur, vti ſacrilegum reprobat. Cùm verò Quitenſis Collegij factus Rector in eam veniſſet vrbem, in quâ Regia Cancellaria reſidet; vidiſſetque frequentes iudicum Eccleſiaſticorum iniurias beneficio recurſûs profligatas; dicere ſolitus nihil conuenientius, iuſtius nihil diſponi pro Reipublicæ bono potuiſſe. Ex quâ tanti viri ſententiâ illud ſaltem deducere poſſumus, quod noſtra Aſſertio contendit; recurſum ſcilicet in Indiis eſſe tolerabiliorem: dummodò in aliud non incidatur extremum ex neceſſitatis prætextu, quòd ſcilicet in omnibus, & per omnia, dictus recurſus admittatur.

Venerab. P. Iacobi Aluarez de Paz pro eo iudicium.

§. IV.

Aſſertiones aliæ pro Religioſis, & dubij ſpecialis enodatio.

Aſſertio 5. recurſum Religioſis, vt aliis licere.

83 Dico quintò. Recurſus etiam Religioſis ob commune bonum, eo modo, quo aliis, licet: quia & illi graues poſſunt iniurias à Prælatis & iudicibus Eccleſiaſticis experiri: quod vtinam iterata exempla minimè comprobarent. Pertinet autem ad Regiam prouidentiam eorum defenſio; & eò magis, quò perfectior, & Dei Eccleſiæ vtilior eſt eorum ſtatus, ſicut de Clericali dictum *num.* 75.

Aſſertio 6. id negans quando eſt prohibitus ſub graui pœna.

84 Dico ſextò. Si in Religione aliquâ ſit Conſtitutio prohibens in ſpeciali recurſum, & pœna ſit excommunicationis, aut alia grauis adiecta, recurſus erit illicitus, & certa excommunicationis aut cenſuræ alterius, ſiue pœnæ grauis incurſio. Id probo: nam in profeſſione ſibi tale onus, qui profitetur, imponit, & iuri defenſionis ſuæ, licet naturale ſit, voluntariè renuntiat, vnde nequit ſuam circa hoc reſumere libertatem. Sicut naturale ius habet ad ducendam vxorem; cui tamen renuntiat vouens caſtitatem: quod & in aliis votis eſt perſpicuum. Et naturale etiam ius habet ad fouendum corpus quibus voluerit alimentis; cui renuntiat ſimiliter ad ieiunia Ordinis obligatus.

Contra ſimplicem prohibitionem non eſt mortale peccatum.

85 Dixi *& pœna ſit &c.* Quia ſi nulla pœna ſit, & aliunde Conſtitutiones Religionis ad peccatum graue non obligant; non videtur ratione materiæ, aut circumſtantiarum communium, mortale eſſe peccatum. In particulari autem poſſunt eſſe circumſtantiæ aliquæ ſcandalum inducentes, iuxta quas eſt à prudentibus iudicandum.

Bene tamen contra obedientiæ præceptum.

86 Si autem præcipiatur ſub reatu peccati mortalis, vt contingit cùm præcipitur in virtute ſanctæ obedientiæ, in quo Religionum eſt ſtylus conſulendus, tranſgreſſio mortalis erit, etiamſi nulla adiiciatur pœna, niſi quæ tali peccato arbitrio prudentium correſpondeat. Conſtat, quia materia eſt grauis, & talis obedientiæ onus voluntariè aſſumitur.

Non quælibet pœnã, grauem dictam eſſe iudicium talis obligationis, ſed quæ explicatur.

87 Nec quæuis pœna quæ grauis dicitur, indicium obligationis ſub mortali eſt. Sic enim in Ordine Prædicatorum pœna grauis dicitur tria ieiunia in pane & aqua, & itidem diſciplinæ, quæ ſolent pro negligentiis infligi, quæ non ſunt etiam peccata venialia, vt videri poteſt apud P. Fr. Ioannem de la Cruz in Directorio Conſcientiæ *Lib.* 1. *Cap.* 6. *Artic.* 2. 5. *& ad argumenta.* Debet ergo eſſe pœna, ex quâ graue damnum tranſgreſſori proueniat, vt diuturni carceris, priuationis habitus, inhabilitatis ad Religionis miniſteria, grauis infamiæ, quæ regulariter loquendo neceſſaria eſt ad virtutem conſeruandam, vt citatus Auctor aduertit, iuxta illud *Eccli* 41. *v.* 15. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi, & magni.* Videantur P. Suarius *Libr.* 5. *de legibus Cap.* 4. *num* 11. P. Vaſquez *Tomo* 2. *in* 1. 2. *Diſputat.* 159 *num.* 23. P. Thomas Sancius *in Opere morali Libr.* 6. *Cap.* 4. *num.* 64. qui plures adducit. P. Arriaga *Tomo* 2. *in* 1. 2. *Diſputat.* 16. *num.* 66. *& Diſput.* 21. *num.* 27. Eccli. 41. v. 15.

Aſſertio 7. Licere recurſum ſi grauamen ſit extraordinarium, non obſtante præcepto, & cẽſura.

88 Dico ſeptimò. Si grauamen ſit notabile, & extraordinarium, poteſt Religioſus remedio recurſûs ſe tueri, etiamſi & præceptum, & cenſura ſit, qualem habent Patres Dominicani, & eſt inter Conſtitutiones Pauli V. 39. PP. Minores de Obſeruantia; & eſt 27. inter Conſtitutiones Gregorij Decimi tertij. PP. Carmelitæ, & eſt 110. inter Conſtitutiones Clementis Octaui. Ratio deſumitur ex communi doctrina, iuxta

Digitized by Google

juxta quam præcepta humana non obligant cum graui diſpendio, vnde nimis difficilis eorum redditur obſeruatio. Pro quo videndus Baſſæus *verb. Epicheia, num.4.§. Secundum eſt:* qui in fine admonet ſic: *Ne tamen quis facilè judicet eſſe magnam difficultatem, vbi non eſt, & vt in hoc non decipiatur, in dubiis ſtet judicio ſapientium.* Sic ille: quod eſt equidem ſemper conſulendum. Verùm cùm difficultatem non alii, etſi ſapientiſſimi, ſed ipſe qui grauatur, debeat experiri, eius potiùs videtur ſtandum eſſe judicio, dummodo rem non humanis rationibus tractet, ſed coram Deo quid ſibi ad vitam quietè in Religione tranſigendam ſit expediens meditetur.

Baſſæus.

Neque neceſſarium ad hoc aliorum judicium.

89 Et prædicta quidem doctrina procedit, etiamſi Conſtitutio Religionis id prohibeat, cuius onus quis in ipsâ profeſſione ſubeundum recognouit. Nam licèt hoc ita ſit reſpectu oneris, cùm grauamen extraordinarium non eſt; in hoc autem aliter ſe res habet: quia ſicut in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet in ſpecie veroſimiliter conceſſurus, vt eſt regula juris *in Sexto:* ita in generali promiſſione ſimiliter dicendum eſt. Et ſic votum non obligare notabili ſuperueniente difficultate, tenent Nauarrus *in Manuali cap.* 18.*num.*2. Sayrus *lib.*6. *cap.*7. *num.* 1. *&* 2. P. Suarez *lib.* 4. *de voto Cap.*9. *num.* 4. P. Thomas Sancius *lib.*4. *Operis moralis cap.*2. *nu.*20. *& ſeqq.* P.Reginaldus *lib.*18.*num.*277. *& ſeqq.* P. Valentia *Tomo* 3. *diſput.* 6. *quæſt.* 6. *Puncto* 4. *verſ. Secundum quod.* P.Palaus *Tomo* 3. *tractat.*15.*diſput.* 1. *Puncto* 20. *num.*5. *&* 6. Baſſæus verbo, *Votum*, §.4. Bonacina *Tomo* 2. *diſput.*4. *circa ſecundum Decalogi præceptum*, §.1. *nu.*2. apud quem P.Molina, P.Henriquez, & alii.

Etiamſi adſit conſtitutio Religionis.

Votum non obligare notabili ſuperueniente difficultate.

90 Dico octauò. Si ſtet licitum eſſe recurſum, illius remedio vti poteſt quis, ſicut & remedio appellationis, quod licet etiam quando ſententia non eſt manifeſtè iniuſta. & quia bonâ fide procedit, vel ſecundùm probabiles rationes, vt benè explicat P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *p. diſput.* 3. *ſect.*6. *nu.*2. & tenent alii, quos citant & ſequuntur Diana *Parte* 3. *tractat.*5. *Reſolut.* 104. & Baſſæus verbo, *Appellatio, num.*7. Licèt enim judices laici pro violentiâ tantùm ſint adeundi, quæ non datur quando quis juxta probabilem ſententiam condemnatur; poteſt tamen exiſtimare ille judices plus fortè viſuros, vbi alii minùs vident, & ſibi ſaltem probabiliſſimam ſententiam ſuffragari, quæ euidenti æquiualet: violentiam enim facere videtur iudex, qui contra probabiliſſimam ſententiam iudicat, vt grauamen magnum imponat, videturque aut ignorantiâ, aut paſſione aliquâ laborare. Pro quo videndus P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 450. §. *Tertia propoſitio.* Quod quidem de ſæcularibus dictum velim: nam de Religioſis alia eſt ratio, quos indigniſſimum eſt pro grauamine quouis vitando apud ſæculares judices litigare: vnde rarò audiendos, ſuo exemplo, & vrgenti ratione admonet Dom. Solorzanus *lib.* 3. *cap.* 26. & in Politicâ, *pag.* 728. §. *Si bien eſto.* Immò nec illis licere recurſum abſolutè tenet Thomas Hurtadus *ſuprà num.* 137. Nec de his modò plura. Vide *infrà Titulo* 4. *cap.*8.

Recurſu vti, ſicut & appellatione poteſt, ſi ille licet.

De Religioſis aliter ſentiendũ.

CAPVT VIII.

Vtrùm Regium Indiarum Conſilium Pontificias Bullas ad res Indicas ſpectantes licitè tranſmitti prohibeat, niſi poſt earum inſpectionem, executione aliàs penitus intermiſsâ, & cum earum ſæpiùs retentione.

91 SIc vſus iam diu obſeruatus obtinuit, vt Apoſtolicæ Bullæ, quæ gubernationem in ſpiritualibus concernunt, aut quid ſimile, & præſertim Regium Patronatum, à Conſilio recognoſcantur, & pro conuenientiæ iudicio, aut permittantur tranſire, aut retineantur, ſupplicatione propoſitâ, quam neſcio an ſemper, niſi pars vrgeat, proſequatur. Et inſpectio hæc tanti eſt roboris, vt ſi ea deſit, & teſtimonium Regiſtri, peremptoria eſſe ſoleat exceptio, vt non poſſit quis in Indiis ad hoc Sedis Apoſtolicæ acceptum beneficium prouocare. Sed ſtylum huiuſmodi damnant plures, quia exiſtimant in Bullâ Cœnæ apertè damnatum in *Excommunicat.* 13. ibi: *Prædicta capi, & retineri faciunt,* Et ibi. *Quiue illa ſimpliciter ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine, executioni demandari, &c.* Videantur illi apud Dianam *Parte* 1. *tractat.* 2. *Reſolut.* 13. *& Parte* 5. *tractat.* 1. *Reſolut.* 12. qui eoſdem ſecutus, ſicut & P. Palaus *Tomo* 2. *diſp.* 3. *Puncto* 14. *num.* 13.

Stylus circa retentionem Bullarum.

A multis reprobatus ob Bullam Cœnæ.

Eiuſdem verba.

92 Dico primò. Excommunicatio Bullæ Cœnæ non videtur cadere ſupra caſum, de quo loquimur. Probatur ex illius tenore: procedit enim contra eos, qui prætextu friuolæ cuiuſdam appellationis à grauamine per Apoſtolicas litteras ſibi impoſito, ad Curias ſæculares, & laicam poteſtatem recurrunt, & ab eâ capi & retineri faciunt: quique eorum inſtantiæ annuentes, ſine ſuo beneplacito aut conſenſu, vel examine, executioni prohibent demandari. Vbi pro caſu noſtro nihil. Inſpiciuntur enim Bullæ, in quibus de iure partium non agitur, quæ apud Sedem Apoſtolicam litigarunt; ſed quæ gubernationem tangunt, vel incommodi aliquid afferre poſſunt in regionibus adeò remotis, Sede Apoſtolicâ non non planè, aut etiam non veraciter, informatâ. Quod ſummâ cum reuerentiâ præſtatur, & vbi opus eſt, ſpecialis ſupplicatio interponi dicitur, cùm multoties ſufficere videatur generalis, vt affirmat Dom. Solorzanus *lib.* 3. *cap.* 25. *num.* 40. *& ſeqq.*

Aſſertio 1. *in Bulla de caſu præſenti non agi demonſtratur.*

93 Et quidem, cùm eſſe aliquando plures rationes poſſint, propter quas non expediat Pontificia reſcripta executioni mandari, eorum retentio non poteſt rationabiliter Pontifici diſplicere, qui iam circa hoc in iure ſuam aperuit voluntatem. Sic enim habetur in *Cap. ſi quando, de reſcriptis*, vbi hæc illius verba: *Si quando aliqua tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exaſperare videntur, turbari non debes. Qualitatem negotij, pro quo tibi ſcribitur, diligenter conſiderans, aut mandatum noſtrum reuerenter adimplens, aut per litteras tuas, quare adimplere non poſſis, rationabilem cauſam prætendas: quia patienter ſuſtinemus, ſi non feceris,* quod

Pro ſtyli conuenientia quid faciat.

Cap. Si quando.

Digitized by Google

quod prauâ nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum. Sic Alexander III. cuius omnes loquuntur ore Pontifices, animam & ſpiritum Pontificio iuri ſuæ auctoritatis præſidio tribuentes.

Non eſſe contra Pōtificis mentē vlterius oſtenditur. Cap. Super litteris.

94 Pro quo & facit *Cap. Super litteris, eodem Titulo*, vbi ita loquitur Innocentius III. in fine: *Vt ſic in vtroque caſu eadem ratio, quæ delegantem moueret, moueat etiam delegatum: & vbi delegans ſuas litteras denegaret, delegatus etiam ſuæ cognitionis officium nullatenus interponat.* Sic ille. Ex quibus apparet Pontificiæ intentionis non eſſe vt executioni eius reſcripta mandentur, quando ad ſic faciendum rationabilis fuerit cauſa deprehenſa. Quidquid autem de Regiſtro tali ſit, quod eſſe licitum tenent plures à Dianâ adducti *ſuprà.* & alii apud Dom. Solorzanum *num.*43. & prætereà P. Sà *verb. Excommunicatio*, in excommunicationibus Bullæ Cœnæ *num.*16. in Conſilio Indiarum eſt potior ratio, vt iam vidimus, & credendum profectò de noſtrorum eſt Regum pietate, atque erga Apoſtolicam Sedem obſeruantiâ, nihil pro Indiarum bono ab eâdem diſpoſitum à Conſilio impediendum, vbi plenè fuerit ſua Sanctitas informata.

Leges de Regiſtro nō obligare in conſciētia, & ſine illo poſſe in Indijs iuxta Bullas iudicari.

95 Dico ſecundò. Leges, quæ de non exequendis Bullis in Conſilio Indiarum non recognitis agunt, non obligant in conſcientiâ, & ita poterunt Indiarum iudices iuxta eas iudicare. Id probo. Tum quia quamplures, vt vidimus, illicitam retentionem dicunt; vnde & conſequenter dicendum debere eos, ad quos ſpectant, eas executioni mandare. Tum etiam; quia ratio, propter quam regiſtrari ſolent, ea eſt, quam diximus; ne ſcilicet pacificus Indiarum ſtatus in ſpiritualibus aut temporalibus per aliquam illarum ex minori rerum notitiâ profectam, aliquomodo perturbatur. Hæc autem ratio ceſſat: nam qui in Indiis degunt, meliùs id noſſe poſſunt, cùm res præſentes habeant, quàm ii, qui per immenſam diſtantiam ſunt diuiſi: quâ veritate nihil eſſe exploratius poteſt. Ceſſante autem ratione legis, illius obligationem ceſſare, quamplurium & grauium eſt ſententia Doctorum, quos adduximus *Titulo præced. num.*27. & prætereà aliorum, quos adducit & ſequitur Baſſæus, *v. Lex.* §. 5. *num.*3. & videndus præſertim P. Suarez *lib. 6. de legibus cap.*8. *num.*1. *& cap. 9. num.* 15. vbi & plures refert P. Palaus *Tomo* 1. *tract.* 3. *diſp.* 5. *Puncto* 1. *n.*4. *&* 5. qui licèt aliter ſentiant quando ceſſat ratio tantùm in aliquo particulari & non in communi, vbi & plures contrarium ſentiunt, videndi apud ipſos; in præſenti tamen ita contingit; reſpectu enim communitatis, & non tantùm aliquorum particularium, ceſſat ratio legum dictarum: maior enim notitia rerum propriarum generaliter eſt in Indiis, quàm in Europâ, & ita de conuenientiâ meliùs poteſt judicari. Loqui enim hìc poſſumus vt aliàs Caſſianus *Collatione* 13. *cap.* 18. cùm ait: *& idcircò fide non dubiâ, &, vt ita dicam, palpabili experientiâ comprobatur.* Sic ille. Meliùs proculdubio videt vnus propè, quàm mille à longè. Quid ſi è contrà, pauci à longè, & mille propè. Videndus etiam circa nuper poſitam poſitionem de ceſſatione legis Dom. Solarzanus *lib.* 3. *cap.*23. *num.* 51. vbi quòd ratio legis eſt mens & medulla ipſius, & ſe habet vt anima, & verbum vt corpus ſiue ſuperficies, & in illa conſiſtit tota vis, ſubſtantia & virtus intrinſeca legis, ex Tiraquello.

Ceſſante ratione legis, ceſſat eius obligatio.

Caſſianus.

C A P V T IX.

An Ordinationes Regiæ pro Conſilio Indiarum in conſcientiâ obligent Senatores.

Aſſertio 1. *circa Ordinationes de quibus dictum.*

96 Dico primò. Ordinationes, quæ ad neceſſariam notitiam rerum Indicarum, cauſſam conuerſionis, & electionem Miniſtrorum ſpectant, obligant modo dicto *Cap.* 1. *& ſequentibus, vſque ad* 5. *incluſiuè.*

Aſſertio 2. *aliquas tātùm eſſe directiuas.*

Dico ſecundò. Ordinationes aliquæ vim tantùm directionis habere videntur ad negotiorum commodiorem expeditionem; quibus ſi non ad litteram ſeruatis nihil inde damni in dictâ expeditione reſultet, non eſt graue peccatum, & fortè nec leue, prudenter, & bonâ fide procedendo. Colligi autem poteſt directionem, & non vim legis ſtrictæ, in ordinationibus reperiri, ſi verbis præceptiuis non vtantur; tunc enim leges etiam pœnam imponentes non obligare in conſcientiâ, tenent P. Suarez *lib.* 5. *de legibus cap.*9. *num.*9. P. Azor *Tomo* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæſt.* 5. P. Thomas Sancius *lib.*6. *Operis moralis cap.*4. *nu.*70. P. Palaus *Tomo* 1. *tractat.* 3. *diſput.* 1. *Puncto* 15. *num.* 10. P. Arriaga *Tomo* 2 *in* 1. 2. *diſputat.* 21. *num.*24. & alii. Et quidem directiones illæ, etſi à Regiâ auctoritate prodierint; id non niſi doctorum virorum in Conſilium adlectorum directione diſpoſitum. Cùm ergo qui ordinariè in Conſilio adſtant, viri ſapientes & quandoque non inferioris doctrinæ ac probitatis quàm priores illi, ſint; poterunt res conuenienter peragere, etſi punctis atque apicibus legum ad ſuum munus ſpectantium, non penitus addicantur.

Si verba præceptiua non adſint, non obligare vt leges ſtrictas.

Aſſertio 3. *non eſſe illa ſemper indicium obligationis ſub mortali.*

97 Dico tertiò. Etiamſi ordinationes verbis præceptiuis vtantur, non eſt indicium obligationis ſub mortali. Probatur ex valdè probabili ſententiâ grauium ſcriptorum, aſſerentium obligationem ſub reatu peccati in legibus à Principis eas ferentis voluntate pendere, & ita eam poſſe, vt conueniens ſibi viſum fuerit, moderari.. Sic tenent Nauarrus Caſtrus, Ioannes Medina, Caietanus, & alii apud P. Salas *diſput.* 10. *de legibus num.*29. quod & ipſe amplectitur *num.* 33. & optimè probant P. Suarez *lib.* 3. *de legibus cap.* 27. eoſdem & alios Auctores adducens P. Arriaga *ſuprà diſput.* 16. *num.* 71. *& ſeqq.* P. Palaus *Tomo* 1. *tractat.* 3. *diſput.* 2. *Puncto* 8. P. Valentia *Tomo* 2. *diſput.* 7. *quæſt.* 5. *Puncto* 2. *quæſtiuncula* 2. P. Thomas Sancius *lib.*2. *de Matrimonio diſput.* 9. *num.*6. *& libro* 6. *Operis moralis cap.*4. *num.*25. P. Eſcobar de Mendoza *Tomo* 1. *Theologiæ moralis lib.* 5. *num.*109. P. Baldellus *Tomo* 1. *lib.* 5. *cap.* 20. *num.*5. Ioannes Sancius *in Selectis diſput.* 15. *num.* 16. Bonacina *diſput.* 1. *de legibus quæſt.* 1. *Puncto* 7. §. 4. *num.*23. P. Leſſius *lib.*2. *cap.*41. *num.* 74. dum ſatis probabile eſſe ait, nec quidquam in contrarium adducit; quem ſequitur Diana *Parte* 3. *Tractat.* 6. *Reſolut.* 91. & alii. Ratio eſt: quia tota vis obligandi in lege ex voluntate legiſlatoris

Modū obligationis legis à legiſlatoris voluntate pendere.

Digitized by Google

Efficax pro eo ratio.

flatoris eſt; ergo ſicut obligare, & obligationem tollere abſolutè poteſt, ita & obligationem moderari. Neque ſatisfaciet qui dixerit poſitâ grauitate materiæ non eſſe locum obligationi: Iuſto enim apertè: nam poſitâ grauitate materiæ poteſt non condere legem, aut jam conditam abrogare: ergo & moderari obligationem. Antecedens conſtat, & Conſequentia probatur: quia plus eſt abſolutè obligationem tollere, non obſtante grauitate materiæ, ſic enim vtilitas legis penitus ceſſat: ergo ſicut materia ſubſtat voluntati eius in ordine ad poſitionem & reuocationem, ita & in ordine ad moderationem obligationis, videtur ſanè euidens Conſequentia. Quæ vrgeri poteſt ex juris regulâ; *cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus.*

Vnde voluntas illius innoteſcat.

98 Licèt autem ex præfatis quidam affirment, cùm de voluntate legiſlatoris aliunde non conſtat, ſtandum eſſe materiæ qualitati; vt grauis obligatio ſit, ſi grauis ſit materia; & leuis, ſtante materiæ leuitate: alii aliter cenſent, exiſtimantes, cùm aliunde non conſtat de legiſlatoris mente, ſcilicet per conſuetudinem ſic legem interpretantem, aut quia aliter non videretur ſufficienter communi bono prouiſum, ob ſummam legis conuenientiam, aut alio ex capite; benignè eſſe legem interpretandam, ciuilem præſertim, de quâ agimus. Cùm enim obligare ſic poſſit, & aliunde non conſtet de ſeueriore legiſlatoris intentione; cur graue jugum debeamus imponere, & damnationis occaſiones cumulare? Cùm præſertim de legibus agatur, quarum eſt publicum exercitium; quod ſi non ſit vt lege ipſâ præcipitur, ſanum legiſlatori, aut eius locum tenenti brachium relinquitur, vt pœnis impoſitis illius obſeruantiæ conſulatur. Videantur Nauarrus *in Manuali cap.23.num.49.* Beia *Parte 1. Caſu 13.* & P. Arriaga *ſuprà diſputat. 16. num. 64. & ſeqq.* P. Eſcobar *ſuprà cap.6.* aliique ex citatis.

Benignè interpretanda.

In caſu noſtro ratio ſpecialis ob Conciliariorum dignitatem.

99 In caſu autem noſtro ſpecialis ratio eſt, quia ordinationes pro Regio Indiarum Conſilio, pro iis ſunt diſpoſitæ viris, de quibus valde Maieſtas Regia confidit, magnis profectò ſapientiâ & probitate, vt dixi, & ita cum illis agi vrbaniùs debuit, eorum conſcientias ab onere illo grauiſſimo ſubleuando. Quia verò aliquæ leges tales ſunt, vt juxta dicta nuper, non videretur ſufficienter communi bono conſultum, niſi ſub mortali obligarent, & reſpectu earum, de quibus loquimur, aliquæ tales ſint, negari nequit quin eorum grauis ſit obligatio. Videant ipſi, & juxta ſibi familiarem materiam, Dei, & Regis placitis obſequantur.

Exceptio notanda.

Aſſertio 4. Præſidis obligationem eſſe ſub mortali circa curā obſeruādarum Ordinationum.

100 Dico quartò. Etiamſi ordinationes Conſilii non obligent ſub mortali; immò & quandoque ſine veniali ſtare earum omiſſio poſſit, juxta dicta circa ſecundam Aſſertionem: Præſes tamen Conſilii peccabit mortaliter, ſi eas non curet communiter obſeruari: ſecùs ſi aliquoties conniueat, de Senatorum Chriſtianâ agendi ratione confidens. Probatur: nam ad hoc præcipue eligitur, & eſt pars gubernationis eius eximia, pro quâ ſtipendium recipit ſatis pingue; ergo tali obligationi non ſatisfaciens pluſquàm leuiter peccabit; de quo non videtur poſſe dubitari, ſicut neque de obligatione reſtitutionis, ſi ſtipendium integrum recepit.

Ex damno vrgetur, etiamſi violatores venialiter peccent.

101 Accedit obligatio obuiandi damno, quod ex communi ordinationum violatione oriri poteſt; licèt venialiter tantùm contingat delinquere tranſgreſſores. Iuxta doctrinam, quam tradunt Sotus *de tegendo ſecreto quæſt. 2. Concluſ. 3.* Bañez *2. 2. q.33. artic.1. dub.2.* & P. Azor *Tomo 2. libro 12. cap.14. quæſt.4.* ſcilicet gubernatorem Reipublicæ teneri multoties ad expellendos veniales defectus à Republicâ ſub mortali peccato, quando ex illorum permiſſione poſſunt damna grauia in ipſam reſultare.

Aſſertio 5. in eâdem minorē eſſe peccati excuſationē, ob maiorē & magis ſpecialem obligationem.

102 Dico quintò. In Præſide Regii Indiarum Senatûs aliquid eſt ſpecialis obligationis circa dicta, vnde minùs excuſari à peccato poteſt. Conſtat; quia Reges noſtri propriam conſcientiam ſe exonerare teſtantur, Indiarum curâ in regium Conſilium transfuſâ, præſertim circa Indorum conuerſionem. Item. Prouinciæ, ad quas illius prouidentia ſe debet extendere, ſunt plurimæ & remotiſſimæ; vnde circa earum notitiam, & maxima Regum noſtrorum ex illis emolumenta, maior quàm in Conſiliis aliis ſolicitudo debet adhiberi: eſt ergo grauis obligatio Præſidi, vt Senatores faciat juxta ſibi impoſitas leges in rem momenti tanti vigilare: neque enim omnia eorum ſunt conſcientiæ remittenda, quia neque in omnibus æqualis illa, & Reges ad hoc munus viros in omnibus primarios eligentes, eos volunt operi ſtrenuam nauare ſolicitudinem. Et vt aliquis à prædicto remoueretur officio, id vnum eſſet ſufficiens; ſcire inquam Senatorum libito omnia relinquentem. Confidat equidem aliorum conſcientiæ, ſed ſuam præferat; quod Præfecto Prætorii ore Caſſiodori. *Libr. 9. 24.* ſic Rex Athalaricus iniungit: *Nam licet omnes penè honores ſummos æqualiter egeris; habes tamen propoſita conſcientiæ bona, vbi nullam decet eſſe menſuram. Hîc enim decorum eſt terminum non habere. Hîc honeſta probatur ambitio, cuius etiam & nimietas placet. Omne ſiquidem prædicandum, quantò profuſius quæritur, tantò glorioſius inuenitur.* Sic ille.

Propriā conſcientiæ cura maior in illo.

Caſſiodor.

CAPVT X.

An Regij Indiarum Conſiliarij ſuis legibus teneantur.

Poſſe illos leges condere, quæ Conſilij dici poſſunt, etiamſi Rex ſubſcribat.

103 POſſe illos leges condere Regiâ conſultâ Maieſtate, habetur in *Ordination. 2. Ann. 1571.* à Rege noſtro Philippo IV. confirmatâ & renouatâ, vt teſtatur Dom. Solorzanus *lib. 4. cap. 12. numer. 12.* & in Politicâ *pag. 895.* tenorem eiuſdem adducens. Licèt circa hoc dubitet Dom. Villaroel *Parte 2. Pacificæ gubernationis quæſt. 12. artic. 4. à numer. 32.* eò quòd Rex in illis ſubſcribat. Sed verò Pontifex etiam in Concilio generali ſubſcribit, & tamen leges Conciliares dicuntur. Videndus P. Suarez *lib. 4. de legibus cap. 6.*

Aſſertio 1. obligari illis.

104 Dico primò. Regij Senatores ſuis legibus obligantur. Id conſtat; quia illæ non niſi Rege conſulto, & ratificante conduntur, ſine cuius voluntate vim nullam obtinerent: ea enim eſt vis ratificationis, ex textibus & Auctoribus, quos adducit Dom. Solorzanus *ſuprà lib. 2. cap. 26.*

Digitized by Google

num. 92. *& ſeqq.* Atqui Rege ſtatuente, omnes non excepti manent ſubiecti: ergo & Senatores legibus à ſe diſpoſitis.

Aſſertio 2. obligationem eſſe iuxta condentis intentionem.

105 Dico ſecundò. Leges dictæ obligant ſecundùm eas ferentis intentionem, iuxta dicta *Cap.* 1. *& præced.* Vnde Senatores ipſi earum conditores ſciunt quòd circa hoc certum habeatur. Licet enim Rex ſit, qui vim tandem legibus tribuit, ſimul tamen cum eo Conſilium, cuius diſpoſitionem ſequitur. Si autem ipſi nihil ſpeciale concipiant, ſed leges ferant iuxta obligationem, quæ ex earum materiâ poteſt colligi, iuxta dicta eſt diſcurrendum: vt ſi magni momenti ſint, & ſeclusâ obligatione ſub mortali ferè inutiles redderentur; grauis earum obligatio debeat reputari. Quod etiam dicendum cùm leges à Conſilio latæ alios habuerant Senatores & auctores, de quorum intentione conſtare nequit ſucceſſoribus; debent enim iuxta præfatas regulas de obligatione, ipſam iudicare.

Aſſertio 3. leges pœnales circa metalla in conſcientia non obligare.

106 Dico tertiò. Cùm leges de metallis pretioſis agentes vt pœnales habeantur, nec videatur æquitati cõforme laqueum conſcientiis plurimum iniicere; videtur dicendum tamquàm veroſimile, & ſaltem probabile, eas in conſcientiâ non obligare, cùm pœna amiſſionis imponitur, aut quid ſimile. Iuxta doctrinam Nauarri in Cap. *Frater* 12. *q.* 2. *num.* 22. *& in Manuali Cap.* 23. *n.* 55. & aliorum, quos adducit; pluriumque, quos congerit P. Salas *Diſput.* 15. *de legibus à num.* 3. quibuſcum ipſe ſentit à *num.* 17. quando lex non imponitur per verba præcepti, ſed ſic: *Si quis hoc, vel illud fecerit, talem, vel talem pœnam incurrit*: pro quo & alios adduximus *num.* 96. & etiam ſi verba præceptiua adſint, idem eſſe probabile *Aſſertione* 3. *Capitis præcedentis* oſtendimus. Neque ſententia hæc in notabile detrimentum Regij patrimonij cedit: nam quod ex occultatione aliquorum amittitur, ex aliorum pœnis compenſatur; magnæ enim ſæpiùs quantitates minùs prouidè occultatæ deteguntur, quibus fiſcus adaugetur.

Quæ forma legis talem obligationem non indicet.

Aſſertio 4. Conſiliarij grauiter delinquũt, ſi contra leges regiſtri agant.

107 Dico quartò. Abſolutè loquendo, Si Regij Senatores contra leges regiſtri, aut alias ſimiles operentur, grauiter delinquunt. Id probo: quia ſuo exemplo alios inducunt ad ſimilia, ex quibus legum contemptus inducitur, & prætereà, in re non parui momenti officio ſuo deſunt, curandi ſcilicet vt leges pro bono communi poſitæ cuſtodiantur.

Aſſertio 5. Aliquando non ita accidere.

108 Dico quintò. Stare aliquando poteſt vt prædicta ſine graui peccato fiant; ſi videlicet neceſſitates vrgeant, neque aliter ſit habendi ſecuritas, & cùm ſecretò peragantur. Hoc videtur ſine probatione aliâ veroſimile, cùm conſtet per ſecretum damnis prædictis occurri, & neceſſitas rigorem legis temperet, iuxta vulgata iura. Cap. *Quod non*, de regulis iuris: *Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum.* Vbi plures alios Textus adducit Gloſſa & in *Cap. Si quis propter neceſſitatem*, de furtis. Quibus ſublatis ſola poteſt obligatio pœnalis legis relinqui, quæ ſtabit quidem, & fiet eidem ſatis, ſi quod occultè tranſmittitur, diligentiâ miniſtrorum legalium detegatur. Sic enim Regio applicabitur fiſco, & erit fortè ſic mulctatus, pœnæ eiuſdem inexcuſabilis executor.

CAPVT XI.

Vtrum Regium Indiarum Conſilium poſſit perſonas Eccleſiaſticas inordinatè procedentes in Hiſpaniam auocare.

§. I.

Duplex ſententia, & vtriuſque fundamenta.

109 Obuia eſt ratio dubitandi; ſit enim ſic, quod tamen non poſſe fieri notiſſima oſtendit immunitas; contra quam non ire tot viros adeò ſapientes & Chriſtianos videtur aliàs iudicandum. Et communis illa in promptu eſt ratio, Regem œconomico iure in hac parte ſe gerere: ſicut enim familiæ cuiuſcumque dominus domo expellere quemcumque poteſt qui ſibi videtur incommodus, eò quòd turbationis domeſticæ cauſſa ſit, quamuis ſit ille Clericus, vel Religioſus; aut ex vno in aliud mutare cubiculum ob congruam aliquam rationem; ita & Rex Clericos ac Religioſos turbantes pacem, bono communi poteſt eorum mutatione conſulere, & ſi opus ſit, etiam extra regna expellere; omnia enim inſtar vnius domûs ſunt ad negotium præſens. Et quidem in Indiis hoc ſpeciali videtur ratione procedere: cùm enim adeò diſtet, ſi turbari eas cõtingat, valdè difficile erit de opportuno remedio prouideri; vnde occaſiones oportet anteuerti, nedum exortas amputare. *Quid eſt enim gratius, quàm humanis rebus cautelam ſemper adhibere: quæ aut hic neceſſaria, aut non grauat eſſe ſuperfluam?* Verba ſunt Theodorici apud Caſſiodorum *Lib.* 3. 48.

Ratio dubitandi; & quæ pro parte affirmante communiter aſſeritur de œconomica adminiſtratione.

Caſſiodorus.

110 Dici poteſt, per Eccleſiaſticos Prælatos remedium poſſe procurari; pro quo præter obligationem officij, Regia admonitio ſufficiet. Quæ reſponſio optima eſt, quando res ita poteſt diſponi. Sed quid ſi de remedio à Prælato adhibendo deſperatur? vel ſi ſperari aliquomodo poſſit, non tamen adeò ſolidis fundamentis; vt Principis poſſit animus conquieſcere? Quod quidem in regionibus tanto interuallo diſtantibus rationabiliter timeri poteſt, cùm Prælatorum induſtria parùm habeatur explorata; ſitque prætereà eos viuere incertum: vnde ad radicem mali, ſublatâ occaſione, ſecuris videtur adhibenda. Neque enim certis periculis per incerta eſt remedia prouidendum; cùm potiùs è contrario ſit agendum: vt ſcilicet incertis periculis certa remedia deſtinentur. Sunt enim aliqua, *quæ pœnâ digna non ſunt, neglecta tamen aut inſuper habita, multorum, magnorumque malorum cauſſam præbeant*: vt ſcribit Dio Caſſius. *Lib.* 52. Vbi & illud Cornelij Taciti *Lib.* 11. *Annalium* ritè cadit: *Securitati conſules antequàm vindictæ.* Securitati inquam per remotionem vnius, ne opus ſit in plures, excitatis turbis, ſeueriùs vindicari.

Vrgetur ex incertis remedijs Prælatorum.

Periculis etiam non certis occurrendum.

Dio Caſſius.

Tacitus.

111 Et hæc quidem ſtylum videntur prædictum à violatione Eccleſiaſticæ immunitatis excuſare. Cùm tamen remotio talis rationem pœnæ habeat, & ſatis profectò grauis, vtpotè longi

Stylus prædictus improbatur, & œconomicus prætextus.

Digitized by Google

longi & laborioſi nimis exilij; videtur aliàs non licere laicæ poteſtati: & verò ſi philoſophari dicto modo liceret, & ad œconomicam gubernationem diſpoſitiones iſtas adeò graues reuocare; eodem modo poterit circa alia diſcurri & ſic libertatem Eccleſiaſticam magnâ ex parte demoliri. Dominus enim familiæ Clericum, aut Religioſum poteſt domo eiicere, cuius praui diſpliceant mores, erga quamcumque materiam prauitas verſetur, in quacumque ſiquidem nocere poſſunt: ergo & Rex poterit ſimiliter Eccleſiaſticos à regno expellere ob quamcumque morum prauitatem. Conſequentia videtur vrgere iuxta doctrinam prædictam: quia Rex non minùs debet regni pacifico ſtatui cōſulere, quàm pater-familias domùs propriæ vtilitati. Et quemadmodum hic non dicitur pœnam infligere, ſed ſuæ indemnitati proſpicere, ita etiam de Rege dici poteſt.

Rem poſſe miniſterio Prælatorum executioni mandari, et nudi pro eo deſignati,

112 Præterea. Si expediat aliquem ex Indiis abduci, id poteſt miniſterio Eccleſiaſticæ iuriſdictionis exerceri: ergo nequit laica poteſtas ſuo tantùm brachio vti in huiuſmodi compulſione. Antecedens probo. Nam Rex per Conſilium poteſt ad Prælatos ſcribere ſuo expedire ſeruitio, vt talis, aut talis, in Hiſpaniam remittatur: quâ voluntatis ſignificatione, nullus erit qui non ad executionem Regij beneplaciti moueatur. Quòd ſi fortè in executione difficultas aliqua ſubſit, & ſupplicandum videatur, id Regi, & Conſilio ingratum non accidet; immò & fortè gratius ſuperſediſſe fuerit; ſic enim veritas ſolet propalari. Et ita quidem vidimus accidiſſe nonnumquàm, dum ſiniſtris informationibus aures Regiorum Senatorum opplentur: vocati enim nequaquàm remiſſi; idque non ſolùm patienter, ſed æquanimiter ac libenter toleratum. Poteſt item ad Proregem ſcribi vt executionem vrgeat, Regis inculcatâ voluntate. Vbi & mirandum erit Conſilium Regium conuenientiam expulſionis iam inde ab Orbe alio proſpicere, quam Prorex, rem habens præſentem, non valeat meliùs intueri. Ex quo oſtenditur cauſſas auocationum talium non tale ſemper ſolitas habere momentum, vt ad remedium adeò acre compellant; quandoquidem ij, qui præſentes adſunt, nihil tale deprehendunt.

Medium iuxta quod ſine ſcrupulo poteſt orocedi.

113 His addo, medium eſſe aliud, quo poſſit omnis ſcrupulus in tali auocatione ceſſare: ſi videlicet Patriarcha Indiarum eam habeat poteſtatem ex Apoſtolicæ Sedis conceſſione, etiam erga exemptos: quod difficile non fuerit impetrare. Tunc enim propoſitâ ei à Conſilio Regio avocationis conuenientiâ, poterit rationabiliter imperare. Habere autem Conſilium talem ab Eccleſiaſtico iudice dependentiam, indecorum non debet iudicari, ſed maximè glorioſum, iuxta dicta *num.* 81. Pro quo & iuuat Athalaricum Regem ore Caſſiodori *Libr.* 8. 24. ſic locutum excepiſſe: *Tantò Diuinitati plurima debemus, quantò à ceteris mortalibus maiora ſuſcepimus. Nam quid ſimile rependat Deo, qui potitur Imperio? Sed licet pro tanto munere nihil compenſari poſſit idoneè; ipſi tamen gratia redditur, dum in ſeruientibus honoratur.* Et inferiùs. *Sed aliorum plectenda ſubreptio nobis obtulit pleniſſimæ laudis euentum, vt cauſſa contingeret præſtandi, quæ nos cæleſtibus commendaret*

Caſſiodorus.

Subiectio in Regibus comparatione Eccleſiæ & vtilis & decora.

auxiliis. Hæc ille, & alia in cauſſâ immunitatis. Ex quibus patet dependentiam dictam minimè Regiam auctoritatem dedecere: & per eam diuina auxilia, quæ tantopere ſunt Regibus Catholicis neceſſaria, efficaciùs comparari.

Diuerſæ ſententiæ circa quæſtionem.

114 Cùm ergo vtrimque rationes appareant, non erit mirum ſi Scriptores diuerſimodè inueniantur opinari. Et actionem dictam eſſe licitam plures Iuriſconſulti exiſtimant, quos adducunt Dianâ *Parte* 1. *Tract.* 2. *Reſolut.* 18. & Dom. Solorzanus *Libr.* 3. *Cap.* 27. & in politicâ *Libr.* 4. *Cap.* 27. & aliis accedit Dom. Villaroel *Parte* 2. *Pacificæ gubernationis Quæſt.* 13. *Artic.* 6. *num* 114. Pro quo & Dom. Solorzanus ſchedulas aliquas Regias adducit. Contrarium autem tenent quamplures ab eiſdem prolati, quod & communiter Auctores Societatis amplectuntur. P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſput.* 21 *Sect.* 2. *num.* 70. *iuncto num.* 102. P. Henriquez *Lib.* 14. *Cap.* 12. *num.* 6. *& in Gloſſa lit. V.* P. Filliucius *Tomo* 1. *Tract.* 16. *n.* 247. P. Scortia in *Epitome Bullarum Cap.* 66. *Theoriâ* 420. P. Palaus *Tomo* 6. *Diſput.* 3. *Puncto* 20. §. 5. & 7. *iunctis iis, quæ habet Tomo* 2. *Tract.* 12. *Puncto* 6. *Diſput. vnica, quatenus caſum iſtum non excipit.*

§. II.

Reſolutio Aſſertionibus explicata.

Aſſertio 1. frequentem auocationē eſſe mortaliter culpabilem.

115 Dico primò. Talem auocationem frequenter indicere, non videtur in Regiis Conſiliariis ſine graui conſcientiæ reatu ſtare poſſe. Sic citati, & præterea Dom. Solorzanus *num.* 17. vbi ita ſcribit: *Sed licet hæc ita ſe habeant, & tutius, (vt dixi) ſatiuſque ſit, vt Eccleſiaſticorum expulſio aliaue coërcitio, eo modo, quo diximus, expediatur (ſcilicet per Eccleſiaſticos Prælatos:) adhuc tamen vbi Prælati Eccleſiaſtici hoc facere differunt, vel in ipſiſmet Prælatis morbus conſiſtit, cuius medicina deſideratur: vel facinus ita graue & inſolens eſt, vt cunctationem non patiatur, & celerem ac exemplarem animaduerſionem requirat; probabiliter, & abſque vllo periculo &c.* Non ergo probabile cenſet, cùm facinus non eſt graue & inſolens, ſicut frequenter non eſt, Conſiliarios Regios ad remotionem ſacrorum hominum procedere. Id quod etiam allata à nobis *ſuperiùs* perſuadent.

Dom Solorzanus.

Aſſertio 2. Per iudices Eccleſiaſticos, ſi queat, ſemper, faciendum.

116 Dico ſecundò. Quodcumque illud ſit, propter quod expulſio iudicatur conueniens, ſi per Eccleſiaſticos Prælatos præſtari poſſit, tutâ conſcientiâ nequit remedium huiuſmodi prætermitti. Id probo

Probatio 1. ex decreto Clementis Octaui.

Primò, ex decreto Clementis Octaui, de quo Genuenſis apud Dianam *ſuprà Reſolut.* 20. qui ſtatuit cauſsâ Religioſi de grauiſſimâ rebellione in regno Neapolitano rei, non debuiſſe à iudicibus laicis cognoſci, & tamen nullum ita præiudiciale facinus reſpectu boni communis, nec magis Principibus odioſum.

Euaſio de iudiciali cognitione tantùm prohibita.

117 Dices decretum præfatum de cognitione iudiciali procedere, quam & oppoſita ſententia negat laico iudici debere concedi; non cognitione per viam œconomicæ gubernationis.

Exploditur validè.

Sed in primis ſunt qui dicant diſtinctionem hanc eſſe chimericam, quia cùm cognitio cauſæ reipſa ſit, & pœna ſatis grauis infligatur, ſola de

nomine relinquitur quæſtio. Et is qui pœnam ſubit, mallet ſecum juxta juris formam agi, ſic enim eſſe locus defenſioni. Deinde. Delictum illud non debet manere impunitum: ergo cùm Regium Conſilium non permittat Eccleſiaſticos judices circa illud ſuam auctoritatem interponere, ad ſe vult punitionem penitus pertinere, quam reipſa illum banniendo, aut quomodocumque nominare libeat, infligit. Præthereà ex decreto dicto ſatis efficaciter arguitur: nam ex illo habemus grauitatem delicti non obſtare immunitati, nec diuerſam regulam pro eo ſtatui poſſe ab eâ, quæ circa frequentiora crimina obſeruatur: ergo ſicut in delictis frequentioribus non eſt licita expulſio à regno, ita neque in grandioribus & inſolitis, quando circa eorum remedium poteſt Eccleſiaſticus gladius exerceri. Quibus addendum juxta receptam Scriptorum doctrinam Clericum incorrigibilem priuilegium Canonicum non amittere. Pro quo vide P. Dicaſtillum *lib. 2. de Iuſtitia diſp. 4. num. 354.*

Probatio 2. ex reſcriptis Regijs.

118 Secundò probo ex reſcriptis Regiis, in quibus ita decernitur, vt ſcilicet turbulenti homines interuentione Prælatorum expellantur; de quibus Dom. Solorzanus *num. 12. & ſeqq.* & licèt *num. 53.* alia reſcripta adducat, in quibus expulſio talium Proregibus indicitur, nullâ Prælatorum Eccleſiaſticorum factâ mentione; illa tamen ſubintelligenda eſt; quia correctio in legibus eſt vitanda. *L. Præcipimus. C. de appellation.* Pro quo Marius Antoninus *lib. 1. Reſolut. 17. numer. 12.* cum Menochio & Boëtio. Item, in legibus talis eſt facienda interpretatio, vt non videatur Princeps id tollere, quod ab ipſo fuerat antè conceſſum. Pro quo Auctor idem. Præterquàm quòd omnes qualitates influentes & repetitæ cenſentur in lege additâ, vt docent Alexander, Decius, & Socius apud eumdem *lib. 3. reſol. 23. n. 2.*

L. Præcipimus.

Probatio 3. ex Bulla Cœnæ contra Bannientes.

119 Tertiò. In Bullâ Cœnæ, *Excommunic.* 19. excommunicantur bannientes perſonas Eccleſiaſticas. Eſt autem bannire juxta Italorum loquendi morem, in exilium mittere. Ibi autem nulla fit exceptio inſoliti facinoris: cùm tamen certum ſit nonniſi ob talia crimina banniendos Eccleſiaſticos timeri potuiſſe. Quod argumentum, ſicut & præcedentia, Aſſertionem priorem ampliùs firmant.

Reſponſio de proceſſu judiciali tãtum prohibito.

Nec valet ſi dicas cum Dom. Solorzano *n. 54.* & in Politicâ *pag. 745. §. Con la qual.* Bullam procedere de proceſſu per viam contentioſam, vt indicant verba, quæ apponuntur in *Clauſulâ 12. præcedenti eam*, in quâ de bannientibus agitur, ibi: *Ac ſe de illarum cognitione tamquàm iudices interponunt.* Quæ clauſula ad omnes ſequentes influit & in illis repetita cenſetur. *Cap. Requiris, de appellat.* Vbi Abbas, & doctores. Et ex textibus aliis ab eôdem adductis, in quibus id Scriptores illuſtrant.

Apertè conuellitur.

120 Non inquam valet; quia doctrina illa non eſt generaliter vera & ita non habet locum quando, ſi clauſula referretur ad capitulum, induceretur juris communis correctio, vt docent Bartholus *in l. Talis ſcriptura, ac legatis 1.* Gabriel *Conſilio 22. n. 12. volum. 1.* Aretinus *in l. 3. §. Filius*, in fine, *D. de liberis & poſthumis.* Item, quando in aliis poſt clauſulam eſt diuerſa ratio, vt tradit Cardinalis Mantica *Deciſione 52. n. 3.* juxta communem Doctorum ſenſum; quod hîc contingit, & ſic aliàs. Pro pręſenti autem cauſâ id certum, non extendi quando verba legiſlatoris contrarium indicant; & eſt in fauorem Eccleſiæ, vt hîc accidit: nam Pontifex quatuor aut quinque actiones prohibet ſub dictâ excommunicatione verbis illis: *Illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo vel exequendo.* Vbi ſententiam proferre, quod eſt vt judicem ſe interponere, tamquàm quid diuerſum à bannitione conſtituit. Et prætereà ſi clauſula illa deberet intelligi: ergo qui caperet ſine judiciali proceſſu, non incurreret pręditam excommunicationem; quod dici nequit; cùm multò grauior ea iniuria ſit, quàm ſola proceſſatio ſub eâdem excommunicatione prohibita. Pro quo videndus Bonacina *diſp. 1. de Cenſuris, q. 20. Puncto 2. n. 9.* Item. In hac excommunicatione extant verba illa. *Quomodolibet ſe interponentes*: ergo non ſola interpoſitio judicialis & contentioſa prohibetur, cùm aduerbium. *Quomodolibet* ſit vniuerſale, vt conſtat, & habetur ex *Cap. Indemnitatibus. §. Si qua verò, de electione in Sexto*, ibi: *Ipſius aliquod quomodolibet non quæratur.* Vbi Archidiaconus ait eſſe diſtributiuum modorum, quod probat Gloſſa.

Aſſertio 3. exceptionē ſtatuens ſecundum vrgentes circumſtãtias.

121 Dico tertiò. Si delictum ſit inſolens, & turbulentum aliquid timeatur, probabile eſt poſſe Regium Conſilium ſic delinquentem expellere, ſi Prælatus Eccleſiaſticus nolit, aut nequeat, requiſitus ad id operam exhibere. Colligitur ex P. Suario *lib. 4. defenſionis fidei, cap. 34. n. 6.* & in 8. magis ad rem ita ſcribit; *Atque hinc poſſumus vniuerſaliter colligere, numquàm poſſe ſæcularem judicem vſurpare juriſdictionem in Clericum prætextu neceſſitatis, quamdiu aliquis prælatus Eccleſiaſticus, ſiue proximus ſiue remotus adiri potuerit.* Sic ille. Quando ergo Eccleſiaſticus Prælatus adiri non poteſt, aliter judicandum. Eſt autē idem non poſſe Prælatū, aut nolle remedium adhibere, ac penitus non eſſe: quia in ordine ad illum effectū nō eſt. Sic C. *Inter cetera, de tranſlatione Epiſcopi*, eccleſia viduata dicitur quæ habet Epiſcopū inutilē. Vbi Gloſſa *v. Inutilem*, ait inutilē mortuū reputari. *Et L. Plagiarij ad L. Fabiam, de plagiarijs*, pater vocatur filio orbatus, quando ſibi eſt filius inutilis. Vbi & id notat Gloſſa, & Baldus. Propter quē Textum Baldus ipſe, Didacus Perez, Palacius, Rubeus, Rebuffus, Hippolytus, Couarr. & Cotta, apud P. Th. Sancium *tom. 2. Conſiliorū, lib. 4. c. 2. dub. 15. n. 1*: affirmant viduā dici, quæ maritū habet inutilem, & gaudere priuilegiis viduarum.

P. Suarez.

Inutilis Prælatus pro nullo.

Cap. Inter cetera.

L. Plagiarij.

Simile in filio, & marito.

Reſponſio de adeuone Pontificis, nequit Indys applicari.

122 Dices P. Suarium, *n. 7.* aſſerere adeundum eſſe Pontificem, qui ſi neglexerit, non eſt per Regem cogendus, ſed rogandus, vel cum debitâ ſubmiſſione monendus. Sed hoc pro Indiis in caſibus particularibus eſt difficile, vt conſtat, & mora poteſt eſſe nociua: vnde ſuccedit alia doctrina eiuſdem Patris, *n. 9.* ſic dicentis: *ſi vero aut caſus eſt particularis & extraordinarius, aut non datur locus conſulendi Pontificem, aut exequendi mandata eius: tunc caſus reducitur ad terminos juris naturalis, & gentium. Et ideò licebit vti remedio quocumque honeſto ſecundùm rectam rationem. Vel dici etiam poteſt tunc poſſe conueniri Clericum coràm iudice laico jure defenſionis, quia ille tunc eſt modus ſuauior ſe defendendi, vel ſuum conſeruandi, aut recuperandi, aut etiam communi bono conſulendi.* Sic ille. Quod & alii admittunt, quibus nouiſſimè accedit D. Villaroel *Part. 2. q. 18. art. 3. n. 1. & ſeqq. & n. 38. & ſeqq.* Iuxta quod exponendum quod

P. Suarez.

Dom. Villaroel.

Digitized by Google

quod habet *art.* 1. *n.* 117. Clericos inquam incorrigibiles poſſe à laicis puniri iudicibus.

CAPVT XII.

An idem quod de alijs, de Epiſcoporum auocatione, aut remotione dicendum.

Aſſertio 1. de alijs dicta pro Epiſcopis magis vrgere, ob eorum maiorem dignitatē, quæ expenditur.

123 DIco primo. Quæ in *prima & ſecunda Aſſertione cap. præced.* diximus, in Epiſcopis ampliùs vrgent. Conſtat ex eorum maiori dignitate, cui maior eſt etiam debita reuerentia: vnde ſpecialis eſt excommunicatio in Bullâ Cœnæ, ſcilicet vndecimâ, contra eos hoſtiliter inſequente. *Iniuria eorum ad Chriſtum pertinet, cuius legat one funguntur*, ait Diuus Anacletus *Epiſtol.* 2. & S. Melchiades in Epiſtolâ ad Epiſcopos Hiſpaniæ, quod & habetur in *Cap. De his verò*, *de Conſecrat. diſt.* 5. eos vocat ſummos Pontifices verbis illis: *Et ſicut vnum maioribus, id eſt, ſummis Pontificibus, eſt accommodatum.* Vbi de Sacramento loquitur Confirmationis. Et, vt explicat Gloſſa, ſummi dicuntur; *quia vltra eos nullus eſt ordo: nam Metropolitani Epiſcopi vocantur* 18. *diſt.* Quamuis hic titulus iam ſit ſoli Chriſti Vicario, & Diui Petri Succeſſori reſeruatus. Sed omnium elegantiſſimè Gelaſius Papa Anaſtaſio Imperatori ſic ſcribit: *Honor & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Sunt regum fulgori compares & Principum diadematis; longè erit inferius &c.* Extat in *cap. Duo ſunt, 96. diſt.*

D. Anacletus. *S. Melchiades.* *Gloſſa.* *Gelaſius Papa.*

Aſſertio 2. idem quod de alijs dictum, etiā illis applicandum, vt auocari poſſint, ſi ſeditionarij.

124 Dico ſecundò, Quod *Aſſertione* 3. eſt dictum, poteſt etiam Epiſcopis applicari, in quibus aliqualiter maior videtur eſſe ratio, quàm in aliis. Id conſtat: nam & grauiter turbare Reſpublicas poſſunt, & Superiorem non habent, à quo poſſint coërceri. Ideò non ſolùm Epiſcopos, ſed & Archiepiſcopos ſcimus in Hiſpaniam accitos, neque id Pontifices moleſtè toleraſſe, ſed Regibus noſtris poſtulantibus, & ad Epiſcopatus illius Prouinciæ præſentatis, eorum tranſlatione publicę tranquillitati conſultum. Conſilium Carthaginienſe quartum *cap.* 67. ſic decernit: *ſeditionarios ſtatuimus numquàm ordinandos Clericos, ſicut nec vſurarios, vel iniuriarum ſuarum vltores.* Sic Concilium, & id ad Epiſcopos præcipuè pertinere conſtat ex totâ *diſtinct.* 46. in quâ Gratianus requiſitum illud exponit, quod apud Apoſtolum extat 1. *Tim.* 3. *v.* 3. *Non litigioſum.* & ita pro eo ſtatutum Concilii prædictum adducit in *cap. Seditionarios.* Cur autem ſeditionariis vſurarios adiunxerit, exponit Gloſſa ſic dicens: *Quia tales propter auaritiam pro minimo litigant.* Vbi & addit non ſolùm non ordinandos, ſed *& ordinatos deiiciendos.* Vltores autem iniuriarum ſuarum ſatis litigari probantur. Quæ quidem in Indiis ſatis pernicioſa comperiuntur, ſicut & frequentiores pro iisdem occaſiones: auaritia enim pretioſis ſtimulata fomentis animos elatiores generat, & periculum eſt, ne qui præſunt, dum à ſupremis illis Europæ in ſpiritualibus & temporalibus remoti Principibus degunt, ſe vti huius noui mundi dominos arbitrentur. Sic ergo & periculosè omnia miſcere moderamine turbulentò. Non erunt equidem plures, nam & modeſtiſſimos frequenter experimur: ſed ſiqui contrariâ gradiantur viâ, magnâ debet huic damno prouidentiâ ſubueniri. Non poterit Regium Conſilium erga eos, quod ſola poteſt auctoritas ſuprema Pontificis, *Ordinatos deiiciendo*, vt ait Gloſſa: poterit tamen deiectionem auocatione diſponere, iuxta probabilem Doctorum ſenſum operando.

Concilium Carthag. *1. Tim. 3. v. 3.* *Gloſſa.* *In Indijs pro eo ratio ſpecialis.*

Ius Canonicum pro auocatione militat.

125 Pro quo videtur etiam jus Canonicum militare, dum ex Concilio Agathenſi 2. *cap.* 35. ſic ſtatuitur in *cap. Si Epiſcopus* 18. *diſt. Si Epiſcopus Metropolitanus ad Comprouinciales Epiſcopos epiſtolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem ſummi Pontificis, aut ad Synodum inuitet: poſtpoſitis omnibus (exceptâ graui infirmitate corporis, aut præceptione Regis) ad conſtitutum diem adeſſe non differant.* Ex Concilio etiam Sardicenſi *cap.* 8. ſic habetur: *Si vobis, fratres Chariſſimi, placet, decernite ne Epiſcopi ad comitatum accedant, niſi fortè hi, qui à religioſis Imperatoribus, vel inuitati vel vocati fuerint.* ſic extat in *Cap. Si vobis* 23. *q.* 8. Et ſunt verba Oſii Cordubenſis Epiſcopi in Concilio præſedentis. Iuxta hæc ergo conſtat Epiſcopos à Regibus aut Imperatoribus vocatos non debere eorum placito reluctari, quia ſemper præſumi debet non leuis momenti cauſa aduocationem huiuſmodi permouere. Sic ergo interpretanda eſt eorum mens, cùm Conſilio Indiarum ita arbitrante, Prælati in Hiſpaniam auocantur: grauiſſima enim tunc intercedit cauſa, & audiri coràm eos conuenit, pro ſe rationem, & fortè congruam, reddituros.

Cap. Si Epiſcopus. *Cap. Si vobis.*

Occurritur difficultati de damnis abſentiæ.

126 Dices ex eorum abſentiâ ea emerſura damna, de quibus dictum *cap.* 5. Ad quod reſponderi poteſt, vocantibus id onus relinqui, vt videant quomodo poſſit damnis emergentibus obuiari. Deinde, etiamſi damna aliqua ſint futura, maioribus vitandis per talem abſentiam attendi, & maiora ex eâ bona pro vtilitate communi ſperari. Quemadmodùm cùm generale Concilium indicitur, omnium Epiſcoporum futura abſentia decernitur, & quæ ex ipsâ oriri damna poſſunt, communis totius Eccleſiæ boni conſideratione & maiorum damnorum euitationis reſpectu compenſantur. Et prædictam praxim videtur approbare Diana *Parte* 5. *tract.* 1. *reſol.* 5. §. *Verùm hanc*, vbi ita ſcribit: *Non ſumus in Indiâ, ita vt ad compeſcendam, ſi adeſſet, licentiam & delicta Epiſcoporum, tanta eſſet neceſſitas, vt periculum eſſet in morâ, ſi pro ruinâ publicâ ſubleuandâ Pontificis reſolutio expectaretur.* Sic ille. Licet ergo in Indiis, quod alibi non ita, iuxta ipſum. In quibus prætereà volunt aliqui Reges noſtros Legati Pontificii auctoritatem habere, vt vidimus *Titulo præced. n.* 159. quibus cum Dom. Villaroel *Parte* 1. *quæſt.* 1. *lib.* 8. *n.* 23. *& ſeqq. Parte* 2. *quæſt.* 14. *art.* 4. *n.* 36. qui eâ non adductâ ratione auocationem & expulſionem vt licitam admittit reſpectu Regis, Proregū, & Audientiarum, vt citato *Art.* 8. *num.* 34. *& ſeqq. & Parte* 2. *quæſt.* 12. *art.* 5. *num.* 97. Legati etiam auctoritatem agnouit Fr. Ioannes de Silua *in Animaduerſionibus citatis fol.* 7 *pag.* 1.

Ex Diana poſitionis probatio, pro Indijs. *Ex Legati auctoritate in Regibus idem iuxta aliquos probatū.*

Digitized by Google

CAPVT XIII.

An ratione ſtyli poſſint Regij Indiarum Conſiliarij in reſcriptis ad Eccleſiaſticos tranſmiſſis conſcientiæ grauamen incurrere.

Stylus comminatorius ex ſtylo nouo.

127 DOminus Solorzanus *lib.4.cap.12.n. 78. & 79.* & in Politicâ *lib. 5. cap. 16.pag. 908. §. Loquales*, nouum ſtylum circa hoc cenſurâ dignum exiſtimat; ſic enim ſcribit: *Quod notare etiam oportebit pro cenſura cuiuſdam praui ſtyli, qui his temporibus in dictis ſchedulis frequentatur; quatenus Princeps ad earum obſeruationem multis pœnis inſurgit, & multis verbis hortatur, & aliquando indignationem minatur, &c.* Cùm ergo reſcripta talia per Conſilium expediantur, ad illius Patres talis videtur cenſura pertinere. Et dubitari poteſt an in hoc eorum poſſint conſcientiæ grauari. Circa quod

D.Solorz.

Aſſertio 1. aliquod in eo eſſe peccatum.

128 Dico primò. Niſi bona fides excuſet, aliquod in huiuſmodi ſtylo peccatum admiſcetur. Sic videtur ſentire Dom. Solorzanus, cùm prauum dicat. Et probatur. Quia Eccleſiaſtici alterius fori, & quidem diuinioris ſunt: ergo debet cum illis reuerenter agi, nec pœnarum comminatione compelli; & quidem cùm pœnæ non non ſint pro libito, ſed præcedente cauſæ cognitione imponendæ, qui pœnas minantur, eo ipſo ſe iudices videntur profiteri. Hoc autem quantùm immunitati ſacrorum hominum aduerſetur, ſatis eſt perſpectum. Quòd ſi non animo verè infligendi, ſed ad terrorem tantùm proferuntur, hoc etiam contrà reuerentiam eſt debitam; quòd ſcilicet terroribus cum eis agatur, quibus omnis vrbanus agendi modus, vtpotè in altiori gradu conſtitutis, debeatur. Comminatio autem Regiæ indignationis eſt formidabilis, vt Rex omnium ſapientiſſimus atteſtatur *Prouerb. 16. v. 14.* dum ait; *Indignatio regis, nuntij mortis.*

Prouerb. 16. v.14.

Aſſertio 2. videri mortale, ob reuerentiam debitam etiam à Regibus.

129 Dico ſecundò. Præfatus ſtylus graue videtur eſſe peccatum. Hoc probant nuper adducta. Et prætereà arguo ex eo quòd graue ex illo ſcandalum oriatur, dum vident populares ſic Eccleſiaſticas tractari perſonas: minuitur enim in illis debitus eiſdem reſpectus, & de immunitate earum abiectè ſentiunt: quod conſtat damnum eſſe grauiſſimum: cùm debeant præ aliis Chriſtiani Principes honorem Eccleſiaſtici ordinis illibatum accurare. Pro quo ita ſcribit Diuus Marcellus Pontifex in *Epiſt.2. ad Maxentium. Boni Principis eſt ac Religioſi eccleſias contritas atque concuſſas reſtaurare, nouaſque ædificare, & Dei Sacerdotes honorare ac tueri.* Sic ille, & habetur in *Cap. Boni, 96. diſt.* In quâ etiam. *Cap. In Scripturis,* Nicolaus Pontifex Magni Conſtantini exemplum adducit, quem dixiſſe ſcribitur: *Verè ſi proprijs oculis vidiſſem Sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui Monachali habitu circumamicti ſunt, peccantem, chlamydem meam expoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur.* Poſt exemplum autem dictum ſic alloquitur Ludouicum Imperatorem: *Sed hoc quidem diximus tantos vos reddere cupientes, vt ſi de Domini Sacerdotibus (qui iure Patres animarum dicuntur) aliquid contigerit vos audire, quod confuſionem pijs mentibus ingerat: non infrunitum, ſed pudoratos filios Noë imitantes, paternam de reliquo verecundiam contegatis; vt affluenti (quemadmodum & illi) benedictione repleri, moderante Domino, mereamini.* Sic ille.

D.Marcellus.

Magni Conſtantini egregiũ affatum.

Nicolaus Pontifex.

Aſſertio 3. Regias cõminationes aliquando licere.

130 Dico tertiò. Aliquando ſine peccato vllo poterunt Regiæ comminationes intendi: quando ſcilicet res ipſæ id exigere, ob grauia, quæ imminere poſſunt, damna videantur. Et poteſt congruus talibus reſcriptis ſenſus adhiberi; infligendas ſcilicet pœnas, eo modo, quo infligi à laicâ poteſtate poſſunt, exequendo ſcilicet, quas Pontifex, aut inferiores Prælati, infligendas iudicarint; aut eo modo qui, juxta dicta Capite præcedenti, ſine eorum interuentione poteſt probabiliter vſurpari. Ex quo habetur non eſſe jam ſtylum, quem prauum dicimus: ſtylus enim dicit vſitatum ſcribendi modum, qui cum conſuetudine ferè coincidit: in vno autem aut alio caſu non dicitur eſſe ſtylus; & ita non poteſt penitus condemnari: eſtque in hoc interpretationi dictæ locus; quæ tamen non poteſt ſtylo conuenienter adhiberi.

Et hæc pro Regio Indiarum Conſilio delibaſſe ſufficiat, plura forſitan quàm opus fuerit; ſi enim intelligenti plura, vt communi prouerbio fertur, ſublimi adeò intelligantiâ præditis, qualis in eis ſemper effloruit, qui ad illud ex flore ſapientium eliguntur, pauciſſima ſufficient, quæ & ipſi poterunt maioris luminis ornamento conueſtire. Iam ergo ad alia.

TITVLVS

Digitized by Google

TITVLVS III.

DE PROREGIBVS INDIARVM EORVMQVE Obligationibus ad negotium animæ pertinentibus.

Poſt Regem, Regiumque Conſilium, Proregum videtur dignitas & auctoritas eminere: vnde circa illos præſenti hoc Titulo, quæ commoda eſſe poſſunt expediemus. Sit ergo pro illis,

CAPVT I.

Qualiter Proreges Indici ad exemplum vitæ teneantur.

Proregum integritas vel ſolâ Regia electione probatur.

1. QVæ circa Gubernatores Indiarum à Rege deſtinandos dicta à nobis *Titulo* 1. *Cap.* 9. ad Proreges maximè conſtat pertinere; quibus ſuppoſitis præſens quæſtio parùm erit neceſſaria: cùm enim viri probitatis eximiæ ſint ad munus tantum deligendi, quid opus eſt circa vitæ exemplum inquirere vbi illud non poteſt in ſic delectis defeciſſe. *Indicij noſtri culmen excelſum eſt, cùm qui à nobis prouehitur, præcipuus, & plenus meritis æſtimatur. Nam ſi æquabilis credẽdus eſt, quem iuſtus elegerit, ſi temperantiâ præditus, quem moderatus aſciuit: omnium profectò capax poteſt eſſe meritorum, qui iudicem cunctarum meruit habere virtutum.* Sic Theodoricus apud Caſſiodorum *Lib.* 1. 3. vbi de ſupremæ elatione dignitatis agebatur. Licèt autem parùm neceſſaria videri poſſit, ea ſuppoſitione firmata, vtilis tamen non poteſt non haberi: & nos non ſolùm neceſſaria, ſed etiam vtilia conſectamur.

Caſſiodorus.

Quæ in Indico ſpecialis obligatio ob conuerſionem, de qua agitur.

2 Oportet equidem Proregem Indicum vitæ exemplo prælucere: *Moribus enim debet eſſe conſpicuus, qui datur imitandus.* Idem qui *ſuprà* apud eumdem *Lib.* 4. 3. De conuerſione Indorum agitur, & promotione fidei, ac de primitiuâ quadam Eccleſiâ prioris imitatione fundanda. Quo in negotio Prorex præcipuus eſt motor, & promotor vnde omni debet florere virtute, vt ex eo fonte in alios Chriſtianæ profeſſionis digniſſimæ deriuẽtur. Ioſeph in Ægypto Prorex conſtitutus à Pharaone, omniũ ſe virtutum exemplar exhibuit veri Dei inter Ægyptios Religionem, quam profitebatur ipſe, promoturus. Et Ioſephum eumdem eſſe, qui Oſiris, pro Deo Ægyptiis habitus, cenſent multi. Quod nomen exponens Plutarchus *Lib.* 1. *de Iſide, & Oſiri* ait idem eſſe ac *Multi-oculus*. Quod P. Cornelius in Geneſis *Cap.* 41. circa finem ita adaptat *An non multi-oculus, id eſt, multiſcius Ioſeph per ſapientiam ſibi cœlitus inditam, quâ Ægyptios prudentiſſimè gubernauit. eoſque docuit non tantùm Aſtrologiam, ſed & fidem ac Dei cultum, iuxta illud Pſal.* 104. *v.* 19. & 20. *Conſtituit eum dominum domûs ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudẽtiam doceret?* Sic ille. Verba autem illa, *Sicut ſemetipſum*, aliter iuxta Hebræam originem nonnullis ſonant ſic legentibus, *Secundùm animam ſuam*. Quod Cardinalis Bellarminus ita exponit: Id eſt, ad ſimilitudinem ſapientiæ, quæ erat in animâ ſuâ. Docuit ergo eos verum Dei numen, & quibus deberet moribus honorari. Ideò & ſe perfectum eorum præbuit exemplar: multis-oculus ſanè; vt circumſpectione attentâ ſe gereret, ne quid in ſe, quod aliorum poſſet offendere oculos, reſideret. Et tales oportet ſint Proreges.

Ioſeph idem quod Oſiris Ægyptius, multi oculus.

P. Cornel.

Pſal. 104. v. 19. & 20.

Card. Bellarminus.

Multi oculos eſſe oportet Indicos Proreges, quia & multi oculi, qui eos obſeruant.

3 Et verò ad circumſpiciendos Proregis mores, omnes ſunt multi-oculi, vt ipſi benè opus ſit multi-oculum ſe præbere, Argum quemdam centenis luminibus intuentem. *Non patitur claritas illa committere, quod poſſit mobilis turba neſcire. Locatus in medium, cunctorum ad ſe trahit aſpectum: & totius vitæ iudicium promulgat fama populorum.* Sic Theodoricus apud Caſſiodorum *Lib.* 3. 11. Vnde illud apud eumdem: *Quidquid feceris, nos videmus Lib.* 7. 18. Sciat Prorex Indicus & turbæ poſſe congruere quidquid ille egerit peruidenti. Et ita ille, qui ſic eſt viſurus alios, vt quidquid egerint videat, ſe ipſum circumſpiciat priùs, & ea, quæ eſt acturus: ne quidquam, quod carpere poſſit, turbæ oculus deprehendat. Et Indicorum populorum oculi magis ſunt aliis curioſi, vt maiorem propterea debeant curam circumſpiciendi ſe ipſos in ſupremis gubernatoribus prouocare: præpoſtera Dei imitatione, *qui vocat ea, quæ non ſunt, tamquàm ea, quæ ſunt. Rom.* 4. *v.* 17. quæ neque in mentem venẽre Proregum, neque etiam ſomniarunt, tamquàm ſi eſſent, vocant, & cenſuris adiectis reprehendunt. Sint ergo & illi multi-oculi, ſic enim oculos oculum feliciter ſuperabit.

Caſſiodorus.

Sacramentorum vſu præluceãt, neque anno ſatisfacere ob ſcandalum.

4 Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta ſint illis frequentia. Eorum vſus ſemel in anno fideles vrget ſub lethalis culpæ reatu. Si tamen Prorex eâ eſſet raritate contentus, & hoc eſſet aliis notum, graue in eo videtur ſcandalum, vnde ratione illius etiam grauis culpa & quidem ſemel tantùm in anno Sacramentis præfatis vti, iuxta communem exiſtimationem eorum eſt, qui ſalutis animæ curam habent exiguam, & conſcientiam grauibus oneribus prægrauatam, quod experientiæ magiſterio perſuaſum. Hoc autem de Prorege ſentiri, quis non videat ad non leue ſcãdalum

 dalum

Digitized by Google

P. Suarez. Non ſufficit illis moraliter ad vitanda mortalia.

dalum permouere? P. Suarez *Tomo* 4. *in* 3. *p. Diſputat.* 35. *Sect.* 3. *num.* 11. ſic ait: *Vix vllus eſt, qui moraliter poſſit vitare per totum annum omnia peccata mortalia, omittendo hoc Sacramentum.* Sic ille de Sacramento Confeſſionis. Ergo qui non vſum cognouerit, ſic iudicare poterit, aut ſaltem magno cum fundamento ſuſpicari. Poſſe autem aliquem per accidens obligari ad frequentiorem Confeſſionem multi Scriptores tradunt, ex quibus videri poſſunt P. Suarez *ſuprà num.* 10. *& Diſput.* 15. *num.* 5. *& ſeqq.* P. Palaus *Tomo* 4. *Tract.* 23. *Diſputat. Vnicâ Puncto* 3. *num.* 5. apud quem P. Coninck, P. Layman, & Bonacina. Et licèt de pœnitentiæ virtute loquantur, eadem eſt in Sacramentali ratio; quia is, qui iudicat ſe nō poſſe facilè contritionem habere, benè tamen attritionem, vti Sacramento debet ad effectus illos, quos citati Scriptores, & alij ab eiſdem adducti commemorant. Magis in ſpeciali loquitur P. Bauny *Tomo* 1. *Tract.* 4. *Quæſt.* 4. *Aſſert.* 3. P. Sà V. *Confeſſio num.* 5. alios ſuppreſſis nominibus allegans. Ioannes de Medina *Codice de Confeſſione Quæſt.* 14. §. 2. Ergo ſimiliter ratione ſcandali, quæ eſt obligatio per accidens, poterit Prorex ad Confeſſionem obligari. Et eadem ratio eſt de Communione, quæ numquàm differri ſolet, niſi ob horrorem Confeſſionis.

Per accidens poteſt eſſe obligatio pluſquam annua Confeſſionis.

Confeſſarius idoneus deligendus: & qualis ille.

5 Multum autem ad dignam in omnibus exiſtimationem ſuo de Principe concipiendam, Confeſſarij delectio conferet; valdè enim conſcientiæ ſuæ videtur conſulere, qui moderatorem illi adhibet probitatis & ſapientiæ dotibus commendatum: inde præſertim, quòd nec ſibi nec ſuis, temporalialia ſit commoda quæſiturus. *Peſſimum veri affectus venenum, ſua cuique vtilitas.* Sic Tacitus *Lib.* 1. *Annal.* Vbi benè additum à Lipſio, *& iudicij.* Iudicium enim vtilitatis peſſimo veneno in proprium & alienum exitium deprauatur. Id autem non erit difficile attento Principi comperiſſe. Quo euentu, cùm animæ negotium agatur, omnibus eſt humanis affectibus præferendum. Pulchra illa eſt Diui Valeriani ſententia *homiliâ* 20. *Periculosè illis conſcientiæ fides creditur, quibus cupiditas dominatur.* Sic ille. Amoueatur, honoris habitâ ratione, & quæratur idoneus: iſque talis exiſtimetur, quem fama pronuntiat. *Singuli* namque *decipere, & decipi poſſunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt*, vt Traiano dictum à Plinio in eius Panegyrico. Quòd ſi falli contingat, alius itidem conquirendus: ſic enim & cum medicis agitur pro ſalute corporis; cùm ſit animæ ſalus incomparabiliùs æſtimanda: ſic cum omnibus aliis, quorum nobis eſt induſtria neceſſaria: vt ſi minùs habentes deprehenſi fuerint, alii ſatisfacturi & officio ſuo & voto noſtro conquirantur. Excellentiſſimus Comes de Fuentes Mediolani delectus Gubernator P. Claudium Aquauiuam Societatis noſtræ Generalem, in memoriâ Dei & hominum æternâ futurum, rogauit enixè vt ſibi Confeſſarium deſignaret, quem ad id muneris idoneum ſe meliùs poterat agnouiſſe. Quod cùm ex eius ore P. Didacus de Torres, qui ex Prouinciâ Peruuiana Romam ibat Procurator, quem & Heros ille, ſui ſæculi gloria, ad hoc ſibi operam præſtare, Romam poſtquàm appulſum, poſtulauit: aſſurgens, aſſidebat enim ad lectuli caput, *Permittat*, dixit, *Excellētia veſtra, vt eius peculiari & affectu & reuerentiâ manus exoſculer. Si enim omnes Principes in deligēdis Confeſſariis ita ſe gererent; res animarum, & conſequenter boni publici meliùs agerentur.* Ad quæ ille: *Ecquid hic magni? An ego, niſi ſtultè, ex ignotis eligam ad rem tantam, quando is, qui probè ſuos nouit, poteſt à me facilè erroris periculum amouere?* Sic ex magni illius viri narratione hauſi, in magno ſemper pretio apud viros principes habiti ob zelum eximium, magnanimum pectus, & odorem agri pleni exploratiſſimæ fructibus probitatis.

Tacitus.

D. Valerianus.

Plinius.

Videri poteſt Dom. Reyna. Tomo 2. de perfecto prælato Lib. 1. Tract. 2. Cap. 14. *vbi de Proregum qualitatibus.*

Excellentiſſimi Comitis de Fuentes præclarum exemplum, in Confeſſario deligendo.

P. Didaci de Torres cum laude commemoratio.

Religionis ſtudium in Proregibus eximium ad opinionem conciliandam.

6 Ad opinionis etiam ſtabilimentum ſciant Proreges Indici Religionis ſtudium magnoperè profuturum: ſi videlicet eos videant in templis aſſiduos, & quæ diuina ſunt peculiari quadam affectione verſare: Deo proximi per affectum & cultum quodammodo efficiuntur diuini: quâ prærogatiuâ maior nulla: ſicut neque exiſtimatio propter illam in hominum cordibus excitata, *Religio munda & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt; viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.* Sic *Iacobi* 1. *v.* 27. Vbi mirum eſt quomodo Diuus Iacobus viſitationem pupillorum, & viduarum Religioni tribuat, cùm actus iſti non verſentur circa Dei cultum, quod eſt genuinum Religioni. Sed Diuus Thomas 2. 2. *quæſt.* 81. *artic.* 1. *ad* 1. id facilè exponit, dicens, actiones illas ad Religionem ſpectare, quia ab eâdem imperantur, ordinante eas ad diuinam reuerentiam. Quo pacto id ſtat, quod Diuus Auguſtinus admonet *Libro de vera Religione* circa finem, dum ait: *Religet nos Religio vni Omnipotenti Deo.* Sed quid iam erit immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſpeculo? Id equidem, non ſolùm vitæ gaudere munditiâ, ſed eam ab aliis habere commendationem, vt non ſit, qui audeat vitam maculare ſic religiosè agentis: vel ſi audeat, ad Dei ſpectet curam eum mendacem demonſtrare. Pro quo eſt expoſitio P. Cornelij in eum locum ſic dicentis: *Tertio, quia Religio Chriſtiana, ac conſequenter Deus, quem illa profitetur & colit, primo illo Eccleſiæ æuo valdè honorabatur & celebrabatur apud Gentiles, & Iudæos toto orbe. Dicebant enim: quàm Sanctus eſt Deus, qui tam piè & ſanctè à Chriſtianis colitur: immò qui eos facit tam puros & ſanctos! Id etiamnum fit.* Sic ille. Iuuat autem indicatus locus ex Sap. 10. v. 14. *& mendaces oſtendit, qui maculauerunt illum.* Vbi de Ioſepho eſt ſermo Proregum ſpeculo præclariſſimo, vt religiosè illi eiuſdem imitatione formati, indubij ſperent Deum eos, qui maculare ipſos attentauerint, mendaciſſimos oſtenſurum. Vidimus religioſos Principes malignitate quorumdam turbulentorū hominum apud Regium Conſilium, Regemque ipſum maculatos; ſed Deum etiam mendaces oſtendiſſe illos, qui maculauerunt ipſos; & adeò mendaces, vt non ſolùm dedecoris nihil adhæſerit, ſed præmiis ſint cumulatiſſimis munerati.

Iacobi 1. v. 27.

Actus illius quinam.

D. Thomas.

D. Auguſtinus.

A quo & immaculatum in hoc ſeculo haberi, Deo honori talium conſulente.

P. Cornelius.

Sap. 10. v. 14.

Experimēto firmatum.

In ſacris Proreges cum omni circumſpectione verſentur.

7 Oſtendit autem præfata Diui Iacobi ſententia id, quod eſt hac in parte nimis quantùm Proregibus accurandum, vt ſcilicet procedentes ad ſacra, & populum ſuâ lætificantes præſentiâ, omnem præſeferant puritatem. *Et immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.* Hæc enim præcautio conuenienter adiecta, vt obſeruat citatus

Interpres

Digitized by Google

P. Cornelius.

Interpres ita dicens: *Quin & viſitando pupillos & viduas, periculum eſſe à vanitate, auaritiâ, luxuriâ. Ergo ſapienter monet, vt inter eos, ceteroſque omnes, ita verſentur, vt immaculatos ſe ſeruent.* Hæc ille. Sint ergo in Eccleſiis, & Supplicationibus publicis, ad omnem modeſtiam compoſiti, vt nihil non mundum in illis adſpectantium poſſint oculi ſuſpicari: hoc certè Religio, quæ illos Deo religat, & diuinos propterea reddit, ſuo iure exigit, & ita vt mundi ſint eorum oculi, diuinorum ad inſtar, de quibus Habacuc: *Mundi ſunt oculi tui, ne videant malum Cap.* 1. v. 13. Ne ſi ſecus accidat, *oculiue peccent lubrici*, vt in hymno habetur ſacro, omnis participatio diuina diſpereat. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Sic *Iob.* 31. *verſ.* 1. mundiſſimos ſiquidem curabat oculos, vt eſſe etiam poſſent mundiſſimæ cogitationes. Et addit ſtatim: *Quam enim partem haberet in me Deus deſuper & hereditatem Omnipotens de excelſis?* Q. d. Nihil in me diuinum iam eſſe poſſit, nec ritè potero de participatione Diuinitatis aliquâ gloriari. Religionis abſceſſit decor & decus: cùm iam me immaculatum ab hoc ſæculo cuſtodiſſe, ſordidatis nequeam oculis profiteri. Hæc ergo obligatio Proreges debet præſtare ſollicitos, eſt enim grauiſſima, de quâ debent Confeſſarij ipſos ſeriò & cõſtanter admonere. Quòd ſi ipſi ſuo muneri aduigilent, quidquid in hoc admonitionum faſciculo deſiderari poteſt, ſuo ſtudio ſupplendum reſeruamus. Pro quo & legendus P. Leſſius in Reſolutionibus poſthumis verb. *Miſſa, Caſu* 1. vbi piè & eruditè oſtendit quantâ cum decentiâ debeant Principes ſacris adeſſe.

Habacuc. 1. v. 13.

Iob. 31. v. 1.

CAPVT II.

Erga familiam qualis futurus Prorex Indicus vt conſcientiæ ſtare jura poſſint.

Familia peccata non vitanti tribuuntur.

8 FVturus profectò oculatiſſimus, ſicut erga ſe ipſum, iuxta dicta *num.* 8. ſciens quidquid peccatum in eâ fuerit, ſibi non vitanti tribuendum. *Qui non vitat peccare, cùm poſſit, iubet.* Sic in Medæâ Seneca. Et cùm exiſtimationis ſuæ curam debeat habere præcipuam, iuxta nuper dicta, hoc ad illam magni conſtat eſſe momenti. Pro quo Caſſiodorus *lib.* 12. 1. ita ſcribit: *Sicut diſcipuli magiſtri ſcientiam produnt: ſic nos obſequentium mores aperiunt. Præceps non putatur obſecundaſſe moderato: auarus parciſſe non videtur continenti: ſtultus prudentibus ſeruiſſe non creditur. Periclitamur, fateor, in actionibus veſtris, ſi vos malâ intentione tractetis: & quod nulli accidit, veſtrum alienum vitium noſtrum celebratur opprobrium.* Et inferiùs. *Sed habemus iterùm ex alia parte ſolatium, quòd veſtra bona, noſtra creduntur eſſe mandata, & nobis otioſis acquiritur, quidquid gloriæ veſtris laboribus expeditur.* Sic ille. Quomodò ergo non debeat circa hoc Proregis oculus vigilare? *Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum: ambulant in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.* Sic Vates Rex *Pſalm.* 100. *v.* 6. Ille inquam, qui *Pſalm.* 27. *v.* 4. dixerat: *& ero immaculatus cum eo: & obſeruabo me ab iniquitate meâ.* Pares ergo curæ eſſe debent immaculatæ vitæ & immaculatæ familiæ, illa religioſum oſtendit, vt dictum *n.* 6. *& ſeqq.* oſtendit & iſta. Quòd ſi hic maculæ, in illam pariter redundabunt. Debet ergo multioculus eſſe Prorex, iuxta dicta *num.* 2. vt & ſe circumſpiciat ipſum, & ſuorum etiam actiones attentiſſimus conſpicetur. *Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum.* Vbi ſedere idem quod verſari eſt: & modus loquendi attentionem, & ſolicitudinem ſpecialiſſimam manifeſtat. Vnde Ioannes Campenſis ita vertit: *Oculus meus in hoc mundo ad veri ſtudioſos intentus ſit, vt mecum verſentur: & qui in viâ innocentiæ ambulat, miniſtrat mihi.* Id quod in Indiis peculiari animaduerſione tractandum, vbi maioris exempli ea eſt ratio, quam *num.* 1. adduximus, & occaſiones ebulliunt, in aulam præſertim aditum auidiſſimè & frequentiſſime moliente.

Seneca.

Illius mores pandunt dominos.

Caſſiodorus.

Pſal. 100. v. 6.

Pſal. 27. v. 4.

Ioannes Campenſis.

Circa vxorem qualis futurus Prorex.

9 Circa vxorem, ſi illam habeat, id ſtrenuè curet, ne ſe gubernationi immiſceat, quod vidimus multos accuratiſſimè peregiſſe. Si ſecus aliquando accidit, non parùm opinioni Principis ea eſt conniuentia detractum. *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Geneſ.* 2. *v.* 18. *& ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem v.* 22. Ne quis autem exiſtimaret mulierem ſic in adiutorium datâ, vt etiam in mundi moderatione partem eſſet habitura, obſeruatione digniſſimum occurrit id quod ad moderationem ſpectat, ante formationem mulieris extitiſſe. *Formatis igitur Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius v.* 19. Poſt hæc ad mulieris Deus formationem venit: poſtquam ſcilicet Adam moderationis mundi præclarum ſpecimen præbuiſſet. Si ergo mulier in adiutorium data, ad negotium propagationis, ad ſocialis vitæ commoda, non ad gubernationis eſt conſortium referendum. Ad moderationem equidem mundi impoſitionem nominum pertinuiſſe, præter Interpretum ſenſum ita ſignificantium, id probat, quod habet Plato in Cratylo, vbi ita ſcribit: *Non certè omnis hominis eſt, ô Hermogenes, nomen imponere, ſed alicuius fabricatoris nominis: hic verò eſt, vt videtur, legiſlator, qui quidem eſt opifex inter omnes homines rariſſimus.* Hęc ille. Sit ergo mulier quamlibet prudens, id certè ad domûs gubernationem inflectat: quam ſi fuerit conuenienter aſſecuta, credat ſe numeri ſuo feciſſe ſatis, neque extra domum illius iuriſdictionem protrahendam. Quod vt ſignificarent Græci, eo vſi verſiculo: *Mulier frugi eſt gubernaculum domus.* Hinc etiam Salomon in mulieris fortis elogio, domeſticam tantùm ſolicitudinem commendauit, ex quo factum vt vir eius gubernaculo Reipublicæ admotus, glorioſus inter ſibi aſſidentes appareret. *Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum Senatoribus terræ. Prouerb* 31. *v.* 23 Quod equidem ſecùs eſſet, ſi mulier externæ ſe vellet gubernationi, iuxta multorum phantaſiam, immiſcere.

Gen. 2. v. 18. & 22.

Mulier poſt nominum impoſitionem ab Adamo, myſticâ ratione formata. v. 19.

Non enim debet partem gubernationis, niſi domeſtica tantùm aſſumere.

Plato.

Inde glorioſus vir.

Prou. 31. v. 23.

Malum ingens in Indiis, ſi in Beneficiis

10 Et in partibus Indiarum inde hoc periculoſius malum, quòd Beneficia Eccleſiaſtica ad Regium ſpectant patronatum, ſuntque illa quamplurima, & præſentationes ad ipſa à Proregibus,

Digitized by Google

conferendis partem habere contêdant.

regibus,& Præſidibus fiunt, vices Patroni ſummi juxta formam ab eodem præſcriptam obeuntibus. Si ergo illorum vxores gubernationis partes aſſumant, & ſuæ velint omnia voluntati ſeruire,magna circa hoc incommoda Eccleſiæ Indicæ ſuſtinebunt. Minùs enim digni plus negotiationis impendent, & potentes fœminæ quid non efficacitatis, vt quod libet obtingat, adhibebunt? Fœminæ illa vox eſt apud Iuuenalem Satyra 6.

Iuuenalis.

Nil fecerit, eſto,
Hoc volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.

Apud quem & illud loco eôdem:

Intolerabilius nihil eſt, quàm fœmina diues.

P.Gaſpar Sancius.

Iezabel ab impio marito gubernationi permiſſa, veri Dei cultum ſacrilegiis atrociſſimis profligauit. Quod expendens Venerabilis P.Gaſpar Sancius *in Commentarijs ad Libros Regum lib. 3. cap. 16. v.31.* ſic concludit: *Quid enim non faceret fœmina potens, ſuperba, quæ in virum plus ſatis vxorium plus habuit poteſtatis, quàm amantem viri vxorem, & modeſtam fœminam deceret?* Sic ille. In hoc ergo & vir & vxor grauiter peccare poſſunt: pro quo illorum Confeſſarii, vt oportet, vigilabunt.

Circa filios grandiores cura peruigil valdè opus.

11 Circa filios, quos non adduci, ſi grandiores ſunt, ſatius fuerit, cura peruigil neceſſaria. Pro honeſtate inprimis, ſed quæ tanta vt ſufficiat liberam iuuentutem infrænare? vrgenda tamen, honeſtis occupationibus aſſignatis, quibus ſcimus nonnullos à cœptis morum præcipitiis reuocatos. *Iuuenum ſiquidem virtus præſumptione laboris animatur; ſola ſenum vita eſt, quietis inueniſſe remedia.* Verba ſunt Theodorici regis apud Caſſiodorum *lib.* 5.25. Animatur equidem juuenum virtus occupatione decenti, ſine quâ mortuæ ſimilis eſt futura, & hæc eſt laboris honeſti vis, vt virtutem mortuam vitæ miraculoſo quodam imperio reſtituat.

Caſſiodor.

Aleatorum concurſus minimè illis permittendus, ob damna in eo ingentia.

12 Aleatorum concurſum illis permittere, ex quo grandis quæſtus accreſcat, ſine graui conſcientiæ reatu parentes nequeunt. Sciunt meliùs, qui talibus interſunt, quanta in iis apertè damnanda concurrant. Siue chartarum pretium pro ludo ſeruientium, ſiue ingentium cenſuum jactura, vxorum ac filiorum facultatibus diſſipatis, ſiue gratiæ aucupatio largitionibus iteratis, vt ſic officia meliora, nec tamen melioribus deferantur. Siue validius ſcandalum, vt nequeant propterea alia eiuſdem generis prohiberi. Vbi friuola ſanè eſt parentum excuſatio, ſe inſciis hæc fieri: quod, præter incredibilitatem, quam præſefert, contra ſe habet obligationem illam, de qua *num.* 8. circumſpiciendi ſuos, ſicut & ſeipſum. De muliere forti *Prouerb.* 31.*v.*27. à Salomone dictum: *Conſiderauit ſemitas domûs ſuæ, & panem otioſa non comedit.* Si ergo ſemitas domus ſuæ conſiderare debet mater-familias, quid virum facere oporteat, ad quem familiæ curã præcipuam conſtat pertinere? Ergo & ſemitas domûs ſuæ ille cõſideret: ſemitas inquã, per quas & ingreſſus & egreſſus externorum vel ipſis cæcis occurrunt. Quamuis nomen ſemitæ quidpiam deſignare minutiùs videatur; vt etiam illud oculis debeat patris-familias perluſtrari. Vnde lectiones aliæ id exprimunt, Septuaginta enim, & Complutenſis ſic vertunt: *Anguſtæ ſunt viæ domûs eius.* Vaticana, *Conſtrictæ manſiones domûs eius.* Has ergo fortis illa conſideret mulier.

Nequit horum ignorantia excuſationi ſeruire, ob circumſpiciendi domeſtica obligationem.

Prou.31. v.27.

ectiones Laria loci vraſati.

Vbi Hebræa vox eam habet vim, vt hæc omnia ſimul poſſimus pronuntiare: *Speculata eſt, proſpexit, diſcooperuit, apertis oculis circumluſtrauit.* Videatur P.Cornelius, & videat Paterfamilias, ille præſertim, de quo agimus, maiorem ſibi circa hoc obligationem imminere; ſi occulta aliqua in filiis diſcooperiat, illis vt remedium apponat, ſibíque pariter conſulat, redd iturus rationem ei, cuius *oculi multò plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum. Eccli.23. v.28.*

Eccli.23. v.28.

Aſpiciunt oculis ſuperi mortalia juſtis.

Ouidius 13. Metamorph.

Ouidius.

Circa domeſticos qualis futurus Prorex.

13 Ex quibus quid circa familiares alios dicendum ſit, ſatis videtur eſſe perſpicuum. Valdè indecorum eſt, vt aula, quæ virtutis eſſe ſchola debuerat, fiat receptaculum vitiorum, & vt Caſſiodorus loquitur *lib.* 8. 14. *habere ſpeciem agri videatur inculti:* cùm tamen deberet eſſe cultiſſima, & de regno quidem locutus ille, *quod decet inter initia pacis amænitate componi.* Quomodò autem ſperari poſſit horti adinſtar, vt ille loquitur, regnum excolendum, ſi aula ſpeciem agri habere videatur inculti? Si erga proxima friget cura, erga exteriùs poſita qualiter incaleſcet? *Tales ergo eſſe decet aulicos viros, vt naturæ bona indicio frontis aperiant: & poſſint agnoſci de moribus, cùm videntur:* ſic ille. D.Pauli plena maieſtatis vox. 1.*Tim.* 5.*v.*8. *Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Quod quidem in caſu noſtro ſpecialem videtur habere efficaciam, vbi de aulâ loquimur, in quâ de bono odore Chriſtiani nominis pro conuerſione Gentilium, & conuerſorum in fide progreſſu, cura debet haberi præcipua; quæ tamen penitus videtur abiecta, ſi domeſticorum inprimis non peruigil habeatur. *Qui enim ſuos negligit, videtur fidem, & Chriſtianiſmi famam negligere; eſſeque cauſa cur infideles blaſphement Chriſtum & Chriſtianos.* Verba ſunt magni Interpretis in eum locum, *Et eſt infideli deterior.* Quomodò ergo pro infidelium conuerſione operam poſſit vtilem adhibere?

Caſſiodor.

Aulici quales futuri.

1.Tim.5. v.8.

P.Cornel.

Auaritiæ ſcopulus declinãdus Proregi. *Caſſiodor.*

14 Poſt hæc auaritiæ ſcopulus attentiſſimè declinandus, in quem plures infeliciter impegerunt: *Regina illa procacium vitiorum*, vt Caſſiodorus loquitur *lib.* 12.1. quam opulentia Indica vehementiùs exſtimulat, vt inſatiabiliter dominetur. Præclarum illi teſtimonium exhibuit Apoſtolus Timotheo ſcribens, dum ait: *Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide.* 1. *Tim.* 6. *v.* 10. Circa quod Diuus Valerianus *Homiliâ* 20. ita ſcribit: *Et verò, dilectiſſimi, ſi reſpiciamus ad ſingula, quibus ab initio vitam ſuam habendi ſtudio conditio humana proſtituit: nihil eſt malorum, quod non cupiditas aut concipiat, aut pariat, aut paſcat, aut nutriat.* Sic ille eleganter exornans poſitionem. Nec prætermittenda aurea D.Petri Chryſologi pro eôdem ſententia: *Sermone* 126. ita loquitur: *Quiſquis eſt ab huius mammonæ captiuitate liber, & pecuniæ jam crudeli pondere non grauatur, conſiſtat in ſpeculâ cæleſti, & inde deſpectet mammonam mundo & mundanis tyrannico furore dominari. Imperat gentibus, jubet regnis, bella mandat, comparat bellatores, ſanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, vrbes deſtruit, ſubdit populos, arcas vrget, verſat ciues, foro præſidet, jus delet, fas nefaſque confundit, & ad mortes vſque tendendo, fidem tentat, violat veritatem, famam carpit, honeſtatem diſſipat,*

1.Tim.6. v.10.

P. Valerianus.

Eiuſdem damna.

D. Chryſologus.

Digitized by Google

diſſipat, ſoluit affectus, innocentiam tollit, pietatem ſepelit, neceſſitudinem ſcindit, amicitiam ſubruit. Et quid plura? Hoc eſt in mammona dominus iniquitatis, qui iniquè humanis & corporibus dominatur, & mentibus. Hæc ille. Iuxta quæ, cùm fidem in talibus ſatis juxta Apoſtolum Patres fateantur infirmam; ex eo pariter habetur, quàm dedeceat illos qui pro amplificandâ fide vt motores præcipui ad regiones Indicas deſtinantur. Videndum ergo jam quibus contingat modis in hoc pelago naufragari.

CAPVT III.

An liceat Indicis Proregibus quæſtuoſos contractus exercere.

AN inquam liceat emere vt vendant ea, quæ aliis licent, vt ſint honorabiles mercatores. Circa quod

Aſſertio 1. contractare publicè mortale eſſe in Proregibus.

15 Dico primò. Publicum hoc exercitium non licet, eſtque graue peccatum. Id conſtat; quia legibus prohibentur, & ita quæ fuerint nundinationi expoſita, ſi deprehendantur, amittuntur. Neque vllus erit qui mutire audeat, & defenſioni ſe præferat, ne maiora inde ſint incommoda ſubituri. Eſt ergo grauis, & obligationem conſentaneam ſecum afferens prohibitio: ac propterea eam apertè violare eum, qui ante omnes alios eſt cuſtodiendis legibus conſtitutus, non ſtat ſine lethalis culpæ reatu. Videantur dicta *Titulo præced. cap. 9. & 10.* Id quod etiam de Auditoribus Regiis dictum ſit, qui de eo juramentum emittunt, ſed implicitum, vt ex illius formâ probat Illuſtriſſimus Villaroel *Parte 2. quæſt. 15. art. 1. num. 17.* licèt reuera non ita appareat ex illius tenore.

Sicut & in Regijs Auditoribus.

Aſſertio 2. non ita, ſi per alios id faciant, quod & Clericis licet.

16 Dico ſecundò. Si Prorex pecuniam fido mercatori tradat, vt cum eâ propriæ junctâ negotietur, & partem lucri retineat, non videtur in eo mortale crimen intercedere. Id probo ex communi ſententiâ de negotiatione Clericorum per alios, quando dicto modo fit: eſſe enim à culpâ mortali immunem, tenent quamplures, quos adducit & ſequitur Diana *Parte 1. tract. 8. Reſol. 72.* & magis ex profeſſo *Parte 9. tractat. 7. Reſol. 69.* quibus addandus Eligius Baſſæus *v. Clericus num. 14. §. Præterea.* Eſt autem prædicta obligatio ſtrictior, vtpotè à ſacris Canonibus profecta, & quia ratio prohibitionis eorum ſtatui magis contraria deprehēditur, quia à ſacrorum curâ & deuotione in ipſis auertuntur; & tamen per alios licet: ergo multò id potiùs in laicalis muneris Magiſtratu. Et quidem Franciſcus Syluius in 2.2. D. Thomæ *quæſt. 77. art. 4.* præfatam ſententiam probans, ſic ait: *Rationes prohibitionis non pariter locum habent quando aliquis negotiatur per alium, nullam ipſe præſtans operam, ſed ſolùm communicans pecuniam: tum denique quia ſic pecuniam ſubminiſtrare non eſt propriè negotiari: nam & viri nobiles, & matronæ honeſtæ ita ſubinde lucrum quærunt, nec propterea cenſentur negotiari.* Hæc ille. Iuxta quæ id ſequitur quod intendimus, & ita Proreges ſic agentes non eſſe mortalis criminis reos.

Vide Tit. 9. n. 147. & 148.

Franciſcus Syluius.

Aſſertio 3.

17 Dico tertiò. Aſſertio præfata non habet locum, quando negotiatio fit interuentu filiorum, aut famulorum. Id probo. Quia tunc Prorex ipſe eſt cauſa principalis, & eo modo negotiantur magni quique mercatores, vnde occulta eſſe negotiatio nequit, & id eſt juxta diſtinctionem, quam loquentes de Clericis adhibent Renatus & Syluius à Dianâ adducti. Licèt in Clericis alia ſit ſpecialis ratio, de quâ nuper: ſcilicet à cura diuinorum eâ ſolicitudine diuelli: quæ ratio vrget, etiamſi ponamus occultam eſſe negotiationem, dummodò in eâ ipſi ſint cauſa principalis. Quod ſecùs accideret in Proregibus, ſi ſtare poſſet, vt per filios & famulos negotiantes, occulta eſſe poſſet negotiatio; tunc enim id ſine mortali peccato contingeret. Non poſſe autem ita contingere manifeſtum eſt, quia omnibus cōſtat filiis & famulis non eſſe adeò ingentes pecuniæ quantitates, quibus emere poſſint id, quod poſteà exponunt venditioni.

Niſi fiat interuentu filiorū, & famulorū.

Aſſertio 4. & in mercibus prohibitis, quia præiudiciales regno.

18 Dico quartò. Negotiatio in mercibus prohibitis, ſi illa regno præiudicialis ſit, non poteſt à Prorege vllatenus exerceri, neque etiam ob intereſſe aliquod indulgeri. Ratio eſt clara; quia ex officio debet communi regni bono conſulere: ergo non licet illi quod bono tali contrarium inuenitur. Euidens eſt diſcurſus: ex quo vlteriùs ſequitur ad reſtitutionem teneri. Eſt communis Doctorum ſententia, qui vno id videntur ore fateri. Pro quo videndus P. Leſſius *lib. 2. cap. 13. num. 70.* P. Dicaſtillus *lib. 2. tractat. 2. diſputat. 3. num. 88.* Pharaonius *pag. 245.* & Bonacina *Tomo 2. diſputat. 1. de reſtitutione quæſt. 3. Puncto 8. num. 4.* Iuxta quos Principes, Magiſtratus, Prætores, & Duces belli tenentur ad reſtitutionem, ſi omittant impedire furta, latrocinia, iniuſta monopolia, & ſimilia damna, cùm poſſint ſine ſuo notabili detrimento. Quod eſt ad Prælatos Religioſos extendendum, vt cum aliis probat P. Sancius *lib. 6. Operis moral. cap. 14. num. 33.* Eſt autem reſtitutio facienda iis, quibus damnum illatum fuerit: quod in particulari caſu, viri prudentis conſilio adhibito diſpiciendum.

Ex quo & obligatio reſtitutionis.

Aſſertio 5. in non præiudicialibus aliter pro foro cōſcientiæ, ſed dari pro ijs licentia nequit.

19 Dico quintò. Si non ſit negotiatio præjudicialis, in foro conſcientiæ licebit eo modo, quo aliæ, de quibus dictum: non verò publicè; ſicut nec licentia concedi; quia cùm ſit manifeſtè contra legem, cuius obſeruantia, ſicut & aliarum, ad Proregem præſertim ſpectat, id ſtare ſine graui conſcientiæ grauamine nequit. Videantur dicta *Titulo præced. num. 100. & 101.* circa Regii Conſilii Præſidem.

Aſſertio 6. neque pro nauigijs de Permiſo.

20 Dico ſextò. In caſu dicto non poteſt Prorex nauigia, quæ de *permiſo* dicuntur, concedere. Id probo; quia permiſſiones iſtæ ſunt reuerà licentiæ, vnde & petuntur, & non exiguo ſumptu comparantur: licèt nec ſcripto, nec viuâ voce, per modum poſitiuæ conceſſionis proueniant, pœnæ periculum præuidendo. Quòd ſi tale beneplacitum non extaret, minimè nauigatio aſſumeretur: Atqui hoc licentiam inuoluit nomine variato: ergo non licet, ſicut neque expreſſa. Maior eſt clara, & Minor oſtenditur ex *Cap. Si ſeruus 2. §. 4. diſt.* in quo ſic dicitur: *Si ſeruus ſciente, & non contradicente domino ſuo, in Clero fuerit ordinatus, ex hoc ipſo liber & ingenuus erit. Sed ſi ignorante domino, licet ei &c.* Vbi taciturnitas domini videntis licentia computatur, cùm id permiſerit, quod poterat impedire. In caſu autem

Vbi promiſſio pro licentia habetur.

Cap. Si ſeruus.

Digitized by Google

tem noſtro plus eſt aliquid, quia beneplacitum exquiritur, & diſſimulanter exploratur.

Aſſertio 7. oppoſitum nõ eſſe improbabile.

21 Dico ſeptimò. Oppoſitum non videtur improbabile, quia voluntas Regis non eſt ita amarè interpretanda in re non penitus præiudiciali, & quæ pro parte aduerſa ſuas etiam habet congruentias, eſtque populo plauſibilis & jucunda, tum propter abundantiam mercium, tum ob varietatem, ex quâ homines conditionis mediocris commodum non leue reportant, viliore pretio quæ ſibi ſunt neceſſaria comparantes: & Eccleſiæ ornamentis etiam neceſſariis abundantiùs & commodiùs inſtruuntur. Hoc certè ſi quandoque accidat, quomodò poteſt Regi piiſſimo ingratum penitus accidiſſe?

CAPVT IV.

An Proreges Jndici munera poſſint accipere.

§. I.

Tribus Aſſertis obligationis qualitas ſtabilitur.

COmmunis eſt pro cunctis Proregibus difficultas: ſed ſpecialis pro Indicis ex eo redditur, quòd amplior in illis eſſe copia poteſt & munerum pretium ſuperius: & ita videndum quid circa hoc leges conſcientiæ patiantur.

Aſſertio 1. Proreges nõ poſſe munera accipere à litigantibus.

22 Dico primò. Proreges Indici non poſſunt munera accipere ab iis, qui coram ipſis cauſam agunt, aut veroſimiliter creduntur acturi. Conſtat ex *L. 56 tit. 5. nouæ Recopilat.* In quâ Audientiarum Præſidibus id ſpecialiter imperatur, ſicut & vxoribus, & filiis. Sunt autem Proreges Audientiarum Præſides; vnde manifeſtè in lege dictâ videntur comprehenſi: quæ munera quidem cuiuſcumque valoris excludit verbis illis: *Preſente, ni da diua alguna, de qualquier valor que ſea, nicoſas de comer, ni beber.* Eſt autem illud juri Cæſareo conforme: ſic enim habetur *L. Plebis ſcito. D. de officio Præſidis, & L. Solet. D. de officio Proconſulis.*

Legis verba.

Aſſertio 2. obligationẽ eſſe ſub mortali.

23 Dico ſecundò. Lex præfata obligat ſub mortali, niſi obſtet materiæ paruitas. Ita Nauarra *lib. 3. de reſtitut. c. 3. n. 14.* P. Tho. Sancius *lib. 3. Conſiliorum, c. vnico dub. 1. n. 25.* & alii. Conſtatque ex eo quòd lex circa materiam verſatur grauiſſimam, & niſi legiſlatoris voluntas grauem obligationem induceret, non eſſet ſufficienter communi bono prouiſum, de quo diximus *Titulo præcedenti numer. 3.*

Quæ materiæ paruitas excuſet.

Paruitas autem materiæ non eſt regulandâ juxta ea, quæ circa materiam peccati in furto à Doctoribus traduntur: nam licèt talis quantitas ſit vt ablata peccati mortalis reum faceret, poteſt parua cenſeri in munere oblato Proregi, vt nouorum pomorum caniſtrum, aut vini pretioſi lagena. Et ſic alia. Attentâ enim dignitate perſonæ, parua hæc ſunt, quæ aliorum comparatione non talia cenſerentur. Pro quo eſt *Cap. Etſi quæſtiones, de ſimonia.* Cùm enim quæſtio propoſita eſſet Pontifici de equo, quem Cardinalis Legatus acceperat à fratre Archiepiſcopi, eo inſcio, qui ex eius manu Pallium erat accepturus, ſcrupulum exemit, dicens: *Si ergo prædictorum Cardinalis, & fratris tui perſonam, & qualitatem penſamus, non fuit magnum ab eodem fratre tuo Cardinali equum vnum tranſmitti, quem etiam ioculatori non petenti, vir tantus & tam abundans fortè donaret.* Sic Pontifex; & tamen conſtat equum tanti valoris eſſe, vt eius furtum multorum grauium furtorum materiam & malitiam adæquaret. Licèt autem plures ſcriptores apud P. Sancium *ſuprà num. 16.* receptionem munerum in paruâ etiam quantitate vti lethalem damnent, ob præfatæ legis rigorem; quod & ipſe Pater tenet *num. 17.* alii tamen apud eumdem contrarium cenſent, *num. 15.* & mirum eſt illum cum prioribus cenſuiſſe, qui poſteà *num. 26. citato* manifeſtè aſſerit à culpâ graui materiæ paruitatem excuſare. Pro quo eſt ratio à Pontifice adducta *citato in Capite*, vbi ita ſubdit: *Quod autem ſcriptum eſt* (Iſaiæ 33. v. 15.) *Beatus qui excutit manus ſuas ab omni munere, de illis donis dictum eſt, quæ accipientis animum allicere, & peruertere ſolent, &c.* Quis autem credat Principem virum, & in ſummo poteſt Regem dignitatis faſtigio locatum, muneribus huiuſmodi ita alliciendum, vt juſtitiam violet, & ad patranda indecora atque indigna peruertendum? Lex ergo non eſt ita rigidè accipienda; vel ſi reſpectu aliorum id debeat admitti, non tamen Proregum, quorum honori à legiſlatore conſultum, vt cùm Præſides expreſſerit, Proreges tamen, licèt Præſides ſint, noluerit expreſsè nominare.

Iuxta perſonæ dignitatem qualitas muneris æſtimanda.

Cap. Etſi quæſtiones.

Iſaiæ 33. v. 15.

Quæ Deus non admittenda præſcribat.

Aſſertio 3. obligationẽ eſſe ad reſtituendũ accepta.

24 Dico tertiò. Quòd Proreges, ſicut & alii in citatâ lege contenti (Audientiarum inquam Senatores, Auditores criminis, Fiſcales &c. pro quibus & extant leges Indicæ apud Dom. Solorzanum *lib. 4. cap. 4. num. 17. & 18.* & in Politicâ *pag. 778.* & Dom. Villaroel *Parte 2. quæſt. 15. Artic. 2. num. 12. & ſeqq.* Circa quas & inferiùs inquirendum Titulo ſequenti *Cap. 2.*) contra eamdem legem recipiunt, tenentur reſtituere. Sic quamplurimi, quos adducit, & ſequitur P. Sancius *ſuprà num. 26.* Qui id fundant in verbis ipſius legis, ait enim: *No puedan recebir porſi, ni por interpoſita perſona, &c.* Tollit ergo accipiendi poteſtatem, & ita dominii tranſlationem. Sed fundamentum hoc non eſt adeò ſolidum: quia quod licitè fieri non poteſt, rectè dicitur non poſſe fieri ob ſolam rationem prohibitionis. Sic *Geneſ. 39. v. 9.* *Quomodo ergo poſſum hoc malum facere?* Verba ſunt Ioſeph adulterium deteſtantis. *Lucæ 11. v. 7.* *Non poſſum ſurgere, & dare tibi.* *Iob 9. v. 12.* *Quis dicere* (Deo) *poteſt: Cur ita facis?* & alibi frequenter in Scripturâ. Quod etiam eſt juris loquendi modo conforme. *Cap. Expoſuiſtis, de corpore vitiatis*, ſic dicitur de habente manum vnam, & alterâ mutilato: *Cùm pro tam enormi defectu ad ſacros non poſſit Ordines promoueri.* Cap. *Ex tenore, de temporibus Ordinationum*, ſic etiam habetur: *Clericus adeò deliquit, quòd ſi peccatum eius eſſet publicum, ampliùs non poſſet ad ſuperiores Ordines promoueri.* Cap. *Si quis*, de eo, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ: *Nec vllo vnquàm tempore aliis ſe poterunt matrimoniis copulare.* Cap. *Oues. 2. Quæſt. 5.* Sic ex Diuo Anacleto *Epiſt. 2.* *Oues, quæ ſuo Paſtori commiſſæ*

Verba legis.

Non poſſit, Non arguit inualiditatem actus.

Gen. 39. v. 9.

Lucæ 11. v. 7.

Iob 9. v. 12.

Cap. Expoſuiſtis.

Cap. Ex tenore.

Cap. Si quis.

Cap. Oues

ſunt,

ſunt, eam nec reprehendere, niſi à fide exorbitauerit: nec vllatenus accuſare poſſunt. Quòd autem valida accuſatio ſit, conſtat ex Cap. *Si quis* eadem Quæſt. Sic etiam alibi. Videatur Diana *Parte* 10. *Tract.* 12. *Reſolut.* 7. à me poſt hæc ſcripta viſus, apud quem & alij.

Diſtinctionem inter Non poteſt. & Non poſſit eſſe friuolam.

25 Vbi mirabilis eſt quorumdam diſtinctio dicentium, cùm in lege dicitur *Non poteſt*, non ſemper actum eſſe nullum, benè autem cùm dicitur *Non poſſit*: quod ex Bartholo ponit P. Sancius *num.* 26. *citato*, & ex aliis P. Henriquez *Lib.* 13. *Cap.* 28. *num.* 8. Quis enim non videat hoc eſſe futile, & contra leges Grammaticæ, à quâ petendæ vocum ſignificationes: & ex qua etiam conſtat non eſſe aliam ſignificationem verbi in ſubiunctiuo ab eâ, quæ Indicatiuo competit. Et quidem ſi aliqua eſſet differentia in caſu noſtro, maior videtur ratio, vt cùm de præſenti eſt ſermo in modo Indicatiuo, actus annulletur, & non ita cùm per ſubiunctiuum; quia illius perfectior ſignificatio eſt, vimque ſuam verbum penitus exprimit; non ſit cùm per alium. Quod præterea ex adductis Textibus falſum deprehenditur, in quibus per ſubiunctiuum prohibitio ſtatuitur, & tamen non annullantur actus, vbi talis eſt loquendi modus, in nonnullis ſcilicet eorum.

Aſſertionis genuina probatio.

26 Probo ergo illam ex dictis *num.* 22. & in alio ibidem citato. Nam ſi lex iſta non annullaret actum, non eſſet ſufficienter conſultum bono publico in re momenti ſummi: ſublatâ enim obligatione reſtitutionis ſola conſcientiæ obligatio facilè deuorabitur, cùm illius violatio remedium obuium pœnitentiæ habeat. Vermis autem conſcientiæ, quando obligatio reſtituendi vrget, eſt durum valde tormentum: cuius horrore ſcimus multos ab iniquâ acquiſitione diuelli, qui eo ſublato non dubitarent peccatum lethiferum deuorare.

Alia ex defectu tituli pro acquiſitione.

27 Deinde argui poteſt. Quia accipientes non habent titulum validæ acquiſitionis: ſi enim aliquis, ille eſſet gratuitæ donationis: Atqui ille talis non eſt, eò quòd ſit inuoluntaria: nemo enim niſi inuitus dat, vel vt vexationem redimat; vel quia, quod obtinere nititur, putat ſe aliter non aſſecuturum: quod ſi ſciret, neutiquam daret, vt experientiâ conſtat: nullus enim erga prædictos ita piè afficitur, vt ad donandum beneuolentiâ moueatur; cùm potiùs odioſos habeant illos, à quibus ſola iuſtitia, aut pietas, non valent profuturum quidquam deriuare. Quod poteſt vſurarum exemplo fulciri, vbi gratuita donatio non eſt, & ideò obligatio reſtitutionis interuenit. Videatur P. Sancius *ſuprà num.* 24. cum Soto, Sandoual, & Mercado, inuoluntarietatem largitionum huiuſmodi conteſtatus.

§. II.

Tres aliæ pro eodem Aſſertiones.

Aſſer. 4. Oppoſitum eſſe probabile.

28 Dico quartò. Oppoſitum non caret probabilitate. Probatur Primò, quia ſic tenent plures, quos adducit P. Sancius *ſuprà nu.* 28. qui præter citatos ait ſic tenere P. Henriquez, & alios viros doctos à ſe conſultos: pro quo & alios adducit Cardinalis Lugo *Diſput.* 37. *de Iuſtitia num.* 134. dicens eſſe ſatis probabile. Prætereà eſt ratio pro eodem, quia dicta lex non exprimit obligationem reſtitutionis, & ita non debet ad illam extendi, iuxta communem doctrinam de legibus, quam benè expendit præter alios Bonacina *Tomo* 2. *Tractatu de legibus Diſput.* 1. *Quæſt.* 1. *Puncto* 7. §. 5. *num.* 8. Verſamur enim in materiâ odioſâ, in qua legiſlatoris intentio iuxta verba eſt regulanda, qui potuit irritantem addidiſſe formulam, & cùm non addiderit, non videtur eam voluiſſe. *Nam ſi voluiſſet, expreſſiſſet.* Cap. *Ad audientiam, de decimis.*

Quomodo Aſſertio iſta robur præcedentis non infringat.

29 Dices, Aſſertione iſtâ robur præcedentis infringi: ſi enim prædicti probabiliter poſſunt accepta retinere, id certè illis ſatis, vt quidquid de peccato in acceptione ſit non multùm hæreant circa illam. Fateor inſtãtiam eſſe robuſtam, & proptereà expediens fore, vt in præfatâ lege & aliis, reſtitutionis obligatio, ſublatâ tranſlatione dominij, exprimeretur. Nihilominus ſententia ſeuerior, quæ & verior, ſi non omnes, plures tamen poterit in officio continere magis de conſcientiæ ſecuritate ſolicitos. Et quidem de omnibus loquendo, valde diſſonum rationi eſſet, viros ſapientes, & ſapientium præcipuos, qui in iudicando aliorum cauſſas, probabiliores debent & receptiores amplecti ſententias (quidquid de gradu obligationis ſit) in negotio ſalutis æternæ, & propriæ ſuæ damnationis periculo, minùs ſecuras, & plenas inconuenientibus conſectari.

Aſſertio 5. Ab Epiſcopis & Clericis munera accipi poſſe.

30 Dico quintò. Proreges (& idem dici poteſt, licet non ita certò, de aliis in lege propoſitis) munera poſſunt ab Epiſcopis accipere: quod & veroſimiliter poteſt de aliis affirmari Clericis, de iis, quæ ad liberam penitus eorum diſpoſitionem ſpectant. Id probo. Nam Epiſcopi non ſunt ex ſubditorum numero, nec lites habituri, quæ ad eos ſpectent. Si quæ autem pro Eccleſiâ, id nocere Eccleſiæ nequit, ſed potiùs ſeruire profectui. Nec dici poteſt eorum cognatos lites habere poſſe: id enim non obſtat, cùm lex de cognatis eorum nihil diſponat, qui non ſunt lites habituri. Et quidem expreſſio illa circa litigantès, aut veroſimiliter litigaturos, videretur impertinens: qui cùm vir aliquis ſit, qui cognatum aliquem non habeat, omnes remanent comprehenſi, & ita eſt inutilis prorſus expreſſio. Ex quo non venit prorſus probanda quorumdam doctrina, qui dicunt legem ad omnes ſubditos extendi, quia omnes poſſunt litigare, quos adducit & ſequitur P. Sancius *n.* 18. Propter quod & idem *num.* 30. exiſtimat dictâ lege comprehenſos peccare quidem munera à quibuſlibet accipientes; ſed quæ acceperint ab iis, qui neque habuêre litem, neque habent, nec ſunt impoſterùm habituri, non teneri reſtituere. Quod quidem, ſi de graui peccato loquatur, non videtur admittendum; quia ideò ad reſtitutionem non obligat lex, quòd talis acceptio non videatur grauibus inconuenientibus violandæ iuſtitiæ obnoxia: Atqui iis ceſſantibus non eſt fundamentum, ex quo inferri poſſit obligatio ſub mortali, quia illud ipſum ſolum eſſe poteſt, violandæ inquam iuſtitiæ: ergo non eſt obligatio talis

Etiamſi cognatos habeant litigaturos.

Legem non extendi ad omnes, ſed ad expreſſos, contra aliquos oſtenditur.

Digitized by Google

Ab Auditoribus poſſe munera Proreges accipere, & non nullis alijs.

aſſerenda. Propter quam rationem videtur etiam dicendum Regios Auditores, & Togatos alios, ac minores Officiales non prohiberi quò minus munera poſſint Proregibus exhibere; quia ij apud illos raró litigant. Et licèt debeant circa eorum agendi rationem valde eſſe ſoliciti, & ſi neglexerint admonere, immò & mulctare id non eſt propè litigare.

Aſſertio 6. Poſſe etiam à cognatis, & amicis.

31 Dico ſextò. Munera data à conſanguineis, vel ab aliis, ex reſpectu amicitiæ, quæ ſtaret etiamſi ij, quibus conferantur, non eſſent in tali dignitate conſtituti, mortalis peccati labe non inficiuntur. Vtrumque tenent graues Scriptores, quos adducit & ſequitur P. Sancius *ſuprà num.* 20. & 21. Quod etiam tenet Cardinalis Lugo *ſupra num* 132. §. *quinta limitatio.*

§. III.

Pro Religioſis Reſolutio poſtrema.

Aſſertio 7. Non poſſe à Religioſis, ſi pretioſa.

32 DIco ſeptimò. Proreges nequeunt tutâ conſcientiâ à Religioſis munera accipere pretioſa, ex auro ſcilicet, argento, lapidibus pretioſis, & ſic alia. Hoc videtur certiſſimum, niſi vſus aliquando reddere illud incertum conaretur. Sed ille potiùs dicendus abuſus, eliminandus penitus, vti qui Religioſo ſtatui nimis quantùm aduerſetur. Vbi non iam ex Bulla Clementis Octaui de largitione munerum arguendum iuxta præſcriptam in eâ formam, quam in Hiſpaniâ non receptam boni teſtantur Auctores, ex quibus P. Suarez *Tomo 4. de Religione Tract. 8. Lib. 2. Cap. 26. n.* 15. qui generalius etiam videtur loqui P. Thomas Sancius *Lib. 7. Operis moralis Cap. 19. n.* 42. & 100. & Bonacina *Tract. de largitione munerum Puncto 5. n.* 3. & ab Vrbano Octauo moderatam aduertit Cardinalis Lugo *Diſput. 3. de Iuſtitia num.* 169. Circa quod in Prouinciis aliis multi loquuntur Auctores videndi apud Dianam *Parte 1. Tract. 6. Reſolut.* 1. apud quem aliqui affirmant non eſſe vſu receptam, quibuſcum ipſe videtur ſentire; ſicut & Thomas Hurtadus *Tract. 8. num.* 880. quod tamen non eſſe ita oſtendit P. Filliucius *Tract. 34. num.* 80. & Diana ipſe *Parte 8. Tract. 6. Reſol.* 12. retractat quod dixerat, eò quòd ſit ab Vrbano Octauo renouata. Quamuis & de iſta renouatione, an ſit generaliter admiſſa, poſſit etiam dubitari. Et certè in his Prouinciis non videtur eſſe in vſu.

Bulla Clementis 8. circa illa quomodo admiſſa.

Ratio Aſſertionis ex defectu poteſtatis in Religioſo.

33 Arguo igitur ex eo quòd Religioſus nequit huiuſmodi facere donationes. Et quidem ſine Prælati licentiâ indubitatum eſt, non ſolùm ob paupertatis votum, per quod omnis actus proprietatis excluditur, qualis eſt dictus; non enim aliter de re datâ diſponeret, ſi eſſet illius abſolutus dominus: ſed etiam quia furtum committitur, dum res aliena tribuitur; eſt enim illa non ſua, ſed Monaſterij, Conuentus, aut Collegij. Quæ eſt communiſſima omnium de hac materiâ ſcribentium ſententia, & inconcuſſa doctrina. Cum licentiâ autem pariter repugnat, quia nullus illam dare Prælatus poteſt cùm talis donatio ſit ſtatui paupertatis contraria: vnde Doctores omnes de hoc agentes dicunt donationes debere eſſe moderatas, & Religioſo

Neque pro eo licentia, ſuffragatur.

ſtatui congruentes, quales non ſunt, quæ diuitibus videntur propriæ, vt ſunt iſtæ, de quibus agimus. Videantur P. Suarez *ſuprà* Card. Lugo *num.* 186. P. Molina *Diſput.* 276. P. Sancius *ſuprà*, P. Leſſius *Libro 2. Cap. 32. num.* 26. Malderus *in 2. 2. pag.* 315. §. *An autem, & ſeq.* P. Turrianus in *Selectis Par. 2. Diſp. 31. Dub.* 66. improbabile cenſet oppoſitum, & alij. Qui præterea addunt licentiam futuram pro cauſſa pia. Pro quo videndi alij apud Dianam, valoris quantitatem limitantes *Reſolut.* 4. etiam cùm cauſſa pia eſt, & alij id arbitrio Prælati prudentis relinquentes. Ex quibus aptiſſimè diſcurrit P. Leſſius V. *Paupertas Religioſa Caſu* 5. in *Reſolut. poſthumi.* Donationes autem, de quibus loquimur, à priuatis factæ, non ſunt in prædicamento pietatis. Ex quo habetur neque Prælatum ipſum ſic donare poſſe, vt citati & alij aduertunt; quia non eſt bonorum dominus, ſed adminiſtrator; ad hunc autem non ſpectat exorbitantes facere donationes.

Prælatis prohibitio eadem.

34 Deinde argumentor. Nam Prælatus ſupremus Religionum eſt Summus Pontifex; ergo non licet Religioſis, quod illi conſtat manifeſtè diſplicere, renuente voluntate & licentiam penitus denegante. Tunc ſic. Donationes tales ſunt contra voluntatem Pontificis, & qui eas ſciret, abominandas reputaret: id quod in Motu proprio Clementis Octaui conſtat, etiam cum Vrbani Octaui moderatione. Licèt enim dicamus non fuiſſe receptum; benè tamen ex eo colligimus quantitatem munerum non poſſe talem eſſe, vt taxatam ab ipſo incomparabili exceſſu præcedat. Quod aliunde robuſtiſſimè comprobatur. Nam Pontifex in præfato Motu proprio non condidit nouum ius circa largitiones munerum in Religioſis, ſed nouam tantùm formam, circa cauſſæ approbationem tradidit, & pœnarum adiectione firmauit. Vnde etiam admiſſo illo, & in viridi obſeruantiâ ſtante, quidquid ante illum licebat, etiam poſteà licet; & quidquid non licebat, eſt illicitum. Sic tenent Soto, Ortiz, Valerus, Ioannes de la Cruz, Paulinus Berti, quos adducit & ſequitur Diana *ſuprà Reſolut.* 2. Iuxta quam doctrinam euidenter ſequitur dictam largitionem non eſſe licitam, & accipientem ad reſtitutionem teneri. Nam ex eâ conſtat munera debere eſſe valoris exigui, cùm eam Pontifex non de nouo ſtatuat, ſed ſupponat, & ampliùs explicet. Cumque ad munera valoris non exigui largienda non ſit in Religioſis facultas, planè diſpicitur per eam non transferri dominium, & ita obligationem reſtitutionis ſupereſſe. De qua obligatione in ſatis moderatâ quantitate videndus Villalobos *Tomo 2. Tract. 35. Difficult. 32. n.* 5.

Vrgetur ex voluntate Summi Pontificis vt ſupremi Prælati Religionum.

In Bullis Clementis nouum non conſtitutum ius, ex quo robuſta inſtantia.

35 Dici poteſt ex P. Suario *ſuprà num.* 14. Prælatum Religioſum habere poteſtatem ad remuneranda obſequia, & prætereà ad præueniendum aliquid gratis erogando, vt ſe vrbanum & beneuolum oſtendat, reſpiciendo ad Monaſterij vtilitatem. Addunt aliqui obligationem gratitudinis eam eſſe, vt plus debeat retribui, quàm ſit acceptum: vnde ad quartam partem exceſſus illud nonnulli extendunt: vt ſi merita valeant duodecim, & à Religioſo retribuantur ſexdecim, non debeat indignum iudicari, etiam ſtante rigore Bullæ Clementis Octaui, ſi illa nouum ius

Obiectio ex poteſtate Prælati ad remunerandum, iuxta doctrinam P. Suarij.

Digitized by Google

ius ſtatuit. Cùm ergo oporteat beneuolos habere Proreges, & alios viros principes, quia id poteſt in magnam Religionis vtilitatem cedere; iuxta id poterunt munera tribuenda diſponi, vt ſcilicet pretioſa ſint: vilia enim nec digna eorum perſonis ſunt, nec ad effectum dictum poſſunt conferre. Quòd ſi merita in illis iam præceſſerint, & vtilitatis fructus ſit reipſa perceptus, maior apparet ratio vberioris largitionis.

Obuiatum illi ex doctrina eiuſdem Patris.

36 Sed hæc in cauſſa præſenti non vrgent. Et qui P. Suarium adduxerit, obſeruare debet quòd apud eumdem citato loco dignum conſideratione ſuccurrat, dum illa verba ſubiungit: *Reſpiciendo ſemper ad maiorem proximorum ædificationem, vel ad Monaſterij vtilitatem.* Sic ille. Quod ergo cum proximorum ædificatione ſtare nequit, non eſt gratitudinis reſpectu conferendum, etiamſi ad vtilitatem Monaſterij conferre poſſit. Atqui munera, de quibus loquimur, cum ædificatione ſtare non poſſunt, quæ ſcandalo potiùs ſunt, eorum etiam, qui accipiunt, ſi velint vera nuntiare: ergo ex reſpectu gratitudinis, aut quocumque alio nequit illorum iuſta largitio conſtare.

Retributionis ex gratitudine debita, qualis eſſe exceſſus debeat in Religioſis.

37 Doctrina ergo illa de ſuperabundanti retributione, in Religioſis non debet ita accipi, vt eſſe debeat in rebus eiuſdem generis; aliàs beneficia illis collata, valde ipſis oneroſa redderentur. Nam ſi tribuenti duodecim aureos debeat reddere ſexdecim, & ſic proportionaliter, quænam eſſe domus Religioſa poterit, cui beneficia non obſint, ampliora, quàm acceperit, redditura? Ex quo apparet non eſſe admittendum modum dicendi Thomæ à Iesv in Cap. *Non dicatis* Parte 3. Cap. 2. Dub. 1. §. *Dixi ſui eſſe.* vbi ait Beneficiarium Regularem poſſe compenſare 14. aut 15. aureis id, quod ad æqualitatem arbitrio boni viri compenſaretur 12. Dubio autem 4. *in principio*, de Prælatis generaliter loquens ad doctrinam præfatam ſe remittit. Debent ergo eſſe retributiones pauperum, quos gratitudo non obligat ad ſuperabundantem largitionem, ſed ad officia illorum ſtatui propria, quæ ad orationes, & ſacrificia frequentiùs reduci ſolent, & alia ſpiritualis ordinis, quæ temporalibus beneficiis acceptis ſunt incomparabiliter pretioſiora. Et de temporalibus accedere aliquid poterit, quod poſſit cum ædificatione componi. His addo, cùm Proreges, aut viri principes gubernationi præfecti, aliquid in vtilitatem Religioſorum præſtant, non donare de ſuis metipſorum bonis, ſed gratiam aliquam eorum facere, quæ adminiſtrant, & cum bona Regis venia poſſunt illis, excluſis aliis, applicari. Vel fauore aliquo eos proſequendo, ex quo emolumentum ſequi poſſit. Cùm ergo de ſuis non tribuant, non reſultat ex tali beneficio obligatio, vt Religioſi de ſuis debeant pretioſas largitiones cumulare. Præterquam quod qui illas communiter faciunt, non Religionis vtilitatem, aut honeſtum aliquem, ac Religioſo ſtatu dignū reſpectum præſeferunt, ſed quem ipſi ſciunt, & Deus, qui non irridetur, iuxta Apoſtoli monitionem.

Beneficiarij ſi ſint, an plus aliquid liceat pro quo quid fauent.

38 Dici vlteriùs poteſt ſic largientem eſſe Beneficiarium, habentem ſcilicet animarum curam, ſeu Doctrinam, quam vocant, & ita habere liberam emolumentorum Beneficialium adminiſtrationem; tales autem poſſe cumulatiùs donare, nec poſſe illis vllam fieri reſtrictionem, vt loquitur P. Molina *Diſput. citata* §. *Religioſus*, in fine iuxta doctrinam Nauarri in *Cap. Non dicatis num.* 9. *& ſeqq.* & poterat etiam citare illum in *Commentario* 2. *de Regularibus num.* 10. *&* 11. *Tractatu de Redditibus Eccleſiaſticis Quæſt.* 3. *Monito* 25. *& in Conſilio* 70. *de Regularibus.* Fauetque *Clement.* 2. *de Regularibus.* §. *Sed & valet*, de vita & honeſt. Clericor. vbi ſtatuitur differentia inter Regularem ſimplicem, & Beneficiarum, quòd hic abſque facultate Superioris poſſit immediatè in opera pia impendere, non tamen ille.

Non poſſe reſoluitur, quia circa pia tantum illius facultas.

39 Verùm ex hoc ipſo, quod in Clementinâ dicitur, facilè intelligi poteſt non eſſe exactam reſponſionem. Nam talis Beneficiarius in opera pia debet impendere: Atqui ea, de quibus agimus, talia non ſunt, neque quoad ſubſtantiam, neque quoad modum, cùm in eis ædificationis vmbra non appareat, neque in bonum aliquod Beneficialis Eccleſiæ, aut Religionis dirigatur. Et opera debere eſſe pia omnes Doctores tradunt, ex quibus plures adducit P. Sancius *Lib.* 2. *Conſiliorum Cap.* 38. ex quo Cardinalis Lugo *Diſput.* 4. *de Iuſtitia num.* 9. alios accumulans & P. Molina *ſuperiùs* adductus idem affirmat. Pro quo & videndus P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 4. *num.* 47. & quia Religioſus non habet dominium eorum, quæ largitur, cùm non acquirat ſibi, ſed Eccleſiæ aut monaſterio, iuxta receptiſſimam ſententiam: inde habetur obligari eum, qui recipit, ad reſtitutionem: quòd ſi ille non reſtituat, tenetur ipſe reſtituere de iis, quæ ad congruam poteſt ſuſtentationem aſſumere. Quæ omnia ſunt explorata iuxta communes regulas de reſtitutionis obligatione. Quamuis P. Wadingus *Tractatu de Contractibus Diſput.* 2. *Dub.* 3. §. 2. *n.* 11. affirmet probabile eſſe donationes eſſe validas, non obſtante defectu dominij: quia eiecti à Religione dominio carent; & tamen validè, licet illicitè, donant, iuxta ſatis probabilem ſententiam. Quod fundamentum eſt ſatis debile, quia Religio de eiectis non curat, ſed velut extraneos reputat: vnde omne ius circa eorum frequentes donationes videtur abdicaſſe. Pro quo videndus P. Molina *ſuprà* §. *Quoad cæteros* & P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 41. *num.* 113. Non ita in Beneficiariis, quos oportet eſſe lectiſſimos: vnde ſententia P. Wadingi non videtur admittenda, ſtante in contrarium agmine Theologorum ac Iuriſperitorum: & quod de eiectis dicitur, negant plures, vt videri poteſt apud P. Palaum ſic tenentem *Diſput.* 2. *de Iuſt. commutat.* P. 22. §. 3. & Thomam à Iesv in Cap. *Non dicatis* Parte 2. Cap. 7. Dub. 7. & Parte 3. Cap. 2.

Circa modum reſtitutionis vide Nauarram Libro 3. Cap. 1. num. 201.

Singularis ſententia P. VVadingi, defectu dominij non obſtare donationi, refellitur.

Licentiùs loquitur Thomas Hurtadus Tract. 8. cit. n. 918.

40 Quòd ſi in caſu aliquo expedire contingat bono Eccleſiæ aut Religionis, donum aliquod pretioſum dilargiri, quod diuino cultui aptè deſeruire nequeat, & ſaluâ ædificatione donetur, non erit in eo lethale peccatum, neque reſtitutionis obligatio. Quod probatur ex communi doctrina, de qua diximus *num.* 33. quantitatem ſcilicet donationis arbitrio prudentis Prælati relinqui. Cùm ergo in caſu, de quo loquimur, poſſit, qui diſpoſitionem habet bonorum, de conuenientiâ talis muneris prudenter iudicare

Digitized by Google

dicare; non videtur in largitione eius lethale crimen admiſceri.

Aſſertio 8. peccare lethaliter accipientem, licet ſit nō obligari ad reſtitutionem.

41 Dico octauò. Etiamſi ponamus accipientem donum Religioſi, non eſſe obligatum ad reſtitutionem, peccat tamen mortaliter, illud recipiendo. Sic Corduba, Silueſter, & Nauarrus, quos adducit & ſequitur P. Sancius *dub.* 38. *citato n.* 14. Ratio eſt clara; quia cooperatur peccato mortali alterius, quod juxta irrefragabilem fidei doctrinam peccatum etiam mortale eſt.

Oppoſitum fundare nititur Cardinalis Lugo.

42 Sed oppoſitum videtur tenere Cardinalis Lugo *Diſput.* 4. *de Iuſtitia*, *num.* 49. & 50. dum probat ex eo quòd actio ſit mala in donante, non ſequi acceptationem etiam talem eſſe in accipiente, cùm non ſit cooperatio ad illam, ſed effectus ex eâ ſecutus, dum quis vtitur jure ſuo; neque enim charitas vel iuſtitia poſtulat, vt quis negligat ſuum commodum, etiamſi inde ſequatur tantundem damni reſpectu alterius, ad quem res, quæ datur, debebat peruenire. Pro quo ingenioſè diſcurrit. Non videtur autem aſſertiuè procedere, quia tantùm ait non videri facilè damnandos, qui oblata accipiunt: pro quorum defenſione ſubdit rationes, quæ tamen non videntur vrgere: eò enim tendunt, vt oſtendant ibi non eſſe cooperationem: quia quidquid ad donationem ſpectat, & voluntatem, à quâ procedit, ex parte donantis ſe habet, & omnino præcedit.

Contra quem inſurgitur.

Non eſſe autem hoc, vt ille exiſtimat, ex eo probo: Nam quando aliquis donat, non perficitur donatio, donec alius voluntatem accipiendi manifeſtet; vnde ſi renuat, nulla eſt: poſitâ autem tali manifeſtatione, tunc in donante eſt actus, quo velit donationem perficere, qui eſt malus, ſicut præcedens: Atqui ad hunc actum cooperatur accipiens, quia illum præcedit voluntas accipiendi, & ad ipſum mouet: ergo eſt cooperatio manifeſta in ordine ad illum. Licèt ergo ſententia dicta videatur ſpeculatiuè probabilis, ſeu pro raro aliquo caſu, quam & abſolutè probabilem affirmat Diana *Tract. 6. citato Reſolut.* 134. re tamen verâ quoad communem praxim talis non eſt, cùm modus donandi vſitatus is ſit, quem aſſignauimus. Videantur dicta *Titulo* 1. *n.* 146.

CAPVT V.

An Proreges Indici vendere officia ſine lethali culpâ poſſint.

43 NOn agimus in caſu, quo Regis nomine venditio fiat; de hoc enim jam dictum *Titulo* 1. *Cap.* 16. Sed de eâ, cuius emolumentum ad Proregem ipſum ſpectat, qui ſine ſpeciali adhoc licentiâ procedit. Circa quod

Aſſertio 1. Proreges nō poſſe officia vendere.

Dico primò. Proreges nequeunt officia vendere. Sic P. Thomas Sancius *lib.* 2. *Conſiliorum*, *cap.* 1. *dub.* 38. *num.* 18. & *dub.* 56. apud quem Paulus de Caſtro, Segura, Sotus, Molina Iuriſconſultus, Corduba, Padilla, qui generaliter loquuntur quando alicui committitur facultas eligendi aliquem ex multis ad officium, ſeu beneficium. In ſpeciali autem de officiis publicis loquens idem tradit *Capite illo* 38. *num.* 3. quatenùs id negat Dominis Titularibus, ſeu Vaſallorum, ſi officia habeant juriſdictionem, ſeu juſtitiæ adminiſtrationem, vt Prætorum, Tabellionum, Alguacellorum, Decurionum, ſeu Senatorum Vrbanorum qui vulgò dicuntur *Rectores*, quorum munus Decurionatui veteri correſpondet. Admittit autem de iis, quæ adminiſtrationem juſtitiæ non concernunt, vt officia præconis, janitoris, cuſtodis carcerum, Præfecti curſorum, &c. quia illorum domini non ſunt, benè tamen iſtorum: vnde quia Prætores non ſunt eorum domini, nequeunt illa vendere. Pro quo quamplures alios accumulat. Et ex eo manifeſtè ſequitur Proreges nulla vendere officia poſſe, quia illorum domini non ſunt. Magis in ſpecie id tenet Salon 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 2. *Contron.* 8. *in reſponſione ad ſecundum argumentum.* P. Ferdinandus de Mendoza in particulari Tractatu de hac quæſtione ad Comitem de Lemos Neapolitanum Proregem, cuius erat Confeſſarius, & poſtea Cuſcenſis Epiſcopus in Peruuio, *Dub.* 1. Diana *Parte* 6. *Tractat.* 6. *Reſolut.* 3. & alii.

Illius certitudo.

Affirmat autem Illuſtriſſimus Mendoza doctrinam hanc adeò eſſe certam & exploratam, vt nullus illam Doctorum neget, vel de ipſa addubitet. Idem expreſsè tenet Cardinalis Lugo *Diſput.* 34. *de Iuſtitia*, *num.* 31. vbi licèt Proreges non exprimat, loquitur tamen de Miniſtro publico, qui diſpenſator eſt officiorum loco Principis conſtitutus, quales conſtat eſſe Proreges. Vnde immeritò pro contraria ſententia allegabitur ex doctrina quadam, quam habet, *num.* 37. & de quâ inferiùs. Probatur

Probatio 1. quia Rex non vendit, quorū loco gubernant.

44 Primò. Quia Proreges, vt nomen eorum præ ſe fert, & vſus ipſe confirmat ac titulus aſſignationis, loco Regis ad gubernandum aſſumuntur, vt ſcilicet id faciant, & eo modo, quo ipſe faceret, ſi per ſeipſum gubernaret; iis exceptis, quæ Regi apertè, aut veroſimiliter reſeruantur, vt eſt manifeſtum: Atqui Rex ipſe officia non vendit, de quibus agimus, neque venderet, ſi per ſe gubernaret, vt conſtat ex eo quòd illa in Hiſpaniâ non vendat, neque de eorum venditione in Indiis vnquam cogitauit, ob propriæ vtilitatis reſpectum: ſed liberalem eſſe voluerit deſignationem: ergo euidens eſt non eſſe ſuæ intentionis vt ea Proreges vendant intuitu ſuæ propriæ commoditatis.

Notanda inſtantia.

Et quidem ſi Proreges ita venderent vt lucrum Regi vellent applicari, venditio eſſet illicita ob defectum poteſtatis; ergo multò magis quando in illa ſolus auaritiæ reſpectus intercedit.

2. Quia in venditione nihil habet quod ſit ſuum.

45 Secundò. In venditione officii nihil habet Prorex, quod ſit ſuum: ergo licita nequit eſſe venditio. Conſequentia eſt clara; quia cùm vendat nomine ſuo, & non Regis, vt vidimus, aliquid debet eſſe quod ſit ſuum, cùm vendere nequeat alienum, niſi ex beneplacito domini; quod non extare jam conſtat: præter beneplacitum enim Regis, nullius alterius fingi poteſt: ad beneplacitum enim Reipublicæ nequit, niſi inſanè, recurri: cùm præſertim liqueat Reipublicæ valdè hoc pernicioſum accidere, nec ſit credibile illam in ſui perniciem conſentire. Antecedens autem eſt etiam manifeſtum: nam officium non eſt de Proregis dominio, quia nullius rei dominus conſtituitur ex iis, quæ ad eius munus ſpectant, niſi ſalarii pro labore circa illud, & ſolas

Regis

Digitized by Google

Regis habet vices: prӕter officium autem nihil eſt, quod vendi poſſit titulo Suitatis. Vnde qui emit, pro officio & non pro re alia pretium ſoluit. Quemadmodùm cùm à Rege officium emitur, illud, & non aliud, emi dicitur, neque alia eſt ementis intentio.

Actionem eligendi poſſe vendi reſponſio obuia.

46 Dices ex Cardinali Lugo, licèt officium non ſit de dominio, & ita illud vendi nequeat, poſſe tamen vendi actionem eligendi, cuius ſunt domini ii, ad quos electio ſpectat, & eſt vtilis ementi, vnde & pretio ӕſtimabilis.

Contra quam validiſſimè arguitur.

Sed in primis doctrina iſta non proponitur à citato Scriptore, vt ex eâ debeat licita venditio cenſeri. Sed vt non inducas obligationem reſtitutionis: eſſe enim illicitam jam vidimus illum affirmare. Deinde, illa non eſt penitus admittenda: nam actio eligendi non eſt pretio ӕſtimabilis in genere juſtitiӕ, licèt ad illam non teneatur eligens in particulari reſpectu huius, & ſic dici dominus illius poſſit: quod ſic oſtendo; quia ſi eſſet pretio ӕſtimabilis, cùm res venditur, deberet valor illius cum valore rei ipſius computari, & ita pluris vendi, vt eſt manifeſtum: nam valor valori additus valorem auget: Atqui non computatur, vt conſtat ex communi vſu: nam res determinatum habent pretium independenter penitus ab hoc reſpectu: vnde etiam qui ea, quӕ ſua ſunt, vendit, nequit pluris vendere ex eo quòd vni potiùs, quàm alteri vendat; ſola enim attenditur rei vtilitas, juxta communem ӕſtimationem. Pone quempiam habere rem aliquam venditioni expoſitam valoris vt decem; ſi duo accedant empturi, ex eo quòd vni potiùs quàm alteri eam vendat, non poteſt pretium augere; aliàs ſi offerente vno ex iis pluſquàm decem, accedat alius, & plus eo offerat, poterit eam ſic vendere, etſi ante perfectum contractum alius adueniat plus item offerens, poterit ſimiliter pluris vendi, & ſic de aliis; ex quo fiet determinatum pretium à lege vel conſuetudine non habere, attentâ illius vtilitate. Actio ergo electionis etſi liberalis ſit, & reſpectu illius ſit dominus is, qui eligit, in materiâ eſt amicitiӕ aut liberalitatis, vnde debitum alterius generis illi reſpondet. Sicut modico propter pretium curanti, ſed cum ſpeciali beneuolentiâ erga infirmum, & merces debetur & gratitudo, & ſic aliis. Quӕ ratio, ſicut & prӕcedens, videtur euidens, vt nequeat quis ſanè ſentiens in hac luce cæſpitare.

3. Ex diſtribuente bona ab aliquo relicta.

47 Tertiò. Quando aliquis relinquit bona diſtribuenda ab alio, cui electionem eorum, quibus ſunt diſtribuenda, committit, propter actionem electionis nequit pretium aliquod accipere: ergo ſimiliter in officiis.

Card. Lugo reſponſio.

Dices ex Cardinali Lugo *num.* 35. voluntatem teſtatoris eſſe vt det gratis, quia bona illa in eorum gratiam & non diſtribuentis, relinquuntur; vnde ſi non dat, non ſatisfacit debito juſtitiӕ, cùm non det aſſignatam valoris quantitatem, id enim, quod pro electione accipit, minus habet electus, & ita non impletur voluntas teſtatoris vel aliter diſponentis.

Non ſatisfacit.

48 Sed contrà. Nam ibidem doctus Magiſter admittit venditionem eſſe illicitam. Prӕtereà, non fit ſatis argumento; nam etiamſi teſtator dicat vt detur talis valoris quantitas, non tollitur quin actio eligendi ſit pretio ӕſtimabilis, cùm ſit valde vtilis electo, juxta doctrinam eiuſdem, de quâ *nuper*: ergo deſignatio non obſtat quo minùs aliquid pro electione accipi poſſit; vnde & ſi minùs aliquid ſit habiturus, id erit conſequens ad talem modum diſpoſitionis, in quâ ſi voluerit eligens ſuo jure vti, nihil faciet contrarium diſponentis voluntati: ſi autem liberalitate vti, vt communiter ſperant teſtatores, integra quantitas tribuetur. Aliunde ergo deduci debet talis injuſtitia diſtributionis, ex eo ſcilicet quòd pro electione nihil accipi poteſt, quod eſt ſtatutum in *L. vnum ex familia D. de legatis* 2. §. *Si de Falcidia, &* §. *Sed etſi fundum*, & ita omnes ibidem Repetentes affirmant. Item, Rex etiam vult vt officia gratis ad eos deueniant, pro quorum electione conſtituit diſpenſatorem: ergo eſt eadem ratio. Antecedens oſtendo tum ex dictis, *num.* 44. *&* 45. tum etiam quia ſi conſtiterit Proregem aliquem tale quidpiam perpetraſſe; grauiſſimum crimen habetur, vnde & pœna competens irrogatur: voluntas autem legiſlatoris ex pœnӕ irrogatione cognoſcitur, & inde eſt nundinationes iſtas occultè fieri: licèt nihil occultum, quod non reueletur: pro quo id certiſſimum, quod ſcribit illuſtriſſimus Mendoza *ſuprà dub.* 3. & videri poteſt apud Dianam *Reſolut.* 1. tum circa Regis voluntatem, tum circa ſecretum, quod rebus in iſtis accuratur. Quӕ ratio etiam eſt euidens, ſicut prӕcedentes.

Iuxta eandem vrgetur.

Aſſertio 2. obligationē eſſe reſtitutionis.

49 Dico ſecundò. Acceptum ex venditione dictâ debet in foro conſcientiӕ reſtitui. Sic citati. Quod & rationes adductӕ conuincunt.

Aſſertio 3. In officijs pro Indis ſpecialem eſſe rationem.

Dico tertiò. In officiis Indicis ſpecialiſſima eſt ratio, vt nequeant vendi quӕ ad gubernationem Indorum ſpectant, propter dicta *Titulo* 1. *num.* 169. Vt autem appareat non eſſe alicuius ponderis id, quod dicitur de actione eligendi, quӕ ſola vendatur, & non ipſum officium, expendendum eſt quòd ſi illa ſola venderetur, officium ipſum daretur gratis, & ita pro actione eligendi moderatum tantùm aliquid, quod cum eâ gratuitâ donatione poſſet conſiſtere, tribueretur: Atqui non ita ſe res habet: nam pro adeptione officii dantur ingentes quantitates, vt loco citato dictum; nec minores quàm ſi officium publicè exponeretur venditioni: ergò ridiculum eſt aſſerere officium gratis dari, & ſolam vendi actionem electionis.

Aſſertio 4. non obſtare conſictum titulū, quo venditio palliatur.

50 Dico quartò. Prӕdicta procedunt, etiamſi officia non dentur titulo venditionis, ſed quaſi liberalis cuiuſdam oblationis, aut reſpectu gratitudinis, ab iis factӕ, qui ea conſequi deſiderant: nam id tantùm eſt velle injuſtitiam, & nundinationem turpem, quӕ reipſa extat, honeſtis vmbraculis palliare. Datur pretium pro re aliter non tradendâ, quod is, qui dat, neutiquam aliàs largiretur, & plus prӕ aliis danti, quod efficaciter extorquetur. Et quid aliud vendere eſt, quid emere? Venditio quidem eſt pactio mercis pro pretio, & emptio eſt pactio pretii pro merce, juxta *L.* 1. *π. de contrahendâ emptione*. Vbi mercis nomine quidquid eſt pecuniâ ӕſtimabile deſignatur, vt omnes explicant. Quod totum in caſu noſtro cernitur: nam & pactio prӕcedit, & officium eſt pecuniâ ӕſtimabile, & pretium pro eo datur: ergo venditur, & emitur; quidquid

Emptio & venditio quid.

Digitized by Google

auaritia pro honeſtando quæſtu turpiſſimo honeſtis nominibus moliatur. Demus autem non eſſe venditionem: at officia non dantur gratis, ſed pretio accepto, & id pro re, quæ non eſt de dominio dantis, cuius nec actio eligendi eſt pretio æſtimabilis, contra officii proprii rationem, juxta quod Regis perſonam ſine pretio tradentis officia, repræſentat, pro quo & eſt illius voluntas penitus explorata: ergo non licet huiuſmodi contrahendi ratio, & onus reſtitutionis importat, quocumque nomine veſtiatur. Hinc ſequitur nec poſſe officia ſuis familiaribus vel aulicis dare, vt ea ipſi vendant: in quo & dantes & accipientes grauiſſimè peccant, & ſupra ſe onus reſtitutionis aſſumunt, & eſt hoc malum vſu frequentiſſimum.

Malū frequens in hoc genere.

CAPVT VI.

Proreges an peccent ab aliis ſtatuta mutantes.

Aſſertio 1. frequenter in mutationibus graue eſſe peccatum.

51 DIco primò. Frequenter in hoc graue peccatum admitti, dum ex æmulatione durâ anteceſſorum, dura inquam ſicut infernus, juxta illud *Cant.* 8. *verſ.* 6. *Dura ſicut infernus æmulatio*, multa euertunt benè ab illis conſtituta pro publicâ vtilitate. In hoc enim ſicut graue eſſe detrimentum poteſt, ita & graue delictum. Pro quo videnda, quæ adducit Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *lib.* 1. *cap.*4. *num.* 69. *& ſeqq. Lib.*2. *cap.* 27. *numer.* 76. *& ſeqq. Cap.* 30. *num.* 99. *& ſeqq. Lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 33. *& ſeqq.* & locis correſpondentibus in Politicâ, præſertim *Pag.*866. *Col.* 1. in quibus eruditionis multùm, ſi velint, qui terram iudicant, erudiri, juxta Regii vatis monitum, *Pſalm.*2. *v.*10. Vbi allegari nequit parem in illis eſſe poteſtatem, nec anteceſſores eorum manus ligare potuiſſe. Contra hoc enim ſtat, etiam cùm par eſt poteſtas, in eorum mutatione, quæ ſunt pro communi vtilitate ſtatuta, peccari. Vnde Pontifices ſummi, qui omnium ſupremâ auctoritate præcellunt, & nullis prædeceſſorum ſtatutis ligantur, ea mutare nequeunt, quando Chriſtianæ Reipublicæ commoda comprobantur, ſine graui conſcientiæ reatu, quidquid de validitate mutationis fuerit. Pro quo ita loquitur S. Hilarus Pontifex (al. Hilarius) *in Cap. Nulli*, 25. *Quæſt.*1. *Nulli fas ſit ſine ſtatus ſui periculo, vel diuinas Conſtitutiones, vel Apoſtolicæ Sedis decreta temerare; quia Nos, qui potentiſſimi Sacerdotis adminiſtramus officia, talis tranſgreſſionis culpa reſpicier.* Et Diuus Gregorius Magnus *Lib.* 12. *Regiſtri Epiſtol.* 31. & habetur in Cap. *Si ea, Quæſt.*2. *Causâ citatâ*, ita ſcribit: *Si ea deſtruerem, quæ Anteceſſores noſtri ſtatuerunt, non conſtructor, ſed euerſor eſſe, juſtè comprobarer, teſtante Veritatis voce* (Lucæ 11.) *quæ ait: Omne regnum in ſe ipſo diuiſum, non ſtabit; & omnis ſcientia & lex aduerſum ſe diuiſa deſtruetur.* Sic ille. Nec prætereunda alia eiuſdem ſententia citatis *Causâ & Quæſt.* adducta, in Cap. *Inſtitutionis*, & ſic habet poſt alia: *Nimis eſt aſperum, & præcipuè bonis Sacerdotum moribus inimicum: niſi quempiam, quantacumque rationis ex*[illegible], *quæ benè ſunt ordinata, reſcindere, & ex*[illegible] *cæteros, ſua quandoque poſſe inſtituta diſſoluere.* Hæc ille: qui dum præcipuè Sacerdotum moribus inimicam pronuntiat mutationem, ad alios etiam ſignificat mutationem talium incommoda pertinere: vt & Proreges caueant, nec leuitate, aut præſumptione, ſiue æmulationis imperio, ad euertenda, quæ benè ſunt inſtituta, procedant.

Poſſunt & in eo genere peccare Pōtifices.

S. Hilarius Papa.

D. Gregor. Magnus.

Aſſertio 2. Proreges Indici ſpecialius obligari.

52 Dico ſecundò. Proreges Indici ad præfata ſpecialiùs obligantur. Id oſtenditur: nam in conuerſione huius noui mundi adhuc ſumus, ad quam omnia alia, quæ in illo aguntur, debent ſicut ad finem præcipuum deſtinari: Atqui ad hoc ſatis incommoda eſt variatio dicta: ergo nequit ſine peccati labe perpetrari. Maior eſt certiſſima, & Minor oſtenditur: nam ædificando paſſim, & deſtruendo, nihil firmum relinquitur, ſupra quod ſpirituale poſſit ædificium aſſurgere; & qui gubernationi ſpirituali juxta curam ab Apoſtolicâ Sede commiſſam, inprimis debent attendere, huiuſmodi mutationibus ſuperuacuis diſtinentur. Pro quo eſt Diui Pauli doctrina, 1. *Cor.* 3. *verſ* 3. ſic ſcribentis. *Cùm enim ſit inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis?* Vbi ergo ob zelum & contentionem benè diſpoſita reiiciuntur, & ſic agentes carnales ſunt, ſpirituale nequit negotium promoueri. Et de eo quidem loquebatur Apoſtolus, Corinthios admonens eo pacto negotium fidei nimiùm quantùm impediri. Vnde & *v.* 1. ſic præmiſerat. *Et ego fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus*; ſubdit poſteà *verſ.*9. *Dei enim ſumus adiutores: Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis.* Vbi terra crebris mutationibus quatitur, nequeunt ſemina cum ſpe fructûs aliquali committi. Cùm in ædificio factis infecta ſuccedunt, id accidit, quod à Siracide dictum, *Eccli.* 34. *verſ.*28. *Vnus ædificans, & vnus deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor?* Fatendum ergo eſt mutationes dictas nimis incommodare cauſæ conuerſionis: & zelum carnalem, de quo Apoſtolus, zelo fidei & Religionis valde eſſe contrarium: ille durus, ſicut infernus damnationis & perditionis regioni infeliciſſimæ deſtinatus: hic ſicut cœlum, Dei gloriæ propagandæ ſemper intentum, vt Dauid Clamat: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum, Pſalm.*18. Circa hoc autem nequit ad particularia deſcendi, in quibus eſt juxta occurrentes circumſtantias judicandum; eas prouidi Confeſſarii diſpiciant, & pœnitētes ſuos ne vereantur ſeriò & intelligibiliter admonere.

1.Cor.3. v.3.

v.1. Ibid.

v.9.

Eccli.34. v.28.

Zelus carnalis zelo fidei contrarius.

CAPVT VII.

Vt debeant Indici Proreges Regiorum Auditorum conſilium adhibere.

Aſſertio 1. conſulendos Auditores, cùm res exigit.

53 DIco primò. Debere quoties res exigit, eò quòd momenti magni ſit, nec ſine conſilio poſſit conuenienter expediri. Et de conſilio adhibendo res eſt clara: quòd autem Auditorum, ex eo oſtenditur, quia tales à Rege ſunt eidem Conſiliarii deſignati, vnde & de Conſilio Regis eſſe dicuntur: pro quo & extant Regia mandata in eorum inſtructionibus,

Digitized by Google

ctionibus, de quibus Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 4. *Cap.* 3. *num.* 38. & *Cap.* 9. *num.* 37. & in Politicâ *pag.* 767. & 866. Vnde & ipſe *Lib.* 2. *Cap.* 7. *num.* 50. & in Politicâ *pag.* 302. *Col.* 2. cum Matienzo in *l.* 5. *Recopilat. Titulo* 10. *Leg.* 5. *Gloſſa* 1. præceptum circa hoc agnoſcit, de quo non videtur eſſe poſſe dubitatio.

Aſſertio 2. omiſſio mortalis ex genere ſuo.

54 Dicò ſecundò. Peccatum in caſu dicto mortale eſt ex genere ſuo. Probatur, quia ſe exponere errandi periculo in negotio graui ad bonum commune ſpectante, aut etiam priuati alicuius, ad curam eius, qui deliberat, pertinentis, graue peccatum eſt; periculi enim & damni, cuius eſt periculum, eadem ratio eſt; vnde communiter Theologi eum peccare mortaliter affirmant, qui aliquid agit, aut omittit, dubitans an mortale peccatum ſit, eò quòd ſe periculo exponat mortaliter peccandi. Pro quo videri poteſt Diuus Thomas *Quodlibetô* 8. *Artic.* 13. P. Thomas Sancius in *Opere morali Lib.* 1. *Cap.* 10. *num.* 6. Sayrus *Libr.* 1. *Cap.* 13. *num.* 3. & alij paſſim, qui rationem dictam reddunt, quòd ſcilicet ſe quis periculo exponat faciendi id, quod eſt mortale peccatum. Præterquam quod peccatum ipſum mortale reipſa vult, qui operatur dubius: nam ſic velle operari, idem eſt ac velle tale quid facere, etiamſi mortale peccatum ſit; quod non poteſt non eſſe grauis Dei offenſa. Quemadmodum ſi quis dubitans aliquem eſſe regem, iniuriam inferret ipſi, abſque dubio Regis eſſet iniuria: vult enim iniuriam irrogare illi, etiamſi rex ſit: quod quidem ſi rex ſciret, meritò grauis inflictione ſupplicij vindicaret. Pariter ergo in caſu noſtro, ſe periculo errandi exponere in re momenti magni, grauis damni voluntas eſt, dum amatur periculum: perinde enim eſt ac ſi dicat, qui conſilium adhibere detrectat: Sic volo etiamſi graue damnum ex conſilij repulſione ſequatur; vnde & damni ipſius voluntas intercedit.

Dubiū de mortali vnde peccare mortaliter eſtſtat.

Se ſibi ſufficere præſumptuoſa reſponſio, contra quam alia.

55 Quòd ſi dicat ſe ſibi ad deliberandum ſufficere; id profectò magna præſumptio eſt. Et prætereà contra ſuppoſitionem, ſub quâ procedit Aſſertio; quòd ſcilicet res ſine conſilio nequeat conuenienter expediri. Et quidem eo ipſo quòd magni momenti ſit, ita debet iudicari, niſi quis temerè agere ac precipitanter velit: quod ſine graui ſtare peccato nequit, niſi ignorantia excuſet, quæ in Gubernatore ſupremo, & poſt experientiam ſufficientiæ ad tale munus electo, nequit accidere, & ita nullatenus admittenda. Alios autem præter Regios Auditores, iis reiectis, conſulere, nequit ſine graui ſtare eorumdem iniuriâ, qui in re maximè propriâ officij, quòd à Rege eſt ipſis attributum, parui penduntur, & minùs idonei ad illud iudicantur. Immò & Rex ipſe videtur paruipendi, qui illos ad tale munus cooptauit. Ex quo etiam fiet, vt illi in contemptum populi veniant: quod præter ipſorum dedecus, grauia alia adducit incommoda, præſertim in Indiis, vbi valde expedit eos in veneratione haberi: circa quæ eſt facilè diſcurſiſſe.

Aſſertio 3. In negotiis iuſtitiæ ad plura teneri ſuffragia.

56 Dico tertiò. Prorex in negotiis iuſtitiæ tenetur maiorem ſuffragiorum partem amplecti, quando ad illum etiam cognitio cauſſæ ſpectat, & non ſunt tantùm ſuffragia conſultiua. Id conſtat: quia eſt iuxta ſtylum lege firmatum in Regiis Cancellariis, vt iuxta maiorem ſuffragiorum partem iudicetur, non attentâ ſuffragantium qualitate: quamuis contingere poſſit, vt minor pars præferenda aliàs videatur, eò quòd in illa viri ſint prudentiâ & doctrinâ præſtantes, atque exploratiſſimæ probitatis.

Aſſertio 4. Non ita in negotiis ſtatûs.

57 Dico quartò. In negotiis ſtatûs non tenetur Prorex cum maiore ſuffragiorum numero conſentire. Probatur. Quia in eo non videtur ita ſtylus præualuiſſe. Et prætereà negotia iſta non tam ex iuriſprudentiæ peritiâ, & forenſi praxi, quàm ex prudentiâ, experientiâ, & boni publici zelo dependent: ergo cùm in minori ſuffragantium parte poſſit hoc cum exceſſu ad maiorem reperiri; meritò poterit Prorex eidem ſuum aſſenſum applicare.

Aſſertio 5. Neque belli.

58 Dico quintò. Idem dicendum eſt in negotiis belli, ob ſimilem rationem.

Fit ſatis obiectioni ex Regio reſcripto deſumptæ.

Sed obiicies Regium Reſcriptum *Anni* 1593. in quo Proregi mandatur, vt ſi negotium non patiatur dilationem, teneatur Maieſtati Regis reddere rationem, cur non expediat maiori ſuffragiorum parti conformari, quam regulariter ſequi debet in negotiis ſtatûs, belli, & iuſtitiæ. Ad quod reſpondeo, quoad iuſtitiam ita eſſe in caſibus dictis: quoad alia item ceteris pari bus; ſi videlicet Auditores tantæ ſufficientiæ ſint, vt inter eos vix poſſit exceſſus deprehendi; quod regulariter debet contingere, ſi tales eligantur à Rege, quales pro huiuſmodi muneribus exiguntur; & ita regulariter, etiam ad plura ſuffragia decerni; quod quando ſecùs acciderit, ea eſt ratio reddenda, quæ non poteſt non Regi, & Regiis Conſiliariis ſatis conueniens, immò & vrgens iudicari.

CAPVT VIII.

Proreges Indici quomodò debeant Regios Miniſtros honorare.

Honorādos à Prorege Senatores iuxta conſcientiæ obligationem.

59 QVòd debeant, & ad id obligatione conſcientiæ teneantur, nequit in dubium reuocari. Primarium enim & honorabilius eorum gremium eſt, in quo & Proreges ipſi præſident, & ſic honoris conſortio potiuntur. Vnde Athelaricus rex Romano Senatui ita ſcribit Caſſiodori manu & verbis *Lib.* 8. 11. *Retinetis, me Senatûs ſemper fouiſſe cœtum ſed nunc maximè, cùm veſtrum videor intrare Collegium.* Sic ille: qui tandem ita reſcriptum claudit. *Intereſt noſtræ gloriæ, vt quorum numerum auximus, eos propitiâ diuinitate tueamur.* Hæc ille. Pro quo & extat Regium reſcriptum, de quo Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 9. *num.* 42. & in Politicâ *pag.* 867. §. *Y tambien.* Circa gradum autem obligationis eſſe quæſtio poteſt, pro quo

Caſſiodorus.

Aſſertio 1. In defectu poſſe mortaliter peccare.

60 Dico primò. Proreges ſic debent Regios Miniſtros, & Togatos præ aliis honorare, vt ex honoris defectu poſſint lethalibus piaculis innodari. Indubitata eſt doctrina ex obligatione iuſtitiæ, quæ ſe ad honoris materiam extendit, vt omnes Theologi conteſtantur. Pro quo præſertim Societatis Scriptores, plurimi ſanè, qui rem exactè diſcutiunt, & ex iis videri poſſunt, qui

præceſſerunt præclari duces P. Molina *Tomo* 5. *Diſput.* 1. *& ſequenti.* *& Diſput.* 19. vbi ſpecialiter lethalem culpam in hoc genere occurrentem exponit: ſicut & *Diſput.* 26. vbi contumeliam, quæ generaliter actionem ſignificat honori contrariam, grauius peccatum eſſe ait detractione à tergo factâ. Et præterea P. Leſſius *Libr.* 2. *Cap.* 11. *Dubit.* 27. Quibus accenſendus, inter primarios quidem numerandus Cardinalis Lugo *Diſp.* 1. *de Iuſtitia num.* 25. *Diſput.* 14. *Sect.* 11. Ex quibus & aliis conſtat Superiores etiam inhonorantes eos qui inferiores ſunt, grauiter peccare poſſe: vnde & de modo reſtitutionis inquirunt, & varios pro eôdem aſſignant.

Aſſertio 2. Regula ad grauitatẽ peccati dignoſcendã.

61 Dico ſecundò. Circa hoc ea eſſe regula poteſt, vt tùnc graue peccatum reputari debeat, quando attentis circumſtantiis contemptus eſt notabilis, & qui poteſt in dehonorato grauem dolorem excitare, ad amicitiæ diſſolutionem ſufficientem. Et poteſt vlteriùs declarari ex doctrina P. Molinæ *Diſput.* 19. *citatâ numer.* 1. vbi obſeruat contumeliam grauius peccatum eſſe furto, quia damnum infert in bonis maioris apud homines æſtimationis. Sicut ergo in materia furti grauiter peccatur ablatione eius quantitatis, quã Doctores diuerſimodè aſſignant, vt non ſit neceſſarium eſſe exceſſiuam, ſed quæ damnum non leue, dum aufertur, inducat: ita cum proportione de inhonoratione philoſophandum; in quo tamen nequit determinatum aliquid deſignari; vnde ad prudentium eſt arbitrium in caſibus particularibus reuocandum. Illud addendo, ex qualitate perſonarum inhonorationem augeri, & minui; vnde cùm Miniſtri Regij, Togati præſertim, viri primores ſint, eorum inhonoratio grauis eſſe poterit ex actione, quæ erga alios leuis poſſet iudicari.

Caſus ſpecialis, circa quem inquiritur.

62 Iuxta quæ id poteſt in quæſtionem venire, quod in hac Regum Ciuitate ante annos non multos accidit. In publicâ enim ſupplicatione procedens Prorex Regij Senatûs comitatu, cùm vidiſſet duos ex Auditoribus, quorum alter ex equeſtri erat Diui Iacobi Ordine, communi galero vtentes, & non honorario, ſericô inquam, plicis, & circumligamine curioſiùs concinnato, eos in ipſô maiori foro, ſpectante multitudine, recedere iuſſit, & comminatione coëgit, cùm rubore pariter & dolore: In quo, quidquid de facto fuerit, & agentis intentione, ſed reipſa ſecundùm ſe ſpectatâ, non videtur de grauitate iniuriæ poſſe dubitari, circumſtantiis euentûs ponderatis: cùm præſertim illi reuerenter abnuerent, & occultationem galeri proponerent, aperto capite proceſſuri. Sic enim id, quod minoris reuerentiæ videbatur, vitari poterat: quando & addi etiàm poſſet, vſu non eſſe legem illam de ſingulari capitis operimento penitus confirmatam. Sed confirmatam demus, non debuit certè defectus ille tali inhonoratione mulctari, quam neque attendebant circumſtantes, & ex cuius tolerantiâ non poterant ſcandalum incurriſſe. Sic illud Caſſiodori accipio *Lib.* 10. 13. *Non debet Senatus corrigi, qui debet alios paternâ exhortatione moderari.* Non inquam debet corrigi publicè, & cum dedecoris adiectione; de quo ſpecialiter loquitur reſcriptum Regium citatum *numer.* 59. Moneri cautiùs poterant, & id ſatis vt in poſterùm ſe viri præſtantes emendarent. Vnde & apud eumdem Scriptorem ſequitur: *Sufficiunt hæc nobilibus, ſufficiunt iſtá verecundis.* Verba ſunt Theodahadi regis: vt inde Proreges nouerint, quã debeant honoris ſignificatione Regios proſequi Senatores. Quod & de aliis dictum ſit conſimilis dignitatis.

Caſſiodorus.

Vt corrigendi Senatores.

Idem.

CAPVT IX.

Pro iuſtitia quomodò teneantur Proreges Indici militare.

§. I.

De obligationibus circa commutatiuam.

QVæ ad illam ſpectant, ab Auditoribus Regiis expedienda frequentiùs ſunt, ad quos lites circa ciuilia ſpectant. Pro quo tamen

Aſſertio 1. Proreges ex commutatiua teneri, vt eadem ab Auditoribus ſtabiliatur.

63 Dico primò: Proreges Indici (ſicut & alij) ex obligatione iuſtitiæ commutatiuæ tenentur curare ſolicitè vt ab Auditoribus Regiis commutatiuæ item iuſtitiæ ſtabiliatur integritas, partium iuribus obſeruatis. Id conſtat: quia ex officio ad huiuſmodi curam adſtringuntur, & proptereà ſalarium recipiunt, omnium, quæ Rex in toto Coronæ ambitu Miniſtris ſoluit, pinguiſſimum, vt inſtar operariorum laborem pretio accipiendo ſtudeant exæquare. Pro quo eſt communis doctrina, vt hærere hîc debeat nullus. Neque enim dici poteſt ad curam hoc Auditorum ſpectare, quorum eſt conſcientiæ relinquendum. Nam licèt verum ſit ad eorum curam præcipuè pertinere, pro hac tamen curâ acuendâ, in eorum Præſide cura debet ſuperior excubare. Tum tempeſtiuum eorum aduentum ad tribunal vrgendo, ne de horis ad ius dicendum deſtinatis id deſit ſpatij, quod expeditioni poſſit negotiorum obſtare. Tum faciendo vt lites iam pridem inchoatæ, & cum incommodo litigantium interruptæ, ante alias terminentur. Tum ſecretiori Auditorum conſeſſui frequenter aſſiſtendo, aut etiam in publicis tribunalibus modum agendi eorum obſeruando; vt nullus neque in ſubſtantiâ, neque in modo, obligationi deſit ſuæ: aliquos enim in huiuſmodi functionibus committi defectus, frequentes ſolent litigantium querimoniæ comprobare. Neque eſt cur Iurium ignorantiam obtendant, cùm obligationis ſuæ nequeant ignorantiam allegare. Præterquam quod id verum, quod à Caſſiodoro dictum Lib. 7. 26. verbis illis: *Laborioſum quidem, ſed non eſt impoſſibile iuſtitiam ſuadere mortalibus: quam ita cunctorum ſenſibus beneficium Diuinitatis attribuit, vt & qui neſciunt Iura, rationem tamen veritatis agnoſcant.* Sic ille. Quod in Proregibus ſpecialiùs, viris magni frequenter ingenij, & rerum experientiâ, atque vſu ſapientium illuſtrati.

In quibus adhibenda, cura.

Caſſiodorus.

Aſſertio 2. Graue peccatum in defectu eſſe poſſe, & obligationem reſtitutionis.

64 Dico ſecundò. Violatio iuſtitiæ in caſibus prædictis graue peccatum eſſe poteſt, quando ſcilicet damnum eſt non exiguum & poteſt etiam contingere, ſi, dum Auditoribus ſuffragia proferentibus, libertatem ſuffragandi impediant, voluntatis ſuæ ſignum verbis aut nutibus exhibentes: pro quo Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 10. *num.* 25.

Digitized by Google

num. 25. & in Politicâ *Lib.* 5. *Cap.* 8. *pag.* 817. §. *La Sexta, & ſeqq.* id fortè cauens, quod in Indiis expertus, in quibus Proreges liberiùs dominantur. Vnde obligatio reſtitutionis oritur, iuxta Doctores omnes, quod attentis circumſtantiis iudicio prudentium liquidandum. Et quod ad ſalarium attinet, ex quo id deducendum, quod ob laboris defectum non debetur, facilè poteſt donatiuo aliquo, vt de more eſt, Regi facto, ſine honoris iacturâ componi. Quoad partes verò læſas ob multiplicatas impenſas, & damna ex priuatione poſſeſſionis rei adiudicandæ prouenientia, Auditorum conſcientiæ plus grauatæ: & intricatum nimis negotium erit quid ſingulis reſpondeat veſtigare. Scire tamen debent hac difficultate non eſſe penitus ab onere prædicto liberatos; ſed, vt dixi, docti Confeſſarij iudicio ab eo ſe poterunt, circumſtantiis perpenſis, expedire. Quòd ſi nimia difficultas rem reddat moraliter impoſſibilem, aut in opera pia conferant, aut Bullis Compoſitionis vtantur, vel etiam donatiuum Regi faciant in ordine ad bellorum expenſas quas cum hæreticis & infidelibus gerit: Sic enim pium dici poteſt; cùm videamus hac de cauſſa Bullam Cruciatæ concedi. Pro obligatione autem prædictâ videri poſſunt Auctores, quos adducit Baſſæus V. *Reſtitutio* 3. *num.* 16. In quo & Nauarra non eſſe immorandum ait *Lib.* 3. *Capite* 3. *num.* 476.

Quomodo illa facienda.

65 Poterit autem in prædicta cauſſa illud eſſe leuamini, ſi Proregis peccatum non ſit apertè mortale: ſic enim iuuari eorum ſententia poteſt, qui dicunt ſolùm ex culpa lata, quæ Theologicè talis eſt, mortalis ſcilicet, obligationem reſtituendi conſurgere: quam vt probabilem amplectitur Cardinalis Lugo cum aliis *Diſput.* 8. *de Iuſtitia num.* 93. & plures apud Baſſæum *V. Reſtitutio* 1. quos & ille ſequitur, probabiliorem affirmans. Quam & amplectitur P. Amicus *Diſp.* 20. *de Iuſtitia num.* 93. Poterit autem hoc frequenter accidere: quia Principes iſti non ita rigidè ad actiones huiuſmodi ſe adſtrictos arbitrantur, & ingenitâ animi latitudine procedunt: vel non aduertunt, aut certè non recordantur ſe plenâ cum aduertentiâ proceſſiſſe: vnde licet grauiter reipſa peccauerint, quia tamen non exacta eſt talis peccatis recordatio, non debent ad reſtitutionis duriſſimum tormentum condemnari. Et pro caſu extorti ab Auditoribus ſuffragij, addi poteſt, vix in eo obligationem reſtituendi futuram, quia lites eſſe tales ſolent, vt iudices probabiliter poſſint pro alterutrâ parte iudicare, etiam probabiliore relictâ opinione, iuxta id quod tenent plures apud Dianam *Parte* 1. *Tract.* 13. *Reſolut.* 3. Sicut ergo illi ſic iudicando, ad reſtitutionem non tenentur, ita neque inducens. Vbi & dubitari etiam poteſt an metus talis ſit cadens in conſtantem virum, cùm Senatores eâ debeant auctoritate pollere, vt propter Proregis beneplacitum non debeant à recto deuiare. Hoc ergo ſibi Prorex perſuadere poteſt, & ita oſtenſionem voluntatis ſuæ nihil injuſtum à ſuffragantibus extorſiſſe. Quòd ſi dubitet, etiam illi probabilis ſententia ſuffragatur, de qua Dianâ *ſuprà Reſolut.* 28. pro ea Doctores adducens, & in fine affirmans eſſe probabilem.

Excuſat non mortalis apertè in eo culpa.

Quid pro extorto ab Auditoribus ſuffragio.

§. II.

De iuſtitia diſtributiua. Quomodo erga Benemeritos exercenda, & in Beneficiorum prouiſione.

66 Dictum de hoc *Titulo* 1. *Cap.* 5. & proprius diſtributiuæ iuſtitiæ conceptus explicatus *n.* 50. vt ſit virtus in Superiore reſidens, eum ad communium bonorum diſtributionem inclinans, iuxta merita ſingulorum, ad quos illa poſſunt pertinere. Vt enim *citato loco* dicebam, negari nequit quin reſpectu talis diſtributionis aliqua ſit conſtituenda virtus, cùm ſit ad actus honeſtos, & ad ordinatam vitæ rationem maximè neceſſarius. Hanc ergo virtutem ex ipſo actu nomine deſumpto diſtributiuam vocamus; reddit enim ius diſtribuendo: ergo diſtributiua iuſtitia eſt, ſicut commutatiua dicitur, quæ circa commutationes exercetur. Quòd ſi dicatur honeſtum quidem eſſe actum illum, & ad iuſtitiam ſpectare, non tamen eſſe diſtributiuæ proprium, prout contra commutatiuam ab Ariſtotele & aliis diuiſa reperitur: id equidem nequit veroſimiliter ſuſtineri: tum quia ſic dicens conuenientiam nominis iuxta propriam ſignificationē ad alia diſtrahit, de quibus nequit propriè affirmari: diſtributionem enuntiat de eo, in quo diſtributio non eſt: tum etiam quia actus dictus propriæ iuſtitiæ eſt, & non commutatiuæ vt patet: neque diſtributiuæ, vt aſſeritur: neque vindicatiuæ, vt eſt euidens: neque legalis; quia quomodocumq; explicetur (eſt enim multiplex eam explicandi modus) non verſatur circa communium bonorum diſtributionem, meritis ſingulorum attentis; ergo altera debet ſpecies iuſtitiæ conſtitui, quam Philoſophi & Theologi huc vſque penitus ignorarunt. Et id quidem ſine cauſſa, cùm explicari conuenientiſſimè poſſit iuxta propoſitam rationem.

Diſtributiuæ proprius conceptus explicatus.

67 Neque obſtat, ſi quis dicat gubernatorem, cùm communia bona diſtribuit, iuſtitiam commutatiuam exercere, quia ex pacto cum Republicâ, aut Principe, à quibus ſalarium accipit, tenetur communia bona inter ciues cum proportione ad merita diſpertiri: ſicut tenetur operarius iuxta præſcriptum domini, ſuppoſito pacto, in eius vineâ laborare. Dici enim poteſt vtramque locum habere, ſed reſpectu diuerſorum: ratione enim officij ex commutatiua obligatur ei, cum quo pactio præceſſit; reſpectu verò ciuium ex diſtributiuâ: vnde ſi eam violet, tenebitur quidem reſtituere ſalarij partem ei, cum quo pactum celebrauit; & ſi ſupremus ſit, nulli, non autem ciuibus eo emolumento defraudatis, iuxta communem: ſententiam, pro quâ videri poteſt P. Leſſius. *Lib.* 2. *Cap.* 1. *num. vlt.* Cardinalis Lugo *Diſput.* 3. *de Iuſtitia num.* 51. & alij apud ipſos. Neque enim cùm officium aſſumit, majus ciuibus ius acquiritur; ſed ille iuxta virtutum debet operari motiua, ad quarum exercitium obligatur. Et ita ad actus religionis, gratitudinis, fortitudinis, & ſic de aliis, tenetur: & cùm eos exercet, ſi ad pactionem attendat, iuxta quam obligatio ad illos conſurgit, iuſtitiam com-

Non obſtare exercitium commutatiuæ pariter admiſceri.

mutatiuam

Digitized by Google

mutatiuam pariter exercet: ſic ergo etiam poſſunt vtriuſque iuſtitiæ actus copulari: & diſtributiuæ proprius imperari à commutatiuâ, aut etiam è conuerſo, iuxta communem doctrinam Diui Thomæ de virtutum imperio, quam Theologi frequentiùs amplectuntur.

Aſſertio 1. illius obligatio in Proregibus pro foro cōſcientiæ

Reſcriptum Regium.

68 Dico primò. Proreges Indici tenentur in conſcientia diſtributiuam juſtitiam exercere, in officiorum præſertim diſtributione. Ita Regio Reſcripto ſtabilitum, quod extat *Tomo 1. pag. 313.* vbi ſic dicitur: *Lo miſmo que os en cargo en los dichos repartimientos de Indios, os en cargo en lo de la prouiſion de los officios, ſalarios, y apro vechimientos de la tierra, y que tengais muy particular quenta y cuydado en juſtificar la diſtribution de ellos, prefiriendo, &c.* Ex quibus inprimis habemus officia dicta non poſſe vendi, vt *Cap. 5.* oſtendimus: ſic enim iuſtitia diſtributiua exerceri nequit, nec diſtributio iuſtificari; non enim vbi venditio interuenit, attenduntur merita, ſed in pretio tota eſt meriti ſubſtantia conſtituta; ſi enim attenderentur, etiam operarentur; cùm tamen ſecus accidat, quandoquidem nihil valent pecuniæ adminiculo deſtituta. Vbi dici nequit eamdem diſtributionem poſſe, iuxta dicta, ad commutatiuam & diſtributiuam iuſtitiam pertinere, & ita etiam poſſe duos coniungi reſpectus, meritorum & pecuniæ. Sed euaſio eſt nulla; nam in priori causâ duæ virtutes concurrunt, quæ ſibi imperare mutuò poſſunt; in poſteriori autem reſpectus pecuniæ vitioſus eſt, vnde imperari virtuti nequit, neque ab eadem imperari; niſi fortè addatur remitti partem pretii intuitu meritorum. In quo quidem etiam iuſtitiæ propria ratio deficit, iuxta quam ſola debet accipientis dignitas attendi, quod aliter euenit, abſolutè enim iudicatur indignus, qui niſi pecuniæ adiumento nequit officium obtinere.

Contra quam militat officiorum venditio.

Et violatio poteſt eſſe mortalis.

69 Deinde ſequitur in violatione diſtributiuæ iuſtitiæ poſſe mortaliter peccari, & id Proregibus inculcandum; non ſolùm quando officia venduntur, ſed quando, vt Regia lex loquitur, non iuſtificatur diſtributio, quia perſonarum dignitas non attenditur, ſed tumultuariè, & pro libitu omnia diſpenſantur. In quo quidem Doctores conueniunt, & ratio eſt clara; nam ex tali procedendi modo grauia in Republica ſequuntur incommoda, & ſic agens exponit ſe manifeſto indignos eligendi periculo, in quo non ſolùm contra iuſtitiam diſtributiuam, ſed etiam contra commutatiuam delinquitur, quia eſt cauſa damnorum plurium, qui ex officio ea debuerat euitare; vnde & obligatur ad reſtitutionem, vt benè cum aliis docet P. Thomas Sancius *lib. 2. Conſiliorum, cap. 1. dub. 36. num. 2.* vbi addit peccare contra charitatem ex qua tenetur bonum commune diligere, & etiam contra iuſtitiam legalem, quâ debet etiam bono publico prouidere. Sed quod ad iuſtitiam legalem ſpectat, eam in gubernatore non omnes agnoſcunt, ſed potiùs in ſubditis, qui debent bonum commune ſuo proprio præhabere; ad hoc enim virtus aliqua conſtituenda eſt, quia talis actus eſt honeſtus, & cùm ſit proprii debiti, quod ad nullam ex aliis ſpeciebus iuſtitiæ ſpectat, ad Legalem meritò dicitur pertinere. De quo ego alibi.

Et cum obligatione reſtitutionis.

Non eſſe cōtra juſtitiā legalem, & quid illa.

Neque formaliter cōtra charitatem, & quando talepeccatum juxta aliquorū ſententiam.

70 Contra charitatem autem materialiter & generaliter tantùm videtur peccari, non formaliter & ſpecialiter, quia non intenditur malum ex odio aut diſplicentiâ perſonarum; ſi enim intendatur, de violatâ nequit eſſe dubium charitate. Dicitur autem contra charitatem, quia ſicut quodlibet beneficentiæ genus ad illam reducitur, & quodlibet damnum ex illius defectu videtur deſcendere; vnde mandata omnia ad charitatem Dei & proximi reduci, & in illis claudi, iuxta Scripturæ, & Patrum doctrinam, aſſeruntur; ideò & violatio juſtitiæ eidem dicitur aduerſari. Videndus citatus Auctor *Libr. 1. Operis moralis cap. 6. num. 3.* vbi docet cum P. Vaſquez, & aliis, inducentem aliquem ad peccandum non peccare peccato ſcandali contra charitatem, niſi cùm peccatum, quà tale eſt, intendit, non verò quando alio fine: vnde peccatum reducitur ad ſpeciem peccati, ad quod inducit, vt furti, ſi ad furtum, &c. Non debuit ergo iuxta hæc electio indigni contra charitatem dici, & tamquàm diſtincta malitia ab iniuſtitiâ conſtitui; cùm poſſit ſtare, & ita communiter accidat, vt ſic eligens damna ex electione ſecuta directè non velit; ſicut enim damnum ſpirituale non intenditur, ita neque illud, quod eſt alterius generis, licèt ex facto ſubſequatur. Et quemadmodum in ſcandalo ea ratio redditur, quòd ſcilicet ſpeciale peccatum ſpeciali fine indiget, & oppoſitione ſpeciali virtuti: at quando ruina proximi non intenditur, non eſt ſpecialis finis, nec ſpeciali virtuti opponitur, ſed diuerſi ſunt fines, diuerſæque virtutes, iuxta vitiorum diuerſitatem, ad quæ eſt inductio: Ita etiam de damnis alterius generis dici poteſt vt contra charitatem ſpecialiter non ſint, niſi quando ex diſplicentia eorum proueniunt, quibus euentura præuidentur, occaſione peruerſæ alicuius electionis.

Quoad imputationem damnorum nil refert juxta vnā vel aliam ſententiam opinari.

P. Arriaga acutus philoſophandi modus.

71 Parùm autem refert quoad imputationem damnorum, quòd hoc aut illo modo obligatio ea euitandi conſurgat, cùm ſit certum imputari illa, quæ ex neglectâ conuenienti electione proueniunt. Vnde P. Arriaga *Tomo 5. diſput. 49. Sect. 6.* acutè Philoſophatur contendens ſententiam prædictam ſolis vocibus ab oppoſitâ differre, quæ eſt communior, & verior, defenditurque inter alios à P. Suario *Diſput. 10. de Charitate ſect. 2.* Vtriuſque enim fautores in eo conueniunt, vt putent ſic operantem eſſe cauſam damni, & eidem imputari, habereque actum ſpecialem malitiam in Confeſſione aperiendam; & eſſe inſuper contra charitatem. Sed alii volunt id tantùm eſſe genericè, quatenùs omne peccatum contra charitatem eſt; alii ſpecialiter, quia ſpecialis damni ſpiritualis cauſa eſt: quod & priores non negant in eo ſenſu; eſt enim manifeſtum eum, qui eſt cauſa vt alius peccet peccato furti, eſſe cauſam ruinæ ſpiritualis, quam furtum inducit: nolunt tamen vocari ſpecialem, quia non intenditur, & ſic deeſt motiuum contrarium ſpeciali virtuti, vnde videtur tantùm generalis ratio relinqui, quæ non poteſt ſpeciali aliquo nomine deſignari. Quod ergo ad imputationem damni attinet, diſcriminis ratio non apparet, quæ momenti alicuius ſit; neque enim ex eo quòd refugiant Doctores illi ſcandalum ſpecialiter dictum admittere, imputationem damni negant, & damni quidem ſpiritualis, quod lege charitatis debemus auertere: ergo

Digitized by Google

ergo quidquid de ſubtili illâ differentiâ ſit, quoad rem moralem vix remanet vlla. Quod quidem caſui, de quo loquimur, applicandum: in quo non ſolùm damna temporalia, ſed & ſpiritualia plurima ſubſequentur; peccata inquam ex inconſideratis electionibus: vnde meritò dicere potuit P. Sancius contra charitatem peccari, licèt non conſequenter ad ſuam doctrinam.

Circa caſus particulares quid obſeruandum.

72 Quod licèt ſic generaliter dictum omninò iuxta veritatem ſit, in caſibus tamen particularibus aliter pro eorum diuerſa qualitate iudicandum; poſſunt enim eſſe aliqua, in quibus damnum nullum aliis ex ineptâ electione ſequatur; vt ſi honorarii tantùm gradus ſint, vbi & fortè alicuius non penitus digni electio à mortali poſſit excuſari. Si tamen ſalarium ſit habiturus, talis eſſe excuſatio nequit; quia non poteſt ita ſeruire, vt illud mereatur, & ita, ſi non reſtituat, ab electore facienda reſtitutio.

Aſſertio 2. Proreges Indicos ad digniorum electionem teneri.

73 Dico ſecundò. Proreges Indici non ſolùm peccant grauiter, ſi indignos eligant, iuxta dicta, ſed etiamſi non eligant digniores. Sic quamplures, quos adducit, & ſequitur Diana *Parte 6. Tractat. 6. Reſolut. 2.* Qui & *Parte 1. tract. 1. Miſcellaneo. Reſolut. vltimâ*, alios pro eodem adduxerat. Ratio eſt clara ex dictis: nam ex obligatione juſtitiæ commutatiuæ officio annexa tenetur: hoc enim pacto illud ipſi munus attributum, vt ſeruet legem ita ſtatuentem, de qua *num.* 68. & vt non eſſet lex, id eſt conſequens officium ipſum: nam juſtitia diſtributiua eſt propria ſuperiorum: Atqui illa debet attendere dignitatem perſonarum, & cum proportione ad illam communia bona conferre, quod ſtare nequit niſi digniores minùs dignis præferantur.

Maior dignitas difficilè internoſcitur, etiã à Proregibus.

74 Sed quia quis ſit dignior internoſcere admodùm difficilè ſæpiùs eſt, videantur circa hoc dicta *Titulo præcedenti cap.* 3. Licèt enim Proreges non ita diſtent, vt diſtat Rex, & Indiarum Conſilium; in hac terræ propinquitate, ſuâ etiam pro notitiâ poſſunt eſſe, & ſunt reuerà diuortia, dum informantium fides non ea eſt, quæ poſſit electoris animum tranquillare. Id quod paſſim in iis ipſis, quæ coram nobis geruntur, deprehendimus: ad aures enim gubernantium interpolata perueniunt, & quæ ſtatim manifeſtæ poſſunt conuinci falſitatis; ſi tamen audiendi fiat copia quod non ſemper licet, dum quis ignorat calumniam, & propter eam id patitur, cui non poteſt ignarus obuiare, Diuus Ioannes Baptiſta, ſic Herodem alloquens inducitur apud Georgium Scotum in Tragædia de eodem, titulo *Baptiſtes*.

Tenenda populi frena cui credit Deus,
Audire oportet multa: cuncta credere
Neceſsè non eſt. Quæſtus inuidiæ, fauor,
Timor, dolorque, ſæpè vera ſupprimunt.

Gregorius Scotus.

Sit ergo in Proregibus ſincerus juſtitiæ zelus, & deſiderium nihil ab æquitate alienum perpetrandi: adderit Deus vt electiones non abſurdæ prodeant: quòd ſi aliqua minùs probanda eruperit poſt diligentiam congruam; nihil in eo mirum ſi errent homines, quibus eſt errare natiuum, ſed error pro magiſtro adhibendus, vt deinceps ſine erroris offendiculo procedatur.

Aſſertio 3. benemeritos in conquiſitione Indiarum eſſe præferẽdos.

75 Dico tertiò. Proreges in electione ad officia debent benemeritos in conquiſitione Indiarum, & inter eos magis benemeritos anteferre. Sic expreſsè deciditur in Regio reſcripto, dum ita additur: *Prefiriendo en lo vno, y en lo otro, à los Deſcubri dores, y ſus deſcendientes y Pobla dores, mas benemeritos, que mejor vbi eren ſeruido: de manera que todos tengan ſatisfacion, y no aya deſcontento en la tierra.* Sic ibi. Quod quidem facillimè poterunt Proreges adimplere; ſunt enim non multi jam ex illis, & quæ dare poſſunt multa: vt non poſſint ad operiendum, pallii breuitatem incuſare: non enim ita breue eſt, iuxta Prophetæ ſententiam, vt non poſſint eo plures ſufficienter operiri. Multa ſunt officia, penſiones, Commendæ emolumenta, quibus fieri ſatis poteſt benemeritis ex Conquiſitorum ſanguine, & aliis, qui pro regni amplificatione aut conſeruatione, fidelem operam præſtiterunt. Videantur dicta *Titulo* 1. *num.* 56. Quòd autem circa hoc peccari grauiter poſſit, conſtat ex dictis, *num.* 69. & damna ex violatione juſtitiæ in hoc genere ſatis Regium reſcriptum indicauit illis verbis: *De manera que todos tengan ſatisfacion, y no aya deſcontento en la tierra.* Si enim malè contenti ſint, quorum querelis ex negatâ ſatisfactione laborum occaſio præbeatur, timeri inde abortus aliqui turbulenti poſſunt, quibus exitialius nihil valet cogitari. Pro quo hiſtoriæ Indicæ exempla non pauca, & ſatis quidem infauſta miniſtrabunt.

Quibus multa ſunt quæ dari poſſint.

Aſſertio 4. etiam in præſentationibus ad Beneficia.

76 Dico quartò. Ex dictis apertè deducitur, quid ſit de præſentatione ad Eccleſiaſtica Beneficia dicendum, ſi enim ad officia temporalia digniores eligendi ſunt ſub reatu æternæ damnationis; ſatis ex eo diſpicitur erga Beneficia obligationem eſſe non poſſe minorem, cùm maiorem eſſe conſtet. Et quod ad Regem attinet, dictum à nobis *Titulo* 1. *Cap.* 7. 9. & 10. Circa prouiſionem autem præſentatione Proregum fieri ſolitam, forma eſt ſpecialis ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ. Prælatus enim ex concurrentibus ad examen tres poſt illud eligit, & eos Proregi exhibet cum meritorum atteſtatione: ex quibus ille vnum eligit, qui ad Prælatum cum præſentatione recurrens, ab eo Canonicam accipit inſtitutionem. Solent autem Prælati aliqui poſt meritorum atteſtationem addere, cuiuſcumque ex tribus electione poſſe Patronum ſuam exonerare conſcientiam, nominationis ordine non ſeruato. Quod cùm additur, & de Prælati diligentiâ, zelo, & ſapientiâ, plena habetur ſatisfactio, oculis, vt dici ſolet, clauſis, poteſt quilibet præſentari. Erit autem regulariter conuenientius vt præſentetur priore nominatus loco: aliquid namque in illo eminet ob quod prænominatus debet judicari: licèt non tale illud ſit, vt iniuſtam reddere alterius valeat electionem. Et quidem ſatis indicat maiorem beneuolentiam Prælati erga ipſum. Primò enim vocatus magis eſt dilectus: iuxta ea, quæ adducit Marius Antoninus *Libr.* 1. *Reſolut.* 7. *num.* 5. & Dom. Solorzanus *Libr.* 2. *cap.* 8. *numer.* 19. & in Politicâ *pag.* 308. §. *Y otra.* Non poteſt autem illi non iniucundum accidere, ſi videat magis à ſe dilectum reprobari. Ex quo beneuolentia inter ipſos & Gubernatores ſolet non ſolùm frigeſcere, verùm etiam quandoque, non ſine grauibus inconuenientibus, expirare.

Prouiſionis forma.

Prior nominatus communiter præferẽdus.

77 Sed certè generaliter loquendo, non ſunt ligandæ

Poſſunt ta-

Digitized by Google

tamen Proreges abſolutè, quem voluerint, magis dignum repertū præſentare.

ligandæ Proregum, & aliorum Gubernatorum manus, quin poſſint quem libuerit, magis dignum repertum, præſentare: præſentatio enim illis abſolutè competit; & quemadmodùm ſi nominatio Prælati non præcederet, poſſent quem vellent, magis idoneum repertum præſentare; ita & nominatione ad tres redactâ, jus habet ad idoneitatem ampliùs explorandam. Si enim ad ſpecialiter nominatum à Prælato deberet adſtringi, res de ſolo nomine eſſet præſentatio, cùm vix vllum in eâ eſſet exercitium poteſtatis: contra id, quod jus patronatus ſpecialis excellentiæ continet ab Eccleſia in argumentum eximiæ gratitudinis attributæ. Et poteſt quidem Patronus nouum aliquid in approbatis à Prælato deprehendere, quod ad variandam electionem poſſit non immeritò permouere. Niſi in ipsâ nominatorum graduatione adeò merita vnius meritis aliorum anteſtent, vt euidens iniuria ipſi fiat, ſi ſcripturæ ordinem non ſequatur: prout ex Illuſtriſſimo Zapata tradit, Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *cap.* 15. *num.*87. Videndus ille *Parte* 2. *de Iuſtitia diſtributiua*, *Cap.* 6. *num.* 26. Neſcio autem cur Dom. Solorzanus præfatam limitationem omiſerit in Politicâ *pag.*632. §. *En quanto*, qui Latino correſpondet.

Ex verbis forma præſentationis roborata.

78 Iuuat autem ad hoc ampliùs comprobandum, verba Philippi Tertii Regis noſtri in quodam reſcripto circa formam in præſentatione ſeruandam, expendiſſe, cuius tenorem adducit Dom. Solorzanus *ſuprà num.*14. ſic enim ait: *Y de los aſi examinados eſcojanlos Arzobispos, y Obispos, tres los mas dignos, para cada vno de los dichos Beneficios, teniendo conſideration à la ſufficientia de la lengua para dotrinar, y predicar, &c. Y eſtos, que aſi eſcogier en y nombrar en, los pro pongan à los Virrey es, Preſidentes de les Audiencias, y Gobernadores deſu diſtrito, para que ellos es co jan vno, el que les pareciere mas à propoſito, y le preſenten en nueſtro nombre, para que con eſta preſentacion le de la colacion el Arzobiſpos, ò Obiſpo, à quien tocare, &c.* Eſt enim animaduerſione digniſſimum, quòd cùm de proponendis à Prælatis agit, digniores futuros affirmat; cùm verò de præſentandis ab eis, qui eius nomine hoc præſtare debent, non ait præſentandos eos, qui à Prælatis digniores fuerint judicati, ſed qui ab ipſis magis apti fuerint reputati. *Vno, el que les pareciere mas à propoſito.* Non ergo tenentur iudicio Prælatorum ſtare, ſed jure ſuo vti poſſunt: non quidem eligendo pro libitu, ſed conſideratione adhibitâ, aptiorem à ſe deprehenſum præferendo. Cùm enim à Prælatis exigat vt illi eligant digniores, à ratione videbatur alienum, vt minùs dignos à ſuis vice-gerentibus eligi pateretur. Quamquàm non deerunt, qui dicant in hoc Regem juxta formam à Concilio Tridentino traditam proceſſiſſe, dum *Seſſione* 24. *Cap.*18. aliter de Patronis Eccleſiaſticis, ac de laicis loquitur: illos enim debere digniores præſentare apertè decernit, non ſic iſtos, cùm tantùm dicat idoneos eſſe debere. *Et non niſi idoneus repertus fuerit, admitti.* Pro quo videnda, quæ diximus *Titulo* 1. *num.*76. *&* 97. Sed certè prædicta non vrgent: quia Concilium *Cap.* 1. *Seſſionis eiuſdem*, ſatis circa hoc ſuam mentem aperuit, vt oſtendimus *citato Titulo num.*69. *& ſeqq.* neque hoc præceptum poſitiuum humanum ſit, ſed naturale,

Concilium Tridentinū cur aliter de patronis laicis, ac de Eccleſiaſticis loquatur.

ſuppoſitâ Beneficiorum inſtitutione, vt ibidem dictum *num.*71. Cur autem non eodem modo locutum fuerit, reſpondet P. Thomas Sancius *Lib.*2. *Conſiliorum*, *cap.*1. *dub.*6. *num.*6. ideò fuiſſe, quia hoc eſt ſub dubio (ſcilicet Patronum laicum ad digniorum electionem teneri) & ideò Conſilium definire illud noluiſſe. Quòd autem ad dignitatem pertineat & genus, & patria, dictum & probatum *Titulo eodem Cap.*7. vt nihil circa hoc requiri ampliùs videatur.

§. III.

De iuſtitia vindicatiua, & quæ pro illa vrgeat Proreges Indicos obligatio.

Proregum cura in delinquentiū punitione.

79 VRget equidem, vt juxta Regii vatis exemplum, in matutino interficiant omnes peccatores terræ, *Pſalm.* 100. *verſ.*8. *In matutino*, inquit, *interficiebam omnes peccatores terræ.* Vbi Ioannes Campenſis ita legit: *Tempeſtiuè eliminem omnes ſceleſtos à terrâ.* Tempeſtiuè inquam, priuſquam damna permiſſione ſceleratorum excreſcant, & vix remedium, vel valdè profectò operoſum & quæſtuoſum patiantur. Aliter D. Iſidorus Peluſiota *Lib.* 1. *Epiſtol.* 321. in qua ſic ſcribit: *In matutino Iuſtitiæ ſinceritatem, & integritatem, ac prudentiam declarat: nempè quòd nec iracundia, nec temulentia eum ad cædem impellebat. Nam illa, etſi heſterno die illius animum concitabat, at per noctis longitudinem mitigabatur. Hæc rurſus, etſi veſpere ingens acceſſerat, per ſomnum tamen ſatis minorabatur, ac diſcutiebatur. Purâ itaque, inquit, ac integra, tum manu, tum mente, aduerſus eos, qui Deum ſceleribus ſuis laceſſebant, arma induebam.* Sic ille. Vbi & aliud opportunè occurrit Indicis Proregibus obſeruandum, vt ſcilicet tempeſtiuè, *ſummo manè*, vt Campenſis habet lectio, ſceleratorum punitionem exerceant, non illam diutiùs differendo, ſed ſub ipſum delicti calorem: cùm ſit experimento ſatis ſuperque perſpectum, huiuſmodi ſupplicii dilationibus multa impunita relinqui, aut interceſſionum inſtantiâ, aut falſarum probationum occaſione, aut reorum fugâ, in judicibus etiam indignatione juſtâ aduerſus illos frigeſcente.

Pſal. 100. *v.*8.

Quid ſit in matutino eam exercere.

D. Iſidorus Peluſ.

Pro Indicis quid ſpeciale. Campenſis.

A Republica Chriſtiana exterminanda improbitates, vt quæ dedeceant maximè.

80 Eſt autem quod apud Vatem ſequitur, attentiùs inſpiciendum: *Vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Indignum ſiquidem erat vt in ciuitate Domini operarius quiſpiam iniquitatis verſaretur. *Omnes*, inquit; & qui omnes, nullum excludit. Nam vel vnus aliquis ciuitatem Domini ſanctam & electam dedeceret. Quid ergo iam Chriſtianos Gubernatores decet in Republica item Chriſtiana perficere, antiquiore illa, ſine comparatione aliqua, ſanctiore? Cui Diuus Petrus ſic alloquitur: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuntiatis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.* 1. *Petri* 2. *v.* 9. Admirabile ſanè lumen fidei Chriſtianæ eſt, vt homines reddere poſſit & debeat admirabiles: hoc enim eſt quod verbis adductis exponitur: *Vt virtutes annuntietis, &c.* Vt ſitis inquam, *homines magni virtute*, vt loquitur Siracides *Eccli.*44. *v.*3. adeoque magni, vt alios poſſitis

1. Pet. 2. *v.*9.

ad

ad conſimilem virtutum cultum prouocare. In hoc ergo lumine, in hac ſanctitatis ſchola, in hoc virtutum emporio, ſcelera impunè graſſari, dominari laſciuiam, impudentiam effrenari, & more Gentilium tenebris improbitatum inuolui, quomodò non ſit horrendum dictu, factuque horrendũ magis, & ad hæc Gubernatorum prouidentiam oſcitare? Non ſic, ô viri præſtantes, non ſic, & præ aliis, qui excellentiam muneris Excellentiæ titulo deſignatis. Zelus in vobis vlciſcendi diuinas iniurias exæſtuet, & mundandi Dei populum, acceptabilem, Sectatorem bonorum operum. Mundate, mundate, immunditiæ auctores expungite, impuritatis artifices, & irritamenta libidinum, errorum, raptorumque cohortes, & dum nihil agunt, mala omnia perpetrantes, expellite, exterminate, diſperdite cum vate Rege, & , vt vno verbo dicam, iuxta merita, iuſtitiæ ſeruato moderamine, caſtigate. Circa quod, vt ſpecialius aliquid proferam,

Ad Gubernatores adhortatio.

81 Dico primò. Proreges tenentur ſub graui conſcientiæ reatu turbulentos homines cohibere. Id clarum. Pro quo & Regium reſcriptum adducit Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 27. *num.* 2. & in Politicâ *Lib.* 4. *Cap.* 27. *in principio*, ex Antonio de Herrerâ *Decade* 2. *pag.* 91. in quo ſic dicitur: *Y ſiendo ſobre todo muy neceſſaria laquiet ad para la Republica, ſeda facultad à los Virreyes, Preſidentes, y Gouernadores, y otras Iuſticias, paraque puedan echar de las Indias, y des terras las perſonas, que les parecieren inquietas, y embiarlas à eſtos reynos* &c. Vbi meritò inquirat quiſpiam cur in reſcripto dicto non mandatum, ſed ſola licentia proponatur, cùm res hæc mandati rigorem poſtulare videatur? Ad quod quidem id dicendum occurrit, inquietos quidem homines iuxta delicti qualitatem puniendos Reges noſtros iudicare. Cur enim Proreges, & Gubernatores alij id præſtare circa huius generis crimina nequeant, quod erga alia poſſunt & debent Regiâ auctoritate præſtare? Hanc ergo obligationem cùm ſciant illi, id ſibi gratum fore dubitari nequit. Quia verò aliquando timere Gubernatores poſſunt, ne in executione iuſtitiæ turbidum aliquid oriatur, minùs forſitan in eâ deliberatione conſtantes, facultas iis conceditur, vt tales homines poſſint in Hiſpaniam ablegare. Quomodo autem circa Eccleſiaſticos ſe gerere debeant, dictum à nobis. *Titulo præced. Cap.* 11. & 12.

Aſſertio 1. Turbulentos à Proregibus cohibendos.

Reſcripti verba.

Dubium circa illa.

82 Dico ſecundò. Proreges graui conſcientiæ obligatione premuntur, vt Togatos criminum Auditores, iudicesque alios, in ſuo faciant puniendorum criminum officio vigilare. Conſtat ex dictis §. 1.

Aſſertio 2. circa curam erga alios iudices.

Dico Tertiò. Grauiter etiam peccant executionem ſententiæ à præfatis, ordine iuris ſeruato prolatæ prohibitu impedientes, etiamſi miſericordiæ affectu ducti id fecerint, vel interceſſionibus, quæ ſunt in regionibus iſtis vrgentiſſimæ. Quod equidem ratio manifeſta conuincit: nam ſententia talis iuſta eſt, & communi bono conueniens: ergo illam impediens contra juſtitiam in graui delinquit, & ita grauiter peccat abſolutè: quia ſicut contra juſtitiam facere eſt abſolutè peccare, ita & grauiter facere, grauiter delinquere eſt. Neque ſit ſatis ex ſuprema illius poteſtate licet enim ſuprema poſt Regiam ſit, ſuis tamen limitibus coarctata, & circa hoc præſertim per ea quæ addu-ducunt Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 10. *num.* 45. *& ſeqq.* & in Politicâ *pag.* 878. §. *Pero aunque, & ſeqq.* & Dom. Felicianus à Vega in *Cap.* 4. *de Indiciis.* §. *De Adulter. num.* 76. *& ſeqq.* Sublatâ ergo poteſtate, perinde ſe habent, ac ſi perſonæ priuatæ eſſent, quæ ſine graui peccato non poſſent ſententiam legitimè pronuntiatam impedire.

Aſſertio 3. Eorum peccatum, qui ſententiarũ executionem impediunt.

83 Dico quartò. Similiter peccant Proreges, ſi ante cauſſæ concluſionem & ſententiæ prolationem, incarceratos iubeant liberos è carceribus auolare. Id planum: quia grauia delicta ſic manent impunita, & ex impunitate damna ingentia progrediuntur. Pro quo eſt præclara D. Leonis Magni ſententia *Epiſt.* 53. inquâ ita ſcribit: *Impunitarum tranſgreſſionum augentur exceſſus, & crebreſcunt culpæ, quæ toleratæ ſunt ſtudio fidei reparandæ, & amore concordiæ.* Hæc ille. Si ergo impunitas criminum ob reſpectus illos adeò nobiles, ita exitioſa eſt: quid jam fuerit, vbi ex leui quodam oſtentandæ poteſtatis impetu, aut alio ſimili, ſtabilitur? Quod vrgeri poteſt ex eo quod in noſtris Indijs vſu firmatum inuenimus, & de quo Dom Solorzanus *Cap.* 10. *citato num.* 26. Proreges ſcilicet, cùm ante Paſchales ferias viſitationibus carcerum cum Regijs Auditoribus interſunt, circa eorum dimiſſionem aut retentionem ſuffragium non habere, niſi cùm diſcordant Auditores. Eſt ergo illis interdicta prorſus carceratorum dimiſſio: & cùm res non leuis momenti ſit, pluſquàm leue erit peccatum in tali dimiſſione commiſſum.

Aſſertio 4. & incarceratos dimittentes.

D. Leo.

84 Dico quintò. Ad Proreges maximè pertinet Indorum injurias vindicare, ad quod grauiſſimo conſcientiæ periculo conſtringuntur. Id conſtans; quia imbelles, infirmi, pauperes, de quorum fide præſertim agitur toto Indicorum molimìnum apparatu: miſerabiles perſonæ, ſuis in terris exterorum imperio, nihil tale merentes, ſubjugati: circa quorum commoda Regum Catholicorum cura peruigilat, & ita eam vices-gerentibus ſuas pergunt frequentiſſimè commendare. Sed quot illi ſunt, quibus voces iſtæ ita reſonent, vt ad earum inſtantiam miſericordiæ viſcera ſuſcitentur? *Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi? Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum, & pauperem à diripientibus eum.* Sic Vates Rex. *Pſalm.* 34. *v.* 10. Mirabilis profectò laudationis modus, quam non lingua, ſed oſſa omnia pronuntiant. Ita ſanè. Singulare genus laudis eſt, quia ſingulare & inſolitum beneficij genus prædicatur inuentum: Quòd ſcilicet ſit, qui pauperum & oppreſſorum patrocinium amplectatur. Quis in hoc ſimilis Deo? Si fortè aliquis, inſolito laudis genere celebretur, & ea, quæ ſenſu carent, vt oſſa, ſenſu ad illam mirabiliter adepto conſurgant. Si ergo velint Proreges Deo ſimiles reddi, ſi laudibus inſolitis, & ex intimo prodeuntibus affectu ſuſtolli, eripiant inopes Indos de manu fortiorum, egenos & pauperes à diripientibus ipſos. Vbi præſertim indicati illi, qui eorum gubernationi, protectioni, & defenſioni, juſtis ſtipendiorum commodis præficiuntur. Hi enim gubernationem in crudelem ſoliti conuertere direptionem. Quod malum omnium

Aſſertio 5. Indorum debere iniurias vindicare, pro quibus declamatur.

Pſal. 34. v. 10.

Singulariſſima laus ex eo, & Deo, & eius locum tenentibus.

Maius à gubernatoribus nocumentũ.

Digitized by Google

Ab Auditoribus poſſe munera Proreges accipere, & non nullis aliis.

aſſerenda. Propter quam rationem videtur etiam dicendum Regios Auditores, & Togatos alios, ac minores Officiales non prohiberi quò minus munera poſſint Proregibus exhibere; quia ij apud illos rarò litigant. Et licèt debeant circa eorum agendi rationem valde eſſe ſoliciti, & ſi neglexerint admonere, immò & mulctare id non eſt propè litigare.

Aſſertio 6. Poſſe etiam à cognatis, & amicis.

31 Dico ſextò. Munera data à conſanguineis, vel ab aliis, ex reſpectu amicitiæ, quæ ſtaret etiamſi ij, quibus conferantur, non eſſent in tali dignitate conſtituti, mortalis peccati labe non inficiuntur. Vtrumque tenent graues Scriptores, quos adducit & ſequitur P. Sancius *ſuprà num.* 20. & 21. Quod etiam tenet Cardinalis Lugo *ſupra num* 132. §. *quinta limitatio.*

§. III.

Pro Religioſis Reſolutio poſtrema.

Aſſertio 7. Non poſſe à Religioſis, ſi pretioſa.

32 Dico ſeptimò. Proreges nequeunt tutâ conſcientiâ à Religioſis munera accipere pretioſa, ex auro ſcilicet, argento, lapidibus pretioſis, & ſic alia. Hoc videtur certiſſimum, niſi vſus aliquando reddere illud incertum conaretur. Sed ille potiùs dicendus abuſus, eliminandus penitus, vti qui Religioſo ſtatui nimis quantùm aduerſetur. Vbi non iam ex Bulla Clementis Octaui de largitione munerum arguendum iuxta præſcriptam in eâ formam, quam in Hiſpaniâ non receptam boni teſtantur Auctores, ex quibus P. Suarez *Tomo 4. de Religione Tract. 8. Lib. 2. Cap. 26. n.* 15. qui generalius etiam videtur loqui P. Thomas Sancius *Lib. 7. Operis moralis Cap. 19. n.* 42. & 100. & Bonacina *Tract. de largitione munerum Puncto 5. n.* 3. & ab Vrbano Octauo moderatam aduertit Cardinalis Lugo *Diſput. 3. de Iuſtitia num.* 169. Circa quod in Prouinciis aliis multi loquuntur Auctores videndi apud Dianam *Parte 1. Tract. 6. Reſolut. 1.* apud quem aliqui affirmant non eſſe vſu receptam, quibuſcum ipſe videtur ſentire; ſicut & Thomas Hurtadus *Tract. 8. num.* 880. quod tamen non eſſe ita oſtendit P. Filliucius *Tract. 34. num.* 80. & Diana ipſe *Parte 8. Tract. 6. Reſol.* 12. retractat quod dixerat, eò quòd ſit ab Vrbano Octauo renouata. Quamuis & de iſta renouatione, an ſit generaliter admiſſa, poſſit etiam dubitari. Et certè in his Prouinciis non videtur eſſe in vſu.

Bulla Clementis 8. circa illa quomodo admiſſa.

Ratio Aſſertionis ex defectu poteſtatis in Religioſo.

33 Arguo igitur ex eo quòd Religioſus nequit huiuſmodi facere donationes. Et quidem ſine Prælati licentiâ indubitatum eſt, non ſolùm ob paupertatis votum, per quod omnis actus proprietatis excluditur, qualis eſt dictus; non enim aliter de re datâ diſponeret, ſi eſſet illius abſolutus dominus: ſed etiam quia furtum committitur, dum res aliena tribuitur; eſt enim illa non ſua, ſed Monaſterij, Conuentus, aut Collegij. Quæ eſt communiſſima omnium de hac materiâ ſcribentium ſententia, & inconcuſſa doctrina. Cum licentiâ autem pariter repugnat, quia nullus illam dare Prælatus poteſt cùm talis donatio ſit ſtatui paupertatis contraria: vnde Doctores omnes de hoc agentes dicunt donationes debere eſſe moderatas, & Religioſo ſtatui congruentes, quales non ſunt, quæ diuitibus videntur propriæ, vt ſunt iſtæ, de quibus agimus. Videantur P. Suarez *ſuprà* Card. Lugo *num.* 186. P. Molina *Diſput.* 276. P. Sancius *ſuprà*, P. Leſſius *Libro 2. Cap.* 32. *num.* 26. Malderus *in 2. 2. pag.* 315. §. *An autem, & ſeq.* P. Turrianus in *Selectis Par. 2. Diſp. 31. Dub.* 66. improbabile cenſet oppoſitum, & alij. Qui prætereà addunt licentiam futuram pro cauſſa pia. Pro quo videndi alij apud Dianam, valoris quantitatem limitantes *Reſolut.* 4. etiam cùm cauſſa pia eſt, & alij id arbitrio Prælati prudentis relinquentes. Ex quibus aptiſſimè diſcurrit P. Leſſius V. *Paupertas Religioſa Caſu* 5. in *Reſolut. poſthumi.* Donationes autem, de quibus loquimur, à priuatis factæ, non ſunt in prædicamento pietatis. Ex quo habetur neque Prælatum ipſum ſic donare poſſe, vt citati & alij aduertunt; quia non eſt bonorum dominus, ſed adminiſtrator; ad hunc autem non ſpectat exorbitantes facere donationes.

Neque pro eo licentia, ſuffragatur.

Prælatis prohibitio eadem.

Vrgetur ex voluntate Summi Pontificis vt ſupremi Prælati Religionum.

34 Deinde argumentor. Nam Prælatus ſupremus Religionum eſt Summus Pontifex; ergo non licet Religioſis, quod illi conſtat manifeſtè diſplicere, renuente voluntate & licentiam penitus denegante. Tunc ſic. Donationes tales ſunt contra voluntatem Pontificis, & qui eas ſciret, abominandas reputaret: id quod in Motu proprio Clementis Octaui conſtat, etiam cum Vrbani Octaui moderatione. Licèt enim dicamus non fuiſſe receptum; benè tamen ex eo colligimus quantitatem munerum non poſſe talem eſſe, vt taxatam ab ipſo incomparabili exceſſu præcedat. Quod aliunde robuſtiſſimè comprobatur. Nam Pontifex in præfato Motu proprio non condidit nouum ius circa largitiones munerum in Religioſis, ſed nouam tantùm formam, circa cauſſæ approbationem tradidit, & pœnarum adiectione firmauit. Vnde etiam admiſſo illo, & in viridi obſeruantiâ ſtante, quidquid ante illum licebat, etiam poſteà licet; & quidquid non licebat, eſt illicitum. Sic tenent Soto, Ortiz, Valerus, Ioannes de la Cruz, Paulinus Berti, quos adducit & ſequitur Diana *ſuprà Reſolut.* 2. Iuxta quam doctrinam euidenter ſequitur dictam largitionem non eſſe licitam, & accipientem ad reſtitutionem teneri. Nam ex eâ conſtat munera debere eſſe valoris exigui, cùm eam Pontifex non de nouo ſtatuat, ſed ſupponat, & ampliùs explicet. Cumque ad munera valoris non exigui largienda non ſit in Religioſis facultas, planè diſpicitur per eam non tranſferri dominium, & ita obligationem reſtitutionis ſupereſſe. De qua obligatione in ſatis moderatâ quantitate videndus Villalobos *Tomo 2. Tract. 35. Difficult. 32. n.* 5.

In Bulla Clementis nouum non conſtitutum ius, ex quo robuſta inſtantia.

Obiectio ex poteſtate Prælati ad remunerandum, iuxta doctrinam P. Suarij.

35 Dici poteſt ex P. Suario *ſuprà num.* 14. Prælatum Religioſum habere poteſtatem ad remuneranda obſequia, & prætereà ad præueniendum aliquid gratis erogando, vt ſe vrbanum & beneuolum oſtendat, reſpiciendo ad Monaſterij vtilitatem. Addunt aliqui obligationem gratitudinis eam eſſe, vt plus debeat retribui, quàm ſit acceptum: vnde ad quartam partem exceſſus illud nonnulli extendunt: vt ſi merita valeant duodecim, & à Religioſo retribuantur ſexdecim, non debeat indignum iudicari, etiam ſtante rigore Bullæ Clementis Octaui, ſi illa nouum ius

Digitized by Google

ius ſtatuit. Cùm ergo oporteat beneuolos habere Proreges, & alios viros principes, quia id poteſt in magnam Religionis vtilitatem cedere; iuxta id poterunt munera tribuenda diſponi, vt ſcilicet pretioſa ſint: vilia enim nec digna eorum perſonis ſunt, nec ad effectum dictum poſſunt conferre. Quòd ſi merita in illis iam præceſſerint, & vtilitatis fructus ſit reipſa perceptus, maior apparet ratio vberioris largitionis.

Obuiatum illi ex doctrina eiuſdem Patris.

36 Sed hæc in cauſſa præſenti non vrgent. Et qui P. Suarium adduxerit, obſeruare debet quòd apud eumdem citato loco dignum conſideratione ſuccurrat, dum illa verba ſubiungit: *Reſpiciendo ſemper ad maiorem proximorum ædificationem, vel ad Monaſterij vtilitatem.* Sic ille. Quod ergo cum proximorum ædificatione ſtare nequit, non eſt gratitudinis reſpectu conferendum, etiamſi ad vtilitatem Monaſterij conferre poſſit. Atqui munera, de quibus loquimur, cum ædificatione ſtare non poſſunt, quæ ſcandalo potiùs ſunt, eorum etiam, qui accipiunt, ſi velint vera nuntiare: ergo ex reſpectu gratitudinis, aut quocumque alio nequit illorum iuſta largitio conſtare.

Retributionis ex gratitudine debitæ, qualis exceſſus debeat in Religioſis.

37 Doctrina ergo illa de ſuperabundanti retributione, in Religioſis non debet ita accipi, vt eſſe debeat in rebus eiuſdem generis, aliàs beneficia illis collata, valde ipſis oneroſa redderentur. Nam ſi tribuenti duodecim aureos debeat reddere ſexdecim, & ſic proportionaliter, quænam eſſe domus Religioſa poterit, cui beneficia non obſint, ampliora, quàm acceperit, redditura? Ex quo apparet non eſſe admittendum modum dicendi Thomæ à Iesv in Cap. *Non dicatis* Parte 3. Cap. 2. Dub. 1. §. *Dixi ſus eſſe.* vbi ait Beneficiarium Regularem poſſe compenſare 14. aut 15. aureis id, quod ad æqualitatem arbitrio boni viri compenſaretur 12. Dubio autem 4. *in principio*, de Prælatis generaliter loquens ad doctrinam præfatam ſe remittit. Debent ergo eſſe retributiones pauperum, quos gratitudo non obligat ad ſuperabundantem largitionem, ſed ad officia illorum ſtatui propria, quæ ad orationes, & ſacrificia frequentiùs reduci ſolent, & alia ſpiritualis ordinis, quæ temporalibus beneficiis acceptis ſunt incomparabiliter pretioſiora. Et de temporalibus accedere aliquid poterit, quod poſſit cum ædificatione componi. His addo, cùm Proreges, aut viri principes gubernationi præfecti, aliquid in vtilitatem Religioſorum præſtant, non donare de ſuis metipſorum bonis, ſed gratiam aliquam eorum facere, quæ adminiſtrant, & cum bona Regis venia poſſunt illis, excluſis aliis, applicari. Vel fauore aliquo eos proſequendo, ex quo emolumentum ſequi poſſit. Cùm ergo de ſuis non tribuant, non reſultat ex tali beneficio obligatio, vt Religioſi de ſuis debeant pretioſas largitiones cumulare. Præterquam quod qui illas communiter faciunt, non Religionis vtilitatem, aut honeſtum aliquem, ac Religioſo ſtatu dignū reſpectum præſeferunt, ſed quem ipſi ſciunt, & Deus, qui non irridetur, iuxta Apoſtoli monitionem.

Beneficiarij ſi ſint, an plus aliquid liceat pro quo quid ſauent.

38 Dici vlteriùs poteſt ſic largientem eſſe Beneficiarium, habentem ſcilicet animarum curam, ſeu Doctrinam, quam vocant, & ita habere liberam emolumentorum Beneficialium adminiſtrationem; tales autem poſſe cumulatiùs donare, nec poſſe illis vllam fieri reſtrictionem, vt loquitur P. Molina *Diſput. citata* §. *Religioſus*, in fine iuxta doctrinam Nauarri in *Cap. Non dicatis num.* 9. *& ſeqq.* & poterat etiam citare illum in *Commentario* 2. *de Regularibus num.* 10. *&* 11. *Tractatu de Redditibus Eccleſiaſticis Quæſt.* 3. *Monito* 25. *& in Conſilio* 70. *de Regularibus.* Fauetque *Clement.* 2. *de Regularibus.* §. *Sed & valet*, de vita & honeſt. Clericor. vbi ſtatuitur differentia inter Regularem ſimplicem, & Beneficiarium, quòd hic abſque facultate Superioris poſſit immediatè in opera pia impendere, non tamen ille.

Non poſſe reſoluitur, quia circa pia tantum illius facultas.

39 Verùm ex hoc ipſo, quod in Clementinâ dicitur, facilè intelligi poteſt non eſſe exactam reſponſionem. Nam talis Beneficiarius in opera pia debet impendere: Atqui ea, de quibus agimus, talia non ſunt, neque quoad ſubſtantiam, neque quoad modum, cùm in eis ædificationis vmbra non appareat, neque in bonum aliquod Beneficialis Eccleſiæ, aut Religionis dirigatur. Et opera debere eſſe pia omnes Doctores tradunt, ex quibus plures adducit P. Sancius *Lib.* 2. *Conſiliorum Cap.* 38. ex quo Cardinalis Lugo *Diſput.* 4. *de Iuſtitia num.* 9. alios accumulans & P. Molina *ſuperiùs* adductus idem affirmat. Pro quo & videndus P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 4. *num.* 47. & quia Religioſus non habet dominium eorum, quæ largitur, cùm non acquirat ſibi, ſed Eccleſiæ aut monaſterio, iuxta receptiſſimam ſententiam: inde habetur obligari eum, qui recipit, ad reſtitutionem: quòd ſi ille non reſtituat, tenetur ipſe reſtituere de iis, quæ ad congruam poteſt ſuſtentationem aſſumere. Quæ omnia ſunt explorata iuxta communes regulas de reſtitutionis obligatione. Quamuis P. Wadingus *Tractatu de Contractibus Diſput.* 2. *Dub.* 3. §. 2. *n.* 11. affirmet probabile eſſe donationes eſſe validas, non obſtante defectu dominij: quia eiecti à Religione dominio carent; & tamen validè, licet illicitè, donant, iuxta ſatis probabilem ſententiam. Quod fundamentum eſt ſatis debile, quia Religio de eiectis non curat, ſed velut extraneos reputat: vnde omne ius circa eorum frequentes donationes videtur abdicaſſe. Pro quo videndus P. Molina *ſuprà* §. *Quoad cæteros* & P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 41. *num.* 113. Non ita in Beneficiariis, quos oportet eſſe lectiſſimos: vnde ſententia P. Wadingi non videtur admittenda, ſtante in contrarium agmine Theologorum ac Iuriſperitorum: & quod de eiectis dicitur, negant plures, vt videri poteſt apud P. Palaum ſic tenentem *Diſput.* 2. *de Iuſt. commutat. P.* 22. §. 3. & Thomam à Iesv in Cap. *Non dicatis* Parte 2. Cap. 7. Dub. 7. & Parte 3. Cap. 2.

Circa modum reſtitutionis vide Nauarram Libro 3. Cap. 1. num. 201.

Singularis ſententia P. VVadingi, defectû dominij non obſtare donationi, refellitur.

Licentiùs loquitur Thomas Hurtadus Tract 8. cit. n. 912.

40 Quòd ſi in caſu aliquo expedire contingat bono Eccleſiæ aut Religionis, donum aliquod pretioſum dilargiri, quod diuino cultui aptè deſeruire nequeat, & ſaluâ ædificatione donetur, non erit in eo lethale peccatum, neque reſtitutionis obligatio. Quod probatur ex communi doctrina, de qua diximus *num.* 33. quantitatem ſcilicet donationis arbitrio prudentis Prælati relinqui. Cùm ergo in caſu, de quo loquimur, poſſit, qui diſpoſitionem habet bonorum, de conuenientiâ talis muneris prudenter iudicare

Digitized by Google

dicare; non videtur in largitione eius lethale crimen admiſceri.

Aſſertio 8. peccare lethaliter accipientem, licet ſit nō obligari ad reſtitutionem.

41 Dico octauò. Etiamſi ponamus accipientem donum Religioſi, non eſſe obligatum ad reſtitutionem, peccat tamen mortaliter, illud recipiendo. Sic Corduba, Silueſter, & Nauarrus, quos adducit & ſequitur P. Sancius *dub.* 38. *citato n.* 14. Ratio eſt clara; quia cooperatur peccato mortali alterius, quod juxta irrefragabilem fidei doctrinam peccatum etiam mortale eſt.

Oppoſitum fundare nititur Cardinalis Lugo.

42 Sed oppoſitum videtur tenere Cardinalis Lugo *Diſput.* 4. *de Iuſtitia*, *num.* 49. & 50. dum probat ex eo quòd actio ſit mala in donante, non ſequi acceptationem etiam talem eſſe in accipiente, cùm non ſit cooperatio ad illam, ſed effectus ex eâ ſecutus, dum quis vtitur jure ſuo; neque enim charitas vel iuſtitia poſtulat, vt quis negligat ſuum commodum, etiamſi inde ſequatur tantumdem damni reſpectu alterius, ad quem res, quæ datur, debebat peruenire. Pro quo ingenioſè diſcurrit. Non videtur autem aſſertiuè procedere, quia tantùm ait non videri facilè damnandos, qui oblata accipiunt: pro quorum defenſione ſubdit rationes, quæ tamen non videntur vrgere: eò enim tendunt, vt oſtendant ibi non eſſe cooperationem: quia quidquid ad donationem ſpectat, & voluntatem, à quâ procedit, ex parte donantis ſe habet, & omnino præcedit. Non eſſe autem hoc, vt ille exiſtimat, ex eo probo: Nam quando aliquis donat, non perficitur donatio, donec alius voluntatem accipiendi manifeſtet; vnde ſi renuat, nulla eſt: poſitâ autem tali manifeſtatione, tunc in donante eſt actus, quo velit donationem perficere, qui eſt malus, ſicut præcedens: Atqui ad hunc actum cooperatur accipiens, quia illum præcedit voluntas accipiendi, & ad ipſum mouet: ergo eſt cooperatio manifeſta in ordine ad illum. Licèt ergo ſententia dicta videatur ſpeculatiuè probabilis, ſeu pro raro aliquo caſu, quam & abſolutè probabilem affirmat Diana *Tract.* 6. *citato Reſolut.* 134. re tamen verâ quoad communem praxim talis non eſt, cùm modus donandi vſitatus is ſit, quem aſſignauimus. Videantur dicta *Titulo* 1. *n.* 146.

Contra quem inſurgitur.

CAPVT V.

An Proreges Indici vendere officia ſine lethali culpâ poſſint.

43 NOn agimus in caſu, quo Regis nomine venditio fiat; de hoc enim jam dictum *Titulo* 1. *Cap.* 16. Sed de eâ, cuius emolumentum ad Proregem ipſum ſpectat, qui ſine ſpeciali adhoc licentiâ procedit. Circa quod

Aſſertio 1. Proreges nō poſſe officia vendere.

Dico primò. Proreges nequeunt officia vendere. Sic P. Thomas Sancius *lib.* 2. *Conſiliorum*, *cap.* 1. *dub.* 38. *num.* 18. & *dub.* 56. apud quem Paulus de Caſtro, Segura, Sotus, Molina Iuriſconſultus, Corduba, Padilla, qui generaliter loquuntur quando alicui committitur facultas eligendi aliquem ex multis ad officium, ſeu beneficium. In ſpeciali autem de officiis publicis loquens idem tradit *Capite illo* 38. *num.* 3. quatenùs id negat Dominis Titularibus, ſeu Vaſallorum, ſi officia habeant juriſdictionem, ſeu juſtitiæ adminiſtrationem, vt Prætorum, Tabellionum, Alguacellorum, Decurionum, ſeu Senatorum Vrbanorum qui vulgò dicuntur *Rectores*, quorum munus Decurionatui veteri correſpondet. Admittit autem de iis, quæ adminiſtrationem juſtitiæ non concernunt, vt officia præconis, janitoris, cuſtodis carcerum, Præfecti curſorum, &c. quia illorum domini non ſunt, benè tamen iſtorum: vnde quia Prætores non ſunt eorum domini, nequeunt illa vendere. Pro quo quamplures alios accumulat. Et ex eo manifeſtè ſequitur Proreges nulla vendere officia poſſe, quia illorum domini non ſunt. Magis in ſpecie id tenet Salon 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 2. *Controu.* 8. *in reſponſione ad ſecundum argumentum*. P. Ferdinandus de Mendoza in particulari Tractatu de hac quæſtione ad Comitem de Lemos Neapolitanum Proregem, cuius erat Confeſſarius, & poſtea Cuſcenſis Epiſcopus in Peruuio, *Dub.* 1. Diana *Parte* 6. *Tractat.* 6. *Reſolut.* 3. & alii. Affirmat autem Illuſtriſſimus Mendoza doctrinam hanc adeò eſſe certam & exploratam, vt nullus illam Doctorum neget, vel de ipſa addubitet. Idem expreſſè tenet Cardinalis Lugo *Diſput.* 34. *de Iuſtitia*, *num.* 31. vbi licèt Proreges non exprimat, loquitur tamen de Miniſtro publico, qui diſpenſator eſt officiorum loco Principis conſtitutus, quales conſtat eſſe Proreges. Vnde immeritò pro contraria ſententia allegabitur ex doctrina quadam, quam habet, *num.* 37. & de quâ inferiùs. Probatur

Illius certitudo.

Probatio 1. quia Rex non vendit, quorū loco gubernant.

44 Primò. Quia Proreges, vt nomen eorum præ ſe fert, & vſus ipſe confirmat ac titulus aſſignationis, loco Regis ad gubernandum aſſumuntur, vt ſcilicet id faciant, & eo modo, quo ipſe faceret, ſi per ſeipſum gubernaret; iis exceptis, quæ Regi apertè, aut veroſimiliter reſeruantur, vt eſt manifeſtum: Atqui Rex ipſe officia non vendit, de quibus agimus, neque venderet, ſi per ſe gubernaret, vt conſtat ex eo quòd illa in Hiſpaniâ non vendat, neque de eorum venditione in Indiis vnquam cogitauit, ob propriæ vtilitatis reſpectum: ſed liberalem eſſe voluerit deſignationem: ergo euidens eſt non eſſe ſuæ intentionis vt ea Proreges vendant intuitu ſuæ propriæ commoditatis. Et quidem ſi Proreges ita venderent vt lucrum Regi vellent applicari, venditio eſſet illicita ob defectum poteſtatis; ergo multò magis quando in illa ſolus auaritiæ reſpectus intercedit.

Notanda inſtantia.

2. Quia in venditione nihil habet quod ſit ſuum.

45 Secundò. In venditione officii nihil habet Prorex, quod ſit ſuum: ergo licita nequit eſſe venditio. Conſequentia eſt clara; quia cùm vendat nomine ſuo, & non Regis, vt vidimus, aliquid debet eſſe quod ſit ſuum, cùm vendere nequeat alienum, niſi ex beneplacito domini; quod non extare jam conſtat: præter beneplacitum enim Regis, nullius alterius fingi poteſt: ad beneplacitum enim Reipublicæ nequit, niſi inſanè, recurri: cùm præſertim liqueat Reipublicæ valdè hoc pernicioſum accidere, nec ſit credibile illam in ſui perniciem conſentire. Antecedens autem eſt etiam manifeſtum: nam officium non eſt de Proregis dominio, quia nullius rei dominus conſtituitur ex iis, quæ ad eius munus ſpectant, niſi ſalarii pro labore circa illud, & ſolas

Regis

Digitized by Google

Regis habet vices: præter officium autem nihil eſt, quod vendi poſſit titulo Suitatis. Vnde qui emit, pro officio & non pro re alia pretium ſoluit. Quemadmodùm cùm à Rege officium emitur, illud, & non aliud, emi dicitur, neque alia eſt ementis intentio.

Actionem eligendi poſſe vendi reſponſio obuia.

46 Dices ex Cardinali Lugo, licèt officium non ſit de dominio, & ita illud vendi nequeat, poſſe tamen vendi actionem eligendi, cuius ſunt domini ii, ad quos electio ſpectat, & eſt vtilis ementi, vnde & pretio æſtimabilis.

Contra quam va lidiſſimè arguitur.

Sed in primis doctrina iſta non proponitur à citato Scriptore, vt ex eâ debeat licita venditio cenſeri. Sed vt non inducas obligationem reſtitutionis: eſſe enim illicitam jam vidimus illum affirmare. Deinde, illa non eſt penitus admittenda: nam actio eligendi non eſt pretio æſtimabilis in genere juſtitiæ, licèt ad illam non teneatur eligens in particulari reſpectu huius, & ſic dici dominus illius poſſit: quod ſic oſtendo; quia ſi eſſet pretio æſtimabilis, cùm res venditur, deberet valor illius cum valore rei ipſius computari, & ita pluris vendi, vt eſt manifeſtum: nam valor valori additus valorem auget: Atqui non computatur, vt conſtat ex communi vſu: nam res determinatum habent pretium independenter penitus ab hoc reſpectu: vnde etiam qui ea, quæ ſua ſunt, vendit, nequit pluris vendere ex eo quòd vni potiùs, quàm alteri vendat; ſola enim attenditur rei vtilitas, juxta communem æſtimationem. Pone quempiam habere rem aliquam venditioni expoſitam valoris vt decem; ſi duo accedant empturi, ex eo quòd vni potiùs quàm alteri eam vendat, non poteſt pretium augere; aliàs ſi offerente vno ex iis pluſquàm decem, accedat alius, & plus eo offerat, poterit eam ſic vendere, etſi ante perfectum contractum alius aduenіat plus item offerens, poterit ſimiliter pluris vendi, & ſic de aliis; ex quo fiet determinatum pretium à lege vel conſuetudine non habere, attentâ illius vtilitate. Actio ergo electionis etſi liberalis ſit, & reſpectu illius ſit dominus is, qui eligit, in materiâ eſt amicitiæ aut liberalitatis, vnde debitum alterius generis illi reſpondet. Sicut modico propter pretium curanti, ſed cum ſpeciali beneuolentiâ erga infirmum, & merces debetur & gratitudo, & ſic aliis. Quæ ratio, ſicut & præcedens, videtur euidens, vt nequeat quis ſanè ſentiens in hac luce ceſpitare.

3. Ex diſtribuente bona ab aliquo relicta.

47 Tertiò. Quando aliquis relinquit bona diſtribuenda ab alio, cui electionem eorum, quibus ſunt diſtribuenda, committit, propter actionem electionis nequit pretium aliquod accipere: ergo ſimiliter in officiis.

Card. Lugo reſponſio.

Dices ex Cardinali Lugo *num.* 35. voluntatem teſtatoris eſſe vt det gratis, quia bona illa in eorum gratiam & non diſtribuentis, relinquuntur; vnde ſi non dat, non ſatisfacit debito juſtitiæ, cùm non det aſſignatam valoris quantitatem, id enim, quod pro electione accipit, minus habet electus, & ita non impletur voluntas teſtatoris vel aliter diſponentis.

Non ſatisfacit.

48 Sed contrà. Nam ibidem doctus Magiſter admittit venditionem eſſe illicitam. Præterea, non fit ſatis argumento; nam etiamſi teſtator dicat vt detur talis valoris quantitas, non tollitur quin actio eligendi ſit pretio æſtimabilis, cùm ſit valde vtilis electo, juxta doctrinam eiuſdem, de quâ *nuper:* ergo deſignatio non obſtat quo minùs aliquid pro electione accipi poſſit; vnde & ſi minùs aliquid ſit habiturus, id erit conſequens ad talem modum diſpoſitionis, in quâ ſi voluerit eligens ſuo jure vti, nihil faciet contrarium diſponentis voluntati: ſi autem liberalitate vti, vt communiter ſperant teſtatores, integra quantitas tribuetur. Aliunde ergo deduci debet talis iniuſtitia diſtributionis, ex eo ſcilicet quòd pro electione nihil accipi poteſt, quod eſt ſtatutum in *L. vnum ex familia D. de legatis* 2. §. *Si de Falcidia, &* §. *Sed etſi fundum*, & ita omnes ibidem Repetentes affirmant. Item, Rex etiam vult vt officia gratis ad eos deueniant, pro quorum electione conſtituit diſpenſatorem: ergo eſt eadem ratio. Antecedens oſtendo tum ex dictis, *num.* 44. & 45. tum etiam quia ſi conſtiterit Proregem aliquem tale quidpiam perpetraſſe; grauiſſimum crimen habetur, vnde & pœna competens irrogatur: voluntas autem legiſlatoris ex pœnæ irrogatiore cognoſcitur, & inde eſt nundinationes iſtas occultè fieri: licèt nihil occultum, quod non reueletur: pro quo id certiſſimum, quod ſcribit illuſtriſſimus Mendoza *ſuprà dub.* 3. & videri poteſt apud Dianam *Reſolut.* 1. tum circa Regis voluntatem, tum circa ſecretum, quod rebus in iſtis accuratur. Quæ ratio etiam eſt euidens, ſicut præcedentes.

Iuxta eandem vrgetur.

Aſſertio 2. obligationē eſſe reſtitutionis.

49 Dico ſecundò. Acceptum ex venditione dictâ debet in foro conſcientiæ reſtitui. Sic citati. Quod & rationes adductæ conuincunt.

Aſſertio 3. In officijs pro Indis ſpecialem eſſe rationem.

Dico tertiò. In officiis Indicis ſpecialiſſima eſt ratio, vt nequeant vendi quæ ad gubernationem Indorum ſpectant, propter dicta *Titulo* 1. *num.* 169. Vt autem appareat non eſſe alicuius ponderis id, quod dicitur de actione eligendi, quæ ſola vendatur, & non ipſum officium, expendendum eſt: quòd ſi illa ſola venderetur, officium ipſum daretur gratis, & ita pro actione eligendi moderatum tantùm aliquid, quod cum eâ gratuitâ donatione poſſet conſiſtere, tribueretur: Atqui non ita ſe res habet: nam pro adeptione officii dantur ingentes quantitates, vt loco citato dictum; nec minores quàm ſi officium publicè exponeretur venditioni: ergò ridiculum eſt aſſerere officium gratis dari, & ſolam vendi actionem electionis.

Aſſertio 4. non obſtare confictum titulū, quo venditio palliatur.

50 Dico quartò. Prædicta procedunt, etiamſi officia non dentur titulo venditionis, ſed quaſi liberalis cuiuſdam oblationis, aut reſpectu gratitudinis, ab iis factæ, qui ea conſequi deſiderant: nam id tantùm eſt velle iniuſtitiam, & nundinationem turpem, quæ reipſa extat, honeſtis vmbraculis palliare. Datur pretium pro re aliter non tradendâ, quod is, qui dat, neutiquam aliàs largiretur, & plus præ aliis danti, quod efficaciter extorquetur. Et quid aliud vendere eſt, quid emere? Venditio quidem eſt pactio mercis pro pretio, & emptio eſt pactio pretii pro merce, juxta *L.* 1. *π. de contrahendâ emptione.* Vbi mercis nomine quidquid eſt pecuniâ æſtimabile deſignatur, vt omnes explicant. Quod totum in caſu noſtro cernitur: nam & pactio præcedit, & officium eſt pecuniâ æſtimabile, & pretium pro eo datur: ergo venditur, & emitur; quidquid auaritia

Emptio & venditio quid.

auaritia pro honeſtando quæſtu turpiſſimo honeſtis nominibus moliatur. Demus autem non eſſe venditionem: at officia non dantur gratis, ſed pretio accepto, & id pro re, quæ non eſt de dominio dantis, cuius nec actio eligendi eſt pretio æſtimabilis, contra officii proprii rationem, juxta quod Regis perſonam ſine pretio tradentis officia, repræſentat, pro quo & eſt illius voluntas penitus explorata: ergo non licet huiuſmodi contrahendi ratio, & onus reſtitutionis importat, quocumque nomine veſtiatur. Hinc ſequitur nec poſſe officia ſuis familiaribus vel aulicis dare, vt ea ipſi vendant: in quo & dantes & accipientes grauiſſimè peccant, & ſupra ſe onus reſtitutionis aſſumunt, & eſt hoc malum vſu frequentiſſimum.

Malū frequens in hoc genere.

CAPVT VI.

Proreges an peccent ab aliis ſtatuta mutantes.

Aſſertio 1. frequenter in mutationibus graue eſſe peccatum.

51 DIco primò. Frequenter in hoc graue peccatum admitti, dum ex æmulatione durâ anteceſſorum, dura inquam ſicut infernus, juxta illud *Cant.* 8. *verſ.* 6. *Dura ſicut infernus æmulatio*, multa euertunt benè ab illis conſtituta pro publicâ vtilitate. In hoc enim ſicut graue eſſe detrimentum poteſt, ita & graue delictum. Pro quo videnda, quæ adducit Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 69. *& ſeqq. Lib.* 2. *cap.* 27. *numer.* 76. *& ſeqq. Cap.* 30. *num.* 99. *& ſeqq. Lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 33. *& ſeqq.* & locis correſpondentibus in Politicâ, præſertim *Pag.* 866. *Col.* 1. in quibus eruditionis multùm, ſi velint, qui terram iudicant, erudiri, juxta Regii vatis monitum, *Pſalm.* 2. *v.* 10. Vbi allegari nequit parem in illis eſſe poteſtatem, nec anteceſſores eorum manus ligare potuiſſe. Contra hoc enim ſtat, etiam cùm par eſt poteſtas, in eorum mutatione, quæ ſunt pro communi vtilitate ſtatuta, peccari. Vnde Pontifices ſummi, qui omnium ſupremâ auctoritate præcellunt, & nullis prædeceſſorum ſtatutis ligantur, ea mutare nequeunt, quando Chriſtianæ Reipublicæ commoda comprobantur, ſine graui conſcientiæ reatu, quidquid de validitate mutationis fuerit. Pro quo ita loquitur S. Hilarus Pontifex (al. Hilarius) *in Cap. Nulli*, 25. *Quæſt.* 1. *Nulli fas ſit ſine ſtatus ſui periculo, vel diuinas Conſtitutiones, vel Apoſtolicæ Sedis decreta temerare; quia Nos, qui potentiſſimi Sacerdotis adminiſtramus officia, talis tranſgreſſionis culpa reſpiciet.* Et Diuus Gregorius Magnus *Lib.* 12. *Regiſtri Epiſtol.* 31. & habetur in Cap. *Si ea*, *Quæſt.* 2. *Cauſâ citatâ*, ita ſcribit: *Si ea deſtruerem, quæ Anteceſſores noſtri ſtatuerunt, non conſtructor, ſed euerſor eſſe, juſtè comprobarer, teſtante Veritatis voce* (Lucæ 11.) *quæ ait: Omne regnum in ſe ipſo diuiſum, non ſtabit; & omnis ſcientia & lex aduerſum ſe diuiſa deſtruetur.* Sic ille. Nec prætereunda alia eiuſdem ſententia citatis *Cauſâ & Quæſt.* adducta, in Cap. *Inſtitutionis*, & ſic habet poſt alia: *Nimis eſt aſperum, & præcipuè bonis Sacerdotum moribus inimicum: niſi quempiam, quantacumque rationis excuſatione, quæ benè ſunt ordinata, reſcindere, & exemplo docere cæteros, ſua quandoque poſſe inſtituta diſſoluere.* Hæc ille: qui dum præcipuè Sacerdotum moribus inimicam pronuntiat mutationem, ad alios etiam ſignificat mutationem talium incommoda pertinere: vt & Proreges caueant, nec leuitate, aut præſumptione, ſiue æmulationis imperio, ad euertenda, quæ benè ſunt inſtituta, procedant.

Poſſunt & in eo genere peccare Pontifices.

S. Hilarus Papa.

D. Gregor. Magnus.

Aſſertio 2. Proreges Indicos ſpecialius obligari.

52 Dico ſecundò. Proreges Indici ad præfata ſpecialiùs obligantur. Id oſtenditur: nam in conuerſione huius noui mundi adhuc ſumus, ad quam omnia alia, quæ in illo aguntur, debent ſicut ad finem præcipuum deſtinari: Atqui ad hoc ſatis incommoda eſt variatio dicta: ergo nequit ſine peccati labe perpetrari. Maior eſt certiſſima, & Minor oſtenditur: nam ædificando paſſim, & deſtruendo, nihil firmum relinquitur, ſupra quod ſpirituale poſſit ædificium aſſurgere; & qui gubernationi ſpirituali juxta curam ab Apoſtolicâ Sede commiſſam, inprimis debent attendere, huiuſmodi mutationibus ſuperuacuis diſtinentur. Pro quo eſt Diui Pauli doctrina, 1. *Cor.* 3. *verſ* 3. ſic ſcribentis. *Cùm enim ſit inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis?* Vbi ergo ob zelum & contentionem benè diſpoſita reiiciuntur, & ſic agentes carnales ſunt, ſpirituale nequit negotium promoueri. Et de eo quidem loquebatur Apoſtolus, Corinthios admonens eo pacto negotium fidei nimiùm quantùm impediri. Vnde & *v.* 1. ſic præmiſerat. *Et ego fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus*; ſubdit poſteà *verſ.* 9. *Dei enim ſumus adiutores: Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis.* Vbi terra crebris mutationibus quatitur, nequeunt ſemina cum ſpe fructûs aliquali committi. Cùm in ædificio factis infecta ſuccedunt, id accidit, quod à Siracide dictum, *Eccli.* 34. *verſ.* 28. *Vnus ædificans, & vnus deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor?* Fatendum ergo eſt mutationes dictas nimis incommodare cauſæ conuerſionis: & zelum carnalem, de quo Apoſtolus, zelo fidei & Religionis valde eſſe contrarium: ille durus, ſicut infernus damnationis & perditionis regioni infeliciſſimæ deſtinatus: hic ſicut cœlum, Dei gloriæ propagandæ ſemper intentum, vt Dauid Clamat: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum*, *Pſalm.* 18. Circa hoc autem nequit ad particularia deſcendi, in quibus eſt juxta occurrentes circumſtantias judicandum; eas prouidi Confeſſarii diſpiciant, & pœnitẽtes ſuos ne vereantur ſeriò & intelligibiliter admonere.

1. Cor. 3. v. 3.

v. 1. Ibid.

v. 9.

Eccli. 34. v. 28.

Zelus carnalis zelo fidei contrarius.

CAPVT VII.

Vt debeant Indici Proreges Regiorum Auditorum conſilium adhibere.

Aſſertio 1. conſulendos Auditores, cùm res exigit.

53 DIco primò. Debere quoties res exigit, eò quòd momenti magni ſit, nec ſine conſilio poſſit conuenienter expediri. Et de conſilio adhibendo res eſt clara: quòd autem Auditorum, ex eo oſtenditur, quia tales à Rege ſunt eidem Conſiliarii deſignati, vnde & de Conſilio Regis eſſe dicuntur: pro quo & extant Regia mandata in eorum inſtructionibus,

Digitized by Google

ctionibus, de quibus Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 4. *Cap.* 3. *num.* 38. & *Cap.* 9. *num.* 37. & in Politicâ *pag.* 767. & 866. Vnde & ipſe *Lib.* 2. *Cap.* 7. *num.* 50. & in Politicâ *pag.* 302. *Col.* 2. cum Matienzo in *l.* 5. *Recopilat. Titulo* 10. *Leg.* 5. *Gloſſa* 1. præceptum circa hoc agnoſcit, de quo non videtur eſſe poſſe dubitatio.

Aſſertio 2. Omiſſio mortalis ex genere ſuo.

54 Dicò ſecundò. Peccatum in caſu dicto mortale eſt ex genere ſuo. Probatur, quia ſe exponere errandi periculo in negotio graui ad bonum commune ſpectante, aut etiam priuati alicuius, ad curam eius, qui deliberat, pertinentis, graue peccatum eſt: periculi enim & damni, cuius eſt periculum, eadem ratio eſt; vnde communiter Theologi eum peccare mortaliter affirmant, qui aliquid agit, aut omittit, dubitans an mortale peccatum ſit, eò quòd ſe periculo exponat mortaliter peccandi. Pro quo videri poteſt Diuus Thomas *Quodlibeto* 8. *Artic.* 13. P. Thomas Sancius in *Opere morali Lib.* 1. *Cap.* 10. *num.* 6. Sayrus *Libr.* 1. *Cap.* 13. *num.* 3. & alij paſſim, qui rationem dictam reddunt, quòd ſcilicet ſe quis periculo exponat faciendi id, quod eſt mortale peccatum. Præterquam quod peccatum ipſum mortale reipſa vult, qui operatur dubius: nam ſic velle operari, idem eſt ac velle tale quid facere, etiamſi mortale peccatum ſit; quod non poteſt non eſſe grauis Dei offenſa. Quemadmodum ſi quis dubitans aliquem eſſe regem, iniuriam inferret ipſi, abſque dubio Regis eſſet iniuria: vult enim iniuriam irrogare illi, etiamſi rex ſit: quod quidem ſi rex ſciret, meritò grauis inflictione ſupplicij vindicaret. Pariter ergo in caſu noſtro, ſe periculo errandi exponere in re momenti magni, grauis damni voluntas eſt, dum amatur periculum: perinde enim eſt ac ſi dicat, qui conſilium adhibere detrectat: Sic volo etiamſi graue damnum ex conſilij repulſione ſequatur; vnde & damni ipſius voluntas intercedit.

Dubiū de mortali vnde peccare mortaliter cōſtat.

Se ſibi ſufficere præſumptuoſa reſponſio, contra quam alia.

55 Quòd ſi dicat ſe ſibi ad deliberandum ſufficere; id profectò magna præſumptio eſt. Et prætereà contra ſuppoſitionem, ſub quâ procedit Aſſertio; quòd ſcilicet res ſine conſilio nequeat conuenienter expediri. Et quidem eo ipſo quòd magni momenti ſit, ita debet iudicari, niſi quis temerè agere ac præcipitanter velit: quod ſine graui ſtare peccato nequit, niſi ignorantia excuſet, quæ in Gubernatore ſupremo, & poſt experientiam ſufficientiæ ad tale munus electo, nequit accidere, & ita nullatenus admittenda. Alios autem præter Regios Auditores, iis reiectis, conſulere, nequit ſine graui ſtare eorumdem iniuriâ, qui in re maximè propriâ officij, quòd à Rege eſt ipſis attributum, parui penduntur, & minùs idonei ad illud iudicantur. Immò & Rex ipſe videtur paruipendi, qui illos ad tale munus cooptauit. Ex quo etiam fiet, vt illi in contemptum populi veniant: quod præter ipſorum dedecus, grauia alia adducit incommoda, præſertim in Indiis, vbi valde expedit eos in veneratione haberi: circa quæ eſt facilè diſcurriſſe.

Aſſertio 3. In negotiis iuſtitiæ ad plura tenetur ſuffragia.

56 Dico tertiò. Prorex in negotiis iuſtitiæ tenetur maiorem ſuffragiorum partem amplecti, quando ad illum etiam cognitio cauſſæ ſpectat, & non ſunt tantùm ſuffragia conſultiua. Id conſtat: quia eſt iuxta ſtylum lege firmatum in Regiis Cancellariis, vt iuxta maiorem ſuffragiorum partem iudicetur, non attentâ ſuffragantium qualitate: quamuis contingere poſſit, vt minor pars præferenda aliàs videatur, eò quòd in illa viri ſint prudentiâ & doctrinâ præſtantes, atque exploratiſſimæ probitatis.

Aſſertio 4. Non ita in negotiis ſtatûs.

57 Dico quartò. In negotiis ſtatûs non tenetur Prorex cum maiore ſuffragiorum numero conſentire. Probatur. Quia in eo non videtur ita ſtylus præualuiſſe. Et prætereà negotia iſta non tam ex iuriſprudentiæ peritiâ, & forenſi praxi, quàm ex prudentiâ, experientiâ, & boni publici zelo dependent: ergo cùm in minori ſuffragantium parte poſſit hoc eum exceſſu ad maiorem reperiri; meritò poterit Prorex eidem ſuum aſſenſum applicare.

Aſſertio 5. Neque belli.

58 Dico quintò. Idem dicendum eſt in negotiis belli, ob ſimilem rationem.

Fit ſatis obiectioni ex Regio reſcripto deſumptâ.

Sed obiicies Regium Reſcriptum *Anni* 1593. in quo Proregi mandatur, vt ſi negotium non patiatur dilationem, teneatur Maieſtati Regis reddere rationem, cur non expediat maiori ſuffragiorum parti conformari, quam regulariter ſequi debet in negotiis ſtatûs, belli, & iuſtitiæ. Ad quod reſpondeo, quoad iuſtitiam ita eſſe in caſibus dictis: quoad alia item ceteris paribus; ſi videlicet Auditores tantæ ſufficientiæ ſint, vt inter eos vix poſſit exceſſus deprehendi; quod regulariter debet contingere, ſi tales eligantur à Rege, quales pro huiuſmodi muneribus exiguntur; & ita regulariter, etiam ad plura ſuffragia decerni; quod quando ſecùs acciderit, ea eſt ratio reddenda, quæ non poteſt non Regi, & Regiis Conſiliariis ſatis conueniens, immò & vrgens iudicari.

CAPVT VIII.

Proreges Indici quomodò debeant Regios Miniſtros honorare.

Honorādos à Prorege Senatores iuxta conſcientiæ obligationem.

59 QVòd debeant, & ad id obligatione conſcientiæ teneantur, nequit in dubium reuocari. Primarium enim & honorabilius eorum gremium eſt, in quo & Proreges ipſi præſident, & ſic honoris conſortio potiuntur. Vnde Athelaricus rex Romano Senatui ita ſcribit Caſſiodori manu & verbis *Lib.* 8. 11. *Retinetis, me Senatûs ſemper fouiſſe cœtum ſed nunc maximè, cùm veſtrum videor intrare Collegium.* Sic ille: qui tandem ita reſcriptum claudit. *Intereſt noſtræ gloriæ, vt quorum numerum auximus, eos propitiâ diuinitate tueamur.* Hæc ille. Pro quo & extat Regium reſcriptum, de quo Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 9. *num.* 42. & in Politicâ *pag.* 867. §. *Y tambien.* Circa gradum autem obligationis eſſe quæſtio poteſt, pro quo

Caſſiodorus.

Aſſertio 1. In defectu poſſe mortaliter peccare.

60 Dico primò. Proreges ſic debent Regios Miniſtros, & Togatos præ aliis honorare, vt ex honoris defectu poſſint lethalibus piaculis innodari. Indubitata eſt doctrina ex obligatione iuſtitiæ, quæ ſe ad honoris materiam extendit, vt omnes Theologi conteſtantur. Pro quo præſertim Societatis Scriptores, plurimi ſanè, qui rem exactè diſcutiunt, & ex iis videri poſſunt, qui

Digitized by Google

præceſſerunt præclari duces P. Molina *Tomo* 5. *Diſput.* 1. *& ſequenti.* & *Diſput.* 19. vbi ſpecialiter lethalem culpam in hoc genere occurrentem exponit: ſicut & *Diſput.* 26. vbi contumeliam, quæ generaliter actionem ſignificat honori contrariam, grauius peccatum eſſe ait detractione à tergo factâ. Et præterea P. Leſſius *Libr.* 2. *Cap.* 11. *Dubit.* 27. Quibus accenſendus, inter primarios quidem numerandus Cardinalis Lugo *Diſp.* 1. *de Iuſtitia num.* 25. *Diſput.* 14. *Sect.* 11. Ex quibus & aliis conſtat Superiores etiam inhonorantes eos qui inferiores ſunt, grauiter peccare poſſe: vnde & de modo reſtitutionis inquirunt, & varios pro eôdem aſſignant.

Aſſertio 2. Regula ad grauitatē peccati dignoſcendā.

61 Dico ſecundò. Circa hoc ea eſſe regula poteſt, vt tunc graue peccatum reputari debeat, quando attentis circumſtantiis contemptus eſt notabilis, & qui poteſt in dehonorato grauem dolorem excitare, ad amicitiæ diſſolutionem ſufficientem. Et poteſt vlteriùs declarari ex doctrina P. Molinæ *Diſput.* 19. *citatâ numer.* 1. vbi obſeruat contumeliam grauius peccatum eſſe furto, quia damnum infert in bonis maioris apud homines æſtimationis. Sicut ergo in materia furti grauiter peccatur ablatione eius quantitatis, quā Doctores diuerſimodè aſſignant, vt non ſit neceſſarium eſſe exceſſiuam, ſed quæ damnum non leue, dum aufertur, inducat: ita cum proportione de inhonoratione philoſophandum; in quo tamen nequit determinatum aliquid deſignari; vnde ad prudentium eſt arbitrium in caſibus particularibus reuocandum. Illud addendo, ex qualitate perſonarum inhonorationem augeri, & minui; vnde cùm Miniſtri Regij, Togati præſertim, viri primores ſint, eorum inhonoratio grauis eſſe poterit ex actione, quæ erga alios leuis poſſet iudicari.

Caſus ſpecialis, circa quem inquiritur.

62 Iuxta quæ id poteſt in quæſtionem venire, quod in hac Regum Ciuitate ante annos non multos accidit. In publicâ enim ſupplicatione procedens Prorex Regij Senatûs comitatu, cùm vidiſſet duos ex Auditoribus, quorum alter ex equeſtri erat Diui Iacobi Ordine, communi galero vtentes, & non honorario, ſericô inquam, plicis, & circumligamine curioſiùs concinnato, eos in ipſô maiori foro, ſpectante multitudine, recedere iuſſit, & comminatione coëgit, cùm rubore pariter & dolore: In quo, quidquid de facto fuerit, & agentis intentione, ſed reipſa ſecundùm ſe ſpectatâ, non videtur de grauitate iniuriæ poſſe dubitari, circumſtantiis euentûs ponderatis: cùm præſertim illi reuerenter abnuerent, & occultationem galeri proponerent, aperto capite proceſſuri. Sic enim id, quod minoris reuerentiæ videbatur, vitari poterat: quando & addi etiam poſſet, vſu non eſſe legem illam de ſingulari capitis operimento penitus confirmatam. Sed confirmatam demus, non debuit certè defectus ille tali inhonoratione mulctari, quam neque attendebant circumſtantes, & ex cuius tolerantiâ non poterant ſcandalum incurriſſe. Sic illud Caſſiodori accipio *Lib.* 10. 13. *Non debet Senatus corrigi, qui debet alios paternâ exhortatione moderari.* Non inquam debet corrigi publicè, & cum dedecoris adiectione; de quo ſpecialiter loquitur reſcriptum Regium citatum *numer.* 59. Moneri cautiùs poterant, & id ſatis vt in poſterùm ſe viri præſtantes emendarent. Vnde & apud eumdem Scriptorem ſequitur: *Sufficiunt hæc nobilibus, ſufficiunt iſta verecundis.* Verba ſunt Theodahadi regis: vt inde Proreges nouerint, quâ debeant honoris ſignificatione Regios proſequi Senatores. Quod & de aliis dictum ſit conſimilis dignitatis.

Caſsiodorus. Vt corrigendi Senatores. Idem.

CAPVT IX.

Pro iuſtitia quomodò teneantur Proreges Indici militare.

§. I.

De obligationibus circa commutatiuam.

QVæ ad illam ſpectant, ab Auditoribus Regiis expedienda frequentiùs ſunt, ad quos lites circa ciuilia ſpectant. Pro quo tamen

Aſſertio 1. Proreges ex commutatiua teneri, vt eadem ab Auditoribus ſtabiliatur.

63 Dico primò: Proreges Indici (ſicut & alij) ex obligatione iuſtitiæ commutatiuæ tenentur curare ſolicitè vt ab Auditoribus Regiis commutatiuæ item iuſtitiæ ſtabiliatur integritas, partium iuribus obſeruatis. Id conſtat: quia ex officio ad huiuſmodi curam adſtringuntur, & proptereà ſalarium recipiunt, omnium, quæ Rex in toto Coronæ ambitu Miniſtris ſoluit, pinguiſſimum, vt inſtar operariorum laborem pretio accipiendo ſtudeant exæquare. Pro quo eſt communis doctrina, vt hærere hic debeat nullus. Neque enim dici poteſt ad curam hoc Auditorum ſpectare, quorum eſt conſcientiæ relinquendum. Nam licèt verum ſit ad eorum curam præcipuè pertinere, pro hac tamen curâ acuendâ, in eorum Præſide cura debet ſuperior excubare. Tum tempeſtiuum eorum aduentum ad tribunal vrgendo, ne de horis ad ius dicendum deſtinatis id deſit ſpatij, quod expeditioni poſſit negotiorum obſtare. Tum faciendo vt lites iam pridem inchoatæ, & cum incommodo litigantium interruptæ, ante alias terminentur. Tum ſecretiori Auditorum conſeſſui frequenter aſſiſtendo, aut etiam in publicis tribunalibus modum agendi eorum obſeruando; vt nullus neque in ſubſtantiâ, neque in modo, obligationi deſit ſuæ: aliquos enim in huiuſmodi functionibus committi defectus, frequentes ſolent litigantium querimoniæ comprobare. Neque eſt cur Iurium ignorantiam obtendant, cùm obligationis ſuæ nequeant ignorantiam allegare. Præterquam quod id verum, quod à Caſſiodoro dictum Lib. 7. 26. verbis illis: *Laborioſum quidem, ſed non eſt impoſsibile iuſtitiam ſuadere mortalibus: quam ita cunctorum ſenſibus beneficium Diuinitatis attribuit, vt & qui neſciunt Iura, rationem tamen veritatis agnoſcant.* Sic ille. Quod in Proregibus ſpecialiùs, viris magni frequenter ingenij, & rerum experientiâ, atque vſu ſapientium illuſtrati.

In quibus adhibenda cura. Caſsiodorus.

Aſſertio 2. Graue peccatum in defectu eſſe poſſe, & obligationem reſtitutionis.

64 Dico ſecundò. Violatio iuſtitiæ in caſibus prædictis graue peccatum eſſe poteſt, quando ſcilicet damnum eſt non exiguum & poteſt etiam contingere, ſi, dum Auditoribus ſuffragia proferentibus, libertatem ſuffragandi impediant, voluntatis ſuæ ſignum verbis aut nutibus exhibentes: pro quo Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 10. *num.* 25.

Digitized by Google

num. 25. & in Politicâ *Libr.* 5. *Cap.* 8. *pag.* 817. §. *La Sexta*, & *ſeqq.* id fortè cauens, quod in Indiis expertus, in quibus Proreges liberiùs dominantur. Vnde obligatio reſtitutionis oritur, iuxta Doctores omnes, quod attentis circumſtantiis iudicio prudentium liquidandum. Et quod ad ſalarium attinet, ex quo id deducendum, quod ob laboris defectum non debetur, facilè poteſt donatiuo aliquo, vt de more eſt, Regi facto, ſine honoris iacturâ componi. Quoad partes verò læſas ob multiplicatas impenſas, & damna ex priuatione poſſeſſionis rei adiudicandæ prouenientia, Auditorum conſcientiæ plus grauatæ: & intricatum nimis negotium erit quid ſingulis reſpondeat veſtigare. Scire tamen debent hac difficultate non eſſe penitus ab onere prædicto liberatos; ſed, vt dixi, docti Confeſſarij iudicio ab eo ſe poterunt, circumſtantiis perpenſis, expedire. Quòd ſi nimia difficultas rem reddat moraliter impoſſibilem, aut in opera pia conferant, aut Bullis Compoſitionis vtantur, vel etiam donatiuum Regi faciant in ordine ad bellorum expenſas quas cum hæreticis & infidelibus gerit: Sic enim pium dici poteſt; cùm videamus hac de cauſſa Bullam Cruciatæ concedi. Pro obligatione autem prædictâ videri poſſunt Auctores, quos adducit Baſſæus V. *Reſtitutio* 3. *num.* 16. In quo & Nauarra non eſſe immorandum ait *Lib.* 3. *Capite* 3. *num.* 476.

Quomodo illa facienda.

Excuſat non mortalis apertè in eo culpa.

65 Poterit autem in prædicta cauſſa illud eſſe leuamini, ſi Proregis peccatum non ſit apertè mortale: ſic enim iuuari eorum ſententia poteſt, qui dicunt ſolùm ex culpa lata, quæ Theologicè talis eſt, mortalis ſcilicet, obligationem reſtituendi conſurgere: quam vt probabilem amplectitur Cardinalis Lugo cum aliis *Diſput.* 8. *de Iuſtitia num.* 93. & plures apud Baſſæum *V. Reſtitutio* 1. quos & ille ſequitur, probabiliorem affirmans. Quam & amplectitur P. Amicus *Diſp.* 20. *de Iuſtitia num.* 93. Poterit autem hoc frequenter accidere: quia Principes iſti non ita rigidè ad actiones huiuſmodi ſe adſtrictos arbitrantur, & ingenitâ animi latitudine procedunt: vel non aduertunt, aut certè non recordantur ſe plenâ cum aduertentiâ proceſſiſſe: vnde licet grauiter reipſa peccauerint, quia tamen non exacta eſt talis peccatis recordatio, non debent ad reſtitutionis duriſſimum tormentum condemnari. Et pro caſu extorti ab Auditoribus ſuffragij, addi poteſt, vix in eo obligationem reſtituendi futuram, quia lites eſſe tales ſolent, vt iudices probabiliter poſſint pro alterutrâ parte iudicare, etiam probabiliore relictâ opinione, juxta id quod tenent plures apud Dianam *Parte* 1. *Tract.* 13. *Reſolut.* 3. Sicut ergo illi ſic iudicando, ad reſtitutionem non tenentur, ita neque inducens. Vbi & dubitari etiam poteſt an metus talis ſit cadens in conſtantem virum, cùm Senatores eâ debeant auctoritate pollere, vt propter Proregis beneplacitum non debeant à recto deuiare. Hoc ergo ſibi Prorex perſuadere poteſt, & ita oſtenſionem voluntatis ſuæ nihil injuſtum à ſuffragantibus extorſiſſe. Quòd ſi dubitet, etiam illi probabilis ſententia ſuffragatur, de qua Dianâ *ſuprà Reſolut.* 28. pro ea Doctores adducens, & in fine affirmans eſſe probabilem.

Quid pro extorto ab Auditoribus ſuffragio.

§. II.

De iuſtitia diſtributiua. Quomodo erga Benemeritos exercenda, & in Beneficiorum prouiſione.

Diſtributiuæ proprius conceptus explicatus.

66 Dictum de hoc *Titulo* 1. *Cap.* 5. & proprius diſtributiuæ iuſtitiæ conceptus explicatus *n.* 50. vt ſit virtus in Superiore reſidens, eum ad communium bonorum diſtributionem inclinans, juxta merita ſingulorum, ad quos illa poſſunt pertinere. Vt enim *citato loco* dicebam, negari nequit quin reſpectu talis diſtributionis aliqua ſit conſtituenda virtus, cùm ſit ad actus honeſtos, & ad ordinatam vitæ rationem maximè neceſſarius. Hanc ergo virtutem ex ipſo actu nomine deſumpto diſtributiuam vocamus; reddit enim ius diſtribuendo: ergo diſtributiua iuſtitia eſt, ſicut commutatiua dicitur, quæ circa commutationes exercetur. Quòd ſi dicatur honeſtum quidem eſſe actum illum, & ad iuſtitiam ſpectare, non tamen eſſe diſtributiuæ proprium, prout contra commutatiuam ab Ariſtotele & aliis diuiſa reperitur: id equidem nequit veroſimiliter ſuſtineri: tum quia ſic dicens conuenientiam nominis juxta propriam ſignificationē ad alia diſtrahit, de quibus nequit propriè affirmari: diſtributionem enuntiat de eo, in quo diſtributio non eſt: tum etiam quia actus dictus propriæ iuſtitiæ eſt, & non commutatiuæ vt patet: neque diſtributiuæ, vt aſſeritur: neque vindicatiuæ, vt eſt euidens: neque legalis; quia quomodocumq; explicetur (eſt enim multiplex eam explicandi modus) non verſatur circa communium bonorum diſtributionem, meritis ſingulorum attentis; ergo altera debet ſpecies iuſtitiæ conſtitui, quam Philoſophi & Theologi huc vſque penitus ignorarunt. Et id quidem ſine cauſſa, cùm explicari conuenientiſſimè poſſit iuxta propoſitam rationem.

Non obſtare exercitium commutatiuæ pariter admiſceri.

67 Neque obſtat, ſi quis dicat gubernatorem, cùm communia bona diſtribuit, iuſtitiam commutatiuam exercere, quia ex pacto cum Republicâ, aut Principe, à quibus ſalarium accipit, tenetur communia bona inter ciues cum proportione ad merita diſpertiri: ſicut tenetur operarius iuxta præſcriptum domini, ſuppoſito pacto, in eius vineâ laborare. Dici enim poteſt vtramque locum habere, ſed reſpectu diuerſorum: ratione enim officij ex commutatiua obligatur ei, cum quo pactio præceſſit; reſpectu verò ciuium ex diſtributiuâ: vnde ſi eam violet, tenebitur quidem reſtituere ſalarij partem ei, cum quo pactum celebrauit; & ſi ſupremus ſit, nulli; non autem ciuibus eo emolumento defraudatis, iuxta communem ſententiam, pro quâ videri poteſt P. Leſſius. *Lib.* 2. *Cap.* 1. *num. vlt.* Cardinalis Lugo *Diſput.* 3. *de Iuſtitia num.* 51. & alij apud ipſos. Neque enim cùm officium aſſumit, majus ciuibus ius acquiritur; ſed ille iuxta virtutum debet operari motiua, ad quarum exercitium obligatur. Et ita ad actus religionis, gratitudinis, fortitudinis, & ſic de aliis, tenetur: & cùm eos exercet, ſi ad pactionem attendat, iuxta quam obligatio ad illos conſurgit, iuſtitiam commutatiuam

Digitized by Google

mutatiuam pariter exercet: ſic ergo etiam poſſunt vtriuſque iuſtitiæ actus copulari: & diſtributiuæ proprius imperari à commutatiuâ, aut etiam è conuerſo, iuxta communem doctrinam Diui Thomæ de virtutum imperio, quam Theologi frequentiùs amplectuntur.

Aſſertio 1. illius obligatio in Proregibus pro foro cõſcientiæ.

68 Dico primò. Proreges Indici tenentur in conſcientia diſtributiuam iuſtitiam exercere, in officiorum præſertim diſtributione. Ita Regio Reſcripto ſtabilitum, quod extat *Tomo 1. pag. 313.* vbi ſic dicitur: *Lo miſmo que os en cargo en los dichos repartimientos de Indios, os en cargo en lo de la prouiſion de los officios, ſalarios, y apro vechimientos de la tierra, y que tengais muy particular quenta y cuydado en juſtificar la diſtribucion de ellos, prefiriendo, &c.* Ex quibus inprimis habemus officia dicta non poſſe vendi, vt *Cap. 5.* oſtendimus: ſic enim iuſtitia diſtributiua exerceri nequit, nec diſtributio iuſtificari; non enim vbi venditio interuenit, attenduntur merita, ſed in pretio tota eſt meriti ſubſtantia conſtituta; ſi enim attenderentur, etiam operarentur; cùm tamen ſecus accidat, quandoquidem nihil valent pecuniæ adminiculo deſtituta. Vbi dici nequit eamdem diſtributionem poſſe, iuxta dicta, ad commutatiuam & diſtributiuam iuſtitiam pertinere, & ita etiam poſſe duos coniungi reſpectus, meritorum & pecuniæ. Sed euaſio eſt nulla; nam in priori cauſâ duæ virtutes concurrunt, quæ ſibi imperare mutuò poſſunt; in poſteriori autem reſpectus pecuniæ vitioſus eſt, vnde imperari virtuti nequit, neque ab eadem imperari; niſi fortè addatur remitti partem pretii intuitu meritorum. In quo quidem etiam iuſtitiæ propria ratio deficit, iuxta quam ſola debet accipientis dignitas attendi, quod aliter euenit, abſolutè enim iudicatur indignus, qui niſi pecuniæ adiumento nequit officium obtinere.

Reſcriptum Regium.

Contra quam militat officiorum venditio.

Et violatio poteſt eſſe mortalis.

69 Deinde ſequitur in violatione diſtributiuæ iuſtitiæ poſſe mortaliter peccari, & id Proregibus inculcandum; non ſolùm quando officia venduntur, ſed quando, vt Regia lex loquitur, non iuſtificatur diſtributio, quia perſonarum dignitas non attenditur, ſed tumultuariè, & pro libitu omnia diſpenſantur. In quo quidem Doctores conueniunt, & ratio eſt clara; nam ex tali procedendi modo grauia in Republica ſequuntur incommoda, & ſic agens exponit ſe manifeſto indignos eligendi periculo, in quo non ſolùm contra iuſtitiam diſtributiuam, ſed etiam contra commutatiuam delinquitur, quia eſt cauſa damnorum plurium, qui ex officio ea debuerat euitare; vnde & obligatur ad reſtitutionem, vt benè cum aliis docet P. Thomas Sancius *lib. 2. Conſiliorum, cap. 1. dub. 36. num. 2.* vbi addit peccare contra charitatem ex qua tenetur bonum commune diligere, & etiam contra iuſtitiam legalem, quâ debet etiam bono publico prouidere. Sed quod ad iuſtitiam legalem ſpectat, eam in gubernatore non omnes agnoſcunt, ſed potiùs in ſubditis, qui debent bonum commune ſuo proprio præhabere; ad hoc enim virtus aliqua conſtituenda eſt, quia talis actus eſt honeſtus, & cùm ſit proprii debiti, quod ad nullam ex aliis ſpeciebus iuſtitiæ ſpectat, ad Legalem meritò dicitur pertinere. De quo ego alibi.

Et cum obligatione reſtitutionis.

Non eſſe cõtra juſtitiã legalem, & quid illa.

Neque formaliter cõtra charitatem, & quando tale peccatum juxta aliquorũ ſententiam.

70 Contra charitatem autem materialiter & generaliter tantùm videtur peccari, non formaliter & ſpecialiter, quia non intenditur malum ex odio aut diſplicentiâ perſonarum; ſi enim intendatur, de violatâ nequit eſſe dubium charitate. Dicitur autem contra charitatem, quia ſicut quodlibet beneficentiæ genus ad illam reducitur, & quodlibet damnum ex illius defectu videtur deſcendere; vnde mandata omnia ad charitatem Dei & proximi reduci, & in illis claudi, iuxta Scripturæ, & Patrum doctrinam, aſſeruntur; ideò & violatio juſtitiæ eidem dicitur aduerſari. Videndus citatus Auctor *Libr. 1. Operis moralis cap. 6. num. 3.* vbi docet cum P. Vaſquez, & aliis, inducentem aliquem ad peccandum non peccare peccato ſcandali contra charitatem, niſi cùm peccatum, quà tale eſt, intendit, non verò quando alio fine: vnde peccatum reducitur ad ſpeciem peccati, ad quod inducit, vt furti, ſi ad furtum, &c. Non debuit ergo iuxta hæc electio indigni contra charitatem dici, & tamquàm diſtincta malitia ab iniuſtitiâ conſtitui; cùm poſſit ſtare, & ita communiter accidat, vt ſic eligens damna ex electione ſecuta directè non velit; ſicut enim damnum ſpirituale non intenditur, ita neque illud, quod eſt alterius generis, licèt ex facto ſubſequatur. Et quemadmodum in ſcandalo ea ratio redditur, quòd ſcilicet ſpeciale peccatum ſpeciali fine indiget, & oppoſitione ſpeciali virtuti: at quando ruina proximi non intenditur, non eſt ſpecialis finis, nec ſpeciali virtuti opponitur, ſed diuerſi ſunt fines, diuerſæque virtutes, iuxta vitiorum diuerſitatem, ad quæ eſt inductio: Ita etiam de damnis alterius generis dici poteſt vt contra charitatem ſpecialiter non ſint, niſi quando ex diſplicentia eorum proueniunt, quibus euentura præuidentur, occaſione peruerſæ alicuius electionis.

Quoad imputationem damnorum nil refert juxta vnã vel aliam ſententiam opinari.

71 Parùm autem refert quoad imputationem damnorum, quòd hoc aut illo modo obligatio ea euitandi conſurgat, cùm ſit certum imputari illa, quæ ex neglectâ conuenienti electione proueniunt. Vnde P. Arriaga *Tomo 5. diſput. 49. Sect. 6.* acutè Philoſophatur contendens ſententiam prædictam ſolis vocibus ab oppoſitâ differre, quæ eſt communior, & verior, defenditurque inter alios à P. Suario *Diſput. 10. de Charitate ſect. 2.* Vtriuſque enim fautores in eo conueniunt, vt putent ſic operantem eſſe cauſam damni, & eidem imputari, habereque actum ſpecialem malitiam in Confeſſione aperiendam; & eſſe inſuper contra charitatem. Sed alii volunt id tantùm eſſe genericè, quatenùs omne peccatum contra charitatem eſt; alii ſpecialiter, quia ſpecialis damni ſpiritualis cauſa eſt: quod & priores non negant in eo ſenſu; eſt enim manifeſtum eum, qui eſt cauſa vt alius peccet peccato furti, eſſe cauſam ruinæ ſpiritualis, quam furtum inducit: nolunt tamen vocari ſpecialem, quia non intenditur, & ſic deeſt motiuum contrarium ſpeciali virtuti, vnde videtur tantùm generalis ratio relinqui, quæ non poteſt ſpeciali aliquo nomine deſignari. Quod ergo ad imputationem damni attinet, diſcriminis ratio non apparet, quæ momenti alicuius ſit; neque enim ex eo quòd refugiant Doctores illi ſcandalum ſpecialiter dictum admittere, imputationem damni negant, & damni quidem ſpiritualis, quod lege charitatis debemus auertere: ergo

P. Arriaga acutus philoſophandi modus.

Digitized by Google

ergo quidquid de ſubtili illâ differentiâ ſit, quoad rem moralem vix remanet vlla. Quod quidem caſui, de quo loquimur, applicandum: in quo non ſolùm damna temporalia, ſed & ſpiritualia plurima ſubſequentur; peccata inquam ex inconſideratis electionibus: vnde meritò dicere potuit P. Sancius contra charitatem peccari, licèt non conſequenter ad ſuam doctrinam.

Circa caſus particulares quid obſeruandum.

72 Quod licèt ſic generaliter dictum omninò iuxta veritatem ſit, in caſibus tamen particularibus aliter pro eorum diuerſa qualitate iudicandum; poſſunt enim eſſe aliqua, in quibus damnum nullum aliis ex ineptâ electione ſequatur; vt ſi honorarii tantùm gradus ſint, vbi & fortè alicuius non penitus digni electio à mortali poſſit excuſari. Si tamen ſalarium ſit habiturus, talis eſſe excuſatio nequit; quia non poteſt ita ſeruire, vt illud mereatur, & ita, ſi non reſtituat, ab electore facienda reſtitutio.

Aſſertio 2. Proreges Indicos ad digniorum electionem teneri.

73 Dico ſecundò. Proreges Indici non ſolùm peccant grauiter, ſi indignos eligant, iuxta dicta, ſed etiamſi non eligant digniores. Sic quamplures, quos adducit, & ſequitur Diana *Parte 6. Tractat. 6. Reſolut. 2.* Qui & *Parte 1. tract. 1. Miſcellaneo. Reſolut. vltimâ*, alios pro eodem adduxerat. Ratio eſt clara ex dictis: nam ex obligatione juſtitiæ commutatiuæ officio annexa tenetur: hoc enim pacto illud ipſi munus attributum, vt ſeruet legem ita ſtatuentem, de qua *num.* 68. & vt non eſſet lex, id eſt conſequens officium ipſum: nam juſtitia diſtributiua eſt propria ſuperiorum: Atqui illa debet attendere dignitatem perſonarum, & cum proportione ad illam communia bona conferre, quod ſtare nequit niſi digniores minùs dignis præferantur.

Maior dignitas difficilè internoſcitur, etiã à Proregibus.

74 Sed quia quis ſit dignior internoſcere admodùm difficilè ſæpiùs eſt, videantur circa hoc dicta *Titulo præcedenti cap.* 3. Licèt enim Proreges non ita diſtent, vt diſtat Rex, & Indiarum Conſilium; in hac terræ propinquitate, ſuâ etiam pro notitiâ poſſunt eſſe, & ſunt reuerà diuortia, dum informantium fides non ea eſt, quæ poſſit electoris animum tranquillare. Id quod paſſim in iis ipſis, quæ coram nobis geruntur, deprehendimus: ad aures enim gubernantium interpolata perueniunt, & quæ ſtatim manifeſtæ poſſunt conuinci falſitatis; ſi tamen audiendi fiat copia quod non ſemper licet, dum quis ignorat calumniam, & propter eam id patitur, cui non poteſt ignarus obuiare, Diuus Ioannes Baptiſta, ſic Herodem alloquens inducitur apud Georgium Scotum in Tragædia de eodem, titulo *Baptiſtes*.

Gregorius Scotus.

Tenenda populi frena cui credit Deus,
Audire oportet multa: cuncta credere
Neceſsè non eſt. Quæſtus inuidiæ, fauor,
Timor, dolorque, ſæpè vera ſupprimunt.

Sit ergo in Proregibus ſincerus juſtitiæ zelus, & deſiderium nihil ab æquitate alienum perpetrandi: adderit Deus vt electiones non abſurdæ prodeant: quòd ſi aliqua minùs probanda eruperit poſt diligentiam congruam; nihil in eo mirum ſi errent homines, quibus eſt errare natiuum, ſed error pro magiſtro adhibendus, vt deinceps ſine erroris offendiculo procedatur.

Aſſertio 3. benemeritos in conquiſitione Indiarum præferendos.

75 Dico tertiò. Proreges in electione ad officia debent benemeritos in conquiſitione Indiarum, & inter eos magis benemeritos anteferre. Sic expreſsè deciditur in Regio reſcripto, dum ita additur: *Prefiriendo en lo vno, y en lo otro, à los Deſcubri dores, y ſus deſcendientes y Pobla dores, mas benemeritos, que mejor vbi eren ſeruido: de manera que todos tengan ſatisfacion, y no aya deſcontento en la tierra.* Sic ibi. Quod quidem facillimè poterunt Proreges adimplere; ſunt enim non multi jam ex illis, & quæ dare poſſunt multa: vt non poſſint ad operiendum, pallii breuitatem incuſare: non enim ita breue eſt, iuxta Prophetæ ſententiam, vt non poſſint eo plures ſufficienter operiri. Multa ſunt officia, penſiones, Commendæ emolumenta, quibus fieri ſatis poteſt benemeritis ex Conquiſitorum ſanguine, & aliis, qui pro regni amplificatione aut conſeruatione, fidelem operam præſtiterunt. Videantur dicta *Titulo 1. num. 56.* Quòd autem circa hoc peccari grauiter poſſit, conſtat ex dictis, *num. 69.* & damna ex violatione juſtitiæ in hoc genere ſatis Regium reſcriptum indicauit illis verbis: *De manera que todos tengan ſatisfacion, y no aya deſcontento en la tierra.* Si enim malè contenti ſint, quorum querelis ex negatâ ſatisfactione laborum occaſio præbeatur, timeri inde abortus aliqui turbulenti poſſunt, quibus exitialius nihil valet cogitari. Pro quo hiſtoriæ Indicæ exempla non pauca, & ſatis quidem infauſta miniſtrabunt.

Quibus multa ſunt quæ dari poſſint.

Aſſertio 4. etiam in præſentatione ad Beneficia.

76 Dico quartò. Ex dictis apertè deducitur, quid ſit de præſentatione ad Eccleſiaſtica Beneficia dicendum, ſi enim ad officia temporalia digniores eligendi ſunt ſub reatu æternæ damnationis; ſatis ex eo diſpicitur erga Beneficia obligationem eſſe non poſſe minorem, cùm maiorem eſſe conſtet. Et quod ad Regem attinet, dictum à nobis *Titulo 1. Cap. 7. 9. & 10.* Circa prouiſionem autem præſentatione Proregum fieri ſolitam, forma eſt ſpecialis ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ. Prælatus enim ex concurrentibus ad examen tres poſt illud eligit, & eos Proregi exhibet cum meritorum atteſtatione: ex quibus ille vnum eligit, qui ad Prælatum cum præſentatione recurrens, ab eo Canonicam accipit inſtitutionem. Solent autem Prælati aliqui poſt meritorum atteſtationem addere, cuiuſcumque ex tribus electione poſſe Patronum ſuam exonerare conſcientiam, nominationis ordine non ſeruato. Quod cùm additur, & de Prælati diligentiâ, zelo, & ſapientiâ, plena habetur ſatisfactio, oculis, vt dici ſolet, clauſis, poteſt quilibet præſentari. Erit autem regulariter conuenientius vt præſentetur priore nominatus loco: aliquid namque in illo eminet ob quod prænominatus debet judicari: licèt non tale illud ſit, vt iniuſtam reddere alterius valeat electionem. Et quidem ſatis indicat maiorem beneuolentiam Prælati erga ipſum. Primò enim vocatus magis eſt dilectus: iuxta ea, quæ adducit Marius Antoninus *Libr. 1. Reſolut. 7. num. 5.* & Dom. Solorzanus *Libr. 2. cap. 8. numer. 19.* & in Politicâ *pag. 308. §. Y otra.* Non poteſt autem illi non iniucundum accidere, ſi videat magis à ſe dilectum reprobari. Ex quo beneuolentia inter ipſos & Gubernatores ſolet non ſolùm frigeſcere, verùm etiam quandoque, non ſine grauibus inconuenientibus, expirare.

Prouiſionis forma.

Prior nominatus communiter præferendus.

Poſſunt taligandæ [...]

77 Sed certè generaliter loquendo, non ſunt

ligandæ

tum Proreges abſolutè, quem voluerint, magis dignum repertũ præſentare.

ligandæ Proregum, & aliorum Gubernatorum manus, quin poſſint quem libuerit, magis dignum repertum, præſentare: præſentatio enim illis abſolutè competit; & quemadmodùm ſi nominatio Prælati non præcederet, poſſent quem vellent, magis idoneum repertum præſentare; ita & nominatione ad tres redactâ, jus habet ad idoneitatem ampliùs explorandam. Si enim ad ſpecialiter nominatum à Prælato deberet adſtringi, res de ſolo nomine eſſet præſentatio, cùm vix vllum in eâ eſſet exercitium poteſtatis: contra id, quod jus patronatus ſpecialis excellentiæ continet ab Eccleſia in argumentum eximiæ gratitudinis attributæ. Et poteſt quidem Patronus nouum aliquid in approbatis à Prælato deprehendere, quod ad variandam electionem poſſit non immeritò permouere. Niſi in ipsâ nominatorum graduatione adeò merita vnius meritis aliorum anteſtent, vt euidens iniuria ipſi fiat, ſi ſcripturæ ordinem non ſequatur: prout ex Illuſtriſſimo Zapata tradit Dom. Solorzanus *Lib.3. cap. 15. num.87.* Videndus ille *Parte 2. de Iuſtitia diſtributiua, Cap. 6. num. 26.* Neſcio autem cur Dom. Solorzanus præfatam limitationem omiſerit in Politicâ *pag.632. §. En quanto*, qui Latino correſpondet.

Ex verbis forma præſentationis roboratã.

78 Iuuat autem ad hoc ampliùs comprobandum, verba Philippi Tertii Regis noſtri in quodam reſcripto circa formam in præſentatione ſeruandam, expendiſſe, cuius tenorem adducit Dom. Solorzanus *ſuprà num.14.* ſic enim ait: *Y de los aſi examinados eſcojanlos Arzobispos, y Obispos, tres los mas dignos, para cada vno de los dichos Beneficios, teniendo conſideration à la ſuficientia de la lengua para dotrinar, y predicar, &c. Y eſtos, que aſi eſcogier en y nombrar en, los pro pongan à los Virrey es, Preſidentes de las Audiencias, y Gobernadores deſu diſtrito, para que ellos esco jan vno, el que les pareciere mas à propoſito, y le preſenten en nueſtro nombre, para que con eſta preſentacion le de la colation el Arzobiſpos, ò Obiſpo, à quien tocare, &c.* Eſt enim animaduerſione digniſſimum, quòd cùm de proponendis à Prælatis agit, digniores futuros affirmat; cùm verò de præſentandis ab eis, qui eius nomine hoc præſtare debent, non ait præſentandos eos, qui à Prælatis digniores fuerint judicati, ſed qui ab ipſis magis apti fuerint reputati. *Vno, el que les pareciere mas à propoſito.* Non ergo tenentur iudicio Prælatorum ſtare, ſed jure ſuo vti poſſunt: non quidem eligendo pro libitu, ſed conſideratione adhibitâ, aptiorem à ſe deprehenſum præferendo. Cùm enim à Prælatis exigat vt illi eligant digniores, à ratione videbatur alienum, vt minùs dignos à ſuis vice-gerentibus eligi pateretur. Quamquàm non deerunt, qui dicant in hoc Regem juxta formam à Concilio Tridentino traditam proceſſiſſe, dum *Seſſione 24. Cap.18.* aliter de Patronis Eccleſiaſticis, ac de laicis loquitur: illos enim debere digniores præſentare apertè decernit, non ſic iſtos, cùm tantùm dicat idoneos eſſe debere. *Et non niſi idoneus repertus fuerit, admitti.* Pro quo videnda, quæ diximus *Titulo 1. num.76. & 97.* Sed certè prædicta non vrgent: quia Concilium *Cap. 1. Seſſionis eiuſdem*, ſatis circa hoc ſuam mentem aperuit, vt oſtendimus *citato Titulo num.69. & ſeqq.* neque hoc præceptum poſitiuum humanum ſit, ſed naturale,

Concilium Tridentinũ cur aliter de patronis laicis, ac de Eccleſiaſticis loquatur.

ſuppoſitâ Beneficiorum inſtitutione, vt ibidem dictum *num.71.* Cur autem non eodem modo locutum fuerit, reſpondet P. Thomas Sancius *Lib.2. Conſiliorum, cap.1. dub.6. num.6.* ideò fuiſſe, quia hoc eſt ſub dubio (ſcilicet Patronum laicum ad digniorum electionem teneri) & ideò Conſilium definire illud noluiſſe. Quòd autem ad dignitatem pertineat & genus, & patria, dictum & probatum *Titulo eodem Cap.7.* vt nihil circa hoc requiri ampliùs videatur.

§. III.

De iuſtitia vindicatiua, & quæ pro illa vrgeat Proreges Indicos obligatio.

79 VRget equidem, vt juxta Regii vatis exemplum, in matutino interficiant omnes peccatores terræ, *Pſalm. 100. verſ.8. In matutino*, inquit, *interficiebam omnes peccatores terræ.* Vbi Ioannes Campenſis ita legit: *Tempeſtiuè eliminem omnes ſceleſtos à terrâ.* Tempeſtiuè inquam, priuſquam damna permiſſione ſceleratorum excreſcant, & vix remedium, vel valdè profectò operoſum & quæſtuoſum patiantur. Aliter D. Iſidorus Peluſiota *Lib. 1. Epiſtol. 321.* in qua ſic ſcribit: *In matutino Iuſtitiæ ſinceritatem, & integritatem, ac prudentiam declarat: nempè quod nec iracundia, nec temulentia eum ad cædem impellebat. Nam illa, etſi heſterno die illius animum concitabat, at per noctis longitudinem mitigabatur. Hæc rurſus, etſi veſpere ingens acceſſerat, per ſomnum tamen ſatis minorabatur, ac diſcutiebatur. Purâ itaque, inquit, ac integra, tum manu, tum mente, aduerſus eos, qui Deum ſceleribus ſuis laceſſebant, arma induebam.* Sic ille. Vbi & aliud opportunè occurrit Indicis Proregibus obſeruandum, vt ſcilicet tempeſtiuè, *ſummo manè*, vt Campenſis habet lectio, ſceleratorum punitionem exerceant, non illam diutiùs differendo, ſed ſub ipſum delicti calorem: cùm ſit experimento ſatis ſuperque perſpectum, huiuſmodi ſupplicii dilationibus multa impunita relinqui, aut interceſſionum inſtantiâ, aut falſarum probationum occaſione, aut reorum fugâ, in judicibus etiam indignatione juſtâ aduerſus illos frigeſcente.

Proregum cura in delinquentiũ punitione.

Pſal. 100. v.8.

Quid ſit in matutino eam exercere.

D. Iſidorus Peluſ.

Pro Indicũ quid ſpeciale. Campenſis.

80 Eſt autem quod apud Vatem ſequitur, attentiùs inſpiciendum: *Vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Indignum ſiquidem erat vt in ciuitate Domini operarius quiſpiam iniquitatis verſaretur. *Omnes*, inquit; & qui omnes, nullum excludit. Nam vel vnus aliquis ciuitatem Domini ſanctam & electam dedeceret. Quid ergo iam Chriſtianos Gubernatores decet in Republica item Chriſtiana perficere, antiquiore illa, ſine comparatione aliqua, ſanctiore? Cui Diuus Petrus ſic alloquitur: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuntiatis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. 1. Petri 2. v. 9.* Admirabile ſanè lumen fidei Chriſtianæ eſt, vt homines reddere poſſit & debeat admirabiles: hoc enim eſt quod verbis adductis exponitur: *Vt virtutes annuntietis, &c.* Vt ſitis inquam, *homines magni virtute*, vt loquitur Siracides *Eccli.44. v.3.* adeoque magni, vt alios poſſitis

A Republica Chriſtiana exterminandæ improbitates, vt quæ dedeceant maximè.

1. Pet. 2. v.9.

ad

ad conſimilem virtutum cultum prouocare. In hoc ergo lumine, in hac ſanctitatis ſchola, in hoc virtutum emporio, ſcelera impunè graſſari, dominari laſciuiam, impudentiam effrenari, & more Gentilium tenebris improbitatum inuolui, quomodò non ſit horrendum dictu, factuque horrendũ magis, & ad hæc Gubernatorum prouidentiam oſcitare? Non ſic, ô viri præſtantes, non ſic, & præ aliis, qui excellentiam muneris Excellentiæ titulo deſignatis. Zelus in vobis vlciſcendi diuinas iniurias exæſtuet, & mundandi Dei populum, acceptabilem, Sectatorem bonorum operum. Mundate, mundate, immunditiæ auctores expungite, impuritatis artifices, & irritamenta libidinum, errorum, raptorumque cohortes, & dum nihil agunt, mala omnia perpetrantes, expellite, exterminate, diſperdite cum vate Rege, &, vt vno verbo dicam, iuxta merita, iuſtitiæ ſeruato moderamine, caſtigate. Circa quod, vt ſpecialius aliquid proferam,

Ad Gubernatores adhortatio.

Aſſertio 1. Turbulentos à Proregibus cohibendos.

81 Dico primò. Proreges tenentur ſub graui conſcientiæ reatu turbulentos homines cohibere. Id clarum. Pro quo & Regium reſcriptum adducit Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 27. *num.* 2. & in Politicâ *Lib.* 4. *Cap.* 27. *in principio*, ex Antonio de Herrerâ *Decade* 2. *pag.* 91. in quo ſic dicitur: *Y ſiendo ſobre todo muy neceſſaria laquietad para la Republica, ſeda facultad à los Virreyes, Preſidentes, y Gouernadores, y otras Iuſticias, paraque puedan echar de las Indias, y des terras las perſonas, que les parecieren inquietas, y embiarlas à eſtos reynos* &c. Vbi meritò inquirat quiſpiam cur in reſcripto dicto non mandatum, ſed ſola licentia proponatur, cùm res hæc mandati rigorem poſtulare videatur? Ad quod quidem id dicendum occurrit, inquietos quidem homines iuxta delicti qualitatem puniendos Reges noſtros iudicare. Cur enim Proreges, & Gubernatores alij id præſtare circa huius generis crimina nequeant, quod erga alia poſſunt & debent Regiâ auctoritate præſtare? Hanc ergo obligationem cùm ſciant illi, id ſibi gratum fore dubitari nequit. Quia verò aliquando timere Gubernatores poſſunt, ne in executione iuſtitiæ turbidum aliquid oriatur, minùs forſitan in eâ deliberatione conſtantes, facultas iis conceditur, vt tales homines poſſint in Hiſpaniam ablegare. Quomodo autem circa Eccleſiaſticos ſe gerere debeant, dictum à nobis. *Titulo præced. Cap.* 11. *&* 12.

Reſcripti verba.

Dubium circa illa.

Aſſertio 2. circa curam erga alios iudices.

82 Dico ſecundò. Proreges graui conſcientiæ obligatione premuntur, vt Togatos criminum Auditores, iudicetque alios, in ſuo faciant puniendorum criminum officio vigilare. Conſtat ex dictis §. 1.

Aſſertio 3. Eorum peccatum, qui ſententiarũ executionem impediunt.

Dico Tertiò. Grauiter etiam peccant executionem ſententiæ à præfatis, ordine iuris ſeruato prolatæ prohibitu impedientes, etiamſi miſericordiæ affectu ducti id fecerint, vel interceſſionibus, quæ ſunt in regionibus iſtis vrgentiſſimæ. Quod equidem ratio manifeſta conuincit: nam ſententia talis iuſta eſt, & communi bono conueniens: ergo illam impediens contra juſtitiam in graui delinquit, & ita grauiter peccat abſolutè: quia ſicut contra juſtitiam facere eſt abſolutè peccare, ita & grauiter facere, grauiter delinquere eſt. Neque ſit ſatis ex ſuprema illius poteſtate licet enim ſuprema poſt Regiam ſit, ſuis tamen limitibus coarctata, & circa hoc præſertim per ea quæ adducunt Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 10. *num.* 45. *& ſeqq.* & in Politicâ *pag.* 878. §. *Pero aunque, & ſeqq.* & Dom. Felicianus à Vega in *Cap.* 4. *de Indiciis.* §. *De Adulter. num.* 76. *& ſeqq.* Sublatâ ergo poteſtate, perinde ſe habent, ac ſi perſonæ priuatæ eſſent, quæ ſine graui peccato non poſſent ſententiam legitimè pronuntiatam impedire.

Aſſertio 4. & incarceratos dimittentes.

83 Dico quartò. Similiter peccant Proreges, ſi ante cauſſæ concluſionem & ſententiæ prolationem, incarceratos iubeant liberos è carceribus auolare. Id planum: quia grauia delicta ſic manent impunita, & ex impunitate damna ingentia progrediuntur. Pro quo eſt præclara D. Leonis Magni ſententia *Epiſt.* 53. inquâ ita ſcribit: *Impunitarum tranſgreſſionum augentur exceſſus, & crebreſcunt culpæ, quæ toleratæ ſunt ſtudio fidei reparandæ, & amore concordiæ.* Hæc ille. Si ergo impunitas criminum ob reſpectus illos adeò nobiles, ita exitioſa eſt: quid jam fuerit, vbi ex leui quodam oſtentandæ poteſtatis impetu, aut alio ſimili, ſtabilitur? Quod vrgeri poteſt ex eo quod in noſtris Indijs vſu firmatum inuenimus, & de quo Dom Solorzanus *Cap.* 10. *citato num.* 26. Proreges ſcilicet, cùm ante Paſchales ferias viſitationibus carcerum cum Regijs Auditoribus interſunt, circa eorum dimiſſionem aut retentionem ſuffragium non habere, niſi cùm diſcordant Auditores. Eſt ergo illis interdicta prorſus carceratorum dimiſſio: & cùm res non leuis momenti ſit, pluſquàm leue erit peccatum in tali dimiſſione commiſſum.

D. Leo.

Aſſertio 5. Indorum debere iniurias vindicare, pro quibus declamatur.

84 Dico quintò. Ad Proreges maximè pertinet Indorum injurias vindicare, ad quod grauiſſimo conſcientiæ periculo conſtringuntur. Id conſtans; quia imbelles, infirmi, pauperes, de quorum fide præſertim agitur toto Indicorum moliminum apparatu: miſerabiles perſonæ, ſuis in terris exterorum imperio, nihil tale merentes, ſubjugati: circa quorum commoda Regum Catholicorum cura peruigilat, & ita eam vices-gerentibus ſuas pergunt frequentiſſimè commendare. Sed quot illi ſunt, quibus voces iſtæ ita reſonent, vt ad earum inſtantiam miſericordiæ viſcera ſuſcitentur? *Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi? Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum, & pauperem à diripientibus eum.* Sic Vates Rex. *Pſalm.* 34. *v.* 10. Mirabilis profectò laudationis modus, quam non lingua, ſed oſſa omnia pronuntiant. Ita ſanè. Singulare genus laudis eſt, quia ſingulare & inſolitum beneficij genus prædicatur inuentum: Quòd ſcilicet ſit, qui pauperum & oppreſſorum patrocinium amplectatur. Quis in hoc ſimilis Deo? Si fortè aliquis, inſolito laudis genere celebretur, & ea, quæ ſenſu carent, vt oſſa, ſenſu ad illam mirabiliter adepto conſurgant. Si ergo velint Proreges Deo ſimiles reddi, ſi laudibus inſolitis, & ex intimo prodeuntibus affectu ſuſtolli, eripiant inopes Indos de manu fortiorum, egenos & pauperes à diripientibus ipſos. Vbi præſertim indicati illi, qui eorum gubernationi, protectioni, & defenſioni, juſtis ſtipendiorum commodis præficiuntur. Hi enim gubernationem in crudelem ſoliti conuertere direptionem. Quod malum omnium

Pſal. 34. v. 10.

Singulariſſima laus ex eo, & Deo, & eius locum tenentibus.

Maius à gubernatoribus nocumentũ.

Digitized by Google

nium videtur eſſe maximum, cui & à Proregibus præ ceteris obuiandum. Pro quo ſic apud Caſſiodorum *Lib. 7. 42.* quiſquis ille eſt, qui ſcribit Princeps: *Frequenter Saiones, quos à nobis credidimus pia voluntate concedi, querelis maximis cognouimus ingratos extitiſſe. Corruptum eſt (proh dolor) beneficium noſtrum, creuitque potiùs de medicinâ calamitas, dum ad alios vſus, potentium malignitate, tranſlati ſunt, quàm eos noſtra remedia tranſtulerunt. Vnde nobis neceſſe fuit remedio ſalubri votis peſtiferis obuiare: ne, dum pietatis ſtudium ad æqualia beneficia trahitur, ſurreptionum iniquiſſima patiamur.* Sic ille. Pro quo hìc non plura.

Caſſiodorus.

CAPVT X.

Ordinationes Regias quomodo debeant Indici Proreges obſeruare.

Ordinationes Proreges in conſcientiâ vrgere.

85 SVnt quidem illæ non paucæ, & magnâ conſideratione diſpoſitæ: vnde generaliter negari nequit grauem inducere obligationem; aliàs officium omnium maximum, & à quo tot rerum momenta dependent, nullis legum ſpecialium vinculis teneretur. Quod quidem quàm ſit abſurdum ſtatim apparet, vt non ſit opus circa hoc longiores diſcurſus cumulare. Et ita Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap. 9. num.* 57. & in Politicâ *pag. 869. §. Y todo, & ſeqq.* ait inſtructiones Proregibus tradi ſolitas eſſe Regia mandata, quas legere & obſeruare debent, & à quibus non licet ſaluâ conſciẽtiâ recedere. Pro quo & *Cap.* 10. *num.* 39. vbi & Auctores obligationem eamdem firmantes adducit. Circa illud tamen

Aſſertio 1. Aliquas Ordinationes nec ſub veniali obligare.

86 Dico Primò. Aliquæ inſtructiones ſunt, aut etiam ordinationes, quæ neque ad veniale peccatum videntur obligare. Id probo. Quia in omni ordinatâ gubernatione ita obſeruari debet, vt aliqua ſint pro commodiori tantùm procedendi modo diſpoſita, & inſtruant potiùs quàm premant. Videantur dicta *Titulo præced. num. 96.* In Societate quidem IESV, in qua optimi regiminis forma prælucet, ita ſe res habet, vt videri poteſt in Libro Ordinationum, vbi & Inſtructiones appoſitæ, earum diſcrimine declarato.

Aſſertio 2. Nonnullas tantum ſub veniali.

87 Dicò ſecundò Non omnes Ordinationes, quæ vim legis habere videntur, ſub mortali Proreges obligant. Probatur ex dictis circa Regios Conſiliarios *Titulo præced. Cap. 9.*

Aſſertio 3. Quæ ſub mortali.

Dico tertiò. Obligant ſub mortali illæ, quæ ſi non obligarent, non ſatis videretur bono communi conſultum. Eſt juxta ibidem dicta *n.* 99. Quæ autem ſint illæ, non eſt facilè judicare. Vnde cùm materia grauis eſt, timendum valde, & à recto tramite minimè deuiandum.

Aſſertio 4. Quæ vt ſunt Audientiarũ Præſides.

88 Dico quartò. Proreges Indici vt Audientiarum Præſides eo modo obligantur, quo Regij Conſilij Dominos diximus obligari *Titulo præcedenti num.* 100. quod & eiſdem rationibus comprobatur.

Aſſertio 5. Circa ea, quæ iuſtitiam concernunt.

Dico quintò. In iis, quæ juſtitiam concernunt. Proregum obligatio grauis eſt. Talia ſunt, cauſſas ad eos ſpectantes ex abrupto, & non ſeruato juris ordine, ac ſecundùm cauſæ merita, judicare. Sic Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 10. *num.* 43. vbi ait debere ſecundùm ſuam judicare conſcientiam: quod obligationis genus non humanum, ſed diuinum ac naturale eſt; vt ſcilicet nemo contra id, quod conſcientia faciendum eſſe dictauerit, operetur. Item. Quod præſentes non ſint, cùm de appellationibus ab ipſis interpoſitis terminandis volunt agere Auditores. De quo Dom. Solorzanus *ſuprà Cap.* 3. *n.* 41. & in Politicâ *pag.* 768. §. *De todo.* Cùm enim eos ille tangat articulus, timere profectò Auditores poſſunt, ne eorum animos contraria decernentes exaſperent, ex quo juſtitiæ violatio venit etiam formidanda. Quæ præſumptio, cùm ſit juris, & de jure, non eſt ex earum genere, quæ obligationem legum videntur auertere, quando in ſolâ juris præſumptione fundantur. Prætereà. Omnia illa, de quibus dictum *Capite præcedenti*, & alia, quæ, cùm occurrunt, non erit difficile deprehendere ad juſtitiam pertinere, quorum judicialis cognitio Proregibus eſt prohibita, & ſola gubernatio demandata, in qua etiam *ſunt certi denique fines*, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *citato Cap.* 3. *num.* 39. *& ſeqq.* & in Politicâ *pag.* 767. §. *Lo vndecimo.*

CAPVT XI.

De obligatione in negotiorum expeditione, ac in nonnullis aliis.

89 DIco primò Proreges Indici peccant grauiter. Si eorum negligentia, tædio, aut aliquo alio humano reſpectu, negotia, quæ ad eos ſpectant, retardentur. Pro hoc eſt optima animaduerſio Dom. Solorzani *Libr.* 4. *Cap.* 9. *numer.* 63. & in Politicâ *pag.* 869. *in fine.* Videantur dicta *Cap.* 9. §. 1. Si enim grauiter peccent dum expeditionem negotiorum, quæ ad Auditores Regios ſpectant, non vrgent, manifeſtum inde eſt in ijs, quæ ſuæ ipſorum curæ ſunt, etiam grauiter delinquere, ſi cum litigantium, aut cauſſam agentium propriam, incommodo prorogantur. Semper autem interueniunt incommoda, multiplicatis ſumptibus, & imminutione bonorum, quæ ex abſentiâ à propriis domibus, & alijs non leuibus occaſionibus oriuntur. Vnde & obligatio reſtitutionis planè conſequitur, ni velint ipſi, & qui eorum moderantur conſcientias, in aperto lumine caligare. Et vt obligatio reſtitutionis non ſit, ipſa ceſſatio ab operatione damnabilis eſt in operario conducto ad laborem magno pretio compenſandum.

In negotiorum retardatione grauiter peccare.

90 Dico ſecundò. In ijs, quæ Aſſeſſor vti obligatoria proponit, & jus tertij concernunt, atque aliquam juris notitiam exigunt, tenentur Proreges Indici conſentire, niſi fortè alium conſulant aliter ſentientem, qui ordinarius Aſſeſſor non ſit, vel Ordinarius vt probabile proponat id, circa quod vertitur controuerſia. Ratio eſt: quia licet Aſſeſſor non ſit judex, ſed conſultor ſpecialis, vnde laicus poteſt eſſe Aſſeſſor Epiſcopi in cauſſis ſpiritualibus, vt tradunt Doctores, quos affert P. Thomas Sancius *Lib. 7. de Matrimonio Diſput.* 46. *num.* 14. ex *l.* 1. *D. de officio Aſſeſſoris*: ſine illius tamen ſententiâ periculum errandi in re grauis momenti incurritur: quod quidem

Aſſertio 2. Quæ obligatio ſtandi iudicio Aſſeſſorum.

Aſſeſſor non eſt iudex.

Digitized by Google

quidem ſtare nequit ſine graui conſcientiæ grauamine. Niſi fortè alia ejuſdem generis ex Aſſeſſoris ſententiâ jam fuiſſent decreta, & in eâ, de quâ agitur, nihil occurreret, ex quo lapſus conſiderabilis timeretur.

Aſſertio 3. Peccare grauiter ſuam ampliantes poteſtatem.

91 . Dico tertiò. Proreges peccant grauiter ſuam ampliantes poteſtatem. Id conſtat. Quia ſi priuatus poteſtatem ad aliquid vſurparet, peccaret grauiter, vti rei alienæ vſurpator, quæ magnæ eſt æſtimationis: vnde & grauiſſima in legibus pro hujuſmodi crimine pœna inuenitur conſtituta: Atqui Proreges in ijs, quæ ipſis conceſſa non ſunt, vt priuati habentur, cùm non plus juris ad illa habeant, quàm ijdem: ergo illos eſt grauiter delinquere manifeſtum. Videatur Dom. Solorzanus *ſuprà Cap.* 10. *num.* 9. & in Politicâ *pag.* 874. §. *Pero yo* vbi hunc Indicorum Proregum carpit abuſum; vix enim reperietur aliquid ab eiſdem non tentatum, vltra limites, inquam, legitimæ poteſtatis: creſcente ſemper abuſu; nam ſucceſſores plus aliquid ſemper moliuntur, facilè addentes inuentis, vt poſteriores pleniorem afferre poteſtatem videantur. Erit autem damnabilior, ſi eò deueniat, vt ea, quæ ardua ſunt, & Regiæ amplitudini reſeruata, ſibi velint Proreges arrogare. Pro quo idem *Cap.* 10. *num.* 11.

Stylus per exemplaria iudicandi non probandus in præfatis.

92 Hinc mihi ſemper diſplicuit ſtylus nimis in his, quæ placent Proregibus, obſeruatus, per exemplaria inquam iudicandi. Cùm enim illa ex abuſu multoties ſint explicato profecta, qui fieri poteſt, vt cæco debeant more, quaſi Delphica oracula venerari. Si præſertim Eccleſiaſticam immunitatem concernant, in quo video non ſatis cautè quandoque procedi. Hinc eſt doctrina complurium, quos adducit, & pro eâ laudat Dom. Solorzanus *lib.* 2. *Cap.* 28. *num.* 49. & in Politicâ *pag.* 386. §. *y non hacen*, dicentium exemplaribus in judicando parùm eſſe fidendum, cùm cauſſæ non ſint ſemper omnino ſimiles. Et in terminis cauſſæ, de quâ agimus, idem obſeruat, etiam cùm de conſuetudine agitur, ob rationem dictam perperàm extenſæ poteſtatis; vnde illa debet rationabilis comprobari. Pro ijs autem, quæ ad Eccleſiaſticas cauſſas ſpectant, addo nihil fidendum exemplaribus, vt nec legibus ſæcularium Principum deferri debeat; prout Rota obſeruat in vnâ Oſcenſis Canonicatus apud Dianam *Parte* 5. §. *Ad iſtas* & §. *Sed reſpondebatur.* Vbi multa de conſuetudine circa hujuſmodi reprobanda. Quod ergo affirmat Menochius *Conſilio* 52. *num.* 50. adductus à Barboſa in *Collectaneis ad Decretales Lib.* 2. *Tit.* 27. *Cap.* 29. *num.* 4. exemplo optimi Principis firmiter judicandum eſſe, hic non poteſt applicari: quia nec Proreges abſolutè nomine Principum veniunt, licèt communiter ita vocentur; cùm id nomen eum ſpecialiter deſignet, qui ſupremâ gaudet poteſtate, cujus & ſententia facit jus, juxta Auctores quamplures ab eôdem adductos Collectore: quod & pro Papâ citatum *Cap. In cauſis*, apertè determinat. Tum etiam quia licèt plures ex Proregibus ſe laudabiliter geſſerint; ad optimi excellentiam, numeris omnibus abſolutâ ex bonitate conſurgentem, rarus probabitur perueniſſe. Tum etiam, quia licèt optimi illi, de Aſſeſſorum tamen non poteſt omnimodâ ſapientiâ, experientiâ, & integritate, plena haberi certitudo.

In rebus maximè Eccleſiaſticis, pro quibus reprobatur conſuetudo.

Qui nomine Principum gaudeant.

Princeps Pontifex.

Aſſertio 4. Grauiter peccare appellationem à ſuis ſententiis impedientes.

93 Dico quartò. Proreges Indici grauiter peccant, ſi à ſuis ſententijs recurſum ad Regales Audientias per viam appellationis impediunt. Conſtat ex Regiis reſcriptis, quæ pro eo habentur, de quibus Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 3. *num.* 39. & *ſeqq.* & *Cap.* 10. *num.* 54. & *ſeqq.* qui *n.* 56. ait illos ſic impedientes malè facere, vt eſt compertum, cùm reſcripta talia juſtam & lege ſtatutâ conferant defenſionem. Videndus item in Politicâ *pag.* 768. §. *De todo* & *pag.* 881. §. *De mas.* Et quidem percuntari eos juuat, quid ſit, cur appellationis beneficium ſic impedire conentur? Si enim ex eo quòd ſuperiores ſe in iis, quæ ad eos ſpectant, haberi volunt, neque in eorum executione ab inferioribus hominibus dependere: eſt illud ſanè ingenuitate virorum tantorum indignum. Rex, qui eos honore iſto condecorat, ſic jubet, & eſt hoc honoris talis appendix. A quo ergo honorem tantum accipiunt, & emolumenta pariter plura & eximia, cur ingrati honoris appendicem renuant, & Regiam voluntatem amplecti ſibi reputent indecorum? Item, illius ſententiæ ab vnius litterati hominis, qui ſæpiùs ex Togatis non eſt, conſultatione dependent: ergo dependentia indecens non eſt. Ex quo fit neque indecentem futuram, ſi cauſſæ côcluſio à multis, & ſapientiâ & dignitate præcellentioribus viris debeat expectari. Si autem timere ſe dicant, ne quod ab eis eſt diſpoſitum, ab appellationis judicibus dirimatur: argumento id planè eſt rem non eſſe juſtitiæ omninò conformem: quæ enim conformia ſunt, quis dubitet à dictis judicibus confirmanda? Ad quod præter cauſſæ merita, eorum adigit reuerentia. Quis enim gratis velit infenſum habere Proregem? Deferant ergo appellationi: hoc enim eſt Regi ipſi deferre, ſic jubenti: & glorioſum ducant hoc eſſe quod ſunt; minores inquam Principe, à cujus tantùm ſententiâ non eſt licitum appellare. In ijs autem, circa quæ opiniones ſunt, ſequantur ipſi quod volent, vnde ſuperuacaneum eſt quid nobis videatur veroſimilius in talibus propalare. Ergo ad alia.

CAPVT XII.

Quomodo Proreges poſſint in iudicum ordinariorum annuâ electione, & aliorum Officialium Capitulis ciuitatum indulta, peccare.

Aſſertio 1. poſſe peccare grauiter circa iudicum annuam electionem.

94 Dico primò, poſſe grauiter peccare: & vtinam reipſâ non peccent, quod grauiſſimæ multoties querelæ videntur indicare. Libera eſſe illa debet: vnde ſi libertas oſtenſione beneplaciti cum efficacitate propoſiti ſtare nequeat, ſatis inde conſtat, quantùm iuſtitiæ iura ex hac parte violentur. Vbi non obſtat, ſi dicatur ſecreta eſſe ſuffragia, quæ in vrnam mittuntur (quæ & ante miſſionem in manus Proregis quandóque veniunt, à quo & adſtantibus propalantur) experientiâ enim conſtat, nihil huiuſmodi manere ſecretum. Quid ſi eum reeligere faciat, qui jam annum admini-

ſtrationis exegit, contrà nitentibus Ciuitatis Rectoribus,& pluribus ex nobilibus occurrentibus, qui eo poſſint,& gaudeant officio decorari? Hæc iuſtificare velle eſt nigrum velle facere ex albo, ſeu potiùs album ex nigro, & curuum velle rectiſſimum apparere.

Aſſertio 2. ineptorum electio nequit, niſi grauiter peccando, confirmari.

95 Dico ſecundò. Si electio talis ſit, vt electi à Capitulo Proregi videantur inepti, peccabit grauiter, ſi eos confirmarit. Id planum; quia mala electio nequit ſaluâ conſcientiâ confirmari; id enim eſt malo robur addere, quod peſſimum malorum eſt, confirmatio enim auctoritatem tribuit, qui eſt vnus eiuſdem effectus,inter alios, de quibus Gloſſa in *Cap. Quia diuerſitatem*, de conceſſione Præbendæ. Et res eſt manifeſta. Poteſt autem hoc prudenti animaduerſione caueri. Ante electionem ſiquidem ſpargi in vulgus ſolet de aliquorũ electione tractari: quæ vox ad Proregis aures nequit non deferri,ad quas minutiſſima alia deferuntur. Rectores ergo ciuitatis admoneat ne talẽ vel talẽ eligant: quo pacto ad durũ illũ reprobandæ electionis non deuenietur articulum. Neque hoc eſt libertati electionis obſtare, ſed eam dirigere, quod Proregalis eſt muneris, ſicut contrarium ipſi id, quod *Aſſertione præcedenti* dicebamus.

Quomodo illa prudenter euitanda.

Specialis caſus circa electionem anni 1658.

96 Pro quo iuuat caſum apponere, qui eo ipſo, quo hæc ſcribebam, die accidit. Cùm enim Prorex duos equites ſibi benè viſos eligendos vellet, idque diu ante electionis diem feciſſet Capitularibus manifeſtum; annuerunt illi, cùm eſſet periculo expoſitum repugnare. Die ergo electionis accedente Prorege, aſſurrexerunt omnes & dixerunt ſuæ voluntatis eſſe vt duo dicti equites ordinarii judices crearentur, quando ſic Excellentiæ ſuæ placitum agnoſcebant. Cumque Prorex eâ videretur acclamatione contentus, ſecretè eſt admonitus ne talem electionis modum admitteret, ſed vſitatum per ſuffragia omnino ſecreta obſeruandum imperaret. Eo, vt videtur, intuitu, ne aliquando Proregi ablatæ libertatis in electione capitulum poſſet opponi. Tunc ergo ille ſe in talem electionem non conſentire reſpondit,& vt per ſuffragia in vrnam miſſa celebraretur iniunxit, teſtatus ſe liberã velle penitus electionẽ. Factũ ſic quantùm ad ſuffragationẽ & omnium ſuffragiis illi ipſi, qui acclamati fuerant, ſunt iudices deſignati. Quis iam hîc ſimulatã illam liberę electionis voluntatẽ non rideat? Si alios eligerent, qualem Principis indignationem incurrerent? Prior quidem electio libertati eligentium contraria viſa eſt: Atqui & quæ ſecuta ſtatim alia eſſe non potuit, neque quod erat ab omnibus dictum retractari; aliàs mendaces & viles ita ſibi contrarii homines haberentur: ergo libertas in eâ labefactata deprehenditur. Vbi, ſi bona non adfuit fides (vti eſt adfuiſſe credibile) quis poſſit violatæ iuſtitiæ piaculum manifeſtiſſimum excuſare? & bonam quidem fidem generaliter loquendo, deſiderare magis poſſumus, quàm firmare in iis, qui circa hæc ſe, vt debent, inſtructiſſimos profitentur. Quamuis ſciam aliam quandoque in aulis Theologiam ab eâ diuerſam, quã in ſcholis didicimus, & probatis Auctoribus legimus, practicari.

Aſſertio 3. Peccatum eſſe graue non ſyndicatos eligi & confirmari.

97 Dico tertiò. Peccatum eſt graue eos eligi, & confirmari, qui adminiſtrati officii rationem, quæ in ſyndicatu reddi ſolet, minimè reddiderunt. Id conſtat; quia pro eo eſt lex, & materia eſt grauis, in cuius obſeruatione magnũ eſt boni publici momentum conſtitutum. Quod generaliter loquendo verum eſt: poteſt tamen exceptiones aliquas habere. 1. Si per electum non ſteterit, ſed aliunde ſit redditio retardata. 2. Si iam diu adminiſtratio præceſſit, neque eſt arte aut dolo circa impeditionem actum. 3. Si nihil rumor ſparſerit de moribus eiuſdem minùs in officii adminiſtratione probatis. Tunc enim videtur finis & ratio legis ceſſare,& ita illius obligatio; iuxta dicta *Titulo præced. num.95.*

Exceptiones aliquot.

CAPVT XIII.

De Proregum Indicorum obligationibus circa grauamina impoſitionum, ſiue exactionum.

§. I.

Non licere illis. Pro quo Aſſertiones tres.

Diuerſa nomina exactionum.

98 DIuerſis ſolent illæ nominibus explicari, de quibus Auctores communiter, & videri ſpecialiter poſſunt P.Molina *Diſput.661. & duabus ſeqq.* P.Thomas Sancius *Lib. 2. Conſiliorum, Cap.4. dub. 1.* & P. Fragoſus *Tomo 2. lib.1. Diſput. 3. §.5. num.110. & 111.* & ſolent omnes gabellæ nomine deſignari, in quibus vna eſt ſpecialis, de qua hîc agendum,& vocatur Aſſiſium, Hiſpanè *Siſa*, quæ datur de rebus emptis ad cibum & potum pertinentibus. Parum autem curandam nominum diuerſitatem obſeruat Cardinalis Lugo *Diſp.36. de Iuſtitia, Sect. 1. num.1.* qui tamen illa explicat, *num.2.* Circa quæ

Aſſertio 1. non licere Proregibus eas imponere, & aliter facientes grauiter peccare.

99 Dico Primò. Proreges ſine Regis licentiâ nequeunt genus vllum publicarum exactionum imponere: & aliter facientes grauiter peccant. Eſt iuxta omnes Doctores,qui poteſtatem imponendi gabellas in ſolis ſupremis Principibus recognoſcunt, non recognoſcentibus ſuperiorem in ordinariâ gubernatione, ſi vnum Angelum excipiamus. *v.Pedagium*, qui ſolum Regem Romanorum eâ prærogatiuâ gaudere contendit, non ſolùm contra omnes,ſed contra Textum locutus apertum, vt ſtatim patebit. De Proregibus autem id ſpecialiter tradit P.Leſſius *Lib.2.c.33.n.13.* Bonacina *Tomo 2.diſp.2.de Reſtitutione Quæſt.9. Puncto 1.n.1.* Pharaonius *in Appendice tr.2.Seſſ.10. Caſu 6.* Cardinalis Lugo *ſuprà n.6.* ſecutus P.Sancium etiam *ſuprà Dub. 3.* alios referentem. Pro quo eſt manifeſta deciſio in *Cap. Innouamus, de cenſibus*, vbi ita loquitur Alexander Tertius: *Nec quiſquam alicui nouas pedagiorum exactiones ſine auctoritate & conſenſu Regum & Principum ſtatuere aliquomodo præſumat. Si quis autem contra hoc fecerit, & commonitus non deſtiterit: donec ſatisfaciat communione careat Chriſtianâ.* Hæc Pontifex. Ex quibus in primis contra Angelum conſtat Reges & Principes poſſe gabellas imponere. Deinde impoſitiones ad eos ſolummodò pertinere. Vbi nequit dici Pedagii nomine ſpeciale debere genus impoſitionis intelligi,& eſt penſio pro rebus, quæ negotiationis cauſâ aſportantur, ad defenſionem

Cap.Innouamus.

Pro quo Pontificia deciſio.

Ad Pedagium non arctanda.

Digitized by Google

ſionem & reparationem viarum deſtinata. Explicatio enim talis omnino eſt Pontificis menti contraria, qui de reparatione aut defenſione viarum non erat ſolicitus magis quàm de aliis, neque erat cur de illis ſpecialiùs cogitaret, cùm ſpeciale inde grauamen non ampliùs immineret, prætermittendo alia frequentiora, quibus fideles duriùs poſſent aggrauari. De gabellarum ergo impoſitione generaliter locutus, pro quibus erat ratio eadem, & ita Doctores mentem eius intellexerunt, & vnanimiter declararunt.

Ex Bulla Cœnæ non rectè argumentũ pro limitatione nominis deduci.

100 Neque eſt ſimile quod in Bullâ Cœnæ habetur in *Excommunicat.* 5. contra eos, qui pedagia & gabellas imponunt, & augent &c. Ex quibus colligunt Hugolinus, Caietanus, Sayrus, Duardus, Bonacina, & alii; quos ſequitur P. Palaus *Parte 6. Diſput.* 3. *Puncto 6. num.* 3. & videtur etiam placere Patri Suario *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſput.* 21. *Sect.* 2. *num.* 42. non excommunicari eos, qui imponunt tallias, collectas, ſeu præſtantias, in quibus non rerum, ſed perſonarum habetur ratio, quia per capita imponuntur: cùm enim lex pœnalis ſit, non debet, niſi iuxta verborum accipi proprietatem. Non eſt inquam ſimile, quia diuerſa eſt ratio, cùm de perſonis, aut cum de rebus agitur; & ita quod de quibusdam dictum, ad alias non debet extendi. At in vectigalibus eadem eſt omnino ratio, vt vidimus, & ita intelligendum Doctores cenſuerunt. Vbi & addendum legem illam eſſe fauorabilem: Regibus quidem, quorum ſupremæ auctoritati conſulitur, ſicut & aliorum ſupremorum Principum. Tum etiam bono publico, ne fideles exactionum multiplicatione grauentur: neque impropriantur verba, ſed in minùs vſitatâ acceptione ſumuntur: vel potiùs non juxta primæuam nominis impoſitionem, ſed iuxta vſum poſteà ſubſecutum; vt in nomine gabellæ videre licet, cuius primæua impoſitio à vectione deducta, eò quòd merces conuehantur; & tamen ad alia ſolet extendi, quæ non aliunde conuehuntur, vt in aſſiſio conſtat, & in guidagio, quod pro ducatu per viam ſoluitur ratione ſecuritatis; vt ait Gloſſa in *Cap. Super quibuſdam*, de verborum ſignificat. Et idem eſt de pedagio, quod ad omnem exactionem extenditur in *Cap. Quamquàm, de Cenſibus in Sexto:* Præterquàm quòd excommunicationem ad collectas imponentes extendi tenent aliqui, quos adducit, & ſequitur P. Filliucius *tr.* 16. *n.* 108.

Fauorabilẽ eſſe conſtitutionem.

Aſſertio 2. Proreges nõ incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

101 Dico ſecundò. Proreges in caſu dicto non incurrunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ, conſtat ex illius tenore: anathematizantur enim omnes, qui in terris ſuis noua pedagia ſeu gabellas imponunt, &c. Tantùm ergo excommunicantur terrarum domini non agnoſcentes ſuperiorem. Et ita explicant communiter Doctores, verba prędicta perpendentes, ex quibus P. Suarez *ſuprà n.* 40. & P. Palaus etiam *ſuprà n.* 4. id quod eſt mihi certiſſimũ: & probabile etiam, non recognoſcentes ſuperiorẽ præfatâ minimè excõmunicatione ligari, ſi tributa imponant iniuſta ſuã excedentia poteſtatem: quod tenet P. Suarez *ſuprà num.* 38. Poteſt autem congrua reddi ratio: nam Proreges, cùm temporarii ſint, & ſyndicatui ſubiecti, cauebunt huiuſmodi exceſſum, qui facilè poterit aut in gubernationis fine, aut querelis ad Regem delatis ſubmoueri. Domini autem terrarum non ita ſe habent: & licèt grauati conqueri apud eos poſſint, idipſum periculo plenum eſt, indignationem Dominorum eâ de causâ ſubituris. Non eſt autem hoc ita certum, vt contrarium ſentientes deſint, ex quibus P. Gaſpar Hurtadus *de Iuſtitia & Iure Diſp.* 14. *diffic.* 2. & Pharaonius *ſuprà*.

Aſſertio 3. licentiam expreſſã requiri, & aliter peccari mortaliter.

102 Dico tertiò. Proreges ſine expreſſâ licentiâ Regis nequeunt publica grauamina exactionum imponere, & aliter facientes peccant mortaliter. Sic P. Sancius *citato Dub.* 3. & Cardinalis Lugo *ſuprà num.* 6. poſt Bonacinam *in expoſitione Bullæ Cœnæ Quæſt.* 6. *Puncto* 3 *num.* 11. Licèt ergo Rex illis Regalia concedat; circa oneris dicti impoſitionem non eſt generalis conceſſio vllatenus extendenda. De peccati autem grauitate dubitari nequit, cùm ſit onus Reipublicæ grauiſſimum, & ampliatio exitioſiſſima poteſtatis. Videantur dicta *num.* 91.

§. II.

Circa Siſam notanda quædam, Aſſertiones aliæ.

Aſſertio 4. Siſam non poſſe ad aliũ effectum à Proregibus applicari.

103 Dico quartò. Onus Aſſiſii, ſeu Siſæ ex Regis facultate ad vnum effectum impoſitum, non poteſt ex Proregis libitu ad alium applicari; nec tempus conceſſionis extendi, ſine graui piaculo conſcientiæ. Sic colligitur ex communi doctrinâ ſcriptorum aſſerentium ceſſare tributi juſtitiam, quando Princeps non præſtat ea, pro quibus illud impoſuit, & conſequenter eſſe iniuſtam exactionem, neque eſſe obligationem ad ſoluendum. Sic plures, quos adducit & ſequitur P. Sancius *ſuprà dub.* 8. *num.* 5. P. Vaſquez *opuſculo de Reſtitutione Cap.* 6. *Dub.* 2. *num.* 25. *& Dub.* 4. *num.* 54. Cardinalis Lugo *ſuprà num.* 20. 61. *& ſeqq.* P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 33. *num.* 41. P. Sà *v. Gabella n.* 5. P. Gaſpar Hurtadus *Diſput.* 14. *citatâ Difficult.* 8. P. Dicaſtillus *lib.* 2. *de Iuſtitia Tractat.* 20. *Diſput.* 3. *num.* 179. *& ſeqq.* Baſſæus *v. Gabella numer.* 7. & alii: qui de ſupremis loquuntur Principibus, vt de Proregibus nulla poſſit dubitatio ſupereſſe. Et in illis quidem citati Auctores, & alii, quod ad tempus attinet juſtum eſſe tributum affirmant, licèt vltra determinatum tempus protrahatur, ſi cauſa eadem perſeueret; vel ſi ceſſauerit, alia ſuccedat, pro qua meritò poſſit imponi: ſecus ſi penitus ceſſauit, & alia non extet æquiualens. Videantur præſertim Cardinalis Lugo *num.* 51. P. Vaſquez *numer.* 66. P. Sancius *num.* 7. & Nauarra *Lib.* 3. *Cap.* 1. *Parte* 3. *Dub.* 11. *num.* 251. *&* 260. Vbi quod ad prius attinet, quando ſcilicet id, pro quo eſt tributum impoſitum, imperfectum eſt, quia non obſtante contributione, & conuenienti diligentiâ adhibita, perfici non potuit; idem prorſus videtur admittendum, nam voluntas Regis debet talis æſtimari. Licèt enim ſine expreſſâ illius facultate nequeat onus exactionis imponi, juxta dicta *Aſſertione præced.* hoc tamen diuerſum valdè eſt, vbi facultas ſupponitur, & de perfectione operis rationabiliter præſumitur; fuit enim ad illud petita facultas, ad inchoandum ſcilicet & perficiendum, pro quo & conceſſa: & quia tanti temporis contributio ſufficiens viſa eſt; tanti,

Ceſſat tributi obligatio non præſtante Principe id, pro quo eſt impoſitũ.

Circa tempus quo fieri poſſit extenſio.

Digitized by Google

tanti, & non longioris eſt facta conceſſio: vnde ſi illud ſufficiens non fuit, omne, quod neceſſarium fuerit, videtur conceſſiſſe.

Nõ admittenda circa diuerſum effectum in Proregibus, quidquid de Regibus ſit.

104 Quando verò ideò non eſt abſolutum opus, aut ſatisfactum obligationi, quia Prorex collectam pecuniam in alia conuertit opera, diuerſa prorſus ratio eſt. Si illa ſint vtilia Reipublicæ: licèt enim talia ſint, ſupra facultatem illius eſt, Regibus quidem id conceditur, quia pro talibus poſſent exactionem imponere, & ita parùm intereſt, quod iam impoſitâ vtantur, pro ſuæ amplitudine poteſtatis. Prorex autem non ita eſt potens; quia etiam pro vtilibus nequit præſtationes imponere: vnde cùm vnius conceſſionem ad aliud transfert, & legis & juſtitiæ præuaricator exiſtit. Et multò id potiùs quando opera talia ſunt, vt Reſpublica non poſſit ad ea efficienda compelli, quia inutilia, vel etiam aliquo modo vtilia, quia ad aliquem ſplendorem conferunt, ſine eo tamen viui conuenienter & decenter poſſet: neque enim pulchra omnia ornamenta, quæ alibi magnificentiâ Principum elaborata viſuntur, cuilibet ſunt Reipublicæ conquirenda: pro quo eſt quamplurimum ſcriptorum doctrina apud P. Sancium *ſuprà Cap.* 55. *num.* 15. Exemplo ſit Limani fori quæſtuoſiſſimus fons, qualem nec Regis Curia, nec vlla habet Hiſpaniæ ciuitas, vel ſi vmquàm habitura, Aſſiſii onere pro obligatione aliâ iuſtitiæ conceſſo, perfectus: de quo tamen dici cum Poëta poſſit: *Sed nunc non erat his opus*, & ſic de aliis. Quo euentu cum ſatisfactum obligationi juſtitiæ non ſit, videtur poſſe dicta exactio continuari, ob rationem dictam: quod tamen ægrè peragitur, ad varios effectus exactionis huius ſuperabundante copiâ pro gubernantium arbitrio diſtractâ. Sed ſi peccati grauitas (quæ vtinam non talis in contingentia facti) eos non reddit in re tantâ peruigiles, quod ſequitur audiatur.

Nõ eſt vera vtilitas, cùm ad ſplendorem tantùm aliqua conficiuntur.

Aſſertio 5. obligari prædictos ad reſtitutionem.

105 Dico quintò. Proreges tenentur ad reſtitutionem eorum, quæ ex actionibus aut ſine licentiâ impoſitis, aut non ſeruato licentiæ tenore iuxta ſuperiorem explicationem, inſumpſerint. Id conſtat. *Primò* ex communi doctrinâ Theologorum, qui Reges, ex quibus ad Proreges eſt illatio irrefragabilis, ad reſtitutionem teneri aſſerunt in caſibus *num.* 103. declaratis. Sunt autem omnes citati, quibus addendi P. Turrianus *de Iuſtitia Diſput.* 46. *Dub.* 4. & Bonacina *ſuprà num.* 9. & licèt aliqui apud P. Hurtadum tantùm obligent ad reſtitutionem damnorum, eorum hìc locum ſententia non habet: tum quia ſine fundamento loquuntur, vt citati aduertunt, & ratio eſt manifeſta, quia pro auertendis damnis pretium illud acceperunt: ergo ſicut ad damna tenentur, quia non impleuerunt pactum, ita & ad pretium reſtituendum: conſequentia patet; quia auerſio damnorum eſt vnicus titulus acceptionis, qui ceſſat, & ita iniqua eſt retentio. Tum etiã quia de exactionibus agunt pro damnis auertendis impoſitis: in noſtro autem caſu damna alia non ſunt, quàm illa, quæ ex ipſa iniquâ pecuniæ extorſione prouenjunt; cùm detur ad opera, ex quorum defectu nullum conſiderabile damnum Reſpublica pateretur. Præterquàm quòd in caſu dicto aut damna ſunt, aut non. Si primum: ergo ſaltem ex eo titulo reſtituenda pecunia, quia illâ æquiualens eſt auerſioni damnorum, quæ tamen re ipſa auerſa non ſunt. Si ſecundum: ergo nullus eſt titulus ad illam retinendam, & ita abſque dubio redhibenda.

Probatio de Proregibus ſpecialis.

106 Deinde probatur de Proregibus ſpecialiter; quia omni iure ad exactiones carent: ergo ſine licentiâ exigentes contra dominorum rei acceptæ voluntatem extorquent, qui inuiti præſtant, & meritò inuiti. Ex quo ſequitur reſtituendi obligatio; quia eſt furtum; contrectatio ſcilicet rei alienæ inuito domino. Vel ſi ex eo quòd domino non ſit occulta ſurreptio, velis eſſe rapinam, id certè peius, quia rapina maius peccatum eſt, vt docet Diuus Thomas 2.2. *quæſt.* 66. *artic.* 9. pro quo & videri poteſt P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 12. *num.* 8. Si autem licentiæ limites fuerint violati, eadem eſt ratio; quia pro eo, quod ſine licentiâ fit, valdè per accidens ſe habet, quòd pro alio illa præceſſerit, aut fuerit comitata. Quemadmodùm ſi quis licentiam tribuit alicui vt ex arcâ eius decem ſibi regales extrahat; ſi viginti extraxerit, quoad illum exceſſum licentia pro decem data nihil iuuat, vnde eſt obligatio reſtitutionis penitus innegabilis.

Rapina maius peccatum furto, vt hic interueniat.

Obligationem dictã etiam cùm pecunia in vtilitatem publicam expenſa eſt, vrgere.

107 Dices, ſaltem cùm pecunia in eum vſum eſt conuerſa, pro quo imponi iuſtè exactio poſſet, non videri obligationem reſtitutionis vrgere, ſicut de Regibus dictum, *num.* 103. Sed certè neque in hoc caſu videtur obligatio ceſſare ob rationem præcedentem: quia pecunia illa etiam per rapinam extorta, inuitis inquam dominis, ad quos de opere tali notitia nulla peruenit, & de quo forſitan neque ipſe imponens tunc temporis cogitabat, ſi autem poſteà & cogitauit, & alios cogitare fecit; adhuc etiam iuſtè illi habentur inuiti; quia nullus vult ſe contra id, quod leges præcipiunt, onerari. Nihilominùs probabiliter dici poteſt teneri quidem ad reſtitutionem, quod videtur certum: ſed reſtitutionem ipſo opere ſubrogato fieri poſſe: valdè enim eſſet difficilè ſingulis reſtitutionem fieri, & ita opere illo in communem vtilitatem exhibito conuenienter illam fieri. Sic enim cenſent multi obligatum ad reſtituendum communitati, ſi reſtitutio commodè fieri nequeat ſingularibus, debere in vſus eiuſdem fieri ad Rectoris arbitrium. Pro quo Nauarra *Lib.* 4. *Cap.* 2. *num.* 66. alios adducens, de quo & nos *inferiùs Titulo* 6. *num.* 18. Quando ergo Rector ipſe eſt qui debet, ſuo poteſt id arbitrio facere, ratione & conſilio regulato. Et talis eſt Prorex in noſtro caſu, in quo præter rationem dictam eſt alia adducta ex eo quòd exactio eadem pro opere ſubrogato præſumi poterat facienda.

Quid probabiliter circa modum.

§. III.

Quoad Eccleſiaſticos quid in permiſſa exactione cauendum. Vbi de ſpeciali quadam penitus reprobandâ.

Excommunicationes contra exigentes ab Eccleſiaſticis.

108 ID cauendum certè, ne eâdem comprehendantur: aliàs contra immunitatem peccabitur, & in excommunicationem Bullæ Cœnæ, & quidem duplicem, incurretur: in 15. ſcilicet, & 18. In illa enim prohibet Pontifex ſtatuta,

Digitized by Google

ſtatuta, pragmaticas, & quælibet alia decreta contra libertatem Eccleſiaſticam: in iſtâ magis in ſpeciali de gabellarum impoſitione diſponit. Pro quo & multa alia Pontificia decreta in Iure extant, & extra illud, vt hac nihil teſtatius eſſe poſſit veritate. Quâ ſuppoſitâ, ſemper in regnis Indiarum, vtpote Catholico Regi ſubiectis ſicut vero Domino, id caueri curæ fuit, ne quidquam prædictæ immunitati aduerſum ſtatueretur. Sed non equidem ſic feliciter ſemper cautela proceſſit, vt ex conſulentium minore aut pietate, aut peritiâ, lapſus aliquis non fuerit deprehenſus. Et talis fuit ille, cùm pro muro Cullaico extruendo, qui magni eſſe ad ſecuritatem totius Peruuiani regni momenti videbatur, (licet in hoc contrariæ non defuerint opiniones) ſupra ſacharum eſt Siſa conſtituta: cuius prouentus ad Eccleſiaſticos præſertim pertinebat. Et ne illi viderentur grauari, res ita diſpoſita eſt, vt ſupra ordinarium pretium arrobæ viginti quinque libras habentis taxa quatuor regalium adderetur. Cùmque exactor non poſſet omnibus emptoribus adeſſe, ſtatutum eſt, vt apud Eccleſiaſticos auctarium illud pretij ſeruaretur, & ipſi collectam quantitatem tunc redderent, cùm à miniſtris ad hoc deputatis peteretur: vel certè ſi ipſi vellent laborem minutioris iſtius numerationis euitare, ad certam ſummam ſoluendam partibus benè viſam tenerentur.

Id ſemper in Indiis cautum.

Lapſus peculiaris ex impoſitione quadam.

Contra illam efficaciter agitur.

109 In quo quidem, vt dixi, lapſus eſt commiſſus in Chriſtianâ Republicâ minimè tolerandus. Nam in primis venditio talis non eſſet Eccleſiaſticis libera ſicut anteà, cùm onus illi ſatis faſtidioſum adderetur; recipiendi ſcilicet pretij auctarium, ſeruandi, rationem reddendi dati & accepti, cum bonæ exiſtimationis periculo, ob non ſeruatæ fidelitatis ſuſpicionem: numerandi deinde, quod ſoluendum erat, exactore petente, cum teſtimonijs receptionis. Eſt autem regula receptiſſima in hac materiâ, tunc lædi libertatem, quando Eccleſiaſticæ perſonæ non licet id, quod anteà licebat, vel naturæ jure, vel ex prærogatiuâ immunitatis. Quod benè inter alios obſeruant Riccius in *Praxi Tomo 3. Reſol.* 207. *num.* 8. Laderchius *Conſilio* 103. *à num.* 8 *vſque ad* 15. Mandellus *Lib.* 1. *Conſilio* 8. *num.* 3. & P. Filliucius *Tomo* 1. *Tract.* 16. *num.* 271. Ex quo multæ decidi ſolent quæſtiones.

Regula ad dignoſcendam læſionem libertatis.

Multipliciter in caſu dicto verificatur.

110 Deinde. Ex tali grauamine valde læderentur Eccleſiaſtici: aucto enim pretio pauciores eſſent, qui ad emendum accederent; cùm conſtet homines ab emendo retrahi aucto rerum pretio: & vel ab emptione abſtinere, aut minori multò eſſe cõtentos. Item, auſteriores paterentur emptores, auaros illos, & crudeles exiſtimantes, qui, cùm videant Rempublicam tali onere grauari, nihil tamen de ordinario pretio remittunt. Prætereà. Grauamen hoc Eccleſiaſticos præſertim attingeret, cùm illi, vt dixi, eo prouentûs genere alijs antecellant. Quæ omnia ſatis indicant ex impoſitione prædictâ Eccleſiaſticam lædi libertatem. Neque enim priuilegium hoc tantùm eſt, vt non impediantur Eccleſiaſtici tale aliquid facere, quòd aliàs erat jure licitum, ſed etiam ne impediantur quoad faciendi modum: ſi enim circa modum impediuntur, non plena jam & totalis libertas eſt. Quælibet ergo moleſtia illis illata priuilegio eſt immunitatis contraria. Et quemadmodum qui alterius juriſdictionis eſt in ciuili foro, nullam poteſt moleſtiam per judicem aut dominum diuerſum pati: ita, & multò magis in Eccleſiaſticis, qui per ſuperius jus à laicali ſunt penitus exempti poteſtare. Hinc eſt doctrina communis, de quâ P. Filliucius *ſuprà num.* 270. §. *quartò ſunt*, juxta quam contra libertatem Eccleſiaſticam eſt id, per quod Eccleſiaſtici redduntur timidiores, & ſæculares audaciores: vt quòd percutientes Clericos puniantur in decem aureis; qui verò laicos, in viginti. Nulla enim illis actio tali ſtatuto præcipitur, nulla prohibetur: quia tamen grauis irrogatur moleſtia, eò quòd majori curâ ſe tueri debeant, ex eo libertatis eſt violatio manifeſta. Eo enim ſecluſo ſtatuto, ea illis ſufficiebat cura, quæ reliquis. Et tamen poterat ſtatuti talis prætextus aliquis inueniri; quòd ſcilicet Eccleſiaſtici arma habeant ſpiritualia potentiora, quibus ſe defendant; Cenſuras inquam: & quòd ex eorum percuſſione non poſſint damna timeri, quæ ex aliorum; quia maiorem debent habere patientiam. Et ſic alia cumulari poſſent: quibus tamen ſibi iniquitas mentiretur. Videndus etiam Decius in Cap. *Eccleſia ſanctæ MARIÆ.*

Aliud læſæ libertatis argumentum.

Quorumdam Auctorum doctrinam minimè ſuffragari impoſitioni præfatæ.

111 Nec in præfatæ diſpoſitionis patrocinium afferri poteſt quorumdam ſententia, qui apud Dianam *Parte* 1. *Tract.* 2. *Reſolut.* 49. affirmant talem gabellæ modum eſſe licitum: quod ex Societatis Auctoribus etiam tenent apud eũdem P. Molina *Diſputat.* 663. *num.* 5. *in fine.* P. Henriquez *Lib.* 10. *Cap.* 25. *num.* 6. *in Gloſſa.* Et probabile cenſet Cardinalis Lugo *Diſput.* 36. *de Iuſtitia num.* 144. non inquam afferri poteſt: quia in primis P. Molina tantùm ait juxta leges Hiſpaniæ ex iis, quæ Clericis venduntur, deberi alcabolam: quod eſt alterius quæſtionis. P. Henriquez nihil habet *loco citato* & quamuis *n.* 5. de Siſâ loquatur, caſum præſentem, vt cõmuniter à Doctoribus tractatur, non tangit. Probabilitas autem quam Cardinalis Lugo ſic generaliter agnoſcit, non videtur eius conſonare doctrinæ: cum ipſe *num.* 140. vt certum ſtatuat contra libertatem Eccleſiaſticam eſſe, quando aucto rerum pretio, tale augmentum non manet apud venditorem, ſed per modum gabellæ ſoluitur. Dicere enim augmentum tale in ipſâ venditione ſolutum non eſſe partem pretij, ſed aliquid pretio ſuperadditum, fallacia eſt manifeſta, & verba legis amplectendo, contra legis niti voluntatẽ. Si enim Clerici eodem grauantur modo, ſic aut aliter tribuendo, quod intereſt nominum diſcrimen, in re præſertim adeò ſcrupulis obnoxiâ, & pro qua diligentiſſimè Eccleſiæ auctoritas excubat, ſciens in Dei populum ex eius violatione infandam malorum colluuiem irrupiſſe? Pretium quidem currens talis rei venialis ſiſæ ſuppoſitæ, vt quatuor argenteorum eſt: & eadem eſt rerum copia, ac ementium frequentia. Non poteſt equidem rebus ſic ſe habentibus augeri pretium: quod ſi augeatur vſque ad ſex, & duo additi ab Eccleſiaſtico venditore petantur, libertas dicitur Eccleſiaſtica violari, quia iniuſtè exigitur, quod manere apud venditorem debet. Quod tamen non ſic videtur: quia cùm augmentum illud ſupra pretij iuſtitiam ſit, non habet Eccleſiaſticus

Probabilitas à Cardinali Lugo aſſerta confutatur.

ius ad illud, nec Reſpublica habere vult, cùm illud contributioni deſignet, vtpotè ſupra iuſtum pretium acquiſitum. Si ergo eo non obſtante libertas Eccleſiaſtica violatur, ex alio id capite proueniet, quia ſcilicet Eccleſiaſtici ad modum ſpecialem vendendi adiguntur iuxta dicta *num. præced.* Atqui eadem eſt ratio, cùm augmentum pretij non manet apud venditorem, vt conſtat, quia etiam ad modum ſpecialem vendendi adſtringitur: ergo ſimiliter Eccleſiaſtica libertas minuetur.

Ex ſpeciali Eccleſiaſticorum grauamine impoſitio, de qua agitur, improbatur. Et quando illa talis cenſenda ſit.

112 Prætereà. Vt demus ſententiam illam generaliter propoſitam eſſe probabilem, in caſum noſtrum non cadit, qui eſt valde ſpecialis. Nam, vt diximus, grauantur præcipuè Eccleſiaſtici: quo euentu Doctores manifeſtam violationem libertatis agnoſcunt. Tunc enim grauamen aliquod tolerabile iudicant, *quando contributio laicis impoſita, dum extenditur ad Clericos, parùm & paucis noceret per accidens*, vt ex illorum mente loquitur P. Henriquez *ſuprà num.* 5. vel, vt loquitur iuxta eoſdem P. Sancius *Lib.* 1. *Conſiliorum Cap.*4. *Dub.*55. *num.* 40. *Non imponunt magis ſuper his, quæ ſæpiùs emuntur à Clericis.* Item. Non loquuntur in caſu, quo grauamina aliqua ſpecialia venditoribus imponuntur, qualia iam vidimus in caſu noſtro reperta. Et quidem ſine illis & ſolùm ob generales rationes, affirmat Diana *ſuprà, in fine*, rem viſam eſſe difficilem ac periculoſam Senatui Panormitano, & ita prædictam gabellam non impoſuiſſe. Quid ergo facerent, ſi eam viderent tot oneribus prægrauandam? Ea certè non diu perſtitit, ſed re meliùs trutinatâ, ipſe qui & impoſuerat, & conatus exequi, pius aliàs & iuſtus Gubernator, abrogauit. Non tamen hoc loco omitti illius commemoratio potuit, vt in poſterùm diſpoſitiones ſimiles caueantur.

P. Henriq.

P. Sancius.

§. IV.

De exactione aliâ, & quomodo toleranda: ac de obligatione reſtitutionis

Gabellæ impoſitio cum reſtitutione in fine anni Eccleſiaſticis facta à quibus probetur.

113 SEd ſucceſſit alia eiſdem auctore, quæ poteſt iuxta opinionem probabilem ſuſtineri eorum, quos ſequitur Cardinalis Lugo *ſuprà num.* 141. & Diana Reſolut. 45. dicentes licitè exigi gabellas ab Eccleſiaſticis cum animo reſtituendi eas in fine anni: quod ita fit ad vitandam confuſionem. Cùm enim Eccleſiaſtici non per ſe, ſed per famulos emant, nec ſcire poſſint vendentes an verè tales famuli eorum ſint, vel fideliter ſe gerant, idem pretium accipiunt, & in fine anni redditur iurantibus ſibi deberi. Sic factum apud nos exemplo Panormitanæ vrbis, vbi idem in vſu, Dianâ teſte; & ex ſingulis arietibus in macello venditis ſine pelle, extremitatibus, & extis duo argentei ſiue regales exiguntur. Quod quidem, non factâ etiam Eccleſiaſticis reſtitutione modo dicto poſſe ſine Eccleſiaſticæ libertatis violatione fieri affirmat P. Henriquez *citato n.* 5. exemplum apponens, vt ſi Reſpublica in neceſſitate habeat ius imponendi collectam ſiue Siſam in vini deſignatis tabernis: nec fieri poſſet expedita collectio, niſi omnes ſine diſcrimine etiam nobiles ac Clerici ſponte contribuãt, qui eius tabernæ vino ſponte vti volunt. Addit autem in Gloſſa, vt Prætor curet quòd ſit alia taberna vini, in quam abſque tributo confluere poſſint Clerici, vel vt à vicinis oppidis ſibi afferre poſſint in vrbem: ſic enim planius fit non cogi ad hanc tabernam tributis oneratam. Pro quo plures adducit *Lit. O. & Q.* addens ſic etiam Doctores Salmanticæ conſultos cenſuiſſe. Pro quo & Diana *Parte* 1. *Tract.* 2. *Reſolut.* 83. alios adducit. Quibus non obſtantibus, aliter apud nos diſpoſitum, vt ſecuriùs & pacatiùs apud Deũ & homines procedatur.

A quibus item ſine reſtitutione.

Etiam reſtitutione facta à nonnullis refutatur.

114 Et reſtitutione etiam dicto modo ſtatutâ, ſunt qui iniuſtam cenſeant exactionem, vt videri poteſt apud Dianam *ſuprà*, quia totum hoc agitur ex concordatis factis cum Epiſcopis, conſentientibus & volentibus ipſis Clericis: non autem renuntiantibus priuilegio, ſed ſuſtinentibus eius effectum differri in tempus quod proximè ſit magis opportunum ſine vllo onere aut intereſſe. Ex quibus manifeſtè ſequitur quòd ſi concordata huiuſmodi non fuerint, exactio ſit illicita vel ſi Clerici effectum illum priuilegij ita differri inuiti ſuſtineant. Et quidem negari nequit quin moleſtum nimis ſit ſingulis diebus, aut ferè ſingulis, in pugillari quantitatem vini, aut carnis, ab eiſdem emptam adnotare, ſicut in ſimili *num.* 109. dicebamus. Eſt etiam valde difficile quòd Clerici, etiamſi non renuntient priuilegio, in modum illum, illicitum aliàs, conſentiant: quia licet non renuntient priuilegio quoad habitum, ſeu ius radicale; quoad illius executionem renuntiant: quod tamen facere licitè nequeunt, ſicut in priuilegio Canonis & Fori. Et ita Leo X. in Concilio Lateranenſi *Seſſione* 9. ſub finem §. *& cùm à iure*, pariter prohibet exactionem & contributionem, etiam cùm ſponte videtur fieri *Ne imponant exigantque; neue à ſponte etiam dantibus, & conſentientibus recipiant.* Quæ ſunt illius verba. Licet autem in caſu, de quo loquimur, contributio in fine anni redhibeatur, aliquale tamen eſt onus, dum pecunia traditur diu pòſt reſtituenda, & Eccleſiaſtici adiguntur ad id, à quo per ſuum priuilegium ſunt prorſus immunes: quod voluit cauere Concilium, ſicut in Bullâ Cœnæ cauetur, *Excommunicat.* 18. in quâ etiam ſponte data & conceſſa recipi prohibentur. Pro quo faciunt quæ adducit P. Fragoſus *Tomo* 2. *Diſput.* 3. *num.* 318. §. *Quoad alia*

Neque ſponte data poteſt accipi contributio. Concilium Lateran.

Plus aliquid in fine anni reſtituendo iuſtificari exactionem qui cenſeant, quid negent.

115. Sunt autem qui vt ſuſtineri modus exactionis dictus poſſit, & excommunicatio vitari, plus aliquid reſtituendum affirment in fine anni in recompenſationem dicti incommodi & intereſſe. Quod tamen Cardinali Lugo *num.* 141. *citato* non placet: quia accipere plus pro incommodo pecuniæ antèa datæ, eſſet vſura, niſi propter lucrum ceſſans, aut aliud damnum emergens, accipiatur. Neque etiam hoc modo euitaretur cenſura; quia ſi id fieret inuitis Clericis, iam imponeretur illis aliquod onus, cogendo eos ad mutuandum ſub vſuris: ſi verò conſentientibus, neque grauamen vllum ex hoc ſentientibus; non eſt neceſſe plus aliquid dare, cùm non ſit contra immunitatem; quia non coguntur ad contributionem, vel aliquod grauamen, ſed ipſi voluntariè volunt ad vitandas publicano-

rum

Digitized by Google

rum fraudes ſuam exemptionem executioni mãdari modo illo faciliori & ſecuriori.

Contra Cardinalis Lugo diſcurſum arguitur efficaciter.

116 Quæ quidem licet ſapienter excogitata ſint, poſſunt tamen efficaci ratione redargui. Nam licet ob puram carentiam pecuniæ nihil poſſit peti, propter onus tamen eidem adiunctum, & pretio æſtimabile, iuſtè poteſt peti, & iuſtè debet exolui. Atqui, vt fatetur citatus Auctor, cùm inuiti ſunt Clerici, onus illis imponitur, quod ipſe ait eſſe innegabile, & conſequenter pecuniâ æſtimabile: quod etiam innegabile eſt: ergo ſine vſuræ labe peti poteſt, & debet exolui. Item Clerici ſemper ſunt inuiti: nam licet ſponte videantur offerre, quatenus corporalis violentia non infertur, ſuam tamen redimunt vexationem; ſicut in vſuris contingit. Si tamen aliquando omnino ſponte conſentiant, licet malè faciant, iuxta dicta *num.* 114. nulla erit reſtitutionis obligatio, quia de re ſuâ diſponere validè poſſunt, quamuis non licitè, ſicut de Beneficiariis receptiſſima tenet opinio, cùm Eccleſiaſtica bona, ex Beneficij inquam fructibus, in vſus profanos expendunt.

Obligatio reſtitutionis generaliter ſtabilitur.

117 De reſtitutione autem generaliùs loquendo, quando libertas Eccleſiaſtica exactione iniuſtâ læditur: aut directè, quia Eccleſiaſtici, aut in ſpeciali, aut ſimul cum aliis ad contribuendum adiguntur: aut indirectè, quando attentis circumſtantiis, licet de illis non fiat mentio, idem reipſa coguntur per ambages quaſdam ſoluere quod alij, ad quos exactio manifeſtè dirigitur. Tunc quidem obligatio ad reſtitutionem non videtur poſſe negari. Quod cum Richardo *Quodlib.* 2. *Quæſt.* 30. benè Cardinalis Lugo confirmat. Et ratio eſt. Quia ibi interuenit rei alienæ contrectatio inuito domino, & ita rapina honeſto exactionis titulo palliata.

Eam non negat P. Sancius, vt ipſi Cardinalis Lugo adſcribit.

118 Addit autem citatus Cardinalis P. Sancium videri prædictam doctrinam reijcere *ſuprà num.* 41. quatenus ait peccari contra immunitatem, non tamen eſſe obligationem reſtituendi: quia malus animus non facit quòd res, quæ aliàs non erat contra iuſtitiam, ſit contra illam, & afferat obligationem reſtituendi. Sed certè Pater Sancius contrarius non eſt: loquitur enim in caſu, quo exactio licitè Eccleſiaſticis poſſit imponi; & tamen malo animo imponitur, ex intentione ſcilicet deprauatâ eos grauandi. Et hoc in caſu locutum ait Richardum, quem impugnat adductâ nuper ratione, & exemplis demonſtrat, Auctorumque ſuffragio vt non appareat vnde certam doctrinam reiicere videatur. Addit autem poſitâ iuſtitiâ exactionis, malum animum tantùm eſſe contra charitatem, quod omnino certum apparet: vnde & impugnatio Cardinalis Lugo non videtur ad intentũ; dum ait non ſolùm eſſe contra charitatẽ, ſed etiam contra immunitatem, quando exactio indirectè eſt contra Eccleſiaſticos, quia per circuitum quemdam, id, quod directè diſponi non poterat, obtinetur. Illud namque P. Sancius non negat, ſed in caſu alio loquitur, vt vidimus, & ampliùs ipſum conſulenti patebit.

Ex calce & lateribus venditis alcaualam non debent Religioſi.

119 Fuit etiam Regius Fiſcalis, qui ex calce & lateribus coctis, quæ Religioſi vendunt, quia eorum habent officinas, alcaualam eſſe ſoluendam contenderet. Cuius conatus irritus extitit, nec pietati, nec rationi conformis. Tum quia hoc non erat in vſu, qui maximè attendendus in hoc genere, etiam contra iuris regulas, vt Textibus, & Doctoribus probat Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 2. *Cap.* 3. *num.* 53. & in Politicâ *pag.* 269. §. *Y eſta coſtumbre.* Tum quia eo in genere Religioſi præſertim grauabantur, quod eſſe contra immunitatem jam vidimus *num.* 112. Tum etiam quia alcauala non debetur ex omnibus, quæ venduntur, vt patet ex multis, quæ iuxta leges Hiſpaniæ adducit P. Molina *Diſput.* 664. Ergo ex generali diſpoſitione immeritò cenſentur comprehenſa illa, de quibus agimus, cùm in illis ſit ratio ſpecialis ob venditentium immunitatem. Tum denique quia Eccleſiaſtici alcaualam non debent, vt eſt certum: & in Hiſpaniâ ſoli venditores alcaualam debent, non emptores, quidquid de Portugalliâ ſit, in qua & venditor & emptor pro dimidio ſoluunt. Eſt ergo euidens illam non debere, nec poſſe niſi per ſummam iniuriam, & immunitatis temerationem exigi. Quòd ſi gabella ementibus imponatur, alia eſt quæſtio, de quâ iam dictum §. *præced.* & cùm impoſita non ſit in prædictis, nullus relinquitur titulus exigendi.

Neque generaliter Eccleſiaſtici.

§. V.

Circa licentiam Pontificis doctrina multiplex, variis neceſſitatum generibus explicatis.

Ad contributiones aliquas Eccleſiaſticos teneri pro neceſſitatibus, quæ explicantur.

120 TEneri aliquando Eccleſiaſticos ad contribuendum, eſt verum: pro quo in primis ſtat communiſſima Doctorum ſententia, quando vtilitas proximè & directè illos concernit; vt ſi inundatione, aut hoſtium irruptione domus aut prædia eorum damnificata ſint, aut periculum proximum & manifeſtum immineat. Quibus pro Indiis addere poſſumus id, quod eſt frequentiſſimum, emundationem ſcilicet foſſarum, per quas aqua è fluuiis ad irrigationem deducitur prædiorum; quorum magna pars ad Religioſos ſpectat. Pro quibus videri poteſt Bonacina *in explicatione Bullæ Cœnæ Quæſt.* 19. §. 3. *num.* 17. Deinde ſunt neceſſitates & vtilitates aliæ communes omnibus, quæ & Eccleſiaſticos vti Reipublicæ membra pertingunt, quales ſunt in reparatione murorum, pontium, viarum &c. Circa quæ grauiſſimum extat Lateranenſis Concilij ſub Innocentio Tertio decretum, & habetur in Cap. *Non minùs, de immunitate Eccleſiarum.* Vbi cùm præmiſiſſet ſic: *Sine quidem foſſata ſiue expeditiones* (militum inquam) *ſeu alia quædam ſibi arbitrentur agenda, de bonis Eccleſiarum, & Clericorum & pauperum Chriſti vſibus deputatis, volunt ferè cuncta compleri.* Addit ſtatim. *Quocirca ſub anathematis diſtrictione fieri de cetero talia prohibemus: niſi Epiſcopus & Clerus tantam neceſſitatem vel vtilitatem aſpexerint, vt abſque vllâ exactione ad releuandas communes vtilitates vel neceſſitates, vbi laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia per Eccleſias exiſtiment conferenda. &c.* Vbi quidem ad Apoſtolicam Sedem recurſus nullus indicitur, ſed iudicio Epiſcopi & Cleri remittitur vtilitatum & neceſſitatum examen: & benè illis inſpectis, ac talibus deprehenſis, obligatio ſub mortali ſubeſt eiſdem ſuccurrendi.

Conſilij Lateranenſis pro eo decretum.

121 Vbi

Digitized by Google

Si non contribuãt ad reſtitutionẽ teneri, ex obligatione iuſtitia cõmutatiua.

121 Vbi & credo, ſi non ita fiat, reſtitutionis onus incumbere, quia iniuſtitia manifeſta committitur. Si enim illi eſſent laici, ex juſtitiâ tenerentur; non quidem legali tantùm, quâ debet quis commune bonum priuato ſuo præferre: ex illa enim non conſurgere obligationem reſtitutionis non immeritò affirmari poteſt; ſed ex commutatiuâ. Sicut enim debet quis mercedem ſoluere in domo aut villâ ſuâ laboranti, ita & laborantibus in Republicâ, cuius eſt ciuis, quando illius labor in eius cedit vtilitatem. Iam quòd laici non ſint, ſed Eccleſiaſtici & ſic ſoluere non debeant, ratione priuilegii habetur: Atqui illud in caſu, de quo loquimur, ceſſat, ſic diſponente Pontifice, aut potiùs declarante, cùm ius naturale id exigere videatur; vt ſcilicet partes omnes bono communi proſpiciant: ergo ex iuſtitiâ tenentur ſicut laici, & ita eâ violatâ ad reſtitutionem obligantur. Quod colligo ex P. Suario *lib. 4. Defenſionis fidei cap. 26. num. 6.* vbi in Epiſcopo juſtitiæ obligationem agnoſcit, quod de aliis conſequenter aſſerendum.

Varia vtilitates, in quibus videtur obligatio nulla.

122 Sunt autem vtilitates aliæ, quæ non ita proximè videntur ad Eccleſiaſticos ſpectare; quia non ad propria bona, neque Reipublicæ, cuius ſunt ciues, ſed totius regni pertinent: vt cùm de expeditionibus agitur, juxta *Cap. Non minùs* citatum, aut de aliis, ratione quarum non oriri obligationem in Eccleſiaſticis ad contributionem, communiter docent ſcriptores; ſicut neque ratione neceſſitatum aliquarum Reipublicæ, quæ poſſent non vrgentes judicari. Si enim ratione illarum obligandi eſſent, immunitas nullius eſſet momenti: ſemper enim ob neceſſitates, aut vtilitates gabellæ imponuntur; aliàs eſſent prorſus iniuſtæ. Pro quo videri poſſunt P. Sancius *Cap. 55. citato num. 3.* & qui ab eodem adducuntur. Non videtur autem benè explicari tertius neceſſitatis modus, ex eo quòd ſit communis regno: nam talis eſſe ſic communis regno poteſt, vt grauiſſimè vrgeat, qualem in Hiſpaniâ annis proximioribus vidimus tot cinctâ rebellibus, & externorum incurſionibus impetitâ. Et quidem mutante regno omnia nutant, & maius inde damnum Clericis timeri poteſt, quàm ſi in ciuitatibus, quas incolunt, pontes, aut viæ non ſint conuenienter inſtructæ. Rege ergo tunc onus aliquod imponente, iudicare rationabiliter Prælati & Clerus poterunt, ad illud ſe ſubeundum teneri. Et ita tandem fatetur P. Sancius *num.* 35. quoad obligationem contributionis. Quo euentu grauis inſurgit difficultas an debeat Sedes Apoſtolica conſuli. Nam licèt Concilium Lateranenſe eam *citato in Capite* non imponat obligationem, habetur tamen *Cap. Aduerſus*, eodem Titulo, verbis illis ex eodem Concilio: *Propter imprudentiam tamen quorumdam, Romanus Pontifex prius conſulatur, cuius intereſt communibus vtilitatibus prouidere.* Sic ibi: vrget item Lateranenſis alterius ſub Leone X. decretum, de quo *num.* 114. verbis illis: *Prælati etiam præmiſſis abſque expreſſa Romani Pontificis licentiâ vltro conſentientes, excommunicationis, & depoſitionis pœnas ipſo facto incurrant. &c.* Pro eodem eſt Extrauagant. 1. *Eodem Titulo*, & ſic Pharaonius cum aliis *Tractat. 2. Seſſione 10. Caſu 3.*

Quæ regnũ concernunt poſſunt eſſe grauiſſima.

Conſulendam Sedem Apoſtolicã quæ oſtendant.

Cap Aduerſus.

Leo X.

123 Quibus tamen non obſtantibus, ſunt qui cenſeant recurſum ad Pontificem non eſſe neceſſarium: ex quibus aliquos adducit P. Sancius *citato Capite 55. num. 26.* propter quorum auctoritatem id cenſet probabile; ſic enim accipiendum quod in fine ait verbis illis: *& hæc ſententia probabilis eſt iis Doctoribus.* Neque enim ſenſus eſt, aut eſſe poteſt, eam videri probabilem Doctoribus citatis, cùm illi eam abſolutè proferant, & non tantùm probabilem eſſe dicunt, quod dici ſæpiùs de ſententiâ illi oppoſitâ ſolet, quam Auctores amplectuntur. Senſus ergo eſt probabilem eſſe iis Doctoribus, id eſt, auctoritate eorum, vt verba dicta in auferendi caſu proferantur. Et illi quidem generaliter loquuntur, & non tantùm quando neceſſitates proximè tangunt Eccleſiaſticos. Quando autem huius generis ſunt, multi alii idem tuentur Auctores, quos adducit & ſequitur Diana *Parte 1. Tractat. 2. Reſolut. 41. & 133.* Quibus addendi P. Sancius *Cap. 55. citato num. 7.* & Cardinalis Lugo *Diſput. 36. citatâ num. 129. Licèt num.* 130. aliter cenſeat, cùm per modum tributi contributio imponeretur. Sic etiam Bonacina *ſuprà*. Sed neque in hoc caſu poſſe ſine licentiâ Sedis Apoſtolicæ procedi, ſunt qui teneant, quos adducit & ſequitur Diana *Parte 5. Tract. 1. Reſolut. 11.* Sic declarans mentem ſuam circa dicta in contrarium *citatis locis*: vbi tamen manifeſtè oppoſitam eſt ſententiam amplexus, vt cõſulenti cõſtabit. Excipitur autẽ caſus periculi in mora, pro quo ipſe in ſpeciali adducit plures *Reſol.* 133. *citatâ*; quibus adde P. Sancium *ſuprà n.* 28. vbi alios refert. P. Fragoſum *Tomo 1. Parte 1. diſp. 4. n.* 333. P. Dicaſtillum *ſuprà n.* 106. & D. Villaroel *Parte 2. Quæſt. 18. art. 5. n.* 87.

Neceſſariũ id negant multi, & qualiter probabile. P. Sancius.

Qui abſolutè affirmant, excepto caſu periculi.

124 Quamuis & in hoc diuerſimodè philoſophandum ſit iuxta ſcriptorum obſeruationes. Aliqui enim ita abſolutè aſſerunt; alii tamen cum diſtinctione. Neceſſitas enim obligans ad gabellæ impoſitionem poteſt contingere in exactione quæ ad vnum actum, vel ad breue tempus fit; vel longiori eſt tempore duratura. Si priori modo contingat, inconſulto Pontifice totum negotium abſoluitur: ſi poſteriori, conſulendus vtique, non pro inchoatione, ſed pro continuatione. Sic cum Patribus Suario, & Palao Diana *citatâ Reſol.* 11. Quando videlicet conſuli etiam tunc poteſt; ſtare enim poteſt, vt neque pro continuatione valeat conſuli, vt in remotiſſimis regionibus, aut impedimentis aliquibus interiectis. Et pro neceſſitate, quando ad inchoandam impoſitionem non occurrit notabilis difficultas, varia adducuntur exempla Florentiæ, Panormi, Mediolani, & aliarum ciuitatum, in quibus ex Pontificiâ tantùm conceſſione gabellæ impoſitæ ſunt, habito pro eâ recurſu; cùm tamen neceſſitates Eccleſiaſticos proximè attingerent, ob inundationem & peſtem. Quod & ſic Romana Rota declarauit *in vna Leodienſi die 19. Martij* 1604. vt de praxi non videatur poſſe dubitari.

Diuerſi quidã philoſophandi modi circa eamdẽ neceſſitatem.

125 Et quidem qui recurſum non iudicant neceſſarium in quocumque caſu, non ideò cenſent inconſulto Epiſcopo & Clero id fieri poſſe, quamuis aliqui eorum neque hoc neceſſarium videantur iudicare, vt videri poteſt per adductos à P. Suario *Lib. 4. Defenſionis Cap. 26. num. 7.* Sed communior ſententia adeundum affirmat Epiſcopum & re inter vtriuſque fori Capita benè perpenſâ,

In quocũque caſu ſaltem Epiſcopum adeundũ.

Digitized by Google

penſâ, id, quod commodum viſum fuerit, ſtatuendum: Pro quo videndi P. Molina *Diſputat.* 672. *num.* 4. P. Sancius *num.* 10. & Cardinalis Lugo *num.* 129. Cùm enim grauamen hoc tum laicos tum Clericos tangat, ab omnibus debet approbari: iuxta Regulam iuris in *Sexto* ſatis notam: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Eſt 29. Pro quo & eſt ratio ſatis vrgens: nam libertas Eccleſiaſtica debet omnino ſeruari in omnibus, per quorum obſeruantiam non incipit Reipublicæ eſſe damnoſa: Atqui ex eo quòd vrgente neceſſitate contributionis adeatur Epiſcopus, & Clerus conſulatur, non incipit libertas eſſe damnoſa, quia non impeditur ſubſidium, ſed reuerentia perſonis Eccleſiaſticis exhibetur, per quod meliùs id, quod intenditur, poteſt obtineri: ſic enim Eccleſiaſtici non adeò grauiter ferunt impoſitiones, quæ illis ſunt ſemper admodùm odioſæ. Ergo adiri debent, & eum eorum beneplacito res iſta diſponi.

Ratio pro eo concludens.

126 Vbi & quæſtio alia ſuccurrit, an Eccleſiaſtici nolentes contribuere, poſſint à laicâ poteſtate compelli, & in eorum bonis fieri executio. Circa quod affirmant plures apud Dianam *Parte* 1. *Tract.* 2. *Reſolut.* 42. & P. Sancium *Dub.* 55. *num.* 30. qui contrarium cum multis aliis ſtatuunt, ex quibus P. Dicaſtillus *ſuprà num.* 101. Et id quidem robuſtè confirmat P. Sancius *num.* 31. & P. Fragoſus *num.* 332. & eſt lege Hiſpaniæ apertè deciſum, quæ eſt. 54. *Titul.* 6. *part.* 1. in quâ poſt declaratam Clericorum obligationem ad contribuendum, ita dicitur: *Pero para eſto facer, no los deben apremiar los legos, mas decir los que lo fagan, y ſi ellos no lo quiſieren facer, han de moſtrar lo à los Prelados, que ſe lo hagan facer.* Sic Rex Alfonſus. Quod & jure Canonico ſatis clarè inſinuatum Cap. *Non minùs*, & Cap. *Aduerſus*, citatis. Pro quo & eſt ratio nuper adducta; quia ſcilicet immunitas debet obſeruari quantùm poteſt ſine Reipublicæ nocumento: quod hîc etiam accidit: vbi non ſolùm abeſt damnum, ſed & vtilitas accreſcit; quia Prælati mandatum expeditiorem reddit contributionem. Videatur Cardin. Lugo in *Reſponſis moral. lib.* 5. *dub.* 3. *num.* 6.

Nolentes contribuere nequeunt à laicâ poteſtate compelli.

Sic lege Hiſpaniæ ſtabilitū.

127 Si autem Prælati ipſi, aut renuant apertè, aut executionem differant, deberi ad ſuperiorem appellari docent plures, quos adducit & ſequitur P. Sancius *ſuprà num.* 32. In periculo autem ob moram poſſent auctoritate laicâ bona Clericorum pro rata onerum occupari: quod cum multis tenet citatus Auctor *num.* 33. eâ ratione; quia Rex jus habet ad protegendum regnum, etiam contra Eccleſiaſticos, vbi iudex Eccleſiaſticus id detrectat, & eſt periculum in mora. Quæ quidem ad particulares neceſſitates ita applicanda, vt Rex per ſuos magiſtratus etiam habeat jus defendendi & conſeruandi omnes ciuitates, ex quibus regnum coaleſcit; neque enim regnum aliquod eſt vniuerſale Platonicum.

Quid faciendum, ſi Prælati renuant.

§. VI.

Obligatio recurſûs ad Pontificem ampliùs declaratur. Et quando non cenſeantur laicorum ſufficere facultates.

128 IAm quod à Concilio Lateranenſi diſpoſitum, vt vidimus *num.* 120. tunc contributionem faciendam *vbi laicorum non ſuppetunt facultates*, non leui quæſtioni materiam præſtat; an ſcilicet hoc ſemper faciendum, & quæ debeant facultates intelligi, priuatorumnè, an communitatis, quæ dici *Propria* ciuitatis ſolent? Circa quod diuerſi ſunt opinandi modi. Quidam enim dicunt tunc tantùm teneri Eccleſiaſticos ad contributionem pro communibus neceſſitatibus, quando laicorum bona non ſuppetunt, quod ſatis videtur adductus Textus indicare. Sic Angelus, Azeuedus, & Stephanus apud P. Sancium *Dub.* 55. *citat. n.* 19. P. Suarez *Lib.* 4. *De fœminis Lib.* 4. *c.* 26. *n.* 14. alios adducens P. Palaus *Tomo* 2. *Tractat.* 12. *Diſput. vnicâ de reuerentia debitâ Eccleſiaſticis Puncto* 9. *num.* 6. Cardinalis Lugo *ſuprà num.* 125. P. Fragoſus *Tomo* 2. *Diſput.* 3. §. 18. *num.* 324 *Verſ. Quòd ſi exigantur.* Bonacina *ſuprà num.* 16. Diana *Parte* 5. *Tract.* 1. *Reſolut.* 115. *Sed notandum*, apud quem alii. Contrarium tamen videtur tenere P. Sancius *ſuprà num.* 19. dicens limitationem illam, *Modò laicorum bona non ſint*, quam tres Doctores ab eodem citati apponunt, ceteros non ponere, neque eam vſum obſeruare; ſed cùm hæc ſint in commune bonum Clericorum & laicorum, omnes debere contribuere. In quo quidem minùs cautè locutum affirmat Cardinalis Lugo *ſuprà.* Admiſſâ autem limitatione, quam jus apponit, ſufficere ad obligationem Clericorum, ſi bona ciuitatis propria non ſint, etiamſi aliàs priuatorum ſuppetant facultates, docet P. Suares *ſuprà n.* 15. & P. Palaus *n.* 9. Quod tamen negant Diana *Reſol. citatâ*, & alii apud ipſum.

Diuerſæ ſententiæ circa obligationem contribuendi, cùm non ſuppetunt facultates, aut iiſdem extantibus apud laicos.

129 Mihi indubitatum videtur ſtandum juris Canonici diſpoſitioni, quidquid nonnulli contendant citata Capita ſtrictam non imponere obligationem, quando communes Clericis & laicis neceſſitates ſunt, ſicut & videtur P. Suario *nu.* 14. *citato*, qui id aſſerit ſine dubitatione dicendum: & conſtat ex adductis *num.* 120. Textus enim illi de communibus neceſſitatibus procedunt: cumque limitatio non ſit inutilis exiſtimanda, in quâ tantum momenti reſidet, neque id dici ſine egregia temeritate poſſit, ſicut neque in eo Pontificem exceſſiſſe, & Concilium generale deceptum; eiuſdem neceſſariò deciſioni iuxta Chriſtianam obligationem adhærendum. Et licèt ius naturæ contributionem videatur exigere, quia communes neceſſitates communibus ſunt expenſis ſubleuandæ: ipſum etiam naturæ ius exigit, vt qui ad diuerſum gremium ſpectant, neque habent eam, quam alii, reſpectu magiſtratuum ſubiectionem, ſed alteri parent ſuperiori; non debeant aliorum diſpoſitioni ſtare, niſi iuxta modum, quem ſtatus eorum poſtulat, & ſuperioris diſpoſitio præſcribit. Tenentur ergo Eccleſiaſtici contribuere, ſed iuxta Pontificis directionem, quando communes vtriſque neceſſitates ſunt: diſpoſitio itaque, quæ in citatis extat Capitibus, omnino ſeruanda.

Stricta obligatio eſt ſtandi iuris diſpoſitioni circa materiam præſentem.

130 Ne-

Digitized by Google

P. Sancius idem tenet, nec benè Cardinalem Lugo eum minus cautè locutum aſſeruiſſe.

130 Neque P. Sancius hoc negauit, vt eum minùs cautè locutum Cardinalis Lugo debuerit pronuntiare: nam reuerà id non tenet, ſed potiùs oppoſitum: quod poterat citatus Auctor in eodem obſeruaſſe. *Citato enim Cap. num.* 38. de gabella quadam loquens Granatæ impoſitâ, & eam iniuſtam fuiſſe determinans, ſic rationem reddit: *Primò, quia licèt vtilitas ſit communis totius regni, & ſic Clericorum; at non conſtat facultates laicorum non fuſe eſſe ad prædictam contributionem: immò ipſi fatentur quotannis ſupereſſe ſibi pluſquam Clerici contribuunt.* &c. Sentit ergo clarè oppoſitum ei, quod ipſi citatus Auctor imponit. Quando igitur aliud videtur docuiſſe, congruâ debet explicatione molliri, vt tantùm velit id, quod citatis dudum verbis videtur expreſſiſſe. Cùm enim dicat iniuſtam fuiſſe gabellam illam Granatenſem, quia facultates laicorum ad neceſſitatum ſubleuationem erant ſufficientes, quandoquidem quotannis ſupererat pluſquàm Clerici contribuebant: ſi non ſufficerent, ad contributionem Clerici tenerentur. In prædictâ autem excuſſione facultatum, non ad priuatorum bona reſpectus habitus, vt vnuſquiſque pro ſua maiori copiâ abundantiùs conferret; ſed omnium vna eſt ratio habita, vt moderatum quid omnes tribuerent, vnde exactio parùm oneroſa omnibus reddebatur. Quâ ergo ſic contribuentibus ſolis laicis, ſatis erat vnde communis ſubleuari neceſſitas poterat, non debuerunt Clerici ad contributionem ſine licentiâ Pontificis obligari. In hoc ergo ſenſu locutus P. Sancius; & alium non eſſe in vſu aſſeruit, vnde à communi ſententiâ non receſſit, nec debuit minùs cautæ locutionis à prædicto Auctore notari.

Ciues non debere iuxta cuiuſque contribuere facultates.

131 Deinde, Mihi etiam apparet certum, etiamſi bona priuatorum talia ſint, vt ab ipſis iuxta copiam contribuentibus extrahi poſſit quidquid eſt ad vrgentis neceſſitatis ſubleuationem neceſſarium, Clericos ad contributionem teneri, ſi illa modo nuper dicto per minutas partes quotidianas communes omnibus, vt in Siſâ fieri ſolet, non poſſit ſubleuari. Itaque grauare paucos diuites exceſſiuis oneribus, inhumanum eſt, quia & diuites valde vtiles ſunt Reipublicæ: ipſi enim pauperibus ſubueniunt, opera pia promouent, maiores faciunt expenſas, vnde & vtilitates maiores ad Regem, & bonum commune redundant. Et quidem ſi pro neceſſitatibus communibus grauandi eſſent; cùm illæ ſint frequentes, citò diuites eſſe deſinerent. Præterquam quòd moleſtiſſimum eſt patrimonia ſingulorum excutere, & quid quiſque habeat impoſſibile penitùs explorare. Cùm ergo contributio communis illis & aliis eſſe debeat, valdè moderata ſit oportet. Quâ moderatione perſpectâ, an ſufficiat laicorum tantùm diſpiciendum eſt; quòd ſi ſufficiat, non poterunt Eccleſiaſtici grauari: ſi autem inſufficiens ſit, ad contribuendum obligandi. Et hoc, & non aliud videntur Pontificiæ Sanctiones ſuperiùs adductæ ſtatuiſſe.

Si Propria non ſufficiant, non ideò grauandi Eccleſiaſtici.

132 Non ergo ad obligandos Clericos ſatis eſt ſi propria communitatis non ſuppetant, aliàs parùm ipſis faueret immunitas: rarò enim propria in eâ quantitate ſunt, vt ad communes neceſſitates, pro quibus vectigalia imponi ſolent, ſufficere poſſint. Quod & prætereà vſus quotidianus confirmat: ſic enim videmus Eccleſiaſticos à contributionibus eximi, & vel in ipſâ emptione nihil reddere; aut ſi tribuant, in fine anni reſtitui: cùm tamẽ neceſſitates & vtilitates communes illis & laicis ſint. Pontifices etiam contributionem aliquoties concedentes, conditionem in Iure expreſſam addunt, & de propriis ciuitatum nullam habent rationem; quòd ſcilicet non ſufficiant: ſed laicorum facultates non ſufficientes, pro conceſſionis executione requirunt. Pro quo videri poteſt Diana *citatâ Reſolut.* 11. Vbi præſertim Vrbani Octaui pro Ducatu Mediolanenſi ſpecialia verba ſubjungit, hæc ſcilicet: *Cùm autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, in muniendis ciuitatibus & locis prædictis, ingenti pecuniarum vi opus; ærariumque ipſius Philippi Regis valde exhauſtum & attritum ſit; ex munitione quo huiuſmodi totius ſtatus, ac tam Cleri, quàm populi ſecuritati proſpiciatur: communitatum verò ac vniuerſitatum, & hominum eiuſdem Status propter eorum inopiam ad totam impenſam neceſſariam ſupportandam facultates non ſuppetant, niſi Clerus & Eccleſiaſtici quoque eò aliquid conferant* &c. Et poſteà ſub eâ conditione concedit, *vt narrata conſtent.*

Vrbani 8. Verba, pro forma conceſſionis.

Facultates laicorum non benè à Diana explicatas, vt debeant Clerici ratione earũ excuſari.

133 Contendit autem Diana ex præfatis verbis colligi non ſolùm facultates communes, ſed etiam particulares attendendas eſſe; & cum Megala ſic explicat, vt Clerici tantùm in ſubſidium ad collectas teneantur, quando laici per gabellam imponendam cogerentur ſe eis priuare, quæ quotannis ipſis neceſſaria eſſent ad viuendum ſecundùm conuenientiam ſui ſtatûs. Sed hoc certè ex præfatis verbis non ſequitur, quia explicari poſſunt iuxta modum à nobis aſſignatum: vt priuatorum quidem bona non ſufficiant ſecundùm conuenientem moderationem collecta, quæ copioſis, & tenuibus tribuenda deſignetur. Et aliud equidem nimis odioſam redderet Eccleſiaſticorum exemptionem: homines enim laici præter ea, quæ opus habent ad viuendum ſecundùm conuenientiam ſui ſtatûs, multis indigent ad prouidendum neceſſitatibus, quæ poſſunt occurrere, ad dotandas filias: & velle eos ad præciſos terminos neceſſitatis quotidianæ reducere, nimis periculoſum negotium eſſet: cùm præſertim de neceſſitatis remedio agatur, quæ Clericos & laicos pariter tangit: qui aut patrimonialia tantùm bona habent, aut Beneficialia. Si Primum; non eſt quòd doleant aliquantulùm ſe grauari, quando in laicali ſtatu ſimiliter grauatur. Si ſecundum; cùm præter ſuſtentationem congruam, quod reliquum eſt, debeat pauperibus erogari; minùs aliquid erogent, iam piè impenſum, & ſic non erit cur doleant de grauaminis Societate.

Ex lege Hiſpaniæ obiectio, vt defectus Propriorum ſufficiat.

134 Videtur autem pro ſententiâ illorum, qui defectum ſufficere Propriorum exiſtimant, lex Hiſpaniæ vrgere, quæ eſt. 11. *Tit.* 13. *Lib.* 1. in qua ſic dicitur: *En eſtas coſas tales* (quæ ſcilicet ad communes neceſſitates ſpectant Clericorum & laicorum, de quibus ibi in ſpeciali) *à fallecimiento de propios del Conſejo, deben contribuir los Clerigos por quanto es pro comen de todos, y obra de piedad.* Ad quod aliqui facilè reſponderint legem eſſe ciuilem, quæ incommodare Pontificiæ nequit, vt Sacra Rota ſæpiùs in hac materiâ concluſit. Sed vlteriùs reſpondeo eam legem iuxta plu-

Fit illi ſatis.

Digitized by Google

plurium Doctorum ſententiam fuiſſe latam, qui ita ſentiunt, vt vidimus *num.* 123. quæ tamen vix iam probabilis reputatur, cùm Pontificum mens ſit manifeſtiùs declarata. Dari etiam poteſt Clericos teneri contribuere, ſed ſeruatis ſeruandis, cum debito inquam ad Pontificem recurſu, aut ad inferiores Prælatos, ſi mora ſit in periculo, iuxta dicta.

§ VII.

Circa Indias, & Religioſos quid ſpeciale, cum vtili animaduerſione.

Diſtantia in Indiis recurſum ad Pontificem non excuſat.

135 POteſt autem ex dictis id, quod ad recurſum præfatum ſpectat, in Indiis facili negotio deduci. Propter diſtantiam enim nequit Pontifex in caſibus occurrentibus adiri, vnde inferiores Prælati conſulendi. Quod quidem tunc accidet, cùm Proreges licentiam ſpecialem ad hujuſmodi diſpoſitiones habebunt, juxta dicta. §. 1. Si enim non habeant, & à Rege poſtulanda ſit, difficile ipſi non erit Apoſtolicam Sedem per ſuum Oratorem adire: in caſu inquam, in quo neceſſarius videatur eſſe recurſus, qui frequens, vt credo, non erit: tot enim ſunt opiniones Doctorum Regiæ poteſtati fauentium, quæ & probabiles reputantur, vt juxta eas procedere omnino tutum cenſeatur. Quòd cùm accidet, non arbitror expediens fore vt Eccleſiaſtici turbas excitent, & ſuæ immunitatis zelo, aut commodi potiùs temporalis intuitu, damna majora congeminent, Regibus Catholicis dedecus in honoratæ Eccleſiæ obiicientes, cùm ipſi nihil glorioſius habeant, quàm vt ſe obſequentiſſimos illius filios poſſint ſingulariter profiteri. Numquàm equidem illi ſine conſilio doctiſſimorum hominum res tales attentant: & quando ſic res agitur, non ſunt facilè diſpoſitiones eorum incuſandæ. Vt etiam admonet P. Villaroel poſt hæc ſcripta viſus *Parte* 2. *Quæſt.* 18. *Artic.* 5. *num.* 83. Pro quo & P. Henriquez *Lib.* 10. *Cap.* 15. *num.* 5. ita ſcribit *Doctores prudenti ratione & experimento deducunt varios caſus pro rerum, temporum, & locorum exigentiâ, ob vitandum periculum, aut magnum inconueniens. Qui caſus prudentum, expertorumque virorum arbitrio diiudicandi relinquuntur. Quòd ſi iudex laicus, ſapientium auctoritate, aut Senatûs Regij mandato ductus, proceſſit bona fide contra Clericum non contribuentem, & moderatè exegit ſine vi, & ſine perſonæ Eccleſiaſticæ contactu, hic, vt excuſatur à culpa mortali, ita & ab excommunicatione. Nec huic iudici imputatur damnum; quod per accidens, & præter eius intentionem, præiudicat Clerico.* Sic ille poſt appoſitum caſum, de quo *num.* 113.

Eccleſiaſticos non debere turbas excitare, cum à Rege aliquod grauamen accidit, cum Sapientiũ conſilio dirigatur.

P. Henriquez monitum obſeruandũ.

Pontifices in conceſſionibus non definire, ſed probabiles ſententias amplecti, aliis non damnatis.

136 Quibus addi poteſt, cùm Pontifices exactiones pro communibus neceſſitatibus indulgent, quæ pariter Clericos & laicos attingunt, ſub explicatâ conditione, nihil ad fidem ſpectans è Cathedra decernere, aut opinionum probabilia fundamenta conuellere; ſed id, quod immunitati magis fauet, relictâ opinionum diuerſitate, complecti. Vnde licet annuant Chriſtianorum Principum petitionibus, & iuxta narrationem in petitione expreſſam procedi concedant, quod illi piè & laudabiliter faciunt, vt ſerius procedatur, & turbæ vitentur: numquàm tamen contra aliter facientes, nec recurrentes in neceſſitatibus prædictis, Pœnale quidquam eſt à Pontificibus fulminatum. Et ita Diana *ſuprà* §. *Sed notandum*, cùm eorum opinionem poſuiſſet, qui in neceſſitatibus prædictis, (quæ ſcilicet tangunt principaliter laicos & remotè tantùm, ac per conſequentiam Clericos, ſed æquè principaliter ac proximè omnes) non eſſe faciendam excuſſionem bonorum cenſent. Sed in alijs, vt ſunt Arrachinus, Menochius, Zeuallos, & alij, ita ſubdit: *Non deſunt tamen Doctores contrarium ſentientes*, (citat Souſam, Gratianum, & Martham) *& ego, vt verum fatear, video Summos Pontifices huic ſententiæ adhærere. Nam Vrbanus Octauus &c.* Vbi cùm priori ſententia, & illius patronis propoſitis, ita loquatur, vt vidimus, ſcilicet non deeſſe Doctores contrarium ſentientes, ſatis prioris ſententiæ probabilitatem oſtendit. Addens verò, & cum quadam formidinis ſpecie, Pontifices cõtrariæ ſententiæ adhærere, id iudicat, quod adjecimus, Pontifices inquam non definire, neque opinionum diuerſitatem expungere, ſed ſententiam illam, quæ Eccleſiæ immunitati plus fauet, amplecti. Tuentur ergo illi juriſdictionem ſuam, tuentur & Principes quam ſe habere bonis fundamentis intelligunt, & ſi bellum eſt, certè non injuſtum; ſicut & in aliis contingit, dum de temporali agitur poteſtate.

Diana.

Notanda obſeruatio.

Quid Clerus cuius requirendus conſenſus, circa quod varia ſententia.

137 Quæri tandem circa præſentem materiam poteſt, quid nomine Cleri intelligatur, cùm jus præcipit Epiſcopi & Cleri conſenſum requirendum. Circa quod P. Suarez *Cap.* 26. *citato num.* 10. Satis probabile eſſe ait Capitulum intelligi, quia illud in Iure ſolet nomine Cleri cenſeri. Addit tamen in hoc multùm poſſe valere conſuetudinem. Nam vbi ex mero præſcripto Epiſcopus habuerit Conſilium ſuorum Officialium vel Clericorum ad hoc munus deputatorum, & cum eis grauiora Eccleſiæ negotia expedire ſolet, illud videri poteſt ſufficiens ad id, de quo agimus, conditionem ſcilicet à iure requiſitam adimplendam. Ex quibus patet non benè Dianam citatâ *Reſolut.* 11. §. *Quæro ſecundo*, P. Suario abſolutam ſententiam de Capitulo adſcribere, cùm ipſe eo modo, quam vidimus, opinetur. Et quod ad probabilitatem attinet à P. Suario aſſertam, eum ſequitur P. Palaus *Puncto* 9. *citato num.* 8. Sed non ſufficere Capitulum affirmant alij, quos adducit & ſequitur Diana *ſuprà*, & ſacra Rota declarauit apud Farinacium *Tomo* 2. *Deciſ.* 42. *n.* 7. Cùm autem Clerus varios contineat ſacrorum hominũ ſtatus, & perſonas, vocari omnes non ſemper eſſet poſſibile, neque etiam expediret. Vnde ſaltem alia Vrbis vocanda Capitula, ſi qua ſint, & Vicarios foraneos, ex aliquorum mente affirmat Diana, & inter eos adducit Barboſam in Collectaneis ad ius Canonicum *Lib.* 3. *Tit.* 49. *numer.* 7. omiſſo Capite. Eſt autem 4. & ſatis celebre *Non minùs* nec *n.* 7. ſed 6. vbi tamen abſolutè pronuntiat totum Clerum vocandum, pro quo alios Doctores allegat. Et ratio id probat: nam, vt ille ait, quod omnes tangit, particulariter ab omnibus approbari debet. Cap. *Cùm omnes*, de Conſtitut. & *Cap. Quod omnes*, de regulis iuris in Sexto.

138 In quo ſentiarum diſſidio negari nequit

Digitized by Google

Sincere Capitulum eſt valde probabile, & ſecurũ in praxi.

quit quin ſententia, quæ Capitulum ſufficere aſſerit, ſit valde probabilis, & ſecura in praxi: licet aliquoties aliter fuerit practicatum. Quia etiam cùm conſenſus totius Cleri requiritur, ſufficit conſenſus Capituli, vt in *Cap. Cùm Apoſtolica*, de iis, quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu Capituli, in quo ſic dicitur, D. Leonis Magni verbis adductis: *& cum totius Cleri conſenſu, atque tractatu id eligat, quod non ſit dubium Eccleſiæ profuturum.* Sic ibi. De Capitulo autem eſſe ſermonem manifeſtum eſt ex allatis illius Tituli verbis, & ita ſine controuerſiâ affirmat Gloſſa. §. *Cleri.* Videatur etiam *Cap. Irrita*, eodem Titulo. Deinde. Multa alia ad ſpirituales cauſſas ſpectantia poteſt Epiſcopus cum ſolius Capituli conſenſu diſponere: ergo & hoc, de quo agimus, in quo de grauamine tantùm agitur temporali. Antecedens conſtat ex Titulo citato, & Conſequentia à maioritate rationis.

Cap. Cùm Apoſtolicâ.

Iuxta contrariam ſententiam quomodo procedendum.

139 Deinde, ſi contrariæ ſententiæ ſtandum ſit, omnes debent Eccleſiaſtici vocari, ad quos poteſt grauamen, de quo agimus, peruenire. Hoc videtur certum ex ratione adductâ, Textibus roboratâ, quæ vel hoc probat, vel nihil. Quia verò impoſſibile multoties erit, vt omnes conueniant; etſi etiam poſſibile, magna ex tot concurrentium vocibus poſſet timeri confuſio, vnus aut plures ab illis, qui de Capitulo non ſunt, aut in ciuitate præcellens officium non habent, Procurator, aut Procuratores eligendi: quod & ratio ſatis oſtendit expediens, & vſus videtur comprobare. Quidquid aliter diſpoſitum fuerit, arbitrarium poterit æſtimari, & ſine fundamento in Iure: vnde non vocati legitimè conqueri poterunt, & Rempublicam, non ſine grauibus incommodis perturbare. Præcellens autem officium Parochiale eſt, aut Vicariatus eidem æqualis, vel ferè; ſiue quod aliud, pro quibus præcedat conſultatio, in hoc enim Epiſcopus cum Capitulo poterit, quod opportunum viſum fuerit, prouidere.

Religioſos ad contributiones non teneri.

140 De Religioſis autem Ius non loquitur, quia non debent ad contributionem aliquam obligari, cùm paupertatem profiteantur. Et quidem nomine Clericorum in odioſis non veniunt, vt ex Angelo, Silueſtro, & Tabiena obſeruat P. Thomas Sancius *in Opere morali Lib. 6. Cap. 15. num.* 74. quia in illis ſpeciales qualitates concurrunt, quæ in communibus Clericis non inueniuntur. Et quoad præſentem caſum id eſt manifeſtum: cùm enim, vt diximus, profiteantur paupertatem, immeritò ad contributiones traherentur. Et quidem pauperes ad ſolutionem gabellarum non teneri plures Doctores affirmant, quos adducit & ſequitur idem P. Sancius *Lib. 2. Conſiliorum. Cap. 4. Dub.* 15. Ergo multò potiùs id de voluntariis Chriſti pauperibus aſſerendum. Accedunt Pontificia priuilegia, quæ illos ab exactionibus immunes præſtant, & pro Societate Iesv habentur ſpecialiſſima, præſertim Pauli Tertij, Pij Quarti, & Gregorij XIII. priorum facientis mentionem in Bullâ, quæ incipit, *Paſtoralis officij*, & ſic loquentis iuxta tenorem Bullæ Pij Quarti: *At pro potiori cautelâ vniuerſam Societatem prædictam, omniaque, & ſingula illius, Domos etiam Probationis, & Collegia vbilibet conſiſtentia, præſentia, & futura, eorumque perſonas, fructus, redditus, & prouentus etiam bonorum Eccleſiaſticorum, ſæcularium, & Regularium quorumcumque illis pro tempore vnitorum, aliaſque res, & bona quæcumque, à quibuſuis decimis, etiam Papalibus, prædialibus, perſonalibus, quartis, medietatibus, & aliis fructuum partibus, ſubſidiis etiam caritatiuis, & aliis ordinariis oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, defenſione patriæ, at aliàs quomodolibet, etiam ad Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum inſtantiam pro tempore impoſitis, etiam ſi in illorum impoſitione caueretur, quòd nulla prorſus exemptio cuiquam aduerſus illa ſuffragaretur. Ita quod Societatis, eiuſque Domus, etiam Probationis, Collegia, fructus, res, & bona præfata, ſemper ab illis abſque declaratione deſuper faciendâ, excepta eſſent, & eſſe cenſerentur, perpetuò liberauerit, & exemerit*, &c. Quæ omnia ſtatim confirmat, ita ſubdens: *Nos igitur, qui votiuum ipſius Societatis profectum ſincero paternæ charitatis affectu libenter amplectimur. Eâdem auctoritate concedimus, quòd ſingulæ Litteræ prædictæ, cum exemptionibus, ceteriſque omnibus, & ſingulis, in eis contentis clauſulis, & decretis. &c.* Quæ omnia ita intelligenda ſunt, vt non procedant in neceſſitatibus illis, de quibus dictum *n.* 102. tunc enim perinde eſt ac ſi Religioſi opifices conducerent, quorum opera damnis illis aut periculis remedium præſtaretur.

Quia pauperes.

Et ob priuilegia, quæ ſpecialia in Societate.

Greg. 13.

Quid illis non prohibitum.

An vocandi, quatenus Cleri nomine veniunt in fauorabilibus.

141 Quia verò vocari Clericos in caſibus dictis fauorabile eſt, & in fauorabilibus Cleri nomine veniunt Religioſi: dubitari meritò poteſt an debeant etiam vocari. Et quidem cùm neceſſitates ſunt, de quibus nuper, dubitari nequit, ex adductis *num.* 136. Nam quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Quando autem tales non ſunt, non videtur eſſe talis obligatio: fauores enim tunc exhibendi, quando vtilitatem aliquam ſecum afferunt, quæ ab iis, quibus fauor fit, debeat aliquantulùm æſtimari. Quod tamen in præſenti non accidit: quia vocatio hæc valde periculoſa eſſe Religioſis poteſt: qui ſi pro Rege, aut Republica ſtatuerint, Clericorum offenſionem incurrent: ſi autem pro Clericis, alterius partis indignationi obnoxij remanebunt. Quod tamen non ita euenit quando quis ius defendit ſuum; & grauamen proprium conatur amoliri. Vocati ergo, ſe vrbanè excuſent: ſi autem inſtantia perſeueret, nec eam poſſint declinare, accurrant, & Deo iudice coram oculis mentis habito, quod conuenientius duxerint modeſtè, & ſine contentionis turbine proloquantur. Deus autem veritatis vindex, & zeli Chriſtiani promotor, quidquid eis auctoribus actum fuerit, bono exitu coronabit. Et de his ſatis.

Si concurrant, quomodo ſe gerant.

CAPVT XIV.

An Proreges Indici ex Regiis bonis poſſint facere donationes.

142 DIco primò. Sine Regis beneplacito nequeunt Proreges ex illius bonis facere donationes. Sic Ioannes Lopez in *Repetitione Rubricæ de donationibus inter virum & uxorem* §. 66. *n.* 30. Ioannes Matienzus in *Lib. 5. Recopilat. l. 3. Tit. 3. Gloſſa 2. num.* 3. Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 4. Cap. 10. num.* 31. & in

Aſſertio 1. Proreges non poſſe donationes facere ex bonis Regiis.

Digitized by Google

in Politica. *pag.* 878. *Col.* 1. Et alij. Quod probatur ex generali Doctorum conſenſu, qui affirmant ei, cui libera adminiſtratio commiſſa eſt, non poſſe facere donationes: quod de Procuratore Cæſaris ſpecialiter ſtatutum *l.* 1. §. 1. *D. de officio illius* & generaliùs alibi: pro quo Martienzus plures Textus iuris ciuilis adducit. Videatur P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 18. *num.* 77. & etiam Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 4. *num.* 27. & ratione videtur manifeſtâ conuinci. Quia nullus vult patrimonium ſuum minui, ſed augeri: neque illius adminiſtrationem alteri præbet, niſi vt tueatur & augeat: quod iuxta naturalem eſt hominum inſtitutionem, iuxta quam etiam iudicandum. Quâ ratione furtum non licet, quia inuito domino res aufertur: ergo neque donatio, in quâ militat eadem ratio.

Ratio pro illa.

Aſſertio 2. Nec debita Regi, remittere.

143 Dico ſecundò. Non poſſunt etiam Proreges debita Regi, remittere. Id conſtat: quia debitum remittere eſt donare. l. *Si quis delegauerit. D. de donationibus.* Et notat Martienzus *ſuprà.*

Aſſertio 3. Neque emolumenta eiuſdem negligere; vbi & pro eo limitatio.

Dico tertiò. Non poſſunt item Regia emolumenta negligere, liberalitatis intuitu, niſi quando eo pacto negotium Regis viliùs peragitur. E. g. Vectigal, quod ex argento in Hiſpaniam tranſmittendo ſoluendum lege præcipitur, & eſt valde moderatum, remittere nequeunt, ſimulantes ſe illius quantitatem ignorare. Et ſic in aliis. Vnde ſicut & in caſibus prædictis ad reſtitutionem tenentur, iuxta generalem doctrinam de Officialibus Regiis pro rebus huiuſmodi ſalarium accipientibus. Cùm enim ex iuſtitia ad curam & cuſtodiam teneantur, ex illius violatione obligatio reſultat damni integrè reparandi. Videndi P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 32. *num.* 26. Pater Gaſpar Hurtadus *de Iuſtitia & Iure Diſput.* 5. *Difficultate* 10. & alij apud ipſos. De quo & nos alibi. Tunc autem vtiliter negotium Regis ageretur, ſi nolentibus mercatoribus aliquando argentum tranſmittere ob timorem non leui ſuſpicione conceptum, vel regiſtro exponere; eiſdem ſignificetur de rigore aliquid remittendum. Tūc namque plus habebit Rex, quàm ſi iuxta rigorem legis iſta verſarentur. Donationes autem eſſe licitas quando ab adminiſtratore fiunt, & in domini commodum cadunt, communis ſententia eſt, pro qua videri poteſt P. Leſſius *citato n.* 77. & ea, quæ Dom. Solorzanus congerit *Libr.* 2. *Cap.* 4. *num.* 59. & nos etiam aliquid *Titulo* 1. *num.* 8. Cauendum tamen ne Proreges commodo potiùs ſuo quàm Regio proſpiciant, indulgenitæ ſuæ pretium non leue recepturi. Quo euentu fraudata Regi emolumenta reſtitui debent. Indulgentia enim talis non ſuo, ſed Regis nomine exhibetur, qui non vult ſemper vaſſallos ſuos nimiùm grauari. Et ita Proreges ad id ratione officij tenentur, pro quo & ſalarium ſatis copioſum accipiunt, vnde non poſſunt vlteriùs aliquid extorquere.

Vide Tit. 4. n. 77. & Tit. 5. num. 5. 8. 16. 18. 19. & 24.

Obligatio inde reſtitutionis.

Aſſertio 4. Regis voluntatem præſumptā ſufficere.

144 Dicò quartò. Ad donationes faciendas ſatis eſt præſumpta Regis voluntas. Colligitur ex iis, quæ adducit Matienzus *ſuprà* bonis Textibus & Auctoribus conteſtata. In aliis certè præſumpta, ſeu tacita voluntas Superioris eſt ſufficiens, etiam in iis, qui voto ad non donandum adiguntur: quales ſunt Religioſi. Pro quo videndi P. Leſſius *Lib. & Cap.* 18. *citatis num.* 85. & P. Fragoſus *Tomo* 2. *Diſput.* 24. §. 12. *num.* 7. vbi alios adducit. In quo ſi bonâ procedatur fide, & adhibito Auditorum conſilio, timendum nihil. Quòd ſi Rex fortè non annuat, donationis factæ conſcius, & reſtitutionem iniungat; reſtituat Prorex, & Auditores pariter, qui conſilio ſuo donandi auctores extiterunt: immò illi ſoli. At in foro conſcientiæ neutri, cùm bonâ fide proceſſerint, neque ex eo ſint locupletiores redditi, vt ſuppono: nam ſi tales facti, aliter iudicandum. Donatarius autem retinere rem donatam poteſt, cùm Rex eam redhibendam nolit: ſin autem velit, obſequendum ipſi, & reſtitutio ex obligatione graui conſcientiæ facienda. Res enim illius erat, & poſſeſſio alteri contra eius eſt tradita voluntatem.

Si renuat quomodo facienda reſtitutio.

Aſſertio 5. Apprehenſa ob pœnam commiſſi nequeunt delinquentibus reſtitui.

145 Dico quintò. Quod apprehenditur ex auro, argento, & aliis in pœnam commiſſi, nequit prioribus dominis reddi, neque in eo Proreges gratiam facere poſſunt, cùm nequeant rem ad Regium iam fiſcum pertinentem ab eo tollere, & alteri condonare. Hoc videtur certum: & qui damnum paſſi, id ſibi imputent, qui ob immoderatam cupiditatem, quod multis congeſſere ſudoribus, certo periculo non ſunt veriti deuouere. Si naufragio amiſiſſent, ſibi certè imputarint, qui maris non ſunt periculis à lucri cupidine reuocati. Si latronum incurſu: dolendum equidem, ſed remedio nullo; cùm tamen ſibi conſulere auaritiæ moderamine potuiſſent. Non ergo iam mirum ſi regiſtrum detrectantes, quo ſalua eſſe omnia poſſent, irremediabili amiſſione multentur, & amantes periculum, pereant in illo.

Poteſt tamen benignè circa illa iudicari.

146 Quia tamen cùm res ita accidunt, non ita eſſe aperta tranſgreſſio ſolet, vt locus penitus reo ad recuperationem nullus relinquatur, vnde & lis ſolet ſuper talibus excitari. Tunc licebit Proregi rem ita peragere, vt neque Rex ſuis iuribus, nec miſer inter anguſtias deprehenſus omnino ſpolietur. Cùm enim in delictis probationes eſſe debeant luce ſolis clariores, & in dubio ſit reo potiùs fauendum quàm actori, etiamſi actor Fiſcus ſit, iuxta hæc poterit benigna ſententia pronuntiari. Cauendum tamen ne manibus adhæreat macula, de quo Sanctus Iob ſanctiſſimè gloriabatur. *Iob.* 31. *v.* 1. Si enim adhæreat, adhærebit etiam reſtituendi obligatio, & vſque ad æternæ damnationis pœnam, ſi eidem ſatis non fuerit factum, adhærebit.

Aſſertio 6. Stipendia non poſſe augere, & quædam alia.

147 Dicò ſextò. Proreges Indici nequeunt tutâ conſcientiâ ſtipendia pro libitu augere: in augmento enim illo donatio interuenit, cùm id, quod non eſt debitum, tribuatur. Nequeunt etiam militiæ ſtipendia famulis aſſignare, qui minimè in militiâ ſeruiunt, & dicuntur *Plazas muertas.* Non ſeruientibus enim ſtipendia non debentur, & ita donationes tantùm ſunt ex Regio patrimonio infideliter & iniuſtè in rebus talibus diſſipato. Quis autem hic de obligatione reſtitutionis dubitet, vbi adeò eſt iniuſtitia manifeſta? Sic circa ſimilia poterit diſcurſus efformari. Pro ſumptibus extraordinariis videatur Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 3. *num.* 45. & in Politicâ *pag.* 769. §. *Lo duodecimo.*

Digitized by Google

CAPVT XV.

Proreges Indici quomodo Excommunicationi deferre teneantur.

Aſſertio 1. Proreges poſſe excommunicari ab ordinarijs, neque in hoc Regum gaudere priuilegijs.

148 DIco primò. Proreges Indici poſſunt, ſicut & alij, ab Ordinariis excommunicari. Pro hoc videndus Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 10. *n.* 66. *& ſeqq.* & in Politicâ *pag.* 883. §. *Lo que mas.* Vbi ex pluribus Auctoribus oſtendit ſolis Regibus priuilegium iſtud competere, vt à ſolo Pontifice excommunicari poſſint. Et ab eo adductis addendi P. Gaſpar Hurtadus *Tractatu de Excommunicatione Diſput.* 12. *Difficult.* 2. §. *Subditus.* P. Palaus *Tomo* 6. *Diſput.* 1. *Puncto* 6. *num.* 3. P. Bauny *Tomo* 1. *Diſput.* 2. *Quæſt.* 6. *Dub.* 9. P. Layman *Lib.* 4. *Tract.* 6. *Cap.* 1. *num.* 4. quamuis non deſint, qui hoc etiam Regibus negent: ſic enim tenent Marius Alterius *Tom.* 1. *de Cenſuris pag.* 37. *Col.* 2. & P. Fagundez *Præcepto* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 3. *num.* 21. Proreges autem non gaudent priuilegiis ab Apoſtolicâ Sede conceſſis dubitari nequit. Tum quia *quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.* Quæ eſt iuris *regula.* 28. *in Sexto.* Tum etiam quia cùm hoc ipſum priuilegij rationem habeat, quòd ſcilicet Regum priuilegio gaudere poſſint, illud debent oſtendere: quod ſtatutum in Cap. *Cùm perſonæ*, de Priuilegiis, in Sexto: Atqui tale priuilegium non oſtenditur: ergo nihil eſt, quod Ordinariorum poſſit ſententiam prohibere. Item. Ex repræſentatione Regiæ perſonæ argui nequit, quia hoc ipſum eſt, quod contendimus; priuilegium ſcilicet Apoſtolicum non poſſe ad repræſentantem perſonam eius, cui eſt conceſſum, extendi, & quidem repræſentatio hæc non tollit inæqualitatem Regiæ, & Proregiæ perſonæ, & ita eſt in illis diuerſa ratio: & Rex quidem poterit Proregi ſuo repræſentationem ſui conferre; non tamen in eum priuilegium Apoſtolicum transferre, quia neque ex generali conceſſione, neque ex particulari aliquâ, hoc habetur. Habet Rex priuilegium comedendi carnes in diebus vetitis: poteritne illud ſuo conferre Proregi? Quis hoc niſi per ſummam inſcitiam affirmarit?

Cap. Cùm perſonæ.

Vrgetur ex Cap. Ne aliqui *extenſionem prohibente.*

149 Quod vrgeri poteſt ex *Cap. Ne aliqui*, vbi *ſuprà.* Cùm enim ibi Clemens Quartus de priuilegiis eorum agat, qui excommunicari, aut interdici nequeunt; addit tamen priuilegia talia non extendenda, cuiuſcumque præeminentiæ, dignitatis & conditionis ſint, Regibus, Reginis, & eorum filiis, ac Religioſis cœtibus exceptis, ſic decernens: *Ad Ordinariorum ſententias & proceſſus edicto perpetuo prohibemus extendi.* Sic ille. Priuilegium ergo Regium in materia cenſurarum, non eſt ad Proreges, etiamſi præeminentiam ſingularem habeant, extendendum. Et multò minùs ad Regios alios Miniſtros, vt nonnulli contendunt, contra quos benè diſputat Diana. *Parte* 2. *Tract.* 1. *Reſolut.* 9. Probat autem idem Textus ineptè fieri extenſionem de perſonâ ad perſonam; cùm neque in perſona eâdem extenſio locum habeat in ordine ad id, quod licet verba videantur exprimere, ratio tamen non patitur ampliari: *Ne aliqui de indultis Apoſtolicis confidentes, alios confidentes in ſuo iure moleſtent, & Ordinariorum iuriſdictionem contemnant pariter & eludant*, vt loquitur Pontifex: quod tamen de Regiis perſonis, & Religioſis non eſt cœtibus præſumendum: cùm de Proregibus aliter exiſtimandum multiplici experimento doceamur. Et ex præfati Capitis determinatione fit ſatis obiectioni, quæ ex Inquiſitorum iuriſdictione inſtrui poteſt: illi enim, vt ex Concordatis conſtat, nequeunt Proreges Indicos excommunicare. Ex hoc enim priuilegio ad Ordinarios fieri Conſequentia nequit, propter rationem & deciſionem Pontificis. Neque ex eo fiet vt Inquiſitorum iuriſdictionem contemnant aut eludant; id enim eſt Regiis cautionibus abundè prouiſum: & dummodò illi intra ſuos ſe contineant terminos, ſemper illos Proreges veneratione eximiâ proſequuntur.

Clementis 4. verba.

Ex Inquiſitorum prohibitione non benè argui.

Aſſertio 2. Excommunicationem dictam validam futuram, ſed rarò licitam.

150 Dico ſecundò. Quod *Aſſertione præcedenti* eſt dictum, de excommunicatione intelligendum eſt quantùm ad valorem: quæ tamen niſi in caſu ſpecialiſſimo licita non erit. Probatur ratione, quam pro Regibus adducit P. Bauny *ſuprà* ita ſcribens: *E re tamen eſt communi eos hoc tempore quoad hanc pœnam non ſubeſſe Ordinariis ob turbarum motum certum, ſi publicè, deque loco ſuperiore excommunicati renuntientur ab Epiſcopis.* Sic ille. Atqui turbarum motus ob excommunicationem Proregum etiam vrget, & præſertim in Indiis, in quibus à ſupremis Principibus non poteſt ſtatim commodum remedium adhiberi: ergo illorum excommunicatio generaliter loquendo libita non eſt. Id quod de publicâ denuntiatione dicendum pariter ob ſimile fundamentum. Caſus autem ſpecialis non poteſt aſſignari, cùm ex circumſtantiis pendeat, quas quidem Prælati, adhibito ſapientium, prudentium, expertorumque virorum conſilio & priuatis ſemotis affectibus, ponderabunt: illud præ oculis habentes, quod Innocentius Quartus in Concilio Lugdunenſi obſeruandum præſcribit verbis illis: *Cùm medicinalis ſit excommunicatio, non mortalis; diſciplinans, non eradicans: dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat; cautè prouideat Iudex Eccleſiaſticus, vt in ea ferenda oſtendat ſe proſequi, quòd corrigentis fuerit & medentis.* Sic ille. Et habetur in Cap. *Cum medicinalis*, de ſententia excommunicationis *in ſexto.*

P. Bauny.

Quid in ea ferenda obſeruandum.

Cap. Cùm medicinalis.

Quomodo ſit medicinalis.

151 Vbi non eſt ſenſus, vt aliquis ſiniſtrè interpretari poſſet, quando quis contemneret, ſeuerè cum illo per excommunicationem agendum, etiamſi medicina in tormentum animæ & corporis ſuo vitio conuertatur: ſed excommunicationem eſſe medicinalem ex naturâ ſuâ, niſi quis contempſerit medicinam, & ita illi non proſit, ſicut Eccleſia prodeſſe deſiderat. Sed talis eſſe contemptus poteſt; vt de medicinâ ſperari nequeat, & ita ſatiùs fuerit ab illa penitus abſtinere. Sic enim & in medicinis corporalibus accidit, vt quando non iudicantur profuræ ob peſſimam ægri diſpoſitionem, ab iis debeat adhibendis temperari. Pro quo videri poteſt P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſputat.* 4. *Sect.* 5. *num.* 10. vbi præfatum Caput doctè explicat, oſtendens quomodo excommunicatio medicina ſit, & id ſpecialiùs ei conueniat comparatione aliarum pœnarum,

Et ſpecialiter compaſsione aliarum pœnarum. P. Suarez.

narum, quas Eccleſia infligere poteſt: *Nam per ſe intendit* (verba illius ſunt) *non ſolum præcauere futura peccata, ſed potiùs per ſe primò curare peccatum à peccato commiſſo, & liberare illum ab ſtatu, in quo permanet ratione talis peccati. &c.* Quando ergo de tali bono effectu ſpes nulla eſt, aut ſatis infirma, contra charitatem eſt, & videtur etiam contra iuſtitiam, quæ rectam iuriſdictionis adminiſtrationem præſcribit, illam applicare.

CAPVT XVI.

Circa nonnulla alia ad Indicos Proreges ſpectantia poſtremæ, & breues reſolutiones.

Proreges non poſſe tollere ius quæſitum.

152 PRima ſit, non poſſe illos tollere ius quæſitum priuatis, pro ſuo libitu. Et certè pro libitu erit, etiamſi Aſſeſſoris conſilium accedat, ſi illud manifeſtata voluntas, cui tutò contradici non poſſit, extorſerit. Et quod ad ius attinet, benè obſeruat Dom. Solorzanus *Lib. 4. cap. 10. num. 72.* & in Politicâ *pag. 883. §. En quanto.* Et ratio eſt clara; quia hoc nec illis conceſſum eſt, nec concedi licitè potuit. De conſilio autem etiam conſtat: quia coactum iudicium non poteſt vocari conſilium, quod omnino liberam exigit voluntatem. Et ad hoc iniuſtitiæ genus pertinet, quando factâ alicuius officii prouiſione, & titulo tradito, diſpoſitio reuocato titulo reuocatur. Iam enim ius quæſitum fuerat, & niſi noua aliqua ſuperueniat cauſa, quæ indignitatem prouiſi conſtituat, manifeſta illi irrogatur iniuria. Si enim talis eſſet in donatione gratuitâ; multò id certius habetur in prouiſione ſecundùm juſtitiæ leges conſummatâ.

Neque dilationes debitoribus.

153 Secunda, ſine juſtis cauſis non poſſe debitoribus dilationes, ſeu litteras moratorias, vulgo *Eſperas*, concedere. Quod patet ex eo quòd tales dilationes ſunt in præiudicium tertii, circa quod Proregibus poteſtas nulla conceditur, vt patet ex eorum titulis, & legibus, quæ de eiſdem loquuntur: nec dari conuenienter poſſet, cùm in eo iniuſtitia appareat manifeſta. Videndus Dom. Solorzanus *ſuprà num. 73. & 74.* qui alios adducit.

Niſi ob iuſtas cauſas, quæ recenſentur.

Quando autem juſtæ cauſæ ſunt, dilationes concedere poſſunt, vt teſtantur adducti à citato ſcriptore *num. 73.* & in Politicâ *§. citato*: quod & ipſe tenet. Sunt autem juſtæ cauſæ, quas iniquis hiſce temporibus experimur, retardationem inquam Claſſium ob bellorum incurſiones, pro quibus eligans è Societate ſcriptor ſic cecinit:

P. Millieu in Moyſe viatore.

Temporibus bello infectis, & Marte inimico
Mercurij, queis cũcta palàm cõmercia ceſſant.

Fortuitum etiam aliquid, propter quod bonâ agentes fide ſoluendo eſſe minimè potuerunt. Homines prætereà eſſe in commercio principes, & de Republica benemeritos: circa quos ſi executio vrgeatur, ſtatus cum honore pariter vacillabit. Et generaliter dilationem debitori valde eſſe vtilem, & creditori parùm nocumenti afferre. In quo quidem Proreges non gratuitum aliquid præſtant, ſed juſtitiæ actum exercent, ad quem tenentur; cùm id ad bonum Reipublicæ ſpectat, cui ex officio debent prouidere.

Neque dare licentiam ædificandi Monaſteria, &c.

154 Tertia, Peccare concedentes licentiam ædificandi Monaſteria aut Conuentus, quod Regiis reſcriptis ſeriò prohibetur. Et quidem non deſunt, qui cenſeant leges huiuſmodi contra immunitatem Eccleſiaſticam militare, & ita non eſſe obligatorias, pro quo multos adducit Diana *Parte 1. Tractat. 2. Reſolut. 62. & 129.* quos & ille ſequitur.

Reges an id poſſint prohibere.

Contrarium tamen alii tenent, quos congerit & ſequitur D. Solorzan. *Tomo 1. Lib. 2. Cap. 20. & Tomo 2. Lib. 3. Cap. 23. n. 31. & ſeqq.* & in Politicâ *pag. 695. Col. 2.* habetque in ipſo naturæ iure magnum fundamentum. In ſolo ſiquidem priuati hominis nullus eo inuito ædificare poteſt, etiamſi illud, quod ædificari contenditur, maximè ſacrum ſit: ergo neque inuito Rege in eius terris: quarum licèt dominus dominio baſſo non ſit, eſt tamen dominio alto & præcellenti, vnde terræ eius vocantur: ſicque in Bullâ Cœnæ, vt vidimus *num. 99.* qui præter ſupremos Principes in terris ſuis noua pedagia imponunt, excommunicantur: cùm tamen conſtet maiorem terrarum partem ad priuatorum dominium pertinere.

In Indiis pro eo ſpeciale priuilegium.

Quidquid autem de hoc ſit alibi, in Indiis certè alia eſt ratio, in quibus conceſſione Sedis Apoſtolicæ jus habent Reges Catholici, vt ſine eorum licentiâ nequeant Eccleſiæ, aut Monaſteria ædificari. Sic enim conceſſit Iulius ſecundus in Bullâ, quæ incipit, *Vniuerſalis Eccleſiæ*, die 28. Auguſti An. 1508. quam adducit Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 2. num. 10.* in cuius fine mendosè ſcriptum datam *Anno* 1580. non numeris, ſed verbis expreſſis: qui lapſus in Politicâ correctus *pag. 506.* in principio.

Conceſſio Iulij 2.

In illâ ergo ſic poſtulant Ferdinandus Rex Catholicus, & Sereniſſima Ioanna eius filia, & Hiſpaniæ Regina; *Quòd nulla Eccleſia, Monaſteria, aut locus pius, tam in prædictis jam acquiſitis, quàm aliis acquirendis Inſulis & locis, abſque eorumdem Ferdinandi Regis, & Ioannæ Reginæ, ac Regum Caſtellæ & Legionis pro tempore exiſtentium conſenſu erigi aut fundari poſſint.* Poſtulatis autẽ annuens Põtifex, ſic indulget: *Nos præfati &c. eiſdẽ Ferdinando Regi, ac Ioannæ Reginæ Caſtellæ & Legionis pro tempore exiſtenti, quòd nullus in prædictis acquiſitis, & aliis acquirendis Inſulis, & locis maris huiuſmodi, Eccleſias magnas, & locis ſtatui præfati Regis importantes, alias quàm Ferdinandi Regis, & Ioannæ Reginæ, ac Regis Caſtellæ, & Legionis pro tempore exiſtentis expreſſo conſenſu, conſtrui, ædificari, & erigi facere poſſit, &c.*

Quæ nõ ad ſolas Cathedrales arctatur Eccleſias.

155 Circa quæ Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 23. num. 40.* & in Politicâ *pag. 696. §. Y aunque,* ait Pontificem de ſolis Eccleſiis Cathedralibus videri concludere. Sed quidem immeritò: nam conceſſio poſtulationi reſpondet, cùm profiteatur Pontifex ſe *ad magnam inſtantiam, quam ſuper hoc fecerunt Ferdinandus Rex, & Ioanna Regina, debitum habere reſpectum:* & illorum profectò inſtantia pro Cathedralibus non tantùm erat Eccleſiis, de quibus minùs eſſe difficultatis poterat, cùm juxta Bullam Alexandri Sexti, earum dotatio, vnde & erectionis cura, ad eos pertineret. Deinde, Eccleſia magna per comparationem ad paruam dicitur, & Pontifex iuxta mentem poſtulantium ſtatuit, qui de magnis Eccleſiis loquebantur: neque enim pro quauis Capellâ, Oratorio, Hoſpitio, aut Reſidentiâ, Regis eſt licentia requirenda. Quod & ſequentia

Digitized by Google

Verborum quorumdã illius non facilium illuſtratio.

tia verba declarant: *& locis ſtatui præfati Regis importantes*. Quorum eſt ſenſus, Eccleſias tales debere eſſe, quæ locis aut ſtatui præfati Regis importent, ſeu momenti conſiderabilis ſint; quod nos dicimus, *Coſa de importancia*, quales Eccleſiæ paruæ non ſunt, & loca alia dicta. Quamquàm textus videatur obſcurus, neque eodem modo ſemper legatur apud citatum Auctorem. *Capite enim ſecundo citato*, in quo Bulla integrè exſtat, ſic legitur vt à nobis propoſitum. *Capite* autem 23. *num. illo* 40. ſic: *Et locis præfati Regis importantibus*: vbi & vox *ſtatui* omittitur, & in participio caſus variatur, ac ſenſus parùm redditur expeditus: qui tamen expeditior videtur, ſi legamus; *& locos ſtatui Præfati Regis importantes*: vt poſtulationi de locis piis ſine licentiâ Regum non erigendis reſpondere videatur. Monaſteria autem nomine magnarum Eccleſiarum poſſunt conuenienter intelligi, aut etiam piorum locorum: vtrumque enim habent, & res, vt more loquamur noſtro, importantiæ eſt magnæ; vnde ſine Regis licentiâ nequeunt ædificari. Et ita praxis obtinuit, vt idem Auctor affirmat.

Proreges in licentia cõceſſione grauiter peccare.

156 Iuxta hæc ergo ſufficienter intelligitur peccare Proreges, & quidem in re graui, licentiam ædificandi contra prohibitiones Regias concedentes. Vnde iam non habet locum, quod tradit Fr. Ioannes Baptiſta in *Animaduerſionibus Hiſpano-Latinis pro Confeſſarijs Indorum fol.* 307. §. *Dari etiam*, poſſe ſcilicet cum ſolâ Proregis licentiâ Religioſos Cœnobia conſtruere, etiam reluctantibus Epiſcopis, & quidem cùm ſcribebat hic Auctor, iam prohibitiones extabant, vt patebit conferenti Libri publicationem, & reſcripta, quæ adducit Dom. Solorzanus *Cap.* 23. *citato n.* 26. *& ſeqq.* Sed quidquid ille dixerit, jam non licet circa rem iſtam dubitare. Eſt inſuper ratio alia, ex quâ conſtat peccare Proreges in huiuſmodi conceſſionibus: nam Rex ſolet ædificia, quæ ſine illius ſunt licentia conſtructa, deſtrui penitus imperare: ex quo damna Religioſis, aut Fundatoribus, non leuia proueniunt, expenſarum ingentium fruſtratione. Et licèt Reges noſtri, quæ illorum eſt eximia pietas, contra ipſorum voluntatem erecta ædificia ob precum inſtantiam non ſemel ſuſtinenda cenſuerint: non tamen ſemper ita factum; ſed neque faciendum poteſt quis ſibi prudenter perſuadere.

Fr. Ioan. Baptiſta redarguitur, circa illud

Item ſi ante poſſeſſionem officij, juriſdictionem exerceant.

157 Quarta, peccare item grauiter, juxta materiæ grauitatem, ſi ante aſſumptam officii poſſeſſionem, quod oſtenſis titulis in loco à Rege deſtinato fieri debet, juriſdictionem exerceant. Licèt enim circa hoc opinio probabilis fuerit, juxta quam poſt ingreſſum in Prouinciam poſſunt Magiſtratus iuriſdictionem exercere, pro quâ plures & Doctores & rationes adducit D. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 11. *num.* 2. *& ſeqq.* & in Politicâ *Lib.* 5. *Cap.* 14. Non tamen poteſt illa ſubſiſtere, quando Principis circa hoc eſt expreſſa deciſio: in claris enim & manifeſtis non eſt locus diſputationi, neque eſt neceſſitas inueſtigandi mentem per coniecturas, *L. Continuus* & ibi Gloſſa, cum aliis Textibus & Auctoribus, quos adducit Petrus de Luna *Conſilio* 37. *num.* 4. Pro quo & faciunt adducta à Dom. Solorzano *ſuprà Cap.* 3. *num.* 49. ſunt autem aliqua Regia reſcripta circa præſentem caſum, quæ videri poſſunt apud D. Solorzanum *citato Cap.* 11. *num.* 25. *&* 36. quod & praxis receptiſſima comprobauit: vt de hoc non videatur poſſe dubitari. Dubitauit autem Doctor Saa Carraſcus, laudatus aliàs Iuriſconſultus, Principis Squillacenſis Aſſeſſor, & Senator poſteà Panamenſis: nec ſolùm dubitauit, ſed intrepidè oppoſitum aſſeruit, & ſcripto vulgauit ad *ll. Recopilat. Cap.* 9. *à num.* 9. *ad* 15. Et quidem ſi ad Textus, qui adduci pro Indiis poſſunt, veroſimilis reſponſio ſit, res in terminis iuris communis relinquitur, & opinio iſta ſatis probabilis eſt; cùm & Textus & Auctores habeat minimè contemnendos.

Oppoſitum viſum veriùs docto iuriſconſulto.

Et ad Textum vrgẽtiorem pro Indijs reſponſio adhibetur.

158 Ad ſchedulam ergo *Anni* 1555. in quâ ſtatuitur Sexennium, quod Proregnatui aſſignatur, computandum à die aduentus in ciuitatem Regum, & captam muneris poſſeſſionem: dici poteſt computandum quidem ab illo die poſſeſſionis ſolemniter captæ, & citra omne dubium & opinionem: quod quidem Rex ita diſponere potuit, cùm poſſet & aliter, vt in officiis aliis fieri ſolet, in quibus ſumptæ poſſeſſionis tempus non ſolet in Indiis obſeruari. Praxis autem iuxta opinionem ſecuriorem procedit, & vt bellum iuſtum ex vtraque parte videtur, inter ſucceſſorem inquam & deceſſorem, ſi vterque velit probabili ſe opinione tueri.

Non poſſe per terram iter facere contra prohibitionẽ.

159 Quinta, & vltima. Peccabunt etiam grauiter Proreges Indici ſi contra Regiam prohibitionem, quæ extat, per terram iter agant, vt ad ciuitatem Curiæ Sedem perueniant, cùm agere per mare debeant, ne grauent populos, & Indos præſertim, in quos ſemper talium conductionum onera congeruntur. Pro quo videndus Dom. Solorzanus *citato Cap.* 11. *num.* 31. *&* 32. & in Politicâ *pag.* 889. §. *Y paraque*. Dubitari enim nequit quin materia grauis ſit, nec de intentione grauandi eorum conſcientias, quando ex non facto dicta grauamina ſubſequuntur. Quod tamen regulariter intelligendum eſt: ſi enim aut fortium periculum, aut grauis infirmitas aliud faciendum cogat, id nequit non voluntati Regis eſſe conforme. Tunc autem nullius labor ſine mercede relinquendus, aut datum quidquam ſine pretio: nullus enim tenetur Proregi ſuis ſtipendiis militari. Et quidem ſatis inauſpicatum interpretari poterunt ſuæ gubernationis exordium, ſi eam miſerorum grauaminibus auſpicentur. Neque ego de illis plura, ſatis contentus, ſi quæ de ipſis diſſerui, ab eiſdem diligenter obſeruentur. Iam ad alios, ſed proximiores illis, ſtylum noſtrum traducamus, de quibus agentes, quæ pro ſyndicatis deſiderari poterant, tribuemus.

In quo & graue peccatum.

TITVLVS

Digitized by Google

TITVLVS IV.

DE REGIIS AVDITORIBVS, SEV INDICARVM CANCELLARIARVM SENATORIBVS;

Et de iis, quibus illorum Conſcientiæ, obligationibus prægrauantur.

SUnt quidem illæ, nec paucæ, nec leues, ut aliqui eos, hâc ex parte, parùm felices arbitrentur; licet oculis inſipientium fortunatiſſimi videantur. Et communis quidem exiſtimatio minimè illis fauorabilis eſt: contra quam tamen poſſunt Chriſtianè ſe gerentes, alii in Dei oculis apparere. Noui Togatum virum duos habentem filios, quorum natu maiorem Iuriſprudentiæ ſtudio propenſiorem videns, genio ſeruire permiſit: Minorem autem Theologiæ ſtudio omninò ſuaſit, & fecit incumbere, dicens: Hunc ſaluari cupio: cupiebat etiam & alium; ſed ſic agens, ſatis quid de ſuo ſentiret periculo, declarauit: Quod eſt ſatis conforme iis, quæ habet Dom. Solorzanus *Lib.4. cap.4. num.45.* Et erat ille doctus, moderatus, & conſcientiæ non incurioſus ſuæ, Sacramentis frequenter utens, & certè talis, quales vtinam omnes Togati Proceres mitterentur. Pro illis ergo ſit

CAPVT I.

Circa Indicorum Auditorum vitæ moderationem excurſio.

Vita probitas & exẽplã maximè in Auditoribus Indicis neceſſaria.

1 QVæ de ſupremi Conſilii Dominis *Titul.2.* à nobis diſputata ſunt, eadem ferè ipſa Indicis Auditoribus applicanda. Niſi quòd iſti ad maius aliquid quoad morum præſtantiam, & vitæ exemplum, videantur debere ſtrenuè, & diligenter adſpirare. Cùm enim in longinquis regionibus Regiæ Maieſtatis Authoritatem repræſentent, vt homines in officio contineant, ſpecialibus profectò debent morum ſplendoribus coruſcare: *Metus cuncta componit, ſi reus crimen in judicante non inuenit.* Vt Caſſiodorus loquitur *Lib.9.19.* Aliàs viles populis, & contemptui habiti, Regiam auctoritatem in manifeſtum diſcrimen adducent. Pro quo Siracides, & per eum Spiritus Sanctus, ita loquitur *Eccli.10.v.1.* *Index ſapiens judicabit populum, & principatus ſenſati ſtabilis erit.* Vbi judicis nomine Principem intelligi communiter obſeruant interpretes. Videantur Paulus de Palacios, P. Cornelius, & P. Oliuerius. Vbi Tygurina, & complutenſis, ita legunt: *& principatus prudentis protenſus erit.* Quod ita exponit P. Cornelius: *Puta; extendet ſe ad multas gentes, & multos annos.* Id, quod nulli melius, quam Catholicis Hiſpaniæ Regibus adaptaueris, qui imperium ſuum à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum propagarunt. Sed pergit Siracides, & quomodo, quod acquiſitum eſt, conſeruari queat, luculenter oſtendit: *Secundùm judicem populi, ſic & miniſtri eius, verſ.2.* circa quæ Palacius ita ſcribit: *Hic docet Principem virtute præſtantem, ante omnia ſummâ curâ ſibi de miniſtris egregiis prouidere.* Sic ergo & dilatabitur, ſeu protenſus erit principatus, & temporis diuturnitate florebit. Pergit adhuc ille ſic dicens; *Rex inſipiens perdet populum ſuum, & ciuitates inhabitabuntur per ſenſum potentium. verſ.11.* Vbi citatus Oliuerius ita ſcribit: *Perdit Rex inſipiens populum ſuum, quia ſibi ſtultitiâ ſimiles adlegit reipublicæ moderatores, & inferiores judices, qui ſtatum politicum funditus euertunt.* Sic ille. Sic & ſcimus ſtultorum miniſtrorum, (& omnes ſanè vitioſi ſtulti, quia omnis peccans eſt ignorans, vnde Scriptura paſſim vitioſos ſtultorum appellatione traducit) peſſimâ agendi ratione multas ingenti labore partas ciuitates, & prouincias periiſſe.

Caſſiodor. *Eccli.10. v.1.* *P.Cornel.* *verſ. 2.* *Palacius.* *verſ.11.* *Sicut euerſio à non talibus.*

Inde principatus Indici conſeruatio, & propagatio.

In Indiis de fide ſtabilienda agitur Indem præfatis obligatio.

2 Accedit id, quod inculcatum aliàs, nouitiam fidem eſſe in Indiis, & de illâ firmandâ; ac propaganda tractari: Vnde ii, ad quod maximè negotium iſtud omnium grauiſſimum ſpectat, probitatis omnigenæ debent luminibus prælucere. Quid Indus? Quid Æthiops, magnum de fide Chriſtianâ concipiant, qui in Senatoris famulitio verſantes, non ſolùm teſtes, ſed miniſtri multorum flagitiorum eſſe compelluntur? Cùm hæc ſcribo Æthiops quidam ægrè ad Baptiſmi ſuſceptionem adductus, qui illum ſibi neceſſarium non eſſe contendebat, ſed in ſuâ ſe poſſe qualicumque religione ſaluari; eò quòd qui neceſſitatem nouæ religionis obiicerent, & nouæ legis cuſtodiam, non eſſe certum id, quod dicerent, operibus demonſtrarent. O vtinam Proreges omnes eo zeli ardore feruêrent, quo ſcimus vnum è magnis Hiſpaniæ Dynaſtis Indico Præfectum regiminis ferbuiſſe. Auditorem namque turpi-

Recentior caſus.

Digitized by Google

Proregis laudabilis reſolutio.

bus, & contra coniugii iura, amoribus irretitum, præmonitum tamen, & emendationem certiſſimam promittentem, cùm ſecus facientem obſeruaret, in Hiſpaniam inflexo brachio remiſit; ad Regem ſcribens tales homines in terris huiuſmodi eſſe nimium quantum exitioſos; & ita alibi prò Regio arbitrio minùs periculosè occupandos. Friget in illis, & ita emortua eſt fides, vt ex illâ nullus poſſit momenti magni fructus expectari. Pro quo ſic Auctor, qui nomine S. Sixti librum de malis doctoribus ſcribit, & habetur *Tom. 5. Bibliothecæ Patrum, Parte 2. Qui credit Deo, attendit mandatis eius, & qui confidit in illo, non minorabitur. Eccli. 32. v. 28. Si illum credere dixit, qui mandatis attendit, illum ſine dubio incredulum expoſuit, qui non attendendo contempſerit. Hoc & Beatus Ioannes Apoſtolus: omnis, inquit, qui in eo manet, non peccat; & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum. 1. Ioan. 3. v. 6. vnde intentiùs cognoſcendum eſt, an fidelis haberi debeat, qui iuxta Apoſtolicam definitionem Deum ignorare cenſetur. Cui enim in dubium veniat, quòd vbi futurorum fides eſt, illis tam æternæ beatitudinis deſiderium ſit, quàm pœnæ perpetuæ timor; & vbicumque hæc duo fuerint, difficilis erit cauſa præuaricationis, dum eam aut incorruptibilium bonorum amor, aut indeficientium ſuppliciorum terror excludit, & vbi facilè delinquitur, ibi futurorum nec deſideratur aliquid, nec timetur.* Sic ille.

Quàm fides debilis, vbi tranſgreſſio frequens.

Eccli. 23. v. 28.

1. Ioan. 3. v. 6.

Circa electionem accuratè tractandum.

3 Iam, vt tales ſint, oculata prouideat electio, ne id accidat in iudicibus, quod in mercibus ex Europâ conuectis experimur. Quæ enim in ſerico, pannis, linteis, ac ſimilibus, aut rupturis, aut maculis deteriora inueniuntur, aliis intermixta, & ſic occultato vitio, tranſmittuntur. Vt in eo Europæi videantur eſſe iudicio, Indiis qualiacumque ſufficere. Et certè, vt idonei iudicari non debeant, ipſa poterit ambitio argumentum eſſe ſufficiens. Non damno muneris huiuſmodi candidatos, quibus ornamenta doctrinæ, & probitatis, cum ſuppetant modeſtè ſe, & reuerenter inſinuant. *Humanæ mentis felix illa conditio eſt, quæ arbitrium prouectionis ſuæ, intra terminum moderationis includit*, verba ſunt Caſſiodori *Lib 7. 26.* Pro quo iuuat rarum, ſed memorandum exemplar propoſuiſſe. Illuſtris Eques D. Ludouicus Quiñones, abſolutis cum laude iuriſprudentiæ ſtudiis, & literariis honoribus cumulatus, ex Peruuio in Regiam Curiam ſe contulit, prætenſorem acturus. Et erat ille honeſtiſſimis moribus iuuenis, qui in nobilitate tantâ luminoſiùs radiabant. Cum ergo Matriti auditurus ſacrum eccleſiam cœpiſſet introire, turbam pauperum in ipſo veſtibulo ſtipem poſtulantium conſpicatus, ſic apud ſe cogitans loquebatur: Quantò erit meliùs Chriſti pauperibus, & in illis Chriſto ipſi, aurum & argentum dilargiri, quàm illud aulicis, & aulicorum famulis tribuiſſe? Quidquid bonæ fortunæ ſpero, à Dei pendet voluntate: & ad illam mihi conciliandam meliores iſti profectò quàm illi patroni. Sic fatus copiam aureorum apud ſe inuentam, totam, quanta erat, diſperſit, & dedit pauperibus, vt iuſtitia eius maneat in ſæculum ſæculi *Pſalm. 111.* Et nouo illo liberalitatis genere exciti pauperes, benefactorem ſuum præcones omni exceptione maiores, plurimis audientibus, celebrarunt. Factum ſic, vt ad primam libelli ſupplicis exhibitionem, cum meritorum allegatione, in Auditorem fuit Cancellariæ Quitenſis electus; & Alcantarenſis militiæ Equeſtribus honoribus decoratus. Obiit Quitenſi in vrbe, ætate immaturâ, ſed eximiarum virtutum exemplis, velut quodam ad felicitatem compendio multis impletis temporibus, conſummatus.

Nõ eſt omnis prætenſio damnabilis.

Caſſiodor.

Inſigne Prætenſoris exemplum.

Venalitas pro huiuſmodi officiis quàm ſit turpis.

4 Talis profectò prætenſionis modus dici ambitioſus nequit; à quo tamen longè abit ille, qui venalitate conſiſtit. Munus hoc, vt dixi, & doctrinæ, & probitatis honeſtamenta requirit: vbi illa, pretium eſt condignum. Qui enim pecuniæ ſuffragio nititur, ſatis oſtendit minimè illa ſuffragari. Repellendus ergo, neque huiuſmodi monſtris locus tribuendus. Pro quo D. Iſidorus Peluſiota *Lib. 1. Epiſtol. 485.* ita ſcribit Iſidoro cuidam: *Quòd ſi, vt verò conſentaneum eſt, pecuniis imperia emercantur (quæ barbarus etiam quiſque emens non modò prohibetur, ſed etiam graviſſimo ſupplicio mulctatur, ſi pecunias dederit) vt ſic quoque Cappadocibus dumtaxat imperent, qui hoc merentur, vt ſuis vinciantur catenis.* Sic ille. Clamandum & iterum; *Retundatur ambitio cæca cupientium: Proterua refrænetur audacia; qui honorem per nefanda deſiderat, amiſſa potiùs opinione turbetur.* Sic Præfectus Prætorii verbis Caſſiodori *Lib. 12. 7.* Vbi & addendum illud, quod vtinam verè dici noſtris temporibus poſſit: *Vos autem, quos ad publicas adminiſtrationes peruenire noſtra fecit electio, de actionum honeſtate confidite. Quia vos nulla venalitas excludit, ſi probitas continuerit actionis.* Sic ille, conſonans Claudiano, dum canit: *Emitur ſola virtute poteſtas.* Virtute, inquam, maritatâ doctrinæ. Pro quo valdè debet Regalium miniſtrorum prouidentia vigilare. Erubeſcant non rarò tribunalia, in eruditis ſeſſoribus obſcurata. Sententiarum deſperatur rectitudo, vbi ſapientiæ lumina non præfulgent. Et vt bonis Aduocatis adhæreat Iudex, indecorum certè eſt cæcorum more procedere oculis alienis, quando etiam pro parte aduersâ eruditi Aduocati adſunt, nec facultas eſt in eo diſſidio, quid ſit iuſtius, iudicandi. Vbi & audiendus iterum Caſſiodorus, digniſſimus qui millies loquens audiatur. *Lib. 8. 18. Profeſſionem conſtat eſſe iuſtitiæ legumperitos iudices ordinare; quia vix poteſt negligere, qui nouit æquitatem; nec facilè erroris vitio ſordeſcit, quem doctrina purgauerit.* Et inferiùs. *Aſſideat tibi propria, & exercitata doctrina. Modò eſt felix, & certa conditio negotiorum, quando ille ſententiam dicit, qui non poteſt ignorare quod eligit. Non enim decet iudicem miniſtrum eſſe voluntatis alienæ.* Sic ille.

D. Iſidorus Peluſiota.

Caſſiodor.

Solis meritis adminiſtrandum.

Inſcitia in talibus quàm pudenda.

Doctrinæ caſtitas adnectenda, à qua immaculata ſententia.

5 Doctrinæ autem caſtitas præcipuè adnectenda, ſic enim incorrupta prorſus iudicia proferuntur. Duobus inhoneſtis iudicibus in Suſannam immani libidine inſanientibus Daniel à Deo damnandis, & dignè puniendis adlegitur: ad quorum alterum ſic locutus ille: *Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris priùs, iudicans iudicia iniuſta, innocentes opprimens, & dimittens noxios. Daniel 13. v. 52. & 53.* Ecce luxuriæ progeniem, iniuſtitiam multiplicem, vt nec Deum timeat, nec homines vereatur. Huic ergo ablegandæ peſti caſtiſſimus adeſt Daniel, vt immaculatæ ſententiæ caſtitatis adminiculo pronuntientur. Pro quo ſic D. Maximus *homiliâ 1. de accurato Chriſto: Multùm de Deo pudicitia*

Dan. 13. v. 52. & 53.

D. Maximus.

Digitized by Google

triæ conſequitur, cùm iudicem Virginem promeretur. Secura enim eſt de victoria caſtitas, cui eſt iudicatura Virginitas. Pudicitiæ autem cauſſam, niſi vir pudicus audire non debuit, talem enim arbitrum meretur caſtimonia. Sic ille.

Caſtitati modeſtia copulanda.

6 Caſtitati deinde modeſtia comes adhæreat, quæ faſtum, & jactantiam moderatur. Notata in iis, de quibus agimus, indicis dignitatibus, mali iſtius labes, vt de illis dictum à Propheta Regio videatur *Pſalm. 46. v. 10. Quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt.* In quo quidem nimis errare ſolent; ſic enim contemptibiliores fiunt, & graues non ſemel deſpectionum moleſtias patiuntur. Quas dum vindicare pergunt, turbæ excitantur non leues, & odia, ac perſecutiones implacabiles concitantur. *Ingens eſt humilitatis faſtigium; at contra ingens arrogantiæ ruina.* Sic D. Iſidorus Peluſiota *lib. 3. epiſt. 68.* ſit ergo magnum licèt dignitatis faſtigium, in quo indici Senatores excellunt, credant ſe altiùs poſſe conſcendere, ſi ſe humilitatis beneficio ſtudeant promoueri. Sin minùs, in ipſo faſtigio corruent, & in ipſâ erunt viliſſimi dignitate. Humilitas virtus Chriſtiana eſt: quòd ſi ſe illi Chriſtianos & eſſe & haberi deſiderant, Chriſtùm debent; non Monachos aut Eremitas tantùm, ſed omnes ita alloquentem, audire: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Matth. 11. 29.* Iudex ille viuorum, & mortuorum: vnde & iudices diſcere ab eo iudicialis dignitatis ornamenta poſſunt: & ſunt illa mititas, & humilitas: ſi ſecus egerint, ad huius mundi Principem potiùs ſpectaturi. *Ingreſſus eſt Tharthan in Azotum, cùm miſiſſet eum Sargon Rex Aſſyriorum. Iſaiæ. 20. v. 1.* Quod ad moralem intellectum trahens Diuus Hieronymus, ita ſcribit in eum locum: *ſonare cognoſcimus Tharthan, Turrem dedit, vel ſuperfluus, ſiue elongans. Sargon autem Princeps horti. Hic Rex Aſſyriorum, quem ſupra legimus ſenſum magnum (propter ſuperbiam Diaboli) habet duces plurimos: quorum vnus eſt Tharthan elatus in ſuperbiam, & longè procedens in ſcelere, & amplior ceteris: & mittitur ad impugnandum Azotum. Qui Hebraicè interpretatur ignis generationis, expugnatque dux Regis Aſſyrij eos, qui generationi & libidini ſeruiunt.* Sic ille. Vt videant ij, de quibus nobis ſermo, ad quem pertineant, ſi à Chriſtianâ humilitate, quæ caſtitatem habet ſociam, ſicut jactantia luxuriam, abhorrere ſe factis, licet non verbis, fateantur.

Pſal. 46. v. 10.

Ingens humilitatis faſtigium.

Virtus Chriſtiana ad omnes ſpectans.

Matth. 11. v. 29.

Iſaiæ 20. v. 1.

Ab ea alieni ad diabolum pertinent.

Indiarum propria auri ſacra fames.

7 Eſt autem ſingulare Indiarum malum in Iudicibus auri, argentique cupiditas, quâ regnante, indubitatum relinquitur iuſtitiæ patrocinium expirare. *Iſaiæ 28. v. 1. Væ coronæ ſuperbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti gloriæ exultationis eius.* Ecce ebrietatem exprobratam coronæ ſuperbiæ, Ephraimitis, quo nomine Samariæ regnum indicatum communiter affirmant interpretes. Nec quibuſlibet, ſed coronæ, iis videlicet, qui dignitate inter alios præcellebant. Vbi notatu digna lectio ſeptuaginta occurrit, quæ pro *Ebriis, Mercenarij* habet, & lectionem iſtam vulgatè concinere doctè oſtendit P. Gabriel Aluarez in eum locum: mercenarij enim homines, & operarij viles, ſolent frequentiùs inebriari, dum poſt operam, & laborem vires deperditas volunt recuperare; & reuerà vires potiùs opprimunt, & deperdunt. Vnde vtraque ſignificatio ab Spiritu Sancto prouiſa, & propoſito idonea. *Nam reuerà Ieroboam, & ij, qui à reliquis Tribubus diſceſſionem effecêre, ad mercedem, & lucra temporalia reſpexêre, vt patet ex Hiſtoria diuina 3. Reg. 12. v. 26.* ſic ille philoſophatus. Auaritiæ ergo in coronâ ſuperbiæ notata, in Magiſtratibus notæ ſublimioris. Vbi ergo illa, ibi & ebrietas & iuſtitiæ violatæ frequentia. Vnde & ſeptuaginta ſic vertunt: *Væ coronæ iniuriæ, mercenarij Ephraim.* A talibus enim iudicibus vino auaritiæ ebriis nihil poteſt aliud expectari Et Diuus quidem Hieronymus Iudam hoc loco ſpeciatim notatum tradit, qui ex tribu erat Ephraim in quâ Iſcar. oth, & ita pro eo ita ſcribit: *Ebrius autem fuit proditor, non vino, ſed auaritiâ, & furore aſpidum inſanabili, & Diaboli cibo, qui poſt buccellam introiuit in eum. Ioan. 13. v. 27.* Vt videant iudices excelſum adepti locum, quem ſequantur ducem, dum auaritiæ vino ebrij, & veneno aſpidum inſanabili, miſerorum iniurias corde & opere meditantur. Quia verò circa hoc frequens occurrit periculum, de illo in ſpeciali oportet diſſeramus.

Iſaiæ. 28. v. 1.

Inde iuſtitia temerata.

70. Lectio.

Dux talis Iudas.

CAPVT II.

Quomodo Togati iudices in munerum receptione delinquant.

8 AD hunc ſcopulum iudicum naues frequenter impingunt, quem licèt ſciamus vitaſſe quamplures, timendum eſt, ne alios tempeſtas hæc blanda, ſed valida, ſine remedio tabulæ alicuius illidat. Vbi munerum dominantur illecebræ, de iuſtitiâ actum meritò coniiciamus. *Veriſſima res eſt, ad quam iuſtitia exploratur. Si hunc admiſerit, iui quæſtui habere, ac ſententiam adulterare minimè recuſabit.* Verba ſunt Diui Iſidori Peluſiotæ *lib. 3. epiſt.* 396. Pro quo, & Caſſiodorus lib. 7. 1. *Gladius conditur, vbi aurum ſuſcipitur. Tu te inermem reddis, ſi à virili animo, cupiditate receſſeris.* Et lib. 9. 24. *Rara eſt in hominibus manus clauſa, & aperta iuſtitia.* Sic ille. Hac de cauſa munerum acceptio legibus diuinis, & humanis magnò verborum pondere, & pœnarum comminationibus reprobata. De quo dictum *Tit. præced. cap.* 4. Vbi & de Auditoribus, ac Togatis aliis ſimiliorem verò doctrinam congeſſimus, iuribus, auctoribus, & rationibus, iuxta noſtrum modulum illuſtratam, & pro ampliori eruditione

Vbi acceptio munerum, ibi & violata iuſtitia.

9 Dico primò. Iuramentum, quod Togati, & alij de non accipiendis muneribus emittunt, non plus obligat extenſiuè, quam leges ipſæ. Quæ ergo licitè accipi poſſunt iuxta dicta *citato cap.* 4. etiam ſtante iuramento licent. Ratio eſt, quia iuramentum cadit ſupra legem ſecundùm illius obligationem, & ita vbi legis obligatio non eſt, ad alia non extenditur. Sic cùm gubernator iurat ſeruaturum ſe leges, & ſtatuta, de illis intelligitur, quæ ſunt in vſu, & non de aliis, vt docet P. Suarez *de Religione Tomo 2. lib. 2. de iuramento cap. 32. num. 11.* & iurans reſidere, abeſſe poteſt ad iura ſuæ Eccleſiæ, aut dignitatis tuenda, iuxta eumdem & alios *num.* 10. Quòd ſiquis cùm iurauit, talem non adhibuit reſtrictionem, ſed ſimpliciter munera ſe non accepturum: nihilominus

Aſſertio 1. Iuramentum Auditorum non obligare amplius extenſiuè quàm lex.

Ad ſtatuta quæ non ſunt in vſu generaliter non extenditur.

Digitized by Google

hilominus illa intelligenda eſt virtualiter adhibita: Eius enim intentio fuit ſecundùm legis iuramentum præcipientis obligationem procedere: cúmque lex non plus obliget, quàm diximus, non reſultat amplior obligatio; quemadmodum ſiquis promitteret abſolutè ſtatuta ſeruare, non remaneret obligatus, niſi ad edita, non autem ad edenda, vt cum Sylueſtro, Angelo, Panormitano, & Antonio docet P. Suarez *ſuprà n.* 11. & cum ſequens P. Vincentius Tancredi *de Religione tract.* 4. *lib.* 2. *Diſput.* 15. *num.* 1. & 4. qui pro priori doctrina de ſtatutis vſu non receptis alios adducit *num.* 5. Pro quo & facit iuramentum Medicorum de non viſitandis ægrotis vltra tertium diem iuxta Conſtitutionem Pij Quinti, niſi in ſcriptis habuerint fidem confeſſariorum de factâ confeſſione. Non enim obligat, niſi prout vſu receptum eſt. Et ita in multis locis ceſſat obligatio, vt de Sicilia teſtatur citatus Auctor & de Hiſpania Pater Palaus *Tom.* 3. *Diſput.* 2. *de obligatione, & firmitate iuramenti. Puncto* 7. §. 4. *n.* 6. Pro quo & videndi P. Suarez *Tom.* 4. *in* 3. *p. Diſp.* 35. *ſect.* 3. *num.* 5. & Pater Thomas Sancius *lib.* 3. *Summæ Cap.* 16. *num.* 10.

Si iuramentum Medicorũ.

Aſſertio 2. Eſculenta & poculenta exigui pretij poſſe recipere.

10 Dico ſecundò. Præfati non peccant grauiter accipientes eſculenta, & poculenta exigui pretij. Videantur dicta *Tit. præced. n.* 33. Modò ad probationẽ expendo legem 56. *Tit.* 5. *lib.* 1. *Recop.* In qua ſtrictior eſt accipiendorũ munerum prohibitio. Cùm enim ibi ſic dicatur: *No pueden recebir porſi, ni por interpoſita perſona, preſente, ni dadiua alguna de qualqhier valor que ſea.* Ad eſculenta, & poculenta progrediens, cum eo rigore non loquitur; ſed ſic ſtatuit: *Ni coſas de comer, ni beuer, de concejo, ni de vniuerſidat, ni de perſona alguna, que tratáre, o Veriſimilmente ſe eſpera que tratará pleito ante ellos.* Vbi non extat ampliatio, quæ circa priora *De qualquier valor que ſea.* Non ergo in illis parui valoris donationes prohibitæ, quæ & ſine peccato aliquo videntur admitti poſſe, ſi non ſiniſtro aliquo reſpectu, ſed vrbanitatis gratiâ recipiantur. Et doctrina iſta circa paruitatem explicandam, per ea regulanda eſt, quæ dicta à nobis *citato n.* 13. Neque Togatos in hoc Proregibus exæquãdos ex ibidem dictis conſtat. Eſſet autem grauis exceſſus, ſi tales conuiuio ſplendido exciperentur ab iis, à quibus accipere nequeunt: iam enim eſculenta & poculenta non eſſent parui valoris. Niſi fortè iter facientes, & qui excipiunt hoſpitio, tales ſint, vt viris primariis iter agentibus tale ſoleant officium exhibere & grauiter ferrent illius repulſam, timentes ne parci, & inurbani ab aliis habeantur; vel tales reputari, qui non niſi vulgari aliquo vtilitatis reſpectu ad huiuſmodi ſumptus excitentur. Quamquàm, & in hoc peccari grauiter poſſit, ſi ſumptus exorbitent, & ad ea ſe extendant, quæ vltra menſam & alia conſueta procedunt.

Ex lege ipſa prohibente deducitur.

Quale conuiuium poſſint excipere.

Aſſertio 3. Circa eos, qui nondũ poſſeſsionẽ acceperunt, problematica quæſtio.

11 Dico tertiò. An Togati cùm extra loca ſuæ iuriſdictionis ſunt, ſed nondum officij poſſeſſionem acceperunt, vel quia itinerantur, aut aliâ ratione poſſeſſionis acquiſitio retardatur; munera poſſint accipere, problematicè poteſt diſputari. Pro affirmatiua enim parte facit illos nondum eſſe iudices conſtitutos, quibus ſolis acceptio iſta prohibetur: & cùm odioſa lex ſit, reſtringenda eſt potiùs, quàm extendenda, iuxta dicta *Tit. præced. n.* 28. Pro negatiua autem vrget ratio, & finis legis, violandæ ſcilicet iuſtitiæ periculum: & quia tales poſt acceptos officij titulos communiter reputantur iudices, & iiſdem honoribus excipiuntur. Et quidem veriſſimè tales ſunt ante adeptam poſſeſſionem, ratione cuius non accipiunt titulum, ſed exercitium. Vnde hæc non eſt extenſio odioſæ legis, ſed legitima interpretatio, ob caſûs, de quo loquimur, comprehenſionem. Pro quo videri poteſt Dom Solorzanus *Tom.* 2. *lib.* 2. *Cap.* 18. *num.* 39. *& ſeqq.* & in Politicâ *lib.* 3. *Cap.* 20. *pag.* 385. *col.* 2. & P. Suarez *lib.* 5. *de legibus Cap.* 4. Vbi alios adducit, & hoc videtur veroſimilius.

Aſſertio 4. Poſſunt ratione amicitiæ, contracta etiam ratione officij.

12 Dico quartò. Quod dictum eſt de licita acceptione munerum titulo amicitiæ *Tit. præced. num.* 31. ita ampliari poteſt, aut potiùs explicari; vt licita ſit, etiamſi contracta ratione officij & illius exercitij. E.g. In lite aliquâ quis victor extitit, & quia beneuolum in ea expertus eſt Auditorem, cum ſtuduit obſequiis demereri, ex quo ſpecialis amicitia ſuccreuit: non iam in eo lucroſo reſpectu conſiſtens, à quo habuit initium, ſeu potiùs occaſionem, ſed ex inclinatione cordium reciprocâ, cuius non debent eſſe iudices incapaces. Cùm hoc accidit, munera licebunt, ſicut & licita erit hæredis inſtitutio: Vt autem iuſtitiæ violatæ, in litibus, quæ fortè exurgent, periculum euitetur, recuſationis adeſt remedium, patienter propter amicitiæ vinculum tolerandæ. Præterquam quòd, ſi amicitia vera eſt, eâ conſtante, nihil eſt ab amico iniuſtum requirendum, & ita neque iniquè ferendum, ſi ab amico denegetur; qui tunc equidem poterit illum de poſtulatâ iniuſtiâ reddere certiorem. Pro quo eſt illuſtris Diui Ambroſij ſententia *lib.* 3. *Officiorum Cap.* 15. Vbi iſta ſcribit: *Ea amicitia probabilis quæ honeſtatem tuetur; præferenda ſanè opibus, honoribus, poteſtatibus; honeſtati verò non ſolet præferri, ſed honeſtatem ſequi.* Videantur alia.

Quæ tamẽ nil iniuſtũ fieri patiatur.

Quã probanda.

D Ambroſius

Aſſertio. 5. A Religioſis vt poſsint accipere.

13 Dico quintò: Quæ à Religioſis prædictis Dominis cum moderationis temperamento, nec violatis paupertatis legibus, offeruntur, licitè accipere poſſunt. Eſt hoc conforme iis, quæ diximus *Tit. præcedenti num.* 36. ſed hoc loco debuit ampliùs declarari. Poſſunt quidem accipere, quia in ſic offerentibus, nequit ſiniſter aliquis affectus, qui ad offerendum moueat, ſicut in aliis, timeri: & ita ratio legis ceſſare videtur. Deinde accipere ab amicis poſſunt, iuxta dicta. Religioſi autem nomine poſſunt amicorum venire, qui præceptũ Chriſti de amicabili dilectione perfectiùs ceteris ſtudent adimplere. Pro quo audiendus Caſſiodorus *Libro de Amicitia* §. 1. vbi ita loquitur: *Refert Tullius vix tria, vel quatuor amicorum paria in tot retro ſæculis extitiſſe. Verùm, vbi vox turturis audita eſt in terrâ noſtrâ.* Cantic. 2. v. 12. *Vox annuntiantis pacem, annuntiantis amicitiæ veritatem, atque dicentis: Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem Ioan.* 15. *v.* 12. *Multa millia hominum amicitias contraxêre veraces, diligentes ſe inuicem, honeſtiùs, veriùs, ſanctiùs, prudentiùs, & fortiùs, quàm Pilades, & Horeſtes.* Hæc ille, & alia. Et quidem cùm graue aliquid, quod ad quietem Conſcientiæ pertineat, ſæcularibus ſolet occurrere aut eorum animos curâ pungente ſolicitet, vbi ſanioris, & prudentioris conſilij adiutorium eſt opus,

Sunt veri amici.

Cant. 2. v. 12.

Luculenta probatio.

Digitized by Google

opus, ad Religioſos confidentiùs accurrunt, quod eſſe ſolet veræ amicitiæ perfugium. Circa quod juuat iterùm citato loco Caſſiodorum ſic loquentem excepiſſe: *Homo ſine amico non habet, cui vota, & affectus ſuos communicet, cui conſcientiæ ſuæ ſinum, cui ſolatium ſuum, aut aliquid de moleſtijs irruentibus euaporet: ſolus eſt, qui ſine amico eſt: verè autem ſolus, quia ſi ceciderit, non habet ſubleuationem. E diuerſo quanta eſt jucunditas, quanta ſecuritas habere cum quo loquaris, vt tecum? Cui arcanum committere? Quem in tuis ſecretioribus habeas, ut te ipſum? Cui plenâ ſecuritate reueles, &c.* Et hoc quidem in Indiis deſiderabilius, vbi cùm tot hominum diuerſitates concurrant, difficilè eſt inquieti cordis aſylum ſecurum penitus inuenire. Et hinc eſt, vt quod ad conuiuia ſpectat, nullum ingenerare remorſum debeat, quando à Religioſis, apud quos obſeruantia viget, inuitantur. Quod vt faciant, qui inuitant, honeſtum poſſunt habere reſpectum, quod Prælatorum prudentiæ relinquendum.

Quantum amicitia bonum.

CAPVT III.

De obligatione, quam habent Togati Indiarum judices, aſſiſtendi Tribunalibus, & qualiter in officii negligenti adminiſtratione peccetur.

Litigantiũ querela.

14 DIctum de hoc *Titul. præced. num. 64. & 65.* Sed eſt, quod hoc loco vtiliter vrgeamus: audio enim litigantium querimonias, non ſine veritatis ſuffragatione prolatas, dum litium intolerandam dilationem clamant: quod ſatis apparet, quàm ſit litigantibus oneroſum. Et ego quidem de Chriſtianâ judicum attentione non dubito: malum tamen hoc, ſine cauſæ intimiore cognitione, proſpiciens, vt quo poſſim occurram modo.

Aſſertio 1. in litium protractione grauiter peccari.

Dico primò. Togati judices tempeſtiuè ad tribunalia juxta diſpoſitionem legum, & ad ſecretiorem conſeſſum non accedentes, ſicque moram facientes litibus, apud eos pendentibus, mortaliter peccant. Reſolutio eſt certiſſima, & juxta omnes Doctores, cuius ratio eſt clara; quia officio ſuo, omnium in Republicâ grauiſſimo & momenti maximi, non faciunt ſatis; ex quo damna ingentia ſubſequuntur. Pro quo vide P. Leſſium *Lib. 2. cap. 32. num. 16.* Et magis in ſpeciali loquentem Bonacinam *Tom. 2. diſput. 10. quæſt. 2. Puncto 3. num. 4.* cum Sylueſtro, Sayro, & Nauarro. Eſt autem illorum ratio irrefragabilis; quia judici ex officio cura, & onus incumbit judicandi, & tribuendi cuique jus ſuum; non tribuit autem cuique ſuum, dum ſententia, ſine juſta causâ differt; quia non ſolùm ad ſententiam, ſed ad eius celerem expeditionem jus eſt in litigante. Et ita eo priuatur ſententiæ dilatione. Sicut judex ipſe non ſolùm habet jus ad ſalarium, ſed etiam ad hoc, vt ſuo tempore reddatur; vnde iniuriam ſibi illatam dicet; ſi dilationem in ſoluendo patiatur.

Aſſertio 2. ſerò ad tribunal accedentes ad reſtitutionẽ ſalarij teneri.

15 Dico ſecundò. Præfati ſine legitimâ cauſâ ſerò ad Tribunalia accedentes, tenentur ad ſalarii reſtitutionem juxta proportionem defectûs in muneris adminiſtratione. Id conſtat; quia diminuto labore, merces etiam illius contemplatione aſſignata pariter minuenda. Perplures Textus & Auctores, quos adducit Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 2. cap. 24. num. 35.* Et ratio eſt manifeſta; quia cùm ſalarium ſit merces proportionata labori: labore diminuto, jam eſt improportio, vnde per juſtitiæ regulam ad æqualitatem eſt reducenda. Et verò cùm inſoliti laboris aliquid judici imponitur, ſalarii requirit augmentum, quod & tribuitur, vt ſi faciendum iter, aut extraordinaria commiſſio ſubeunda: quod eſt quidem juxta communem Doctorum ſententiam, ex quibus aliquos adducit, & ſequitur P. Fragoſus *Tomo 1. pag. 42. num. 54.* Ergo & cùm diminuitur labor, diminutio ſalarii ſimiliter facienda, & ita quidem iudices ipſi circa labores aliorum iudicabunt, vnde & circa ſe debent potiùs iudicare, cùm ſint iuſtitiæ patroni generaliter conſtituti, cuius & exemplaria eſſe debent, omnium oculis exhibenda.

Ex acceſſione laboris augendum illud. Ex quo arguitur.

Aſſertio 3. teneri etiã ad damnorum compenſationẽ.

16 Dico tertiò. Non ſolùm ad ſalarii reſtitutionem, ſed ad compenſationem damnorum tenentur modo dicto in officio negligentes; ſic citati pro Aſſertione priori, & alii adducti *numero illo 64.* Et ratio eſt manifeſta; quia ſunt illorum cauſæ, quandoquidem ea debebant ex officio impedire, ex quo obligatio iuſtitiæ naſcitur maximè propria. Quomodo autem reſtitutio ſit facienda, diximus *citat. num.* Et quale eſſe leuamen in hoc adeò ponderoſo negotio poſſit, etiam explicatum *num. 65.* Si videlicet in hoc mortalis culpa apertè non ſit. Quod vtinam ſic contingat. Et in Proregibus quidem, quomodo hoc frequentiùs poſſit accidere, ibidem dictum; In iudicibus autem alia ratio eſt, quos neque ignorantia, neque natiui ſtatûs magnitudo ad excuſationem ſuccurrunt: vnde timendum magis & ipſis, & aliis pro illis, qui eorum conſcientias moderantur, ne omnes ruina extremæ calamitatis inuoluat, de quâ vates Rex *Pſalm. 140. verſ. 6.* ſic pronuntiat: *Abſorpti ſunt juncti petræ judices eorum.* Quæ quidem poſtrema eſt verſûs illius pars, nec ita obuius nexus cum priore, ſic ſe habente: *Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum.* Eum autem ſic exponit Ioannes Campenſis in Paraphraſi illius loci: *Quando ſupplicium ſumetur, & veluti præcipitabuntur de rupibus judices eorum; tum ſentient, quantò fuiſſet illis ſatius auſcultare ſermonibus meis gratioſitate conditis, & à maledicentia diuerſis.* Sic ille. Oratio ergo non ad Dei preces, iuxta auctorem hunc, ſed ad ſermonem concinnè aptatum ad placendum iudicibus, referenda: vt ſic ſalutaria monita meliùs eorum cordibus inhærerent. Quod quidem & Prædicatores, & diſcreti Confeſſarii conuenienter curare poſſunt, cùm ad ſapientes, & proceres Reipublicæ ſint verba facturi. Quibus, cùm illi non obaudiunt, horrendis obnoxii ſuppliciis relinquuntur. *Abſorpti juncti petræ.* Ex alto quidem præcipites facti, vt celerrimè ad infernum deſcendant, qui celeritatem in expediendis negotiis, vt eorum exigebat officium, contempſerunt.

Non eſſe in illis rationem eamdem quæ in Proregibus.

Horror de pœna.

Ioannes Campenſis.

Prædicatores vt debeant ſapientibus & proceribus loqui.

17 Poſſunt prætereà ab obligatione reſtitutionis aliter extricari, quando ea ex cauſis adductis emergit, ſi in beneficium litigantium ſpeciale aliquid præſtent vltra obligationem quod poſſit damni quantitatem adæquare. Id, quod illis non erit

Vnde poſſit obligatio reſtitutionis emolliri, iuxta

Digitized by Google

probabilem dicendi modum.

erit difficilè rem præ manibus habentibus: vt ſi opinione vtantur fauorabili, cùm poſſint aliâ non tali vti, & ſic grauamina aliqua tollentes, aut certè minuentes, vel aliis modis, qui non poſſunt viros ſapientes latêre. Pro quo videri poteſt P. Fragoſus *Tomo 1. pag.* 420. *num.* 55. Tunc autem dubitari poteſt an ceſſet obligatio reſtituendi ſalarii; & videtur non ſine fundamento poſſe dici ceſſare illam; quia obligatio naſcitur ob diminutum laborem in litigantium commodum: cùm ergo commodum idem reſultet, habetur Regis intentum; & idem habetur labor, ſi non formaliter, ſaltem virtualiter, & æquiualenter; neque credendum eſt Regem, cùm ita ſe res habet, ita minutè cum miniſtris huiuſmodi adeò præeminentibus acturum. Sed certè contrarium videtur ſimilius vero; quia reuerà labor defuit, quem Rex vult non tantùm æquiualentem, ſed formalem; quia hic eſt, de quo conſtare poterit, & qui ad ordinatam, & exemplarem iuſtitiæ adminiſtrationem ſpectat. Nec verum eſt Regem minutiora iſta negligere, quæ verè talia non ſunt, cùm ex tot defectibus, & perſonarum numero, grandis poſſit ſumma conſurgere. Vnde *Anno* 1582. in quo facta à Gregorio Decimo-tertio reformatio Kalendarii, pro decem illis diebus ſublatis in Octobri à quinto vſque ad decimum quartum incluſiuè ſalarium adimi iuſſum Indiarum miniſtris, in Reſcripto, de quo Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 4. *num.* 35. & in Politicâ *Lib.* 5. *Cap.* 4. *pag.* 781. *Y ſon tan eſtrechos.* Quod valde delicatum exiſtimat: ex eo tamen ſatis poteſt efficaciter reſolutio noſtra probari de reſtitutione ſalarii reſpondentis decem illorum dierum ſpatio, & etiam minori. Cùm enim juxta ſalarium Audientiæ miniſtris ſolui ſolitum, quod eſt in Argentina quarta maior parte, diebus decem, centum & triginta, plus paulò minuſue octiregales argentei reſpondeant; illis certè vnus poterit miles in regio exercitu ali, & multi multiplicatâ juxta miniſtrorum numerum quantitate: non eſt ergo valdè delicatum, ex quo poteſt non delicata vtilitas prouenire.

Circa ſalarium difficultas.

Veroſimilius affirmatur.

Regem circa illud ad minutiora attendere, congruo monſtratũ exemplo.

C A P V T IV.

Auditores Regii Indiarum an licitè poſſint Decimarum cauſas judicare.

18 De hoc dictum ex profeſſo *Titul.* 2. *Cap.* 6. Hic autem circa Audientias Indicas addendum nonnulla. Et ita

Dico primò. Audientiæ Indiarum nequeunt cognoſcere judicialiter cauſas decimales ad Religioſos pertinentes, quando illi contendunt juxta ſua priuilegia colonos terrarum ſuarum non debere illas ſoluere, ad quod tamen per ſententiam adiguntur. Quod quidem dupliciter poteſt contingere, vel quia directè ita judicant; vel, quia declarant judices Eccleſiaſticos ad præſtationem decimarum cogentes, non facere violentiam. Et colonos quidem non teneri, niſi reſpectu Religioſorum, communiſſima, & probabiliſſima ſententia eſt, juxta quam ſæpiùs Romæ, & in Hiſpania judicatum, vt teſtatur P. Henriquez *Lib.* 7. *Cap.* 27. *num.* 8. & ei correſpondenti Gloſſa *Lit. H.* quem cum paucis aliis adducit, & ſequitur Diana *Parte* 2. *Tractat.* 1. *Reſolut.* 23. & *Parte* 10. *Tractat.* 12. *Reſolut.* 51. quibus adde P. Suarium *Tomo* 1. *de Religione Cap.* 19. *à num.* 13. P. Palaum *Tomo* 2. *Diſputat. de Decimis Puncto* 12. *num.* 10. P. Vincentium Tancredi *Tractat.* 1. *Libr.* 2. *Diſp.* 6. *numer.* 12. Vbi ex theſauro fori Eccleſiaſtici *Cap.* 27. *à num.* 73. refert deciſionem Rotæ die 10. Decembris 1578. coram Bubalo. P. Fagundez *Lib.* 2. *de Quinto Eccleſiæ præcepto Cap.* 4. *num.* 1. Tamburinum *de jure Abbatum. Tomo* 1. *Diſputat.* 15. *Quæſt.* 21. Lauretum de Franchis Vicarium Generalem Auenionenſem *in Controuerſis pag.* 402. Ioannem de la Cruz *de ſtatu Religionis lib.* 2. *Cap.* 9. *Dub.* 4. *Concluſ.* 4. vbi varia priuilegia adducit. Horatium Mandoſium *Tractatu de Priuilegiis ad inſtar.* Gloſſa 15. *numer.* 4. Villalobos *Tract.* 33. *Diffic.* 2. *num.* 5.

Aſſertio 1. non poſſe iudicare, vbi de colonorum obligatione circa Religioſos agitur.

Non teneri iſtos niſi reſpectu Religioſorum, ſententia irrefragabilis.

19 Iam quòd cauſa præſens merè Eccleſiaſtica ſit, conſtat; quia agitur de jure decimandi, & non tantùm de facto, vt demus, quæſtionem de facto poſſe ad laicos judices pertinere. Item de intelligentia priuilegii Pontificii agitur, quod maximè eſt à prophanis tribunalibus alienum: tractent enim fabrilia, fabri; prophana, laici; ſacra, ſacrati. Videantur dicta *Cap. illo* 6. præſertim §. 6. Vnde non valet effugium, de conceſſione decimarum Regibus noſtris ab Apoſtolicâ Sede facta; tum propter ibidem dicta; tum etiam, quia cùm de jure decimandi agatur, cognitio talis ad laicum non poteſt ſpectare, quod & illi fatentur, qui contrariæ ſententiæ aconimos ſe fautores profitentur. Tum denique; quia quæſtio, an priuilegium non decimandi extendatur ad colonos, non eſt Indiarum ſpecialis, neque ex judicis priuilegiis terminanda.

Ecce cauſã merè Eccleſiaſticam, nec de facto tantum, ſed etiam de iure.

20 Quòd autem etiam per viam violentiæ nequeant, ex eo oſtenditur; quia cùm Religioſi probabiliorem ſequantur ſententiam, & tribunalium maximorum judiciis Canonizatam, vt diximus, ex parte eorum violentia eſſe nequit, ſi à competente judice in ſui juris exercitio protegantur. Opinio enim generalis, & ab antiquo deriuata, & practicata, habetur pro veritate; vt cum Baldo, Cepola, & Menochio tradit Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 1. *num.* 63. quod præſertim in cauſis ad immunitatem Eccleſiaſticam ſpectantibus obſeruandum eſt, cui ſemper faueri quammaximè debet, vbi de Religionis Catholicæ ſinceriſſimâ profeſſione fideles gloriantur; & quidem à communi opinione poſſe in judicando recedi, quando contraria eſt fauorabilis, & ad pietatem inclinans, docent ii, quos P. Fragoſus adducit, & ſequitur *Tomo.* 1. *pag.* 447. *num.* 186. ergo potiùs communis, & recepta debet teneri, quando non ſolùm de pietate agitur, ſed de Eccleſiæ libertate. Si ergo violentia aliqua eſſe poteſt, ex parte Clericorum erit, qui Religioſos conantur iure ſuo ita firmato priuare: ergo ſi tale quid contingat, immeritò illis Indicæ Audientiæ fauebunt, & conſequenter non poteſt cauſa iſta ad eas auocari, cùm nequeant earum iudices, qui vt violentiæ diuerſores adeuntur, violẽtiæ patrocinari, & iis cõtrarios ſe exhibere, qui bus fauêre legibus diuinis, humaniſque tenentur.

Neque per viam violentiæ auocari poſſe.

Antiqua & recepta opinione pro veritate habetur.

A communi recedi poteſt in iudicando, ſi concernat pietatem.

21 Sed

Digitized by Google

Validus diſcurſus contra recurſum per viam violentiæ.

21 Sed demus opinionem, quæ Eccleſiis fauet, eſſe probabilem, & practicari poſſe, non ideò ſequitur circa violentiam poſſe Audientias interponi. Quod contingere poteſt, ſi Coloni, aut Religioſi ipſi ad eas recurrant, eò quòd iudices Eccleſiaſtici decimarum eas ſolui compellant, in quo violentiam ſe pati querantur, cùm ius ipſis ad non ſoluendum aſſiſtat. Si enim tunc iudices violentiam non facere declarent, eorum declaratio iniurioſa conuincitur. Nam vel Eccleſiaſtici violentiam non faciunt repetentes decimas coactiuâ manu, & forſitan armatâ, inuitis, & reſiſtentibus prædiorum colonis, aut fortè etiam Religioſis: quâ violentiâ nihil violentius eſſe poteſt, cùm modus ille alienus valde ſit ab Eccleſiaſticâ moderatione, & iniuſtitiis manifeſtis obnoxius; cùm & ſic repetentibus conſtare non poſſit decimarum quota, quæ fructibus naturalibus, mixtiſue reſpondeat. Aut non fit violentia cenſuris Eccleſiaſticis ad ſolutionem cogendo: in quo etiam eſt error apertus: nam cùm opinio valde probabilis Religioſis, & eorum colonis faueat, & ita illas retinendo non peccent, nequeunt cenſuris Eccleſiaſticis niſi per ſummam violentiam moleſtari. Quod quidem receptiſſimæ omnium eſt doctrinæ conforme, iuri, & rationi ſubnixæ, iuxta quam cenſuræ, & excommunicatio, quæ in his cauſſis ſola eſt ſolita fulminari, peccatum præſupponunt: & hæc cùm major eſt, mortale, iuxta ſententiam veriorem, pro qua auctores congerit P. Palaus *Tomo 6. Diſp. 1. Punct. 7.* Quod & clarè colligitur ex Concilio Tridentino *Seſſione 25. cap. 3. de Reformatione.* Et præſertim, quòd contra eum, qui opinionem probabilem ſequitur, non poſſit pœna conſtitui, & ea præſertim, quæ omnium maxima eſt, ſcilicet excommunicatio, communis etiam eſt Doctorum aſſertio, pro quâ videri poteſt Ioannes Sancius in *Selectis Diſp. 45. num. 72. & Diſp. 48. num. 53.* Diana *Parte 2. Tract. 2. Reſolut. 93.* Dom Solorzanus *ſuprà numer. 62.* & in Politicâ *lib. 4. Cap. 1. in fine* & alij.

Excommunicatio ob mortale tantùm poteſt peccatum fulminari & ita minimè contra probabilem opinionem amplexum.

Conſilium Caſtellæ ſupremum cognitionem dictarum cauſſarum abnuit

22 Factum hinc, vt ſupremus Caſtellæ Senatus cauſſam iſtam ad Eccleſiaſtica tribunalia remiſerit, vt teſtatur P. Henriquez *ſuprà* illis verbis: *& cùm cauſſa hæc fuerit agitata Romæ, & apud multa Eccleſiaſtica tribunalia in Hiſpaniâ ad quæ Senatus Regius ſupplicatur ſemper cauſſam remiſit. Ita ſemper pronuntiatum eſt in fauorem Societatis, & colonorum, vt Salmantiæ Anno 83. & Baezæ & Tridenti, ſeu Murciæ, adductiſque executorialibus Pontificiis mandatum eſt executioni, atque id ſpeciale priuilegium confirmatur ſententia rei, iudicatæ eſſe priuilegium reale.* Sic ille. Et executorialia quidem ad Murcianum Collegium ſpectantia à me perlecta, quæ authentica in Collegio Platenſi aſſeruantur, Et exemplum quidem Supremi Conſilij Audientias indicas non ſequi laudabile profectò eſſe nequit, quando Auctores non ſolum id, vt conueniens admonent, ſed obligationem aliquam recognoſcunt, iuxta ea, quæ tradunt illi, quos adducit, & ſequitur Pater Fragoſus *Tom. 1. pag. 448. num. 193.* qui cum aliis *n. 194.* bene affirmat de ſententiis iudicum minorum aliam eſſe rationem & ita parùm curandum de illis ad cauſſarum deciſiones. Quod quidem in cauſſâ præſenti licet obſeruaſſe. Cùm enim Limana Audientia non facere vim iudicem decimarum Eccleſiaſticarum contra Colonos Religioſorum procedentem, declarauerit, Argentina oppoſitum omnino cenſuit; & pro eo Prouiſiones ſatis roboratas Regio nomine geminauit.

P. Henriquez.

Quod non ſequi Indicas Audientias nequit eſſe laudabile.

Tribunalium inferiorum exempla non cogunt.

Aſſertio 2. Idem ſtatuens cum de nouis decimis ſoluendis agitur.

23 Dico ſecundò. Cùm de nouis decimis ſoluendis agitur, non videtur quomodo Audientiæ Indicæ poſſint cauſſas huiuſmodi ad ſe auocare. Et quidem per *L. Regiam 6. & 7. Tit. 5. lib. 1. Recopilat.* tales cauſſas ad Supremum Conſilium auocandas ſtatuitur, de quo latè Couarruuias *in Practi. Cap. 35. num. 2. v. Quartò.* Et Bobadilla in Politicâ *lib. 2. Cap. 18. num. 148.* alios adducens. Indiarum tamen Audientiæ adhuc de eiſdem cognoſcunt, prout quotidiana praxis oſtendit, & in Limanâ, & Argentinâ Cancellariâ ſæpè in litibus emergentibus factum ſe vidiſſe teſtatur Dom. Solorzanus *Lib. 4. c. 3. num. 26.* & in Politicâ *lib. 5. Cap. 3. pag. 765. §. Lo Quinto.* Et earum ſententias ſupremum Indiarum Senatum confirmaſſe. Et per hoc ait ceſſare poſſe ſcrupulum, quem cùm eſſet Fiſcalis Argentinus, ſe habuiſſe teſtatur D. Franciſcus de Alforo *Tract. de Officio Fiſcalis Gloſſa 24. num. 2. & 3.* ſed certè ad euellendum ſcrupulum præfata non ſufficiunt. Quidquid enim de Supremo Conſilio ſit, Indicarum Audientiarum praxis non tantum videtur habere ponderis, vt contra Eccleſiaſticam libertatem eius poſſint ſententiæ præualere. Vt enim *num. præcedenti* diximus, inferiorum tribunalium ſententiæ non vrgent vi exempli. Non eſt enim iudicandum prout iudicatum fuit, ſed quid ſit iudicandum, oportet diligenter inueſtigare *L. Sed licet. D. de Officio Præſidis,* de quo præcipuè agit Baldus *Coſilio 234.* Quod autem Senatus Indiarum ſententias confirmarit, non planè concludit, quia illi in hac parte valde contradicitur: & licet Cauſſarum decimalium iudicium aſſumpſerit, circa hoc ipſum validæ ſunt impugnationes inſtructæ. Cùm ergo ad tollendum ſcrupulum nihil præterea ſit, quod & à Domino Alforo benè viſum, erat enim vir prudentiæ, eruditionis & experientiæ ſingularis, & nihilominus eò identidem vrgebatur; alia profectò tenenda via, quæ ſcrupuloſa non ſit, & eo præſertim ſcrupuli genere, quod in materiâ adeò Eccleſiæ odioſâ verſatur.

Contraria praxis, ſed non ſolidè huc vſque firmata.

Per exempla non iudicandum.

Valida ratio ex eo quòd eſt quæſtio iuris, & non tantum facti.

24 In quâ etiam pro Aſſertione eſt ratio manifeſta: quia cùm de nouis decimis agitur, quæſtio non eſt tantùm facti, ſed etiam juris, quæ ad laicos, ipſiſmet fatentibus, ſpectare nequit. Quod ſic oſtendo: nam quæſtio non eſt an ſoluerint, cùm id euidens ſit, & ex terminis conſtat; cùm dicatur eſſe quæſtio ſuper nouis decimis: ſi ergo nouæ, non anteà ſoluebantur. Ergo quæſtio eſt an debeant ſoluere: & ita de iure exigendi illas, quod ſpirituale eſt, vtpote in miniſteriis Eccleſiaſticis fundatum propter quæ miniſtris ſacris eſt debita ſuſtentatio; vt eſt communis Doctorum ſenſus & explicatio. Videantur P. Azor. *Part. 1. lib. 7. Cap. 25. §. Ex his colliges.* P. Fagundez ſupra *Cap. 5. num. 8.* Diana *Parte 1. Tract. 2. Reſol. 92.*

In indiis praxim dictam magis poſſe permitti.

25 Id tamen non negauerim, ſi alicubi tolerabilis prædicta praxis eſt, Indicis in regionibus præſertim permittenda, ſicut & aliæ decimariis fauorabiles. Tum, quia ubi eas Indi ſoluunt, ve-

Digitized by Google

xationibus exigentium ſunt expoſiti, de quibus Dom. Solorzanus *libr.* 1. *Cap.* 22. *num.* 56. & 57. & in Politicâ *lib.* 2. *Cap.* 23. *in fine.* Circa alios etiam multa violenter contingunt, quibus à Prælatis remedium, aut nullum, aut languidum, aut rarum adhibetur. In quo loqui iuuat expertum. Si ergo Regia pro iſtis quæratur protectio, tolerabile id reddit vexatio, quæ dabit iuncta propriæ violentis exactatibus intellectum.

CAPVT V.

An Indicæ Audientiæ intromittere ſe poſſint in moderandis ſtipendiis miniſtrorum Eccleſiaſticorum: ſicut & circa numerum miniſtrorum ipſorum?

Quid praxi circa taxationem firmatum.

26 AFfirmat D. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 3. *n.* 31. & in Politicâ *lib.* 5. *Cap.* 3. *pag.* 766. §. *Lo octauo.* Quia in Hiſpaniâ id lege ſtatutum, perquàm cura hæc Senatui ſupremo committitur, quoad taxas, ſeu Adanceles. *L.* 27. *Tit.* 25. *lib.* 4. *Recopilat.* & Indicis Audientiis per varia reſcripta, quibus taxæ non debent excedere triplum in Toletano Archiepiſcopatu ſolui ſolitum. Quoad Alguacellos autem nihil dicit, poſſe tamen per poteſtatem Regiam moderari, ſunt qui teneant, ſicut & procurationes, & collectas, quas viſitatores in viſitationibus exigunt. Pro quo etiam citatus Auctor *Lib.* 3. *Cap.* 8. *num.* 64. *& ſeqq.* & in Politicâ *Lib.* 4. *Cap.* 8. §. *Y ſi aun.* Et Bobadilla *Lib.* 2. *Politicæ Cap.* 18. *num.* 227. *& ſeqq.*

Aſſertio 1. Generaliter non eſſe licitum.

27 Dico primò, Generaliter loquendo, nequeunt Audientiæ Indicæ ſtipendia Eccleſiaſticorum miniſtrorum taxare. Id conſtat: quia taxatio talis eſt actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, vt eſt manifeſtum, ad quam ſicut ſpectat miniſtros eligere, & eis laboris ſui ſtipendia ſoluere, ita & ſtipendiorum eorumdem taxatio, vt quid conſequens. Et ita Concilium Tridentinum *Seſſione* 21. *Cap.* 1. *de Reformatione.* Notariis Epiſcoporum pro litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, decimam vnius aurei partem aſſignauit, ſi aliàs ſalarium non habeant aſſignatum, & leges ipſæ, quæ hoc ad laicam poteſtatem ſpectare indicant: *vt* 27. *citata*, & aliæ, hoc ipſum ſupponunt, dum ſtatuunt remittendos ad ſua Prætoria Adanceles tribunalium Eccleſiaſticorum, vt ſcilicet an in illis exceſſus ſit aliquis diſpiciant. Ex quo clarè arguitur: Nam quod proprium eſt iuriſdictioni Eccleſiaſticæ, nequit ad ſe laica poteſtas auocare. Hac enim ratione matrimoniales cauſſæ, beneficiales, decimales, & aliæ auocari nequeunt, quia ſcilicet propriæ iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ſunt & materiam concernunt ſpiritualem. Neque enim dici poteſt eſſe mixti fori; quia in illis non eſt ſpecialis ratio, propter quam id debeat affirmari, potius quàm in adductis: titulus enim omnino ſpiritualis eſt, ſicut & fundamentum, licet circa materiam temporalem verſetur. Quemadmodum taxare ſtipendium Miſſarum ad Eccleſiaſticum forum tantùm ſpectat, quia pro labore in re omninò ſacrâ eſt, licet materialem pecuniæ ſubſtantiam concernat: ſicut etiam matrimonium & beneficium; corporum enim traditionem, & vſum reſpicit illud, ſicut & hic fructuum perceptionem.

Mixti fori non eſſe.

Concludentia exempla.

Euaſio ex iure naturali præcluſa.

28 Nec dici etiam valet poteſtatem Regiam ex vi iuris naturalis ad hoc ſe extendere poſſe, juxta quod damnis, & vexationibus ſubditorum prouidere debet, quæ per impoſitiones, & contributiones illicitas contingunt. Nam generaliter loquendo de Epiſcopis aut Synodalibus conuenientibus id præſumi nequit, juxta illud Sancti Anteri Papæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ: *Abſit, vt quidquam ſiniſtrum de his arbitremur, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt,* &c. Habetur 11. *q.* 3. & quidem majora illorum diſpoſitioni creduntur, diſtributio inquam, totius patrimonij Chriſti, decimarum videlicet, & prouentuum aliorum; ciuiles, & criminales cauſæ in omnibus inſtantiis præter cenſuras, & alia ad Sacramenta ſpectantia, in quibus major verti poteſt ſubditorum periculum, aut momentum. Ergo & minora iſta, quæ illorum comparatione vix veniunt æſtimanda.

Cap. Abſit 11. *q.* 3.

Ex abſurdo turpis quæſtûs in rebus ſacris non benè argui.

29 Si dicas magnum timeri damnum poſſe, ſi res diuinæ ut materia turpis quæſtûs aſſumantur. Id quidem non poteſt obſtare. Nam licet, ſi ita contingat, magnum profectò malum ſit; id tamen, vt probauimus, nequit cum ſufficenti fundamento præſumi, & præterea reſpectus ille omnino proprius Eccleſiaſticis Prælatis eſt, quia eſt omnino ſpiritualis, & ita ad laicam poteſtatem non pertinet intuitu illius operari. Quemadmodum res ſacras vendere, & ſimoniæ crimen incurrere, malum eſt penitus deteſtandum. Nec tamen ad laicos ſpectat iudices, leges contra ſimoniacos promulgare, quia id ad Eccleſiaſticos prorſus ſpectat: prohibere ſcilicet, ne res ſacræ materia venalitatis execrandæ reddantur. Circa quod eſſe nequit dubitatio.

Aſſertio 2. Idem ſtatuens circa Procurationes viſitationum, & collectas.

30 Dico ſecundò. Quod de taxis ſtipendiorum eſt dictum, generaliter etiam loquendo ad procurationes & collectas eſt extendendum. Id conſtat eiſdem fundamentis. Et præterea, à Concilio Tridentino *Seſſione* 24. *Cap.* 3. *de Reformatione* circa moderationem procurationum huiuſmodi id ſtatutum, quo nihil ſanctius, aut vrgentius excogitari poteſt: ergo potuit circa moderationem talem dubio procul auctoritatem ſuam interponere, vt propriam Eccleſiaſticæ poteſtati. Tunc vltra. Ergo laica poteſtas circa hæc diſponens, & modum ſtatuens irremiſſibiliter obſeruandum, iuriſdictionem Eccleſiaſticam conuincitur uſurpare. Et quidem pecuniæ taxa, vbi victualia noluerint viſitati in ſpecie tribuere, Eccleſiaſticis viſitatoribus facienda committitur verbis illis: *Certa pecunia taxata.* Nequit ergo hoc ſibi laica poteſtas arrogare. Præterquam quòd, ſi laica prouidentia circa huiuſmodi eſt taxationes intenta, ideò quidem erit, quia Eccleſiaſtica circa hoc minus ſufficiens iudicatur: Atqui id dici nequit: nam Concilium ſummi ponderis obligationem apponit, quæ viſitatores valer reddere ſupra modum ſolicitos: ergo nihil eſt, quod debeat hac in parte ſuppleri. Quod ſi non obſtante Concilij prouidentiâ, exceſſus in viſitationibus inueniuntur; quod à laica addi contigerit, minùs etiam erit ſufficiens, & quod

titulo

Digitized by Google

titulo ſtipendij non habebitur, modis aliis turpioribus exigetur.

Aſſertio 3. & circa numerum Alguacellorum.

31 Dico tertiò circa numerum Satellitum, aut Alguacellorum idem dicendum, quod Aſſertionibus præcedentibus. Sic Grauantus, Barboſa, Venerus, & Cardinalis Petrus Bertrandus, quos adducit, & ſequitur Diana *Parte* 4. *Tract*. 1. *Reſolut*. 100. vbi & declarationem Cardinalium profert *An*. 1615. In quâ decernitur, quòd Epiſcopus poteſt habere tot ſatellites, quot voluerit. Fundamentum eſt: quia Epiſcopi poſſunt miniſtros ſibi conuenientes habere: ergo & quot ſibi benè viſi fuerint. Qui ergo minuendos cogunt, contra illorum militant dignitatem: vt ſi vellent eorum capellanos, aut ſeruitores limitare. Antecedens eſt certiſſimum, & conſtat ex Concilio Tridentino *Seſſione* 25. *Cap*. 3. *de Reformatione*, vbi in cauſſis iudicialibus, in quibus *executio realis, vel perſonalis in qualibet parte iudicij propria auctoritate ab ipſis fieri poterit, à cenſuris ſe abſtineant*. Supponit ergo propriâ auctoritate fieri poſſe executionem realem, & perſonalem, & conſequenter miniſtros ad illam ſufficientes habendos, de quibus ſtatim addit; *Super captionem pignorum, perſonarumque diſtrictionem per ſuos proprios, aut alienos executores faciendam*. Sic ibi. Ex quibus colligunt communiter Scriptores, poſſe Epiſcopos familiam armatam habere, ex quibus aliquos adducit Dom. Solorzanus *lib*. 3. *cap*. 7. *num*. 82. & in Politicâ *libr*. 4. *cap*. 7. *pag*. 550. §. *De la qual*. Licet ante Concilium etiam id licuiſſe plures alij affirmarint. Et ex iis citatus Cardinalis, & complures citati à Barboſa *De Poteſtate Epiſcopi Allegat*. 107. Quia tamen ſunt, qui hoc negent, apud citatos, videndi neque vbique ſit in vſu, & maximè in Indiis, non debent circa hoc Epiſcopi nimiùm eſſe contumaces.

Concilium Trident.

Epiſcopi ſatellites habere poſſunt quoad executionem & familiam armatam.

Leges Hiſpaniæ qualiter circa præfata accipiendæ, cum notandâ doctrinâ.

32 Ad leges autem Hiſpaniæ dicendum illas iuxta quorumdam Iuris conſultorum ſententiam, latas, & quoad obligationem nihil eſſe quod urgeat; illa enim & Principum voluntate dependet, vt vidimus *Tit*. 2. *cap*. 9. Reges autem noſtri, cùm eximiè Catholici ſint & Eccleſiæ obſequentiſſimi filij, nihil ſuis legibus eidem cõtrarium volunt, & ita vt effectum aliquem habere velint, ille certe explicandus eſt, qui libertati Eccleſiaſticæ minimè contrarius habeatur. Erit ergo eorum voluntatis, vt in præfatis caſibus Prælatos Eccleſiaſticos Regij Magiſtratus exhortentur, vt ea moderentur, quæ ſubditos grauare poſſunt, quorum grauaminum argumentum eſſe poteſt, ſi illi de ipſis communiter conquerantur. Et hoc quidem ad moderationem deſideratam ſufficiet, vnde nihil addendum vltrà. Quomodo enim credibile ſit Epiſcopos vrbanè, & rationabiliter admonitos, contra Regis voluntatem ſuas diſpoſitiones obſtinatiùs defenſuros? Cùm ergo hoc ſatis ſit, ad quid leges plenæ periculo? aut qui credi queat eas Reges per excellentiam Catholicos, toto obligationis pondere conditas voluiſſe?

CAPVT VI.

Audientiæ Indicæ an circa funeralia poſſint judicialiter diffinire?

Moderationem in iuribus funeralibꝰ & aliorũ, ſtatuit reſcriptum Regium.

33 Extat reſcriptum Regium *Tom*. 4. *pag*. 337. quo Audientiis injungitur, vt tolli penitus faciant exceſſus, quos in funeralibus, matrimonialibus, & aliis ſimilibus iuribus Indiarum Parochi per corruptelam inducunt. Et ita hoc licitè fieri poſſe conſequenter affirmat Dom. Solorzanus *Lib*. 4. *Cap*. 3. *n*. 32. & in Politicâ *lib*. 5. *Cap*. 3. *pag*. 766. *col*. 2. Et quod ad funeralia attinet, Caietanus, Nauarrus, Souſa, Graffis, P. Filliucius, & P. Layman, quos adducit Diana *Parte* 1. *Tract*. 2. *Reſolut* 65. docent, Principes poſſe Clericis ſuis ſtatutis moderari ſumptus ceræ, quod & conſequenter de aliis dicendum videtur, quæ purè ſpiritualia non ſunt, & videntur tantùm ad pompam pertinere, licet ex illis aliquæ Eccleſiis vtilitates poſſint prouenire, vt ex culcitris, atque operimentis pretioſis, quæ defunctorum corporibus apponuntur: ex illis enim fieri poſſunt ornamenta, & ita id tenent Duardus, & Martha apud Dianam *ſuprà*. Sicut & de extructione ſepulchri, cuius temperamentum ſtatui lege poteſt. Ipſe autem Diana, cum aliis, quos allegat, exiſtimat ſtatutis quidem Principem eam decerni moderationem poſſe, ex quâ Eccleſiæ detrimentum nullum patiantur, quia non minuuntur eleẽmoſynæ: vt minuuntur, ſi cereorum, & candelarum numerus ſtatuatur, vel pretioſa operimenta prohibeantur, Eccleſiis relinquenda. Quod & de extructione ſepulchri cum Carolo de Graſſis videtur ſentire.

Fauet grauium Auctorum ſententia.

Quid alij, adhibita diſtinctione.

Aſſertio 1. Ad pompam ſpectantia poſſe moderari.

34 Dico primò. Quidquid in funeralibus ad ſolam pompam ſpectat, poſſunt poteſtates laicæ moderari. Sic citati. Ratio eſt clara: quia ex tali moderatione nullum Eccleſiis detrimentum ſuperuenit. Ergò minimè ex eâ parte Eccleſiaſtica libertas violatur. Sic ergo & ornatus parietum & magnificentia tumuli, & ornamenta corporis, ac cereorum numerus ad moderationem redigi poſſunt, quando ex illis nihil in Eccleſia relinquendum, vt frequentiùs accidit, neque ad diuini officij celebritatem ſpectant, cuius intuitu minimè diſponuntur, & quidem juſtiſſimè ſtatui poſſet, ne defunctorum corpora nimis pretioſis veſtibus ornarentur, ex aureis ſcilicet telis in ſepulchris putrefaciendis, præſertim in feminis. Solent enim in hoc genere vaniſſima quædam portenta videri.

Aſſertio 2. Non ea, quæ directè ad Eccleſiæ vtilitatem ſpectant.

35 Dico ſecundò: ſumptus, qui circa ea verſantur, ex quibus directè ſolet Eccleſijs vtilitas accreſcere, nequeunt ſtatutis laicalibus prohiberi. Sic ex citatis colligitur, & ratio eſt clara: quia ex hoc libertas Eccleſiaſtica coarctatur, ratione cujus poſſunt Eccleſiæ admittere quidquid à fidelibus dari poteſt. Sicut ergo extra funeris occaſionem cereos, & oblationes panis, vini, arietum, vitulorum &c. accipere poterant ita & illius occaſione, ſin minus limitata comperietur.

Aſſertio 3. Bene tamẽ quæ indirectè.

36 Dico tertiò. Indirectè poſſunt prohiberi ſumptus, ex quibus vtilitates poſſunt in Eccleſias deriuari. Hoc explico. Moderatio circa magnificentiam

Digitized by Google

magnificentiam tumuli, ſtatui poteſt, ex quo directè nulla utilitas pro Eccleſiâ habetur: At quia in eo multi cerei, & candelæ apponi ſolent, quæ Eccleſiis relinquuntur, ex illius moderatione imminutio cereorum, & candelarum ſequitur, quam dicimus cum citatis Auctoribus non eſſe contra Eccleſiaſticam libertatem. Id, quod ex communi aliâ ſcriptorum doctrinâ oſtendo: nam Magiſtratus augere pretium rerum poſſunt, ex quo Eccleſiaſtici indirectè grauentur, cùm debeant vniformi pretio res ſibi neceſſarias comparare: & tamen id contra Eccleſiaſticam libertatem non eſt; quia non eſt obligatio ad genus illud indirectæ moleſtiæ vitandum, quando ex intentione grauandi Clericos non progreditur, vt ſcilicet eo circuitu, quod aliàs obtineri non poterat, exigatur.

Idem circa leges dicendum circa dicta diſponentes.

37 Dico quartò. De legibus circa prædicta, quæ contrariæ videntur, eodem modò philoſophandum, quo de aliis, de quibus dictum *num.* 32. Itaque admonendi Prælati, & ſeriis exhortatoriis ad remedium excitandi. Quòd ſi non ſufficiant, vrgeantur meliori modo, ex eo fundamento; quia Regibus noſtris commiſſa eſt Indorum conuerſio, & promotio in fide, contra quam ſit iniquis extorſionibus pecuniæ, & pecuniâ æſtimabilium, quæ in rerum ſacrarũ adminiſtratione admiſcentur. Quòd ſi Parochi Hiſpanorum ſint, pariter procedendum; quia non alius debet eſſe illorum agendi modus, & eorum praua exempla etiam promotioni fidei officiunt, cùm talia Indi proſpiciant, & ſcandalizari poſſint, ſicut ex iis, quæ erga ipſos peraguntur. Poſſunt ergo Audientiæ Indicæ Regio nomine erga huiuſmodi prouidere. Et hoc etiam circa iura matrimonii, & quæcumque alia agendum, cùm in omnibus eadem ſit ratio, & paria inconuenientia ſequantur, de quibus inferiùs etiam diſſerendum.

CAPVT VII.

Quid Indicæ Audientiæ ſine Conſcientiæ labe poſſint circa ſpolia Epiſcoporum?

Spolia Epiſcoporum vt colligantur in Hiſpania & Indijs.

38 VT ſe intromittere in ſpoliorum huiuſmodi collatione poſſint, & lites, quæ ex eo oriri poſſunt, dirimere ſolutionemque famulorum, & creditorum exequi, quod in Hiſpaniâ Regio Senatui praxi iam veteri competit, Regiis reſcriptis ſtabilitum inuenitur, de quibus Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 11. *num.* 37. *& ſeqq. & Lib.* 4. *Cap.* 3. *num.* 34. & in Politicâ *Lib.* 4. *Cap.* 11. *& Lib* 5. *Cap.* 3. §. *Lo Noueno.* Eſt autem id difficile ſi ſolum Regiam auctoritatem, etiam de plenitudine poteſtatis inſpiciamus. Quia, vt benè arguit P. Azor *Parte* 2. *Lib.* 8. *Cap.* 4. *Quæſito* 2. Spolia ſunt bona Eccleſiaſtica, circa quæ nequit Regum, & Principum auctoritate diſponi. Quo iure in Pontifice ſtante, ea ſuæ cameræ generaliter applicauit, licèt non in omnibus Regnis, & Prouinciis eadem circa hoc conſuetudo ſeruetur. Pro quo videndus idem *Quæſt.* 1. In Indiis certè Pontificia collectio non viget; ob rationabiles enim cauſas, id eſt hucuſque detrectatum: non quidem ad Regii Patrimonii incrementum pertinentibus, cùm ex illis nihil ſibi noſtri Reges aſſumant, ſed piiſſimâ attentione diſtribuant; verùm conſideratis aliis, de quibus non eſt cur ſpecialiùs diſſeramus.

Cur à bis Cameræ Apoſtolicæ non inferantur.

Quamuis, ne hoc ad profundum aliquod Sacramentum referre videamur, dici poteſt ideò ſpolia Indica Apoſtolicæ Cameræ non inferri, quia ipſa Sedes Apoſtolica decimas Catholicis Regibus largita eſt, quarum portiones videntur eſſe ſpolia: neque decens erat, vt ei, quæ plenam adeò largitionem fecerat, reliquiæ iſtiuſmodi cum rigore exigenti redderentur.

Praxis vt queat iuſtificari.

39 Vt ergo juſtificari praxis prædicta poſſit, & laicæ poteſtatis ad rem penitus ſacram extenſio: multa Auctores, Hiſpani præſertim, allegant, profeſſione juris inſignes, ex quibus Dom. Solorzanus *citato Cap.* 11. *Vtriuſque loci Politicæ* ſcilicet, *pag.* 586. *& ſeqq. & Tomi* 2. Et omnia ad vnum reduci poſſunt, quòd ſcilicet morientibus Epiſcopis, omnia eorum bona direptioni remanent expoſita, vt neque paxillus, vt dici ſolet, in pariete relinquatur. Ad Regiam autem prouidentiam ſpectat huiuſmodi exceſſibus obuiare, & vbi aliorum ſolicitudo pro defenſione non ſuppetit, morientes, & eorum, bona in ſuam recipere protectionem & famulos pariter, ac creditores, vt illis, quæ explorata fuerint debita perſoluantur. Quod præſertim tunc faciendum, cùm Reges Eccleſiarum patroni ſunt, quales ſunt Catholici, in Indiis præcipuè, & ita pro eorum bonis tuendis excubare debent, cùm conſtet Epiſcoporum bona, deductis debitis, ad eas pertinere. Pro quo citatus Auctor adducit *Cap. Cùm vos de Officio Ordinarij*: Quod quidem nihil ad rem videtur conducere: ibi enim de Epiſcopis non eſt ſermo; de Eccleſiis autem aliis vacantibus, quæ de iure patronatûs ſunt, Archiepiſcopo Cantuarienſi præcipitur, vt curam agat, æconomis deputatis: *Ponatis æconomos, qui debeant fructus percipere, & eos aut in Eccleſiarum vtilitatem expendere aut futuris perſonis fideliter reſeruare.* Verba ſunt Alexandri Tertii. Vbi Gloſſa ſic infert; *ex hac littera notare debeo, quòd patronus ſe intromittere non debet, de rebus Eccleſiæ, niſi quoad defenſionem.* 16. q. 7. *Decernimus.* Vbi quod de defenſione, non ex citato Capite colligit, in quo de eâ nihil, ſed de ſuo addit, juxta patronatûs conditionem; & citati Capitis tenorem quod eſt Concilii Toletani 4. & prætereà de bonis, quæ ſpolia dici poſſint, nihil ibidem, ſed de fructibus tantùm ſermo eſt, pro quibus æconomus deputandus: qui autem pro ſpoliorum curâ deligitur, non æconomus ſed curator potiùs eſt dicendus. Cùm autem patronus ſe intromittere non debeat circa res Eccleſiæ; non videtur praxis, de quâ agimus, ſatis in jure fundata.

Cap. Cum vos, de off. Ordin. quid ad intentum.

Gloſſa.

Quid Cap. Decernimus 16. q. 7.

40 Nec citatum Caput *Decernimus* cauſam videtur promouere, in quo tantùm decernitur; *vt quandiu fundatores Eccleſiarum in hac vitâ ſuperſtites fuerint, pro eiſdem locis curam habeant ſolicitam, atque rectores idoneos in eiſdem baſilicis iidem ipſi Epiſcopo offerant ordinandos.* Verba Concilii citati ſunt.

Quæ cura ad Patronos ſpectet.

Vbi negandum non eſt, quòd licèt tantùm de patronis agat, dum in viuis agunt, ad hæredes debeat priuilegium patronatûs extendi, quod aliàs eſt Iure firmatum, & in *eadem Quæſt. habetur Cap.*

Filiȷs.

Digitized by Google

Filijs. Cap. *Conſiderandum*, & Cap. *Si plures*. Illis tamen ſolam curam ſolicitam pro Eccleſiis iniungit, cum jure idoneos rectores præſentandi. Cura autem ſolicita haberi poteſt ſine adminiſtratione, de qua loquimur, & modus traditur in Cap. *Filijs citato*, licèt de caſu, in quo ſumus, verbum nullum in citatis textibus reperiatur. Non videtur ergo ad patronatûs priuilegium recurrendum.

Aſſertio 1. licere praxim jure defenſionis indefenſæ perſonæ.

41 Dico ergo, praxim prædictam tolerari poſſe jure defenſionis indefenſæ perſonæ, quod ad Reges præcipuè ſpectat. Cùm enim morientium Epiſcoporum bona direptioni pateant; quod frequentiſſima experimenta demonſtrant, juxta naturalem æquitatem eſt, eum, cui boni communis cura committitur, in eorum incumbere defenſionem. Dici tamen hîc poteſt id verum habere in ordine ad bona in tuto collocanda: & confectionem inuentarii, quam & negat cum aliis Diana *Parte* 4. *Tractat.* 1. *Reſolut.* 110.

Obiectio non leuis.

Illis autem ſic collocatis, eorum diſpoſitionem ad Eccleſiaſticos judices remittendam: iam enim ceſſat ratio, propter quam laica poteſtas ſe intromittere de bonis Eccleſiæ potuit, iuxta modum loquendi Gloſſæ. Non ergo lites circa hæc exortas & alia, quæ praxis complectitur, debent Regia tribunalia proſequi, in quibus iura Eccleſiæ pariter admiſcentur; ad quam defuncti ſpectat hæreditas. Quemadmodùm iudex ſæcularis Clericum nocere paratum, aut etiam nocentem, ne amplius noceat apprehendit; non tamen in eius cauſa iudicialiter ſe intromittit, ſed eam cum apprehenſo, Eccleſiaſtico iudici remittit cognoſcendam. Nec dici poteſt apud Regias Audientias prædictas cauſas breuiùs, & commodiùs expediri: nam vt ita ſit (quod tamen non ſemper tale eſt, nam cauſa illa, de quâ Dom. Solorzanus *num* 62. *& ſeqq.* ſpatio eſt plurium annorum abſoluta) non ideò debet iuriſdictio Eccleſiaſtica vſurpari, ſicut in aliis contingit. Et quidem ciuiles cauſæ Iudeorum, & hæreticorum apud ſanctæ Inquiſitionis tribunalia tardè nimis expediuntur, quod & Inquiſitores ipſos ſcio non ſemel voluiſſe; nec tamen propterea vt de alia deferantur tribunalia hucuſque nouimus intentatum.

Cuius confutata reſponſio.

Quantum momenti habeat.

42 Quæ ratio apud me tantum momenti habet, vt exiſtimem ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ neceſſariò recurrendum, & illud in præſenti præſumi. Sciunt enim Pontifices ita ſe praxim Regiorum tribunalium habere, & in magnum illam Eccleſiarum commodum cedere; vnde tolerantia non eſt pura abuſûs permiſſio reputanda, ſed condeſcenſio; cùm alias notum ſit ad ſic faciendum magnorum ſcriptorum auctoritate Principes permoueri, & ſaltem probabile reputare. Vt ergo apertè non faueant, & praxim probent; ſaltem vt probabilem iudicio ſic agentium tolerant, iuxta id quod diximus *Titul.* 2. *num.* 71. & hîc quidem doctrina illa maiori cum fundamento venit applicanda: nam in cognitione per viam violentiæ comperta eſt Pontificis mens, vt vidimus *ibidem num.* 73. cùm tamen in caſu præſenti pro contrariâ Pontificis mente fundamentum nullum firmum habeamus.

Ad beneplacitum Pontificis recurrendum.

Auditorem negotiis ſpo-

43 Pergant ergo Audientiæ Indicæ in ſpoliorum collectione, & rem iſtam ſanctè peragant, cùm ſancta ſit. Quod tamen aliquando an ita contingat ſolet à multis dubitari. Pretioſa aliqua, aut curioſa iudicem inuentario aſſiſtentem ſibi ſumere, turpitudo eſt in viris tantis minimè toleranda. Quo id titulo? Laboris? Atqui pro illo pingue ſtipendium accipiunt, ſicut & pro aliis ad eorum officium ſpectantibus. Alius autem præterea non eſt. Sicut autem rapi quidquam nequit, ita neque viliori emi pretio, vt eſt manifeſtum.

liorum aſſiſtentem nihil ſibi poſſe ſumere.

Illud non ita, an in ſubhaſtatione ſubmittere aliquem poſſet, qui ſuo nomine pretium offerat, & quidem vile, agendo vt nullus illud augeat. Vbi quidem ſi præſertim empturis conſtet rem talem ab Auditore expeti, & eo circuitu pro illâ habendâ vti, videtur certum iniuſtitiam committi, & onus reſtitutionis incumbere. Tùm quia ex officio tenetur functionem illam in Eccleſiæ vtilitatem exequi, cuius eſt publicus miniſter, & ita cauſa damni inde prouenientis: juxta dicta aliàs de Principibus, & Magiſtratibus. Tum etiã ſpecialiter: quia ibi interuenit vis, & metus, quibus vtilitas illa Eccleſiæ impeditur. Quando enim tale quid accedit, non licet emptores impedire, qui pretium augeant, licèt aliàs probabile ſit poſſe id precibus obtineri. Pro quo ſunt Conradus, Arago, Vega, Emmanuel Rodriquez, Bonacina, Villalobos, & Nauarra, quos adducit, & ſequitur Diana *Parte* 1. *Tractat.* 8. *Reſolut.* 76. dicens Nauarram ante omnes citatos id docuiſſe, cùm tamen conſtet illorum aliquos eſſe illo antiquiores. Vis autem, & metus facilè oſtenditur ex eo, quòd nullus audebit Auditoris indignationem oppoſitione huiuſmodi prouocare; ſi autem pretium infra dimidium juſti ſit, inde manifeſtior apparet iniuſtitia: res enim ſub haſtâ venditioni expoſitas, medium ſaltem, & infimum habituras pretium, communis ſcriptorum ſententia eſt; pro quâ Nauarra *ſuprà*; & Diana eiuſdem verba proponens. Salon *Tom.* 2. *Quæſt.* 77. *Artic.* 1. *Concluſione* 2. *Controuerſ.* 5. P. Molina *Diſp.* 349. *num.* 11. & alii quamplures: Licèt erga ſummum non ſit vna omnium ſententia, dicentibus non paucis poſſe vendi excedenti ſummum, aliàs iuſtum, ſi illud poſſit ſine fraude ab emptoribus extorqueri. Videndus Bonacina de Contractibus *Diſput.* 2. *quæſt.* 2. *puncto* 4. *num.* 21. & P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 21. *num.* 35. Quod & videtur probare P. Gaſpar Hurtadus *Diſput.* 2. *de Emptione, & venditione difficult.* 6. Diana *ſuprà Reſolut.* 55. & alii apud ipſum. Nec diſſentit Cardinalis Lugo *Diſputat.* 26. *num.* 45. dum ait: non eſſe facilè iniiciendum ſcrupulum circa prædictam venditionem, quòd cùm exceſſus eſt pretii, præſertim intelligendum: ibi enim donatio præſumi poteſt ex emeritis affectione. Scio quid nonnulli ſecùs dicant; ſed certè parùm veroſimiliter.

Quid cùm ſubhaſtatione vendantur, & emptor ſubmittitur.

Vt queat auctio pretij impediri.

Quale ſit rerum ſic vendibilium.

Vltra ſummum qui admittant.

44 Si verò ita ſubmittat emptorem, vt nolit niſi juſto pretio habere, nec intelligi ſe in eius deſiderio eſſe; alius autem id emptoribus ſignificet, ſicque minori pretio eam comparet, non videtur iniuſtitiam committere, & conſequenter neque ad reſtitutionem teneri: quia cauſa damni non eſt, niſi valdè remotè, quatenus id petiuit ab alio, quod ſi non eſſet petitum, damnificatio nulla ſequeretur: quod non eſt ſatis, vt abſolutè cauſa dicatur; quia id de morali tantùm dicitur in materiâ præſenti. Quemadmodùm,

Digitized by Google

Quando eſt quis cauſſa moralis damni.

qui petit ab aliquo, vt ſecum ludat, qua occaſione alius alienam pecuniam perdit, cauſſa moralis talis iniuſtitiæ non eſt; licet ſi non petiiſſet, neque etiam alius perdidiſſet. Cauſſa autem moralis dicitur cùm illis concurrit modis, qui duobus illis carminibus continentur.

Iuſſio, Conſilium, Conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Pro quibus vide breuem, & dilucidam explicationem, apud P. Hurtadum *ſuprà difficult.* 7. Nihil autem eorum in caſu præſenti reperitur.

Negatiua non ita certa, vt oppoſita careat fundamento.

45 Non videtur autem hoc ita certum, vt oppoſitum careat fundamento. Nam Auditor præuidere debuit eum, quem ſubmittit, vt rem ſibi gratam faciat, minori quàm poſſit pretio emendo, alijs clarè, aut per veroſimiles conjecturas negotium detecturum. Cùm enim hoc ita frequenter accidat, juxta frequenter accidentia debuit judicare: ſic enim vendi res indifferentes nequeunt, quando vſus earum frequentior eſt peruerſus, juxta dicta *Tit.* 1. *num.* 144. niſi cauſſa rationabilis ſit, pro quo videri poteſt Diana. *Part.* 1. *Tract.* 8. *Reſolut.* 42. Vbi & Doctores adducit abſolutè negantes, & admittentes, cùm rationabilis cauſſa ſuppetit; præſertim ex Societate. In caſu autem noſtro nulla rationabilis cauſſa aſſignari poteſt, quæ poſſit Auditoris appetentiam excuſare. De quibus hæc ſatis.

Res indifferētes quādo vendi nequeant.

CAPVT VIII.

In recurſu per viam violentiæ, & ſimilibus, Indicos Auditores quomodo peccare contingat.

Quid Regys ſcriptis circa recurſum & alia ſtabilitum.

46 Circa hoc nec breuis, nec leuis extat *Tit.* 2. *Cap.* 7. diſcuſſio, vbi de Audientijs etiam dictum: hic tamen nonnullis additis ibi dicta comprobanda. Et quidem Indicis Audientijs per Regia ſcripta cognitio violentiarum indicitur, cum eâ tamen moderatione, quæ in Cancellarijs Valli-ſoletanâ, & Granatenſi ſeruatur, nullâ factâ, neque quoad caſus, neque quoad modum extenſione. Pro quo Dom. Solorzanus *libr.* 4. *Cap.* 3. *num.* 35. & in Politicâ *lib.* 5. *Cap.* 3. §. *Lo decimo*, vbi & de retentione Bullarum, quæ Regio Patronatui officere poſſunt; ac de alijs; quibus per juſſiones Regias admonentur, vt attentæ ſint circa actiones, & viſitationes Religioſorum, & eorum Commiſſariorum, Vicariorum Generalium, Viſitatorum, & Conſeruatorum: & conſtito de iniuſtitiâ, ac notoriâ vexatione, quam faciunt, rectè ad oppreſſorum defenſionem partes ſuas interponere poſſunt, licet hoc aliàs Audientiis Hiſpaniæ prohibitum ſit, & ſolùm Regio Conſilio reſeruatum. *l.* 40. *tit.* 5. *lib.* 2. *& l.* 1. *&* 2. *tit.* 8. *lib.* 1. Hæc omnia ille, qui licet ita generaliter pro Religioſis ſtatuat, alio tamen loco quid ſit conuenientius, & à ſe practicatum exponit, vt vidimus *citato Capite in fine.*

Praxim Indicā non videri Regie diſpoſitioni conformem.

47 Circa quæ illud primò obſeruandum venit; aut limitationem, quam Regium reſcriptum apponit, vt ſcilicet indica Prætoria praxim omnino Pincianæ & Granatenſis Cancellariarum obſeruent, nullius eſſe roboris, aut illi ſe Prætoria Indica non accommodare, dum recurſuum materiam videntur ampliare: & quidem cùm recurſus ex eo iuſtificari dicatur, quòd in defenſione iniquè vexati fundetur, quam ius naturale Regibus concedit, juxta dicta *Cit. Cap. num.* 75. & 76. quidquid huiuſmodi contigerit, in quo ſcilicet vexatio iniuſta reperiatur, patrocinio poteſt Regali componi. Iuxta hæc ergo nulla debet limitatio addi; quòd ſi additur, ſignum eſt rationem dictam non eſſe penitus efficacem. Præterea. In Religioſis vexatio quæuis iniuſta recurſum admittit, juxta dicta: ergo, & in aliis. Conſequentia patet: quia eadem eſt ratio, & fortè in ſæcularibus maior, quia Religioſi ob perfectionem ſui ſtatûs magis ad patientiam obligantur; neque amittere ea poſſunt in bonis temporalibus, & honoribus, quibus priuari poſſunt ſæculares: & hac fortaſsè ratione Indica Prætoria ſuam poteſtatem extendunt; ob paritatem in qua rationis, vt non videantur in hoc ſuppoſitâ recurſuum iuſtificatione ſaltem probabili, lethaliter peccare.

Ex Religioſis ad alios argumentum

Circa Religioſorum actiones qualiter attendere debeant, ex Regia iuſſione.

48 Deinde cùm ſpecialis attentio, circa actiones, & viſitationes Religioſorum Regiis Audientiis iniungatur, videtur ex officio poſſe; nullo ſcilicet etiam petente circa huiuſmodi partes ſuas interponere, & non tantùm cùm agitur de alicuius defenſione, & certè ſi oppreſio alicuius notoria eſſet, etiamſi ille, quia nollet, aut non poſſet, Regio ſe auxilio non committeret; non deberet illud ſic oppreſſo denegari. Si enim ſuper Religioſorum actionibus vigilandum, ne quidquam ex illis communem pariat offenſionem, & ſic fræna relaxatis iniicienda: cur non & defenſioni eorumdem applicanda procliuitas, vt qui onus ſentiunt, pariter commodum experiantur? Cùm ſæpiùs etiam contingat non eſſe peiores, qui moleſtiis grauioribus opprimuntur. Poteſt autem iniuſta oppreſſio ex eo coniici, ſi inter imprimentem, & oppreſſum notoriæ fuerint ſimultates, & obtentâ Prælatione pœnam infligi, vt vindictæ ſeruiat, quod redintegrandæ ſeruire debuerat charitati. Et hæc quidem attentio, quæ circa Religioſorum actiones Auditoribus Regiis adeò ſeriâ admonitione præſcribitur, eos certè attentiores reddere debet, vt ita illas circunſpectas gerant, quòd nihil in illis poſſit animaduerſione dignum obſeruari. Indignum enim eſt, vt erga ſe incurioſus, ſit erga quem multorum oculi curioſiùs offenduntur. Vbi & notandum illud, circa aliorum actiones non ita ſolicitam ſpeculationem imperari: eâ quidem perſuaſione, quòd Religioſorum actiones à moderatione alienæ, plus ceteris exitioſæ, & contrariæ bono publico reputantur. Caueant ergo Religioſi & ſibi & aliis; & ne toxica populis præbeant, qui præbere antidota debuiſſent: ſintque tales in oculis hominum, quales in Dei, & Angelorum oculis ſint oportet; vt non multum ab eis circumſpectione dictâ exigere videamur. Pro quo ſic Caſſianus *libr.* 6. *Cap.* 7. *Dominus arbiter, atque agonotheta reſidens, pugnam curſûs, & certaminis noſtri iugiter ſpectat, vt ea, quæ in propatulo horremus admittere, ne intrinſecus quidem coaleſcere incautâ cogitatione patiamur; & in quibus humana cognitione confundimur, ne occultâ quidem conniuentiâ polluamur. Quæ licet poſſit hominum præterire* notitiam,

Cur id ſpeciale.

Quanta unde Religioſis circumſpectio futura. Et mundicia in Dei oculis.

Caſſianus.

Digitized by Google

notitiam, ſanctorum tamen Angelorum, ipſiuſque omnipotentis Dei ſcientiam, quam nulla ſubterfugiunt ſecreta, latere non poterit. Sic ille cuius vocem omnes vtiniam, ſi audiendi habemus aures, audiamus. His præmiſſis

Aſſertio 1. Sententiam affirmantem non videri improbabilem.

49 Dico primò: Recurſus ad Prætoria Indica quando eſt notoria, & manifeſta vexatio, & iuxta receptam praxim, non videtur vt improbabilis penitus condemnandus. Contrarium videtur exiſtimare Rota *in Deciſione Anni* 1595. quam adducit Diana *Parte* 5. in cuius fine ſic dicitur: *quia autem nota cenſenda eſſet opinio Doctorum defendentium iſtos recurſus tamquam licitos; non erat huius tribunalis; cùm cenſura ſuper doctrinarum, & opinionum, ad res præſertim Eccleſiaſticas pertinentium, approbatione vel reprobatione ad Romanum Pontificem pertinere noſcatur. Turrecremata in Summâ de Eccleſia lib. 2. Cap. 107.* Sic ibi. & §. *Has tamen:* ſic concluditur. *Domini tales recurſus, tamquàm illicitos numquam tolerandos cenſuerunt, in eaque re grauiſſimè lapſum Couarruuiam in pract: quæſt. cap. 35. num. 3. & ceteros idem opinantes vno conſenſu affirmatum fuit.* Sic illi. Rotam ergo, quam ſibi aliàs competere negant, videntur expreſſiſſe, dum grauiſſimum lapſum ſic opinantium non dubitent pronuntiare, licet de qualitate illius nihil dicant.

Deciſio Rotæ contrarium indicans.

Alias eſſe fauentes. Et quid ad illas in prædicta Deciſione reſpondeatur.

50 Sed certè deciſiones aliæ apertiſſimè fauent, de quibus *ibidem*: eas tamen vt explicent, ne contrariæ ſint, ita ſubdunt. *Dicebant inſuper Domini, quòd licet prædictæ deciſiones Rotales, & aliæ ſimiles, veræ ſint, nihilominus Conſilia Regia, & alij iudices laici nihil aliud facere debent præter exhibere nudum auxilium ad manutentionem: nam ſi ad alia procederent, recurſus eſſet illicitus, & cauſſaret attentata. Lancellotus de Attentatis cap. 4. limitat. 1. num. 37. & 38. Vbi allegat aliquas deciſiones Rotales & Mandoſius in Tractatu commiſſi in formula 14. in verbo, Reuocandi: verſ. Quartò quæro; quamuis fateatur prædictas deciſiones eſſe iuri, & rationi conformes; timet tamen ne anſam præbeant Regibus, & quibuſuis Dominis temporalibus intromittendi in cauſſis beneficialibus, & rebus, ac perſonis Eccleſiaſticis.* Sic illi reſpondent.

Non ſatisfacere euidenter oſtenditur.

51 Qui quidem deciſiones Rotales veras eſſe fatentur, non damnantes recurſus: Atqui illæ non de recurſibus ad ſolum nudum auxilium brachij ſæcularis petendum agunt, ſed in formâ conſuetâ, ergo iuxta illam non veniunt penitus reprobandi, quod præſertim oſtenditur in Salmantina eiuſdem anni *die* 24. *Maij*, de quâ ibi, in ea enim apertè dicitur, quòd *iſte recurſus ad defenſionem propriæ poſſeſſionis, & appellationis admiſſionem, non eſt improbatus.* Non ergo de nudo auxilio tantùm agebatur. Accidit, quòd, *vt ibidem* dicitur initio deciſionis, vnus ex dominis Auditoribus cenſuit Paulum Lezanum, de cuius agebatur cauſſa, non incurriſſe cenſuras propter recurſum ad laica tribunalia. Non eſt igitur ſententia iſta omnimodis reprobanda. Vnus enim Doctor, & iudex ex ſelectiſſimis Orbis bene illi potuit auctoritatem conciliare. Sic Doctores, quos adducit Diana *Parte* 4. *Tract.* 4. *Reſol.* 30. & P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 445. *num.* 173. & *ſeqq.* ſunt autem præter illum plures alij, quorum Catalogus citatâ in deciſione proponitur. Poſt illos autem plurimi alij idem tenentes prodierunt, ab anno inquam 1595. de quibus *citato cap.* 7. quibus addendus illuſtriſſimus Villaroel *Parte* 1. *Eccleſiaſticæ, & Pacificæ gubernationis, quæſt.* 1. *Art.* 12. *num.* 33. & *Part.* 2. *Quæſt* 12. *Art.* 5. *num.* 96. de quo & ſpecialem tractationem pollicetur.

Vnum Doctorem ad conciliandam auctoritatem ſufficere.

Et in cauſa præſenti eſſe quamplurimos.

52 His addendum praxim dictam complurium ſapientiâ, probitate, & religione præſtantium auctoritate firmatam: eorum videlicet, qui Regum, Principum, Conſiliariorum, & iudicum ſic agentium confeſſiones audiunt. Qui quidem illos, ſi in malâ eſſe conſcientiâ ſibi perſuaderent, non poſſent eiſdem abſolutionis beneficium impartiri. Sentiunt ergo ſententiam, quam illi ſequuntur, aliquatenus probabilem, & licet probabilitas exigua ſit, cùm videantur Pontifices circa hoc ſuam mentem declaraſſe, vſu tamen conſtat, & conſuetudine antiquiſſimâ roboratam. Et licet communiter Doctores negent in materia immunitatis poſſe conſuetudinem præualere, quæ reprobata eſt *in Cap. Nouerint. de ſententia excommunicat.* & in *Authentica de ſacroſanctis Eccleſiis*: & apertiùs, atque vrgentiùs quotannis in Bulla Cœnæ: Pro quo videndus Diana *Part.* 1. *Tract.* 2. *Reſolut.* 4. Hic non ſolam conſuetudinem allegamus, ſed ſententiam fundamentis aliqualibus communitam, quibus dicimus antiquam conſuetudinem poſſe veroſimiliter copulari. Et quidem Diana ipſe *Reſolut.* 5. poſt adductos Doctores, qui dicunt aliquas conſuetudines contra libertatem Eccleſiaſticam excuſari poſſe ex tacito conſenſu Pontificis, quia ſcit & tolerat, ita infert: *Ergo non eſt verum dicere abſolutè, quòd per publicationem Bullæ tollitur omnis conſenſus Pontificis: ſed dicendum eſt quòd ſtante publicatione Bullæ, quando adſit talis conſenſus Pontificis tacitus & approbatiuus colligendus erit prudenter, vt notat Malderus vbi ſuprà, cum Henriquez ex rationibus, & coniecturis. Sed quia res eſt multùm dubia, & periculoſa, videant Principes & Miniſtri laicalis iuriſdictionis, quid faciant.* Sic ille. Conſuetudinem autem de qua loquimur ſcire & tolerare Pontifices, dubitari nequit; quod autem poſitiuè reprobent, oſtendunt ea, quæ diximus *Tit.* 2. *num.* 73. & 74. at nihilominus ſtare poteſt ratio, & conjectura aliqua pro aliquali approbatione ex dictis *ibidem*, *Num. antecedentibus*, & ex eis, quæ affert P. Fragoſus *Tom.* 2. *Pag.* 206. §. contra verò.

Et aliqualem conſenſum Pontificis.

Diana.

Pontificem aliquando & concedere, & negare, ex Oratorij priuati conceſſione monſtratur.

53 Quòd autem ſtare poſſit vt Pontifex aliquid & probet, & reprobet, probari poteſt ex facultate ad celebrandum in Oratoriis priuatis, quam ſibi ſoli reſeruare Pontificem colligitur ex ijs, quæ habent *Diana Part.* 9. *Tract.* 1. *Reſolut.* 24. Hieronymus Garcia *ſect.* 3. *difficult.* 8. *Puncto* 2. *num.* 15. alios citans. P. Quintaña Duenas. *Tom.* 1. *Tract.* 7. *ſingul.* 33. *num.* 7. Grauantus in Rubricis Miſſalis *Part.* 1. *Tit.* 20. *lit. M.* P. Mendus in *Elucidatione Bullæ cruciatæ Diſp.* 16. *num.* 3. & alij. Reddit autem rationem Paulus Quintus in ſuo decreto *Anni* 1615. propter abuſum ſcilicet, & irreuerentiam; cùm tamen tam tremendo Euchariſtiæ Sacramento, & ſacrificio ſumma reuerentia debeatur. Vnde licentia talis difficilè, & cum limitationibus multis obtinetur; & tamen facultatem hujuſmodi in Bullâ Cruciatæ concedi tenent multi; ex quibus Ludouicus à

 Cruce

Digitized by Google

Cruce in explicatione Bullæ *diſp.* 1. *Cap.* 5. *dub.* 1. *num.* 5. P. Palaus *Tom.* 4. *Tract.* 15. *diſput. vnica Puncto* 6. *num.* 1. & ante eos Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 3. §. *Iam verò.* Quod & probabile cenſet Garcia *ſuprà Puncto* 3. *num.* 26. Diana etiam, qui ſententiam hanc reijciendam prorſus affirmat. *Parte* 9. *citata Reſolut.* 23. contrariam docuerat *Parte* 5. *Tract.* 10. *Reſolut.* 76. cujus immemor videtur fuiſſe, cùm nullam ejus faciat mentionem. Eſt ergo ſecundùm citatos Doctores probabile Pontificem & probare & reprobare priuatam hanc celebrationem. Probat namque concedens Bullam, & ampliſſimâ quidem conceſſione: reprobat autem generali illâ prohibitione. Pro quo eſſe rationabilis cauſſa poteſt; vt dum reprobat, voluntatem, & inclinationem ſuam, attentâ rei conuenientiâ; oſtendat: dum autem probat, neceſſitate quadam id ſe facere proteſtetur, quia non expedit voluntati ſic poſtulantis contraire. Quod poteſt caſui, de quo diſſerimus, applicari.

Cuius ratio redditur.

Aſſertio 2. In Indijs aliquando ſtare recurſum ſine ſcrupulo poſſe.

54 Dico ſecundò. Recurſus ad Indica Prætoria ſine ſcrupulo ſtare poteſt, quando damnum ſequitur irreparabile, vel quod difficilè reparari poteſt. Probatur: quia hoc ſaltem eſt probabile, & ita cum aliis tenet P. Fragoſus *citata pag.* 206. §. *Porrò* & *pag.* 208. §. *Ex quo ſequitur.* In priori enim addit ſic: *& eſt difficilis aditus ad Summum Pontificem, nec adeſt Magiſtratus Eccleſiaſticus, qui poſſit, & velit tantam iniuriam arcere.* Et quidem cùm irreparabile dicitur, hoc vltimum ſupponitur, ſcilicet non eſſe remedium, quod ab Eccleſiaſtico expectari poſſit Magiſtratu; ſi enim expectari poteſt, iam non eſt irreparabile. Hoc ergo ſuppoſito, recurſus ad Pontificem in Indiis difficilis non ſolùm eſt, ſed impoſſibilis, grauamine vrgente; vt eſt manifeſtum: erit ergo licitus recurſus ad Prætoria Regia: quæ eſt etiam doctrina Gregorij Sayri *de cenſuris lib.* 3. *Cap.* 17. vnde vterque infert non incurri excommunicationem Bullæ Cœnæ, quæ *eſt* 14. in illâ enim Pontifex friuolam tantùm appellationem amouere contendit, vt ex textu conſtat, verbis illis. *Qui prætexentes friuolam quamdam appellationem à grauamine &c.* Friuola enim dici non poteſt, ad quam naturalis defenſio, hac viâ tantùm ſuffragante, compellit. Vt autem in caſu, de quo loquimur, non ſit incurſio in talem excommunicationem, alia eſt ratio, de qua dictum, iuxta ſatis probabilem ſententiam *Tit.* 2. *n.* 10.

Neque vrgere Bullam Cœnæ.

Circa quam P. Fragoſus minùs conſequenter locutus dicitur.

55 Addit autem P. Fragoſus *citato* §. *Ex quo,* hoc canone excommunicari prætexentes friuolam appellationem; atque ita non omnes excommunicari: *modò ſub nomine appellationis non detur recurſus ad curias ſæculares.* Quæ ſunt illius verba, ſed difficilia; ſignificat enim in dicto caſu nō licere recurſum, ſi appellationis nomine pallietur. Quod tamen contra ipſius eſt apertè doctrinam: nam §. *Porro*, affirmat licitum eſſe recurſum. Et præterea ſi appellatio licet, licitus eſt etiam recurſus, quia appellatio iudicem competentem importat, in cauſſâ de qua agitur, & ita diffinitur. *Eſt à minori ad maiorem ſeu ſuperiorem prouocatio. Cap. Omnis oppreſſus. Cap. ſi quis. & Cap. Placuit.* 2. *q.* 6. Quod tamen non accidit quando ad tribunalia laica prouocatur. Recurſus autem non dicit ſuperiorem iudicem, qui verè talis ſit, ſed, qui in caſu vrgenti poſſit auxiliari: vnde eſt quaſi genus in definitione appellationis, quæ ſic etiam definitur: iuxta *lib.* 1. §. *Si quis in appellatione. D. de appellat. & relat. Eſt recurſus à minori, ad maiorem iudicem.* Alia ergo videtur citati Auctoris mens; ſcilicet excommunicari prætexentes friuolam appellationem, niſi verè ipſa appellatio merus recurſus ſit, qui in caſu vrgenti, de quo loquimur, cùm licitus ſit, etiam eſt ab excommunicatione prorſus immunis. Quod ſi aliud quid voluit, non eſt multùm circa illius intelligentiam immorandum, qui illam potuit apertam reddidiſſe. Vnde ad alia contendamus.

Appellatio quid.

Citati Auctoris mens.

CAPVT IX.

Circa Religioſorum iudices Conſeruatores qualiter Auditores Indicos ſit peccare contingens.

§. I.

Aſſertiones quatuor deciſiuæ.

Aſſertio 1. Auditores grauiter peccare nolentes iudices Conſeruatores admittere quos Iura concedunt.

56 Dico primò. Grauiter peccant Auditores Indici, ex generali quadam perſuaſione de non conuenientiâ talium iudicum, aut alio non legitimo reſpectu, eorum iuriſdictionem impediunt. Id conſtat: quia iuri Pontificio, & Regio ſe cum eorum iniuriâ opponunt: Pontificium quidem cùm in Decretalibus *Cap.* 1. *& vltimo de officio iudicis delegati*, & in diuerſis conſtitutionibus, quibus generaliter modus procedendi eorum diſponitur, & aliis pluribus, quæ Religionibus ſingulis hunc modum aſſignant efficacis defenſionis. Pro quo & ſunt *Lex* 1. *&* 2. *Tit.* 15. *libr.* 2. *Recopilat.* de quibus P. Fragoſus *Tom.* 2. *pag.* 470. *num.* 72. Reges etiam noſtri Audientiis Indiarum moderationem in talium Iudicum permiſſione præſcribunt, de quibus Dom. Solorzanus *lib.* 3. *Cap.* 26. *num.* 113. & in Politicâ *lib.* 4. *Cap.* 26. *pag.* 736. §. *Y paraque & ſeqq.* ſupponunt ergo magnam eſſe in eorum nominatione conuenientiam, & ita illā generaliter reprobare, nec velle oculis clauſis admittere, non ſine ingenti temeritate, & manifeſtâ iniuſtitiâ ſtare poteſt; cùm Religioſi iure ſuo in re adeò graui ſpolientur. Pro quo videri poteſt Dom. Solorzanus *ſuprà numer.* 115. Inde eſt impedientes excommunicari poſſe, quod graue eorum crimen indicat. Vide P. Fragoſum *pag.* 465. *num.* 8.

Aſſertio 2. Non peccare ſe legibus progreſſum prohibentibus conformantes.

57 Dico ſecundò. Auditores Indici non peccant, dum Conſeruatores procedere in cauſſa prohibent, donec coram ipſis nominationis reddatur ratio, vt perſpiciant, an iniuria notoria ſit, quæ ſola poteſt iuriſdictioni Conſeruatorum materiam exhibere. Id probo: nam circa hoc leges extant; & licet videantur Eccleſiaſticæ contrariæ libertati; cùm tamen à Regibus Catholicis latæ ſint, & communiter receptæ; non ad eos ſpectat earumdem examen, ſed iuxta ipſas procedere, iuſtificationem earum ſupponentes, cùm ab iis ſint conditæ, qui id meliùs antequàm ſtatuerent, peruiderunt. Quæ eſt doctrina Ariſtotelis *lib.* 2. *Rhetor.* illis verbis. *Vel ſi ita illi iudicarunt, contra quos ſtatuere nihil licet, vt qui domini ſunt,*

Obediendū legibus, ſine earum examine.

Digitized by Google

ſunt, aut quibus non honeſtum eſt contradicere. Sic ille. Hinc Doctores communiter cenſent ſubditos teneri ſeruare leges, de quibus an ſint iuſtæ dubitatur, ex quibus plures adducit Bonacina. *Tom. 2. Diſput. 1. Quæſt. 1. Puncto 7. numer. 11.* quos & ſequitur, & vt non teneantur, poſſe tamen dubium practicè deponendo, communiſſima ſententia eſt, pro qua vide præter citatos, Dianam *Part. 4. Tract. 3. Reſolut. 9. &* Mag. Gallegos *Tractatu de Conſcientia dub. 93.* qui plures congerunt, & quidem, qui obligationem eſſe aiunt, id potiùs aſſerunt, cùm magis ſit teneri, quàm poſſe: qui autem contrarium cenſent, probabilem ſuæ oppoſitam reputant opinionem, vnde & eſſe probabiliter obligatos & conſequenter poſſe talibus ſe legibus conformare. Quæ doctrina aliis applicanda.

Etiam cùm de iuſtificatione earum dubitatur.

Aſſertio 3. Non peccare, ſi non ſint in approbatione faciles.

58 Dico tertiò. Auditores Indici nullo modo peccant, ſi non ſint faciles in talibus iudicibus approbandis. Hoc conſtat: quia & illis ita per leges indicatur, & præterea Iudices huiuſmodi multoties tumultuariè nominantur, ex quo ſequitur, neque legitimam eſſe nominationem, & ex eâ grauia inconuenientia proſerpere, & turbas implacabiles excitari. Aliqua huius generis experimento perdidici, vnde & aliis prudenter obuiandum. Et de exceſſibus huiuſmodi admonet Emmanuel Rodericus *Tom. 1. Quæſt. 65. Art. 11. §. ex dictis, & ſequente.* Et iam pridem Bonifacius Octauus in Cap. *Hac Conſtitutione,* de officio iudicis delegati *in Sexto*; vbi illa ipſius verbis: *Vt autem Conſeruatores limites ſibi traditæ poteſtatis, quos frequenter excedunt. &c.*

Cap. Hac conſtitutione.

Aſſertio 4. Non pro quibuſlibet iniuriis etiam notoriis approbandos.

59 Dico quartò. Auditores Regij non tenentur approbare Conſeruatores pro quibuſuis iniuriis nominatos, etiamſi illæ notoriæ ſint. Probatur. Quia potuit eſſe iniuria notoria, non tamen notabilis, quæ debeat adeò extraordinario iudicio vindicari. Pro quo ita ſcribit Fr. Emmanuel ſuprà: *ſi aliquis furore cholerae accenſus ducat Fratribus, quod velint nolint, debet ingredi monaſterium, & ingrediatur de facto, nullâ læſione ſecutâ: ſi ſtatim à tali furore deſiſtat, & relinquat eos in ſua pacifica poſſeſſione, non eſt dictus reus coram conſeruatore Iudice conueniendus, cùm in hoc parum læſum fuerit monaſterium, & de minimis non eſt curandum, & eorum Fratrum poſſeſſio non fuit perturbata; cùm ſtatim in ea pacifici fuerint relicti ſine aliquâ, vt dictum eſt, læſione & notabili violentiâ.* Sic ille. Iuxta quam doctrinam alij ſunt caſus ſimiles iudicandi, in quibus licèt facta ſit iniuria, aut damnum non relinquitur, aut ſatisfactio offertur; & tales eſſe ſolent perſonales, niſi quando perſonæ iniuria in damnum commune redundat; vt ſi alicui propterea fiat, quia in eius religione non recognoſcitur priuilegium, quod illi poſſit fauere, vt exemptionis generalis, vel in ordine ad aliqua: vnde in conſeruatoriis à Pontificibus concedi ſolitis defenſio iurium & priuilegiorum exprimitur.

Emmanuel Rodericus.

§. II.

Aſſertio quinta magis ſpecialis.

Aſſertio 5. Peccare grauiter

60 Dico quintò. Peccant grauiter Auditores Indici, ſi ad approbandam nominationem Conſeruatorum requirant notorias iniurias iuxta generalem doctrinam Canonum, & præſertim *Cap. Statuimus* de officio Iudicis delegati *in Sexto*, in quo ſic ſtatuit Innocentius Quartus: *ſtatuimus vt Conſeruatores, quos plerumque concedimus, à manifeſtis iniuriis & violentiis defendere poſſint, quos eis committimus defendendos. Nec ad alia, quæ iudicialem indaginem exigunt, ſuam poſſint extendere poteſtatem.* Sic Pontifex: dicuntur autem indaginem requirere, quæ cùm notoria non ſint, debent per probationes varias explorari: iuxta Gloſſam & Doctores communiter. Peccant inquam, quia poſſunt eſſe priuilegia, in quibus iudicialis indago concedatur, quod Gloſſa obſeruat, ſic dicens: *& iſta vera ſunt, niſi per priuilegia* (al. *priuilegijs*) *iſtorum Religioſorum, vel aliorum, quibus dati ſunt Conſeruatores, aliud diceretur, videlicet, vt poſſent cognoſcere de iniurijs, & alijs cauſis, etiamſi requirerent iudicialem indaginem, & communiter in priuilegijs apponitur illa clauſula.* Sic Gloſſa. Quòd autem in priuilegiis, vt teſtatur, apponi ſoleat dicta clauſula, manifeſtum eſt in iis, quæ Mendicantes præſertim habent, ex quibus Societas noſtra ampliſſimo gaudet Pij V. & Gregorij XIII. tum generali, tum pro Indiis ſpeciali, quo aliæ fruuntur, communicationem habentes. Verba Gregorij inter alia hæc ſunt: in Bulla quæ incipit: *Æquum reputamus.* Et conceſſionem Pij habet inſertam ad litteram: *Hoc non de quibuſlibet moleſtijs, iniurijs, damnis, tum præſentibus, & futuris; in illis videlicet, quæ iudicialem requirerent indaginem, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figurâ iudicij, in alijs verò, prout eorum qualitas exegiſſet, iuſtitiæ complementum: occupatores, ſeu detentores, præſumptores, & injuriatores hujuſmodi, nec non contradictores quoſlibet, & rebelles, etiamſi aliàs, quàm vt præfertur, qualificati exiſterent, quandocumque, & quotieſcumque expediſſet, auctoritate Apoſtolicâ per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ compeſcendos &c.* Hinc eſt, vt adducta Decretalis deciſio hodiè ferè inutilis ſit, vt cum Ioanne Andrea Archidiacono, Dominico, & Refuſſo affirmat Emmanuel *ſuprà §. Nec his.* Cùm conformior forma recepta ſit & quidem meritiſſimè; nam ad eludendam, & elidendam notorietatem iniuriæ poſſunt euaſiones multiplices inueniri; vt videri apud citatos poteſt, & etiam apud Silueſtrum. *V. Conſeruator.* Qui Gloſſam Ioannis Andreæ ad verbum tranſcripſit, & apud P. Fragoſum. *Tomo 2. lib. 4. Diſp. 12.* qui *n. 6. §. Porro,* ait vix reperiri poſſe tam notorium, quod non poſſit aliquâ excuſatione obtenebricari.

iuxta generalem Canonum doctrinam procedentes.

Priuilegia Religionū pro iis etiā, quæ iudicialem indaginem requirunt.

Et ſpecialia Societatis.

Vide Cardinalem Lugo in Reſponſis moral. Lib. 4. Dub. 38. n. 8.

Decretalē hodie eſſe inutilem.

61 Neque his obſtat quorumdam ſcriptorum doctrina, dicentium Conſeruatorum munus tantùm eſſe defendere à manifeſtis iniuriis, & ita licèt litteræ habeant hæc verba. *In quibuſcumque cauſis*, juxta prædictum ſenſum eſſe interpretanda: ſic P. Fragoſus *ſuprà num.* 4. qui plures Auctores adducit; cùm tamen illi tantùm generaliter loquantur, & non in caſu præſenti, quando ſcilicet additur. *In quibuſcumque cauſis:* vt videri præſertim poteſt apud P. Suarium *Tom. 5. in 3. partem, diſput. 31. ſect. 3. num. 17.* P. Molinam *Diſput. 29. de juriſdictione, num. 2. & 6.* P. Azor *Tomo 2. Lib. 5. Cap. 35. Quæſt. 7. & 13.* Ludouicum

Quorumdam Scriptorum doctrinam non obſtare, quando expreſſum habetur priuilegiū.

Digitized by Google

cum Mirandam *Parte* 2. *Quaſt.* 47. *Artic.* 8. *Concluſ.* 2. Sed vt demus ita eſſe, quod citatus ſcriptor ait, eo ductus fundamento, ne ſcilicet recedatur à iure communi; quod non eſt magnum inconueniens, quando receſſus talis Apoſtolicâ auctoritate conceditur, quæ circa hoc ampliſſimam habet poteſtatem, auocando etiam cauſas Eccleſiaſticorum ad ſæcularia tribunalia ſpectantes, vt benè ex iure oſtendit Emmanuel Rodricus *ſuprà* §. *Quantùm* cum Couarruuia & aliis; vt demus inquam ita eſſe; non tamen habet locum vbi priuilegium eſt manifeſtum, & concedit conſeruatores etiam ad cauſas, quæ requirunt indaginem, quæ cùm neceſſaria eſt, jus prohibet circa illas Conſeruatores procedere, juxta dicta *n. præcedenti*.

Pontificia poteſtatis amplitudo.

Neque legi Regiæ eſſe contrariâ, quia non tollit priuilegia.

62 Non item obſtat lex Regia citata *num.* 56. 1. ſcilicet & 2. *Titul.* 15. *lib.* 2. Verba illius, 1. ſcilicet, ſunt: *Los conſeruadores dados, y deputados por nueſtro muy ſancto Padre, no ſean oſados de perturbar nueſtra juridiction ſeglar, ni ſe entremetan à conocer, ſaluo de iniurias, y oſenſas manifieſtas, y notorias, que ſuelen ſer hechas à las Yglesias, ò Monaſterios, y perſonas Eccleſiaſticas, ſegunque los derechos communes diſponen, y los ſanctos Padres, que los ordenaron, y no mas, ni allende no embargante qualeſquier comiſſiones, ò poderes, que leſſean, ò ſon dados, &c.* Non ergo licebit virtute priuilegiorum, ad ea quæ, eò quòd notoria non ſint, indaginem requirunt, juriſdictionem prorogare. Non inquam obſtat: nam conſequentia eſt illegitima, & potiùs oppoſita eſt deducenda. Si enim quia ſancti Patres, ſummi inquam Pontifices, qui ius canonicum condiderunt, Conſeruatores pro manifeſtis iniuriis, etiam contra laicos, concedunt, illorum eſt diſpoſitionibus obediendum: ergo etiam eorumdem priuilegiis, quæ ſimilem habent auctoritatem, & ab eâdem originem habent poteſtate. Prætærquàm quòd hoc non eſt juriſdictionem ſæcularem perturbare; non enim perturbat, qui ſuo, aut ſibi legitimè delegato iure vtitur, & quod omnem dubitationem ſubmouet, priuilegia Societatis, quorum communicationem Religiones plures habent, & præſertim Mendicantes, in Regio Indiarum Conſilio regiſtrata ſunt, & juxta ea ſæpiùs conſeruatores electi, qui non tantùm in notoriis iniuriis, ſed etiam in iis, quæ judicialem requirebant indaginem, proceſſerunt.

Qua Societas habet in Regio Conſilio regiſtrata.

Dubia quæſtio circa Conſeruatores pro debitis.

63 Quod autem ex legibus citatis infert P. Fragoſius *ſuprà pag.* 470. *n.* 27. ſcilicet Regulares non poſſe conuenire debitores coram ſuis conſeruatoribus, quod, & ipſe antecedenter probauerat, dubiæ quæſtionis eſt, an ſcilicet priuilegia eorum ſe ad id extendant, an non? & quidem, quòd non ſe extendant, ex citatâ lege deduci nequit: quia aliud eſt commiſſio, & facultas etiam ampla in formâ communi: aliud iuxta ſpecialia priuilegia. Si ergo illa dentur, non ſunt à lege vllatenus improbata. Quia quemadmodùm non improbantur, quæ vltra notorias iniurias ſe extendunt, ita neque illa, quæ ad debitores extendi poſſunt, ex amplitudine Apoſtolicæ poteſtatis. Aliunde ergo eſt poſitio illa comprobanda. Contra quam ſentit Fr. Emmanuel *ſuprà Artic.* 12. ſatis id luculenter oſtendens cum aliis bonæ notæ ſcriptoribus, vt non poſſit non illa ſatis probabilis iudicari. Quia tamen res, vt dixi, dubiæ quæſtionis eſt, in caſu contingenti poterunt Auditores Regii, quod maluerint pronuntiare. Et hoc non obſtante Conſtitutione Gregorii XV. quia illa non tollit quò minùs Religioſi actores eſſe poſſint pro manifeſtis iniuriis, pro quo videri poteſt Cardinal. Lugo *ſuprà num.* 5. quia & notoriam iniuriam poſſunt inferre debitores. Et Lauretus de Francis in Controuerſiis pag. 116. adducens Cardinalium Declarationem.

§. III.

Aſſertio ſexta de verbalibus nocumentis.

Aſſertio 6. pro iniuriis verbalibus vt queant eligi & approbari Conſeruatores.

64 DIco ſextò. Probabiliſſimum eſt pro iniuriis verbalibus poſſe conſeruatores nominari. Pro quo videndus Dom. Solorzanus citato *Cap.* 26. *num.* 116. *& ſeqq.* & in Politicâ *pag.* 737. §. *Pero eſtos, & ſeqq.* Vnde & conſequenter probabiliſſimum eſt Auditores Regios ad eos approbandos teneri, niſi circumſtantiæ occurrant, quæ inconuenientia grauia in tali nominatione conuincant. Pro iniuriis quidem & damnis, Religioſis Conſeruatores ius, & priuilegia concedunt. Et quod ad iniurias ſpectat tam eſt clarum, quàm quod clariſſimum. Quoad damna etiam id benè oſtendit Fr. Emmanuel *citato Artic.* 12. & habetur expreſſè in Bullâ citatâ Gregorii XIII. pro Societate verbis illis: *Quoquo modo indebitè moleſtari, vel eiſdem grauamina, damna, aut iniurias irrogari.* Vbi & illa. *Per quæ ipſi, eorumque res, & bona à noxijs juſtitiæ miniſterio præſeruarentur.* Atqui in verbis & nocumentum, & damnum, & iniuria copulantur, ergo pro illis poſſunt conſeruatores judices deputari. Minor eſt manifeſta, circa quam nedum paginæ, ſed libri poſſent impleri.

Priuilegiũ Societatis.

65 Scriptura quidem variis in locis linguæ damna commemorat, vt non immeritò Diuus Iſidorus Peluſiota ſic admoneat *Lib.* 2. *Epiſtol.* 158. *Id agite vt linguam ſexcentis frænis comprimatis.* Pro quo & Diuus Valerianus *Homiliâ* 5. Ita ſcribit: *Hoc habet lingua malitioſa commertium, vt lites ferat, odia moueat, mortes acquirat; ita in hoc loco Salomone dicente: Lingua multos conturbauit pacem habentes, ciuitates deſtruxit, & domos effodit. Falluntur profectò, qui putant nihil eſſe ferro fortius, nihil veneno violentius; quamuis autem iſta in perficiendis mortibus habeant peculiare naturæ beneficium; cedunt tamen in contentione verborum. Nihil enim eſt tam noxium, aut malitioſum, quod non viribus ſuis minus ſit, ſi ſe incitata ſemel lingua commoueris.* Hæc ille: & alia; citans tamquam Salomonis locum *Eccleſiaſtici* 28. Cùm tamen liber ille Ieſum Siracidem habeat auctorem, eâ fortaſſè de cauſâ, quia ex Salomonis ſententiis coagmentatus, vt aduertit P. Cornelius in Prolegomenis ad illum. *Cap.* 2. §. *ſecunda, quia.* Vnde & alii Patres eum vti Salomonis citare ſoliti, vt videri apud eumdem poteſt. Locus autem integrè proponendus ſic habet: *Suſurro & bilinguis maledictus; multos enim turbauit pacem habentes. Lingua tertia multos commouit, & diſperſit illos de gente in gentem, ciuitates muratas diuitum deſtruxit & domos magnatorum effodit.* v. 15. 16. & 17. Vbi & addendum quod ſequitur, *Verſ.* 21. & 22. *Flagelli plaga liuorem facit; plaga autem linguæ comminuet*

Lingua damna.

D. Iſidorus Peluſiota.

D. Valerianus.

Eccli. 28. v. 15. 16. 17. 21. & 22.

Digitized by Google

nuet oſſa. Multi ceciderunt in ore gladij, ſed non ſic, quaſi qui interierunt per linguam ſuam. Hinc illa Diui Nili ſententia in Capitibus Paræneticis Cap. 2. *Satiùs eſt temerè mittere lapidem, quàm verbum.* Quis ergo neget à lingua ingentia & nocumenta & damna prouenire.

D. Nilus.

A qua & iniuria notabiles.

66 Quod autem ad iniuriam ſpectat certo eſt certius eam in verbis frequentiùs, quàm in rebus deprehendi. Vnde Theologi omnes reſtitutionis obligationem agnoſcunt, quando alicuius fama verbis eſt alterius denigrata. Immò iniuria ſpecialiter de verbali dicitur, teſte Vlpiano *L. 1. D. de iniurijs & famos. libell.* Et ita communi vſu acceptum: vt pro contumeliâ ſumatur, quod & dictum ab Vlpiano. Pro illis ergo meritò Conſeruatores adhibentur, & ab Auditoribus rem juſtè expendentibus approbandi: eſt enim euidens huiuſmodi demonſtratio. Pro notoriis iniuriis poſſunt Conſeruatores deputari: in verbis poſſunt eſſe magnæ, & notabiles iniuriæ: ergo pro illis poſſunt Conſeruatores judices deputari. Et hæc in Indiis præſertim attendenda; in quibus maximè oportet, vt Religioſi curam habeant de bono nomine; cùm de conuerſione infidelium, & promotione fidei agere debeant; cui etſi poſitiuè non incumbant, debent tamen impedimento non eſſe, quo minùs regnum Chriſti merito & numero, juxta Eccleſiæ preces, augeatur. Nec plura hoc loco de Conſeruatoribus, cùm plura dici poſſent, ſed quæ conſcientiæ negotium non ita concernere videantur, de quibus conſuli etiam poteſt Dom. Villaroel *Parte 1. pacificæ gubernationis, Quæſt. 6. Artic. 13.* vbi Dom. Solorzano conformia proponit. Et Domin. Reyna de Perfecto Prælato, *Tomo 1. Libr. 2. Tract. 2. Cap. 8.*

Vnde euidens diſcurſus pro caſu præſenti.

CAPVT X.

Circa inquiſitionem de commiſſis mercium prohibitarum, vulgo, de contrauando, qualiter delinquere Indici poſſint Auditores.

§. I.

Pro reſolutione Aſſertio duplex.

67 EX Sinâ, Philippinis, & Nouâ-Hiſpaniâ merces quædam per leges Indicas prohibentur, eò quòd earum in Prouincias alias aduectio communi vtilitati obſiſtere judicetur. Huic ergo inquiſitioni quidam Auditorum aſſiſtit, quæ ſeuera ſatis eſſe ſolet, mercium clancularia exportatione aduectarum amiſſione. In qua tamen ſuæ ſolent ſordes auaritiæ familiares admiſceri, quæ ſi judices ipſos attingant, ſunt dubio procul turpiores. Pro quibus

Aſſertio 1. peccare grauiter conniuendo.

Dico Primò. Auditor circa prædicta inquirens grauiter peccat, ſi à ſua obligatione degenerans, ita diſſimulet, vt prohibitæ merces in Prouincias iſtas inducantur. Id conſtat; quia leges prohibentes juſtæ debent judicari, & maximè ab iis, quibus ſpecialis earum cuſtodia à Rege, & qui ſuo nomine jus dicunt, iniungitur. Videantur dicta *num. 57.* & cùm aliàs communis in eo vertatur vtilitas in re momenti non parui, ex eo fit ſine graui non poſſe crimine violari. Et quidem doctrina illa de lege pœnali, quæ à multis traditur, non ſcilicet obligare in conſcientiâ, hîc applicari nequit; quia tantùm in illos cadere poteſt, qui merces aduehunt, & earum commiſſione ſatis puniti cenſentur, vt non vltra damnationis æternæ ſupplicio videantur ſubiiciendi, juxta dicta *Titul. 2. cap. 9.* non verò in Iudices, qui non ex vi legis directè, ſed ratione officii ad earum obſeruantiam obligantur. Videatur etiam P. Suarius de legibus *Lib. 5. Cap. 11. num. 6.* P. Fragoſus *Tom. 1. pag. 942. num. 72. & pag. 945. num. 80.* & P. Thomas Sancius *Tom. 1. Conſiliorum lib. 2. Cap. vnico dub. 9. num. 5.*

Legem reſpectu eorũ non eſſe pœnalem.

Aſſertio 2. ad reſtitutionem teneri iis, quibus pœna erat applicanda.

68 Dico ſecundò, Auditor in caſu prædicto diſſimulans, tenetur ad reſtitutionem faciendam iis, quibus merces tales erant applicandæ, juxta legum diſpoſitionem: ſic citati, ex quibus P. Sancius magis juxta terminos quæſtionis loquitur §. *Ad tertium.* Sicut & P. Rebellus *Lib. 1. de Reſtitutione Quæſt. 16. num. 2.* cum Gabriele, & Soto, P. Molina *Diſputat. 739. num. 5.* qui & alios affert, & iis addendus Nauarra *Lib. 3. Cap. 4. num. 141.* & eſt expreſſa deciſio *L. Properandum* §. *Sin autem alterutra.* Et §. *Sancimus C. de Iudic.* Vbi qui peccant in omittendo, tenentur ad intereſſe in totum. Ratio eſt, quia ex officio tenentur ad impediendum juxta nuper dicta: qui autem impedire ex officio tenetur, & non impedit, ad reſtitutionem obligatur, cùm peccatum eius ſit contra juſtitiam commutatiuam; neque enim contra diſtributiuam eſt, neque contra legalem, & vindicatiuam, vt conſtat.

Nec tantũ ad partem ſalarij.

Dices teneri quidem ex juſtitia commutatiuâ, ſed tantùm ad partem ſalarii, non verò ad pœnam, Regiæ Cameræ aut denuntiatori applicandam. Verùm hoc non vrget; nam tenetur pro damno: atqui damnum non eſt proprium, ſed aliorum; aliàs numquam ratione damni ex officii peſſimâ adminiſtratione ſecuti alia obligatio reſtitutionis conſurgeret, niſi quæ ad partem ſalarii pertineret.

Sententiam contrariã qui teneãt.

69 Quæ inſtantia eſt quidem vrgentiſſima: nihilominùs ſunt, qui cenſeant judicem non condemnantem ad mercium talium amiſſionem; & ſic fiſcum, alioſque tali emolumento fraudantem, ad reſtitutionem non obligari: quia talis judex non conſtituitur primariò ad locupletandum fiſcum, ſed ad legum obſeruantiam procurandam, ob illarum vtilitatem. Sic cum aliis Pharaonius *in Append. Tract. 2. Seſſ. 10. Caſu 4.* Bonacina *Tomo 2. Diſput. de Reſtitutione Quæſt. 2. Puncto 11. num. 11.* Diana *Parte 3. Tractat. 5. Reſolut. 52. & Tract. 6. Reſolut. 35. §. Tertiò Iudex.* Eſcobar del Corro *Tractat. de Vtroque foro. Articulo 4. num. 75.* Thomas Hurtadus *Tractat. vltimo Reſolut. 12.* P. Azor *Parte 1. Libr. 5. Cap. 8. quæſt. 5. in fine* P. Tannerus *2. 2. Diſputat. 4. Quæſt. 6. num. 81.* & P. Gaſpar Hurtadus *Diſputat. 5. de Iuſtitia, & Iure, difficult. 10. §. Vnde debitor.* P. Becanus *de Legibus Cap. 7. quæſt. 9. num. 4.* Quorum ſententia ob grauium ſcriptorum ſic tenentium auctoritatem non poteſt penitus reprobari: illius tamen fundamentum non videtur ſolidum, jam

Digitized by Google

jam ſcilicet adductum, de fine principali legis, qui non eſt Fiſci aut alterius, de cuius intereſſe agitur, locupletatio. Quia negari nequit quin judex ad omne id conſtituatur, pro quo illius eſt diligentia neceſſaria, & ad legis totale complementum ſpectat. Vnde euidens eſt conſtitui, vt legem faciat impleri, exequendo pœnam, quando de illius ipſi violatione conſtiterit; & ſi ad locupletandum Fiſcum, aut alios, qui inde emolumentum habere poſſunt, ſaltem minùs principaliter, ſine eo enim vim non haberet lex; ergo ex eo, quòd finis minùs principalis ſit, non tollitur reſtituendi obligatio. Conſequentia patet: nam licèt minùs principalis ſit, eſt tamen abſolutè talis: ergo & parit abſolutam obligationem. Antecedens conſtat ex dictis; vnde videtur euidens conſequentia: pro quâ vrgeo. Nam lex talis duo præcipit, & non inferri merces, & pœnæ manere obnoxios ſecùs facientes: & vtriuſque cura judicibus demandatur, & ita ex officio ad vtrumque tenentur; quia circa vtrumque verſatur lex. Atqui pro eâ parte, quâ pœnam ſpectat, intereſſe Fiſci, aut aliorum agitur; ergo dum non exequuntur, ad reſtitutionem obligantur. Illatio eſt clara: nam ea ratione ad obligationem reſtitutionis vrget lex, cùm finis eius principalis eſt commodum, & intereſſe eam ſtatuentis. Si quid ergo diuerſitas illa finis principalis, & non principalis euincit, id tantùm eſt, vt eius obſeruationem non curans, ad quam ex officio tenetur, non ex principali fine, ſed ex minùs principali, ad reſtitutionem teneatur, ex ſuppoſitione ſcilicet, vt in iis contingit, qui damni minùs principales cauſæ ſunt, & ſolùm tenentur reſtituere ex ſuppoſitione, quòd alii obligationi huiuſmodi deſint, vt eſt in materiâ de reſtitutione notiſſimum. Videatur P. Molina, benè etiam ſed aliter vrgens.

Verum non eſt ſolidum fundamentum.

Quæ diuerſitas ſit ex ratione finis minùs principalis.

70 Dici poteſt: ex eo, quòd emolumentum, quod ex pœna ſequitur, ſit finis minùs principalis, vel quaſi conſequens principalem; ſufficienter colligi voluntatem Principis non eſſe ad reſtitutionem obligare. Sed certè reſponſio iſta minimè poteſt ſubſiſtere, quæ ex dictis poteſt efficaciter confutari: nam Princeps ſtatuens legem, vult manifeſtè habere id, quod amittendum præcipit, & ad cuius executionem judicem deſignat: ergo & conſequenter vult non pati damnum amiſſionis eius, ad quod habet ius, ſi fuerit deprehenſum; nec quemquam ſibi in huius emolumenti acquiſitione eſſe contrarium: ergo & damnum ex violatione talis legis conſecutum ſibi reparari. Antecedens eſt clarum, & conſequentia non minùs: nam hac ratione cuſtos vineæ aut ſegetis tenetur ad reſtitutionem damni ex eius diſſimulatione prouenientis; quia eſt quid conſequens ad voluntatem, quâ cuſtodiri res ſuas vult, pro quo & ſtipendium præſtat, vt damnum ex infideli cuſtodia reſultans reparetur. Et certè, qui cuſtodem apponit, ex primaria intentione non vult damnis locupletari, ſed res ſuas ſibi cuſtodiri: aliud autem ſecundarium eſt; ſed quia ex vi officii ſubſequitur, abſoluta obligatio ſubeſt, non ſecùs ac ſi id ad primarium finem pertineret.

Talem eſſe Principis voluntatem.

71 Benè verum eſt, P. Molinæ ſtare limitationem poſſe, qui ait prædictam doctrinam procedere, niſi Iudici, aut Officiali alteri conſtet, aut abſque dubio præſumatur, munus non cum tanto onere eſſe ſibi iniunctum, vt teneatur eas pœnas cum onere exequi, aut niſi veroſimiliter præſumat illum, qui id munus ſibi iniunxit, contentum fore, vt in euentibus, in quibus diſſimulat, eas non exequatur; in dubio autem circa dicta tenetur inquirere, & ſe voluntati eius accommodare reſtitutionis obligatione. Quibus addi poteſt non eſſe neceſſarium, vt abſque dubio id ſibi conſtet, ſi dubium non merè tale ſit, ſed probabilitati adnexum: quod tunc accidet, cùm experientia conſtet, non cum eo rigore circa diſſimulantes procedi, ſed Principem aliâ eos ſolitum animaduerſione percellere. In caſu autem noſtro nihil tale intercedere exiſtimo; quia cum nullo diſſimulante ita benignè actum eſt, eò quòd diſſimulationes tales non ſoleant plenè probari, nec ſit, qui audeat contra judices huiuſmodi ſupremos inſurgere, niſi fortè in Syndicatu, quando jam ob lapſum temporis difficiles ſunt redditæ probationes. Vide Pharaonium *Tract. 2. Seſſ. 2. Caſu* 17.

Quando autem poſſit de illa præſumi.

Sufficere probabilem præſumptionem.

Sed non in caſu, de quo agitur.

§. II.

Duæ aliæ Aſſertiones & Doctrina multiplex.

72 DIco Tertiò: ſi Iudici, de quo loquimur, aliquid pro diſſimulatione detur, circa graue peccatum, quod committit accipiens, dubium eſſe nequit juxta dicta; circa obligationem autem reſtitutionis; ſi rationem muneris habeat, procedit doctrina tradita *Titul. præcedenti.* Cap. 4. *& hoc ipſo.* Cap. 2. Si verò rationem ſolutionis veræ, quamuis palliatæ ob violatam officii legem, eſt nouus titulus, ut non teneatur ad reſtitutionem juxta eorum ſententiam, qui dicunt acceptum à Iudice ob iniuſtam ſententiam non eſſe obnoxium reſtitutioni, quam inter alios tenent Bonacina *Tomo* 1. *Diſputat.* 1. *de Reſtitutione Quæſt.* 3. *Puncto* 3. *num.* 8. P. Molina *Diſputat.* 94. *§. Contraria ſententia.* P. Leſſius *Libr.* 2. *Cap.* 14. *num.* 54. *&* 55. P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 416. In principio. Quorum ratio eſt: onus quod ſupra ſe Iudex aſſumit eſſe pretio æſtimabile, grande ſiquidem eſt, cùm fortunas ſuas, honorem, & officium amiſſionis exponat periculo. Neque obſtat actionis turpitudo, nam datum pro actione turpi, licitè poteſt retineri, vt eſt communiſſima ſententia: pro quâ Auctores congerit Diana *Parte* 1. *Tractat.* 16. *Reſol.* 38. quibus & addi plures alii poſſent. Sed licèt prædicti ab onere reſtitutionis liberari probabiliter poſſint; illis tamen auaritiæ laqueis irretitis, & in deſideria non ſolùm inutilia, ſed exitialia ruentibus, quæ mergunt homines in interitum, iuxta Doctrinam Apoſtoli 1. *Tim.* 6. *v.* 9. dicere non immeritò quiſpiam poterit: *Pecunia veſtra vobis ſit in perditionem.*

Aſſertio 3. ſi detur aliquid pro diſſimulatione, quæ obligatio inde reſultat.

Pro iniuſta ſententia poſſe aliquid recipi aliquorum ſententia.

Quorum auaritia damnata.

73 Dico quartò. Auditores Indici nequeunt ſibi applicare tertiam partem ex condemnationibus commiſſorum; quam antiquiores leges concedebant, quandoquidem id nouioribus vetitum inuenitur, de quibus D. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 3. *num.* 56. & in Politicâ *Lib.* 5. *Cap.* 3. *pag.* 172.

Aſſertio 4. non poſſe partē condemnationis ſibi applicare.

§. Solo

Digitized by Google

Difficultas circa obligationem in conſcientia ob leges priores contrarium ſtatuentes.

5. *Solo quiero & ſeqq.* Vbi ſub dubio ait nouiores leges, aut reuocatorias eſſe veterum, aut cum earum obliuione diſpoſitas. Ex quo immeritò quiſpiam addubitet an obligent in conſcientiâ. Quod fundari poteſt ex eo, quòd correctio legum vitanda eſt, *ex leg. vlt. C. de Appellationibus; & ex Cap. cùm expediat, de electione in ſexto.* ac receptiſſimâ ſententiâ Doctorum: ergo vbi non conſtat de legiſlatoris voluntate, prioris diſpoſitioni ſtandum eſt, & licet ignorantia legis non præſumatur in legiſlatore, *ex Cap. licet de conſtitutionibus in ſexto, & Cod. de Teſtamentis l. Omnium.*

Quando ignorantia poſſit in legiſlatore præſumi.

Id tantùm eſt firmum quando lex prior eſt inſerta in Corpore iuris, vt etiam conſtat ex *L. ſed & poſteriores, de legibus ibi Niſi contrariæ ſint*; quod tamen in caſu præſenti non contingit; cùm non conſtet tempore datæ poſterioris legis, priores in Corpore Indici iuris extitiſſe. Præterquam quòd probabiles aliæ doctrinæ ſunt, iuxta quas ignorantia in legiſlatore præſumitur, ne abrogatio legis admittatur, vt quando prior lex eſt ſpecialis, & poſterior generalis, de quo P. Suares *lib. 6. de legibus Cap. 27. num. 13.* & quando ex præſumptione ſcientiæ aliquod ſequitur inconueniens, vt quòd violauerit iuramentum de non abrogandâ lege, aut ſimilium, de quo P. Palaus. *Tom. 1. Tract. 3. Diſp. 5. Puncto 2. §. 1. num. 8.* ergo, & in caſu noſtro præſumi ignorantia poteſt, cùm aliàs conſtet in legibus Indicis frequentem contrarietatem reperiri; quæ ex eo accidit, quòd Indiæ valde remotæ ſint, & relationes non conſonent, de quo *ſuperiùs* non ſemel dictum.

Nihil ex præfata doctrina contrarium ſequi Aſſertioni.

74 Sed hæc non vrgent: quia doctrina, de abrogatione legis per contrariam illi, receptiſſima eſt, & generaliter procedit, non ſolùm quando prior in Corpore iuris continetur, ſed etiam de ſtatutis, quæ fiunt à particularibus communitatibus, vel legiſlatoribus, qui ſcire poſſunt, & debent ſua ſtatuta, vt bene P. Suarez ſupra *num. 12.* iuxta omnium mentem. Vbi illud addendum: etiamſi legiſlator priorem legem ignoret, pro poſteriore illius voluntatem ſtare, quæ eſt iuri communi conformis, iuxta quòd, cùm contrariæ ſunt leges, pro poſterioris valore iudicandum. Deinde: ſchedulæ illæ priores nimis quantùm erant notæ, quia in volumine Indicarum contentæ, vnde à Conſiliariis omnibus ſupremi Indiarum Conſilij non potuerunt ignorari.

Probabiles doctrinas adductas nihil ad rem facere.

Probabiles autem doctrinæ illæ non faciunt ad rem, quia prior de lege ſpeciali, & generali applicari nullo modo poteſt, quia vtraque in caſu præſenti ſpecialis eſt, cum Iudicibus commiſſorum loquens, qui ex Togatis deſignantur: & quando leges tales ſunt, poſterior debet præualere, vt cum communi Doctorum aſſenſu docet P. Suarez *num. 12. citato*; doctrina autem altera de inconueniente, à præſenti inſtituto valde aliena eſt: quia in eo, quòd poſterior valeat, inconueniens nullum eſt, immò conuenientiæ maximæ, quas leges Regiæ expromunt, dum ſic in illis habetur:

Legis tenor.

Porque teniendo como tienen, ſalario mio, por razon de ſus plaças, y officios. No era Iuſto ſe los permitieſſe lleuar las dichas tercias partes. Quod autem vltimò dicebatur, nullius momenti eſt: tum quia iam per dicta ſatisfactum, & notitia ſufficiens demonſtrata. Tum etiam: quia res hæc non eſt ex iis, quæ in relationibus ex Indiis tranſmiſſis fundantur, ſed in rei ipſius conuenientiâ, quam, vt vidimus, verba legis manifeſtant.

Oppoſitum non eſſe probabile.

Tandem ſic eſt praxi inconcuſſâ receptum: vnde exiſtimo oppoſitum omni eſſe probabilitate deſtitutum. Quidquid Dom. Solorzanus *num. 57. & ſeqq.* & in Politicâ *pag. 773. §. Y eſto.* in contrarium videatur adducere, cum Carleualio, legum auctoribus eo in Iudicio condemnatis. Licet ergo commiſſio iſta non adhæreat neceſſariò Auditorum officio, ſalarium tamen ad illius laborem ſe extendit, quia ſub eo onere datur, ſic declarante Senatu, vt ſi ſubeundus ſit, nihil debeat ampliùs corrogari.

Doctrinam P. Molinæ liberantis ab obligatione reſtitutionis hic locum non habere.

75 Non ergo hic locum habet doctrina P. Molinæ *ſuprà*, vt quando pœnæ ipſiſmet miniſtris publicis eſſent legibus applicatæ ad nullam reſtitutionem teneantur: & vt quando ex parte ipſis eſſent applicatæ, non teneantur ad reſtitutionem eius partis, quę ipſis eſſet applicata. Quod procedit quando legem violantes miniſtri tales deprehenſos in commiſſo minimè condemnarunt.

Cui facienda reſtitutio.

Nam de Auditore Iudice loquendo, ſi quid accipiat, iam vidimus non poſſe hac ſe doctrinâ tueri, cùm nihil illi per legem applicetur. Aliunde autem doctrina iſta difficilis apparet, caſui, de quo loquimur, applicata; quia lex applicat tertiam partem miniſtro, qui ſuo officio rectè fungitur; qui autem diſſimulat, legis præuaricator eſt; ergo ad præmium illud non habet ius, ex quo fit, quòd ſi aliquid accipiat, illud iuſtè retinere nequeat. Reſtituat ergo: ſed cui? Nam fiſco non debetur, cui ſuæ deſignatæ ſunt partes; nec auctori commiſſi, quia per legem eſt eo priuandus; neque alius extat ad quem videatur pertinere. Si dicas reſtituendum fiſco *ex ordinationibus Audientiarum Indicarum Anni 1563. Cap. 17.* vbi ſtatuitur ſub pœna quadrupli tertiam partem non accipiendam à Iudice: cùm diſpoſitio illa pœnalis ſit, & pœnam adeò ſeueram contineat conſonans *l. Sancimus C. ad L. Iuliam repetun.* contra malè capientes aliquid ratione officij publici; ante iudicis ſententiam non obligat reum: de quo Citati *num. 69.* qui ex eo etiam probant iudicem non teneri ad compenſationem pœnæ fiſco, aut aliis acquirendæ.

Legem pœnalem ante ſententiam non obligare ad reſtitutionē.

Et prætereà P. Thomas Sancius *lib. 9. de Matrim Diſp. 30. num. 1. & lib 2. Operis moralis. Cap. 22. num. 7. & 8. P. Palaus Tom. 1. Trac. 3. Diſp. 2. Puncto 2.* P. Fragoſus *To. 1. pag. 421. num 64.* Qua ratione pœna dupli, quam Concilium Tridentinum ſtatuit. *Seſſione 24. Cap. 3. de Reformatione*, quæ & extat in *Cap. exigit, de Cenſibus in Sexto*; ante ſententiam non obligat.

Circa ſpecialem pœnam dupli à Tridentino impoſitam id ſtatuit quorumdam ſententia.

Pro quo Nauarrus *Conſilio 11. de Cenſibus.* Meliùs ergo dici poteſt reſtituendum ei, qui dedit, ſtante ſententiâ de obligatione reſtitutionis: quia ſi iſte non potuit accipere, neque alius dominium transferre; vnde domino eſt reddendum. Nec verum eſt eo debere priuari, niſi fortè id, quod debet ex mercibus ipſis prohibitis, ſit; tunc enim videndum quid lex diſponat, & iuxta id reſtitutio facienda:

Quod cùm commiſſum eſt in mercibus prohibitis.

& in mercibus ſericis, quæ ex Sina afferuntur, magnus ſolet obſeruari rigor, & aliquando in Regiis apothecis viſæ computreſcere; aliquando non ita. Redduntur ergo Regiis miniſtris, & ipſi, quid de illis ſit faciendum,

Digitized by Google

Prorege conſulto, prouidebunt: Iuxta id, quod præcipitur in ſchedula *Anni* 1620. quòd ſcilicet in Hiſpaniam remittantur. Sed quis erit reddens, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vitâ ſuâ.

CAPVT XI.

De Auditore pro defunctorum bonis Iudice conſtituto. Et qualiter illius poſſit conſcientia in huius officij executione grauari.

§. I.

Explicatum officium & prior pro illo reſolutio.

Tribunalis pro defunctorum bonis inſtitutio.

76 Sanctum quidem hoc Regum noſtrorum inuentum, vt ab inteſtato decedentibus, aut quorum hæredes abſentes ſint, vel etiam legatarij, piaque opera in Hiſpaniâ facienda mandauerint, non deſit, qui eorum vltimas impleri faciat voluntates; *Pernicie ſunt enim ſemper iniuriis facultates abſentium, & quodammodò videtur occaſio homines in delictum trahere, quæ non poteſt animum prouidentis de reſultatione terrere*, vt Caſſiodorus ſcribit *Lib.* 1. 15. Vnus ergo ad munus hoc Auditorum adlegitur biennali ſucceſſione, ab vnâ claſſis expeditione vſque ad aliam, quando collecta ſolent remitti bona; ſic enim rectæ adminiſtrationi viſum eſt opportuniori poſſe induſtriâ reſponderi. Suum igitur Iudex talis habet tribunal cum neceſſariis miniſtris, & cauſſas omnes in primâ cognoſcit, & concludit inſtantiâ, quæ ad talem ſpectant collectionem. Poteſt tamen circa hoc multipliciter peccari, & quod ſanctè inſtitutum eſt, in damnationis argumentum detorqueri: circa quod

Caſſiodorus.

Aſſertio 1. Peccare grauiter Auditorem clauem arcæ aliis tradentem.

77 Dico primò. Cùm arca haberi debeat trium clauium pro bonis prædictis aſſeruandis, quarum vnam ipſe habere debeat Auditor, duas alias præcipui miniſtri; peccat ille grauiter, ſi eam non teneat apud ſe, ſed aliis tradat, aut non aſſiſtat quando eſt aliquid extrahendum. Id conſtat; quia ex negligentiâ, aut nimiâ confidentiâ iſtâ, ſtatim apparet, quàm ingentia poſſint incommoda reſultare, & quidem lex ita diſponens, de qua Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 7. *n.* 6. & in Politicâ *lib* 5. *Cap.* 7. *pag.* 799. §. *Pero finalmente*, nihil ſuperuacuum in hac cautione præſcribit; ergo id ad plenam ſecuritatem omnino neceſſarium iudicauit; qui ergo circa hoc negligenter ſe habet, grauiter peccat, quia ex eo fit plenam ſecuritatem non haberi. Videat iudex, ſi in arca tali ſuas haberet facultates, an illius clauem à ſe pateretur auelli, & inde colligat qualem erga bonorum ad defunctos ſpectantium curam, & cuſtodiam debeat adhibere. Non hoc quidem leuis, aut leuiſſimæ culpæ negotium eſt, ſed latæ: quæ cùm datur, communis Doctorum ſententia, Juri ſic diſponenti, conformis, graue in eo piaculum cum reſtitutionis onere recognoſcit. Pro quo videri poteſt. P. Leſſius *lib.* 2. *Cap.* 7. *n.* 24. & Bonacina *Tom.* 2. *Diſp.* 3. *quæ eſt de contractibus Quæſt.* 1. *Puncto* 6. & alij paſſim, qui culpam latam ſic explicant, vt ſit defectus diligentiæ in re alterius cuſtodiendâ, quam ſolent homines adhibere in ſuis rebus cuſtodiendis. Si ergo quis theſaurum ſuum habens in arca, alteri clauem non traderet, vt apud ſe diutiùs haberet, aut cùm extrahendum aliquid eſſet, id minimè alterius curæ committeret; ſignum manifeſtum eſt, in huiuſmodi defectu erga arcam dictam cuſtodiendam, graue ab Auditore iudice crimen admitti. Ante annos aliquot vidimus in hac Regum vrbe notabile in hoc genere portentum: ex arcâ enim dictâ immenſa eſt diuitiarum copia furtim extracta, peſſimi tabellionis induſtriâ, qui erat è tribus clauigeris vnus, iuxta id, quod lege diſponitur: & licet ſolus in pœna fuerit ſuſpendio addictus, culpa tamen ſolius non fuit, cùm depoſitum illud attentiori ſeruari cuſtodiâ debuiſſet.

Ex lata culpa obligationem eſſe reſtitutionis cum graui peccato.

Quando contingat.

Furtiuum portentum.

§. II.

Duplex pro eodem Aſſertio.

Aſſertio 2. Peccare item grauiter expenſarum multiplicatione.

78 Dico ſecundò. Iudex prædictus grauiter peccat, & cum reſtitutionis onere in collectione bonorum expenſas multiplicans, vt miniſtros, aut familiares ita ſibi obſequentiores reddat, aut aliis humanis reſpectibus, vbi diuini tantùm attendendi. Hoc ita eſt planum, vt non egeat probatione: in quo ſæpiùs peccare communis teſtatorum perſuaſio videtur comprobare, qui, vt bona, quæ relinquunt, in poteſtatem tribunalis huius non veniant, & ſic diminutionem notabilem patiantur, hæredes confidentiarios deſignant, & facienda in Hiſpaniâ opera pia aut alia tribuenda legata eorum fidei committunt, inſtructione ſecretâ. Fit ergo pietatis depoſitum, auaritiæ ſpolium, & grandis quandoque cenſus expenſarum titulo ad miſerandam redigitur paruitatem. Non ergo peccant ſi in extremis diſponentes, vt rebus ſuis conſulant, neque ipſis operam præſtantes ſuam, vltimarum voluntatum adminiſtri meliores.

Non peccare hæredes confidentiarios aſſignantes.

Heres confidentiarius an iurare poſſit celans veritatem. Pro quo probabiles doctrina adducuntur.

79 Vbi dubitari poteſt an executores tales à iudice præfato ſub iuramento interrogati, veritatem dicere teneantur, vel abſtractione aliquâ eam poſſint occultare. Ad quod dico non teneri, ſi contra eos ſemiplena probatio non ſit, iuxta ſatis receptam ſententiam, quam tenent P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 31. *Dub.* 3. *num.* 8. P. Thomas Sancius *Lib.* 3. *Operis moralis*, *Cap.* 6. *num.* 26. vbi quamplures adducit. P. Vincentius Tancredi *de Religione Tract.* 4. *libr.* 3. *Diſp.* 3. *numer.* 26. & alij. Idem etiam dicendum, ſi dubitet an iuridicè interrogatur: quod etiam tenet P. Leſſius. *ſuprà num.* 10. P. Vincentius. §. *Vel ſi dubium.* P. Fagundez *lib.* 2. *in Decalogum Cap.* 11. *num.* 18. adducens præter P. Leſſium citatum, Caietanum, Sotum, & Adrianum. Cuius ſententiæ non eſt leue fundamentum, quòd in dubio potiùs fauendum eſt reo, nec certum onus ab incertâ eſt poteſtate ſub pœnâ æternæ damnationis admittendum. Si autem legitima ad interrogandum fundamenta ſint, etiam in eo caſu probabile eſt non obligari ad manifeſtandam veritatem ſed amphibologiâ vti poſſe, dicendo teſtatoris voluntatem eam eſſe, quam verba teſtamenti declarant, eam inquam, quoad ſcripturam, quia ſic ſcribi voluit vel aliter, ſi ſub

Si dubitet de iuridica interrogatione.

Et etiamſi legitima quia factum non eſt crimi noſum.

ſi ſub aliâ verborum formâ interrogatio proponatur. Probatur ex doctrinâ P. Sancij *ſuprà n.* 29. vbi ait quoties factum exterius contra legem excuſatur à culpa ratione alicuius circumſtantiæ, poſſe rogatum iuridicè de illo facto, id negare, intelligendo de facto crimonoſo. Quod & tenet Diana *Part.* 3. *tr.* 6. *reſ.* 3. §. 15. P. Leſſius *ſuprà n.* 14. addens id verũ eſſe, etiamſi factum contra legem non excuſetur à culpâ veniali. Item ex doctrina eiuſdẽ P. Sancij *ſuprà n.* 24. vbi ait iuridicè interrogatum poſſe æquiuocatione vti, quando non tenetur ob aliquam cauſſam teſtimonium ferre; vt quia ipſi damnum notabile ſequeretur &c. In caſu autem noſtro ita contingeret, quia veritatem aperiens non parum grauari poſſet, tum vt legis tranſgreſſor, quamuis verè talis non ſit; quia lex Iudicem bonorum defunctorum conſtituens, neminem vetat confidentiâ vti, aut iuxta eam procedere, ſed iuxta manifeſta prouidentiam vult Regiam exerceri. Tum item, quia plura extorqueri poſſent, quàm re ipſâ ſibi concredita fuerint, & litibus moleſtiſſimis pro eo, quod ſua nihil intereſt, perturbari: & doctrinam dictam probat P. Tancredi citat. *n.* 26.

Etiamſi venialiter tale ſit.

Et ratione damni &c.

Habentem bona defunctorum non teneri manifeſtare.

80 Et propter eamdem rationem ingentium detrimentorum in facultatibus relictis, poterit quis habens aliqua defuncti ab inteſtato bona, aut de quibus, etiamſi teſtatus fuerit, non conſtat, eò quòd teſtamentum factum aliquot per annos ante mortem fuerit, ea non manifeſtare iudici, ſed cum omni ſecuritate ad hæredes tranſmittere; ſic enim voluntatem defuncti meliùs exequitur, & viuentium vtilitati meliùs conſulitur. Quod aliunde poteſt oſtendi, ex communi ſcilicet ſententia de legibus in præſumptione fundatis, quod ſcilicet non obligent, quando præſumptio in caſu particulari deficit, & quando finis adæquatus ceſſat in particulari: pro quo quamplures Auctores adducit Diana *Part.* 1. *Tract.* 10. *Reſolut.* 27. & 28. Cùm ergo finis legis ſtatuentis præfatum iudicem, ille ſit, vt morientium voluntates impleantur, & eò quòd non ita impleri, cùm executio priuatis perſonis committitur, bonis coniecturis præſumatur: ex eo habetur poſſe quemuis prædicta exequi, in quo præſumptio talis nullum habet fundamentum; cùm aliunde maior in eo deprehendatur pro viuis, & mortuis vtilitas, quam præſertim Catholici Reges talibus ſtatutis intendunt.

Eſſe legem in præſumptione fundatam.

Aſſertio 3. *Graue etiam eſſe peccatum retardatâ executione.*

81 Dico tertiò: Peccat grauiter iudex prædictus, cuius negligentiâ executio circa bonorum diſpoſitionem retardatur. Ratio eſt clara: quia ex tali retardatione grauia ſequuntur incommoda. Nam inprimis defunctorum non implentur voluntates. Deinde iidem multis animarum ſuarum ſuffragiis defraudantur. Quin etiam ij, ad quos bona ſpectant, eorum fructu priuantur. Ob quas rationes peccati grauis rei iudicantur teſtamentorum executores, qui diſpoſitiones teſtatorum diutiùs protrahunt. Pro quo videri poteſt P. Molina *Diſput.* 251. §. dubium item. P. Thomas Sancius *Tom.* 2. *Conſilior. lib.* 4. *Cap.* 1. *Dub.* 53. qui alios adducit, præſertim *Concluſ.* 4. Quæ autem ſit notabilis dilatio non poteſt certis regulis deſignari *L. Nulli. C. de Epiſcopis, & Clericis* dicitur, *ſine vlla cunctatione.* Quis autem non videat per menſes aliquot cunctantem, dici non poſſe ſine vllâ exequi cunctatione. Sunt tamen, qui in Sacerdotibus ad Miſſas dicendas ob ſtipendium receptum obligatis, duos menſes non cenſeant notabile eſſe ſpatium, bene autem vlterius. Pro quo videri poteſt Diana *Tom.* 1. *Tract.* 14. *Reſolut.* 25. & Hieronymus Garcia in *Summa morali de Sacerdotio Tract.* 3. *difficult.* 10. *dub.* 8. & dicenda à nobis *infrà in Appendice pro Clericis poſt Titulum.* 19. *numer.* 3. Iuxta quod in caſu noſtro idem poterit non improbabiliter ſuſtineri. Quamquàm in ordine, ad ea, quæ ad Hiſpaniam ſunt tranſmittenda, aliter philoſophandum videatur. Si enim ob negligentiam duorum menſium elabatur occaſio tranſmiſſionis, ſpatium iam nimis longum eſt; cùm annus prætereà integer expectandus ſit, qui inter expeditiones claſſis ſolet currere, ſi autem non elabatur occaſio, neque propter dilationem debita fiant deterioris conditionis, quæcumque illa ſit non videtur graue in illâ peccatum reperiri: cum nullum ex eâ damnum cuiquam ſubſequatur.

Quæ ſit dilatio notabilis.

Sententia circa obligationem dicendi Miſſas.

82 Dico quartò: Collectæ defunctorum pecuniæ nullo modo poſſunt negotiationibus exponi, ſiue ad iudicis commodum ſiue aliorum, neque ad neceſſitates quaſlibet, quantumuis publicas & vrgentes, inuerti aut etiam mutuari; & hæc quidem omnia ſatis ex ſe videntur iuſtitiæ conformia; eôdem enim modo pecuniæ iſtæ tractandæ ſunt, acſi ij, qui illas morientes reliquerunt, viui adeſſent, & ita nullus eas contrectare contra eorum poſſet voluntatem, niſi furti crimine diffamandus. Nihilominus ad maiorem firmitatem legibus ſtabilita ſunt, de quibus Dom. Solorzanus *num.* 6. & quod ad negotiationes attinet, *inferiùs* diſcutiendum, cùm de Regiis Officialibus ſubierit ſermo. Quòd autem non poſſint in neceſſitates alias conuerti, non tollit communem doctrinam, iuxta quam diſpoſitiones defunctorum mutari poſſunt in alias, quando illæ nequeant executioni mandari, aut conuerti in meliores, iuxta aliquorum ſententiam: pro quibus videri poteſt Pater Thomas Sancius *Tom.* 2. *Conſilior. Lib.* 4. *Cap.* 2. per ſeptem priora Capita. Id autem; quod de mutuatione dicitur, non habet locum reſpectu Regis, qui ſi mutuum aliquid petat, aut in ſua lege diſpenſat, aut declarat non ſibi, ſed aliis impoſitam fuiſſe, cùm in eo non ſit periculum, quod in aliis ſolet eſſe certiſſimum.

Aſſertio 4. *Pecunias Collectas pro nullo effectu extrahi poſſe.*

Regi mutua dari poſſunt.

§. III.

Circa iuriſdictionem notandæ deciſiones.

83 Dico quintò. Iudex dictus grauiter peccat ſuam iuriſdictionem extendens; id planum, ſed quia non ſemper obſeruatum, opus fuit Regio reſcripto ſpecialiter admoneri, de quo Dom. Solorzanus *num.* 31. & in Politicâ *pag.* 803. §. *Y ſiempre*: apud quem videri poſſunt aliqua, in quibus committi talis exceſſus poteſt, præſertim circa perſonas, aut bona eccleſiaſtica, in quibus multiplex eſſe quæſtio poteſt.

Aſſertio. 5. *Grauiter etiam peccari extenſione iuriſdictionis.*

Prima; an cùm Clericus ab inteſtato moritur, & hæres eſt laicus, ſe iudex præfatus intromittere poſſit circa eorum collectionem, & reli-

Difficultates circa bona Clerici mo-

Prorege conſulto, prouidebunt: Iuxta id, quod præcipitur in ſchedula *Anni* 1620. quòd ſcilicet in Hiſpaniam remittantur. Sed quis erit reddens, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vitâ ſuâ.

CAPVT XI.

De Auditore pro defunctorum bonis Iudice conſtituto. Et qualiter illius poſſit conſcientia in huius officij executione grauari.

§. I.

Explicatum officium & prior pro illo reſolutio.

Tribunalis pro defunctorum bonis inſtitutio.

76 SAnctum quidem hoc Regum noſtrorum inuentum, vt ab inteſtato decedentibus, aut quorum hæredes abſentes ſint, vel etiam legatarij, piaque opera in Hiſpaniâ facienda mandauerint, non deſit, qui eorum vltimas impleri faciat voluntates; *Peruia ſunt enim ſemper iniuriis facultates abſentium, & quodammodò videtur occaſio homines in delictum trahere, quæ non poteſt animum prouidentis de reſultatione terrere,* vt Caſſiodorus ſcribit *Lib.* 1. 15. Vnus ergo ad munus hoc Auditorum adlegitur biennali ſucceſſione, ab vnâ claſſis expeditione vſque ad aliam, quando collecta ſolent remitti bona; ſic enim rectæ adminiſtrationi viſum eſt opportuniori poſſe induſtriâ reſponderi. Suum igitur Iudex talis habet tribunal cum neceſſariis miniſtris, & cauſſas omnes in primâ cognoſcit, & concludit inſtantiâ, quæ ad talem ſpectant collectionem. Poteſt tamen circa hoc multipliciter peccari, & quod ſanctè inſtitutum eſt, in damnationis argumentum detorqueri: circa quod

Caſſiodorus.

Aſſertio 1. Peccare grauiter Auditorem clauem arcæ aliis tradentem.

77 Dico primò. Cùm arca haberi debeat trium clauium pro bonis prædictis aſſeruandis, quarum vnam ipſe habere debeat Auditor, duas alias præcipui miniſtri; peccat ille grauiter, ſi eam non teneat apud ſe, ſed aliis tradat, aut non aſſiſtat quando eſt aliquid extrahendum. Id conſtat; quia ex negligentiâ, aut nimiâ confidentiâ iſtâ, ſtatim apparet, quàm ingentia poſſint incommoda reſultare, & quidem lex ita diſponens, de qua Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 7. *n.* 6. & in Politicâ *lib* 5. *Cap.* 7. *pag.* 799. §. *Pero finalmente,* nihil ſuperuacuum in hac cautione præſcribit; ergo id ad plenam ſecuritatem omnino neceſſarium iudicauit; qui ergo circa hoc negligenter ſe habet, grauiter peccat, quia ex eo fit plenam ſecuritatem non haberi. Videat iudex, ſi in arca tali ſuas haberet facultates, an illius clauem à ſe pateretur auelli, & inde colligat qualem erga bonorum ad defunctos ſpectantium curam, & cuſtodiam debeat adhibere. Non hoc quidem leuis, aut leuiſſimæ culpæ negotium eſt, ſed latæ: quæ cùm datur, communis Doctorum ſententia, Juri ſic diſponenti, conformis, graue in eo piaculum cum reſtitutionis onere recognoſcit. Pro quo videri poteſt. P. Leſſius *lib.* 2. *Cap.* 7. *n.* 24. & Bonacina *Tom.* 2. *Diſp.* 3. *quæ eſt de contractibus Quæſt.* 1. *Puncto* 6. & alij paſſim, qui culpam latam ſic explicant, vt ſit defectus diligentiæ in re alterius cuſtodiendâ, quam ſolent homines adhibere in ſuis rebus cuſtodiendis. Si ergo quis theſaurum ſuum habens in arca, alteri clauem non traderet, vt apud ſe diutiùs haberet, aut cùm extrahendum aliquid eſſet, id minimè alterius curæ committeret; ſignum manifeſtum eſt, in huiuſmodi defectu erga arcam dictam cuſtodiendam, graue ab Auditore iudice crimen admitti. Ante annos aliquot vidimus in hac Regum vrbe notabile in hoc genere portentum: ex arcâ enim dictâ immenſa eſt diuitiarum copia furtim extracta, peſſimi tabellionis induſtriâ, qui erat è tribus clauigeris vnus, iuxta id, quod lege diſponitur: & licet ſolus in pœna fuerit ſuſpendio addictus, culpa tamen ſolius non fuit, cùm depoſitum illud attentiori ſeruari cuſtodiâ debuiſſet.

Ex lata culpa obligationem eſſe reſtitutionis cum graui peccato.

Quando contingat.

Furtiuum portentum.

§. II.

Duplex pro eodem Aſſertio.

Aſſertio 2. Peccare item grauiter expenſarum multiplicatione.

78 DIco ſecundò. Iudex prædictus grauiter peccat, & cum reſtitutionis onere in collectione bonorum expenſas multiplicans, vt miniſtros, aut familiares ita ſibi obſequentiores reddat, aut aliis humanis reſpectibus, vbi diuini tantùm attendendi. Hoc ita eſt planum, vt non egeat probatione: in quo ſæpiùs peccare communis teſtatorum perſuaſio videtur comprobare, qui, vt bona, quæ relinquunt, in poteſtatem tribunalis huius non veniant, & ſic diminutionem notabilem patiantur, hæredes confidentiarios deſignant, & facienda in Hiſpaniâ opera pia aut alia tribuenda legata eorum fidei committunt, inſtructione ſecretâ. Fit ergo pietatis depoſitum, auaritiæ ſpolium, & grandis quandoque cenſûs expenſarum titulo ad miſerandam redigitur paruitatem. Non ergo peccant ſi in extremis diſponentes, vt rebus ſuis conſulant, neque ipſis operam præſtantes ſuam, vltimarum voluntatum adminiſtri meliores.

Non peccare hæredes confidentiarios aſſignantes.

Hæres confidentiarius an iurare poſſit celans veritatem.

79 Vbi dubitari poteſt an executores tales à iudice præfato ſub iuramento interrogati, veritatem dicere teneantur, vel abſtractione aliquâ eam poſſint occultare. Ad quod dico non teneri, ſi contra eos ſemiplena probatio non ſit, iuxta ſatis receptam ſententiam, quam tenent P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 31. *Dub.* 3. *num.* 8. P. Thomas Sancius *Lib.* 3. *Operis moralis*, *Cap.* 6. *num.* 26. vbi quamplures adducit. P. Vincentius Tancredi *de Religione Tract.* 4. *libr.* 3. *Diſp.* 3. *numer.* 26. & alij. Idem etiam dicendum, ſi dubitet an iuridicè interrogatur: quod etiam tenet P. Leſſius. *ſuprà num.* 10. P. Vincentius. §. *Vel ſi dubium.* P. Fagundez *lib.* 2. *in Decalogum Cap.* 11. *num.* 18. adducens præter P. Leſſium citatum, Caietanum, Sotum, & Adrianum. Cuius ſententiæ non eſt leue fundamentum, quòd in dubio potiùs fauendum eſt reo, nec certum onus ab incertâ eſt poteſtate ſub pœnâ æternæ damnationis admittendum. Si autem legitima ad interrogandum fundamenta ſint, etiam in eo caſu probabile eſt non obligari ad manifeſtandam veritatem ſed amphibologiâ vti poſſe, dicendo teſtatoris voluntatem eam eſſe, quam verba teſtamenti declarant, eam inquam, quoad ſcripturam, quia ſic ſcribi voluit vel aliter, ſi ſub

Pro quo probabiles doctrina adducuntur.

Si dubitet de iuridica interrogatione.

Et etiamſi legitima quia factum non eſt crimi-noſum.

Digitized by Google

ſi ſub aliâ verborum formâ interrogatio proponatur. Probatur ex doctrinâ P. Sancij *ſuprà n.* 29. vbi ait quoties factum exterius contra legem excuſatur à culpa ratione alicuius circumſtantiæ, poſſe rogatum iuridicè de illo facto, id negare, intelligendo de facto crimino ſo. Quod & tenet Diana *Part.3.tr.6.reſ.3.5.15.* P. Leſſius *ſuprà n.14.* addens id verũ eſſe, etiamſi factum contra legem non excuſetur à culpâ veniali. Item ex doctrina eiuſdẽ P. Sancij *ſuprà n.24.* vbi ait iuridicè interrogatum poſſe æquiuocatione vti, quando non tenetur ob aliquam cauſſam teſtimonium ferre; vt quia ipſi damnum notabile ſequeretur &c. In caſu autem noſtro ita contingeret, quia veritatem aperiens non parum grauari poſſet, tum vt legis tranſgreſſor, quamuis verè talis non ſit; quia lex Iudicem bonorum defunctorum conſtituens, neminem vetat confidentiâ vti, aut iuxta eam procedere, ſed iuxta manifeſta prouidentiam vult Regiam exerceri. Tum item, quia plura extorqueri poſſent, quàm re ipſâ ſibi concredita fuerint, & litibus moleſtiſſimis pro eo, quod ſua nihil intereſt, perturbari: & doctrinam dictam probat P. Tancredi citat. *n. 26.*

Etiamſi venialiter tale ſit.

Et ratione damni &c.

80 Et propter eamdem rationem ingentium detrimentorum in facultatibus relictis, poterit quis habens aliqua defuncti ab inteſtato bona, aut de quibus, etiamſi teſtatus fuerit, non conſtat, eò quòd teſtamentum factum aliquot per annos ante mortem fuerit, ea non manifeſtare iudici, ſed cum omni ſecuritate ad hæredes tranſmittere; ſic enim voluntatem defuncti meliùs exequitur, & viuentium vtilitati meliùs conſulitur. Quod aliunde poteſt oſtendi, ex communi ſcilicet ſententia de legibus in præſumptione fundatis, quod ſcilicet non obligent, quando præſumptio in caſu particulari deficit, & quando finis adæquatus ceſſat in particulari: pro quo quamplures Auctores adducit Diana *Part. 1. Tract. 10. Reſolut. 27. & 28.* Cùm ergo finis legis ſtatuentis præfatum iudicem, ille ſit, vt morientium voluntates impleantur, & eò quòd non ita impleri, cùm executio priuatis perſonis committitur, bonis coniecturis præſumatur: ex eo habetur poſſe quemuis prædicta exequi, in quo præſumptio talis nullum habet fundamentum; cùm aliunde maior in eo deprehendatur pro viuis, & mortuis vtilitas, quam præſertim Catholici Reges talibus ſtatutis intendunt.

Habentem bona defunctorum non teneri manifeſtare.

Eſſe legem in præſumptione fundatam.

81 Dico tertiò: Peccat grauiter iudex prædictus, cuius negligentiâ executio circa bonorum diſpoſitionem retardatur. Ratio eſt clara: quia ex tali retardatione grauia ſequuntur incommoda. Nam inprimis defunctorum non implentur voluntates. Deinde iidem multis animarum ſuarum ſuffragiis defraudantur. Quin etiam ij, ad quos bona ſpectant, eorum fructu priuantur. Ob quas rationes peccati grauis rei iudicantur teſtamentorum executores, qui diſpoſitiones teſtatorum diutiùs protrahunt. Pro quo videri poteſt P. Molina *Diſput.* 251. §. dubium item. P. Thomas Sancius *Tom. 2. Conſilior. lib.4. Cap. 1. Dub.* 53. qui alios adducit, præſertim *Concluſ.* 4. Quæ autem ſit notabilis dilatio non poteſt certis regulis deſignari *L. Nulli. C. de Epiſcopis, & Clericis* dicitur, *ſine vlla cunctatione*. Quis autem non videat per menſes aliquot cunctantem, dici non poſſe ſine vllâ exequi cunctatione. Sunt tamen, qui in Sacerdotibus ad Miſſas dicendas ob ſtipendium receptum obligatis, duos menſes non cenſeant notabile eſſe ſpatium, bene autem vlterius. Pro quo videri poteſt Diana *Tom. 1. Tract. 14. Reſolut. 25.* & Hieronymus Garcia in *Summa morali de Sacerdotio Tract. 3. difficult. 10. dub. 8.* & dicenda à nobis *infrà in Appendice pro Clericis poſt Titulum. 19. numer. 3.* Iuxta quod in caſu noſtro idem poterit non improbabiliter ſuſtineri. Quamquàm in ordine, ad ea, quæ ad Hiſpaniam ſunt tranſmittenda, aliter philoſophandum videatur. Si enim ob negligentiam duorum menſium elabatur occaſio tranſmiſſionis, ſpatium iam nimis longum eſt; cùm annus prætereà integer expectandus ſit, qui inter expeditiones claſſis ſolet currere, ſi autem non elabatur occaſio, neque propter dilationem debita fiant deterioris conditionis, quæcumque illa ſit non videtur graue in illâ peccatum reperiri: cum nullum ex eâ damnum cuiquam ſubſequatur.

Aſſertio 3. Graue etiam eſſe peccatum retardatâ executione.

Quæ ſit dilatio notabilis.

Sententia circa obligationem dicendi Miſſas.

82 Dico quartò: Collectæ defunctorum pecuniæ nullo modo poſſunt negotiationibus exponi, ſiue ad iudicis commodum ſiue aliorum, neque ad neceſſitates quaſlibet, quantumuis publicas & vrgentes, inuerti aut etiam mutuari; & hæc quidem omnia ſatis ex ſe videntur iuſtitiæ conformia; eòdem enim modo pecuniæ iſtæ tractandæ ſunt, acſi ij, qui illas morientes reliquerunt, viui adeſſent, & ita nullus eas contrectare contra eorum poſſet voluntatem, niſi furti crimine diffamandus. Nihilominus ad maiorem firmitatem legibus ſtabilita ſunt, de quibus Dom. Solorzanus *num. 6.* & quod ad negotiationes attinet, *inferiùs* diſcutiendum, cùm de Regiis Officialibus ſubierit ſermo. Quòd autem non poſſint in neceſſitates alias conuerti, non tollit communem doctrinam, iuxta quam diſpoſitiones defunctorum mutari poſſunt in alias, quando illæ nequeant executioni mandari, aut conuerti in meliores, iuxta aliquorum ſententiam: pro quibus videri poteſt Pater Thomas Sancius *Tom. 2. Conſilior. Lib. 4. Cap. 2.* per ſeptem priora Capita. Id autem; quod de mutuatione dicitur, non habet locum reſpectu Regis, qui ſi mutuum aliquid petat, aut in ſua lege diſpenſat, aut declarat non ſibi, ſed aliis impoſitam fuiſſe, cùm in eo non ſit periculum, quod in aliis ſolet eſſe certiſſimum.

Aſſertio 4. Pecunias Collectas pro nullo effectu extrahi poſſe.

Regi mutua dari poſſunt.

§. III.

Circa iuriſdictionem notandæ deciſiones.

83 Dico quintò. Iudex dictus grauiter peccat ſuam iuriſdictionem extendens; id planum, ſed quia non ſemper obſeruatum, opus fuit Regio reſcripto ſpecialiter admoneri, de quo Dom. Solorzanus *num.* 31. & in Politicâ *pag.* 803. §. *Y ſiempre:* apud quem videri poſſunt aliqua, in quibus committi talis exceſſus poteſt, prætertim circa perſonas, aut bona eccleſiaſtica, in quibus multiplex eſſe quæſtio poteſt.

Aſſertio. 5. Grauiter etiam peccari extenſione iuriſdictionis.

Prima; an cùm Clericus ab inteſtato moritur, & hæres eſt laicus, ſe iudex præfatus intromittere poſſit circa eorum collectionem, & reli-

Difficultates circa bona Clerici mo-

Digitized by Google

rientis ab inteſtato, cuius hæredes ſunt laici.

qua ad ea ſpectantia, ſicut in aliis. Circa quod Dom. Solorzanus vt certam ſtatuit partem affirmatiuam, quia bona illa jam ſunt laica, & fori priuilegium amittunt, cùm ad laicum dominium ſpectent juxta Auctores, quos refert, *n.* 33. & in Politicâ §. *Lo tercero,* poſt aditam inquam hęreditatem, *juxta L. cùm hæredes* 23. *π de acquirendâ vel amittendâ poſſeſſione.* Sufficit tamen jam Clericum illorum dominium non habere. Pro quo & ſtare Concilium Limenſe ſecundum *Parte* 1. *Cap.* 107. affirmat idem *num.* 34. & in Politicâ *Pag.* 804. *Col.* 1. illius enim verba ſunt: *Si algun Clerigo muriere ab inteſtato, ſus bienes ſeden à ſus herederos por el Iues Eccleſiaſtico, ò por el lego, ſi no fueren Clerigos.*

Concilij Limenſis 2. Decretum: circa cuius ſenſum inquiritur.

Sed Concilii aliam mentem eſſe videri alicui poſſet; tantùm enim velle videtur bona Clerici morientis ab inteſtato per judicem Eccleſiaſticum hæredibus tradenda, quicumque illi ſint; bona autem laicorum per laicos, quando hæredes laici ſunt; & hic apparet planus, & manifeſtus ſenſus; alius autem minimè congruens, illud enim, *O por el lego, ſi no fueren Clerigos*, nequit cadere ſupra hæredes, ſed ſupra morientes. Cùm enim Epiſcopi circa executionem teſtamentorum auctoritatem habeant, declarare Concilium voluit, cùm laici ab inteſtato moriuntur, eorum bona hæredibus tradere ad laicos judices pertinere.

Exactior intellectus.

Nihilominùs explicatio iſta non quadrat, & priori prorſus ſtandum; cùm enim dicit, *ſus bienes ſeden à ſus herederos,* de bonis Clerici ab inteſtato morientis manifeſtè loquitur, quæ addit tradenda hæredibus per judicem Eccleſiaſticum. Quando ergo ſubdit: *O por el lego ſi no fueren Clerigos*, de eiſdem bonis agit, & ita illud *ſi fueren Clerigos* ad hæredes referendum; non enim poteſt ad morientes referri, cùm tantùm agatur de bonis ad Clericum pertinentibus; eſſet enim ſenſus implicantiam inuoluens; quòd ſcilicet bona Clerici tradantur hęredibus per iudicem laicum, quando talia bona ſunt laici ab inteſtato morientis. Quæ quidem oportuit aduertere; non enim defuit, qui circa hoc paſſus fuerit deceptionem.

Difficultas 2. de Clerico inteſtato, cuius heredes ſũt Clerici.

84 Secunda: An idem ſit, quando Clericus eſt hæres Clerici ab inteſtato morientis. Circa quod videtur ſimiliter affirmandum ex reſcripto Regio, quod extat *Tomo* 1. *Pag.* 396. & in Summario *Lib.* 3. *Titul.* 4. *l.* 26. in quo ſic dicitur: *Os mando proueais, y deis orden, en que los bienes de los Clerigos, que de aqui adelante murieren, ſe metan en la dicha caxa de bienes de diſuntos de la miſma manera, que ſi fueſen de legos, ſin hazer diferencia muriendo ab inteſtato.*

Lex Regia colligi à laica poteſtate ſtatuens.

Sed hoc non obſtante contrarium aſſerendum; cuius ratio eſt clara; quia bona illa priuilegium fori non amiſerunt, cùm ad Eccleſiaſticam perſonam ſpectent, & in tranſitu de vno ad alium non ſint facta deterioris conditionis.

Cõtrarium firmatur, non obſtante dominij defectu ante aditam hereditatem.

Quòd ſi dicas non eſſe defuncti, neque etiam alterius, qui poteſt ſuccedere, quia dominium non capitur, niſi per aditam hæreditatem, quod fit verbo, aut facto iuxta citatam *L. Hæredes*, & communem Doctrinam: pro quâ vide P. Leſſium *Lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 16. Id certè non obſtat; quia licet ita ſit, & dominium non detur; eſt tamen ius ad rem, ratione cuius addicta ſunt talia bona, & affecta Eccleſiaſticæ perſonæ, & dominium in viâ, pro quo tantùm requiritur ſignificatio voluntatis; & quidem bona talia non ſunt laica, cùm ad laicum non pertineant, ergo neque ad laicam illorum adminiſtratio ſpectat poteſtatem.

Quid ad legem præfatam reſpondendũ.

Non ergo potuit oppoſitum præfatâ lege decidi: vnde Domin. Solorzanus eam tantùm vult procedere in caſu præcedente; quatenus pro illo eam tantùm adducit, & ſtatim de præſenti agit, ſpecialem in illo difficultatem recognoſcens. Sed certè illa generaliter loquitur, cùm nullam haberi differentiam velit inter Clericorum & laicorum bona, non videtur prædictam pati explicationem. Vnde reſponderi poteſt, ſicut ipſe *num.* 36. ad ſimiles leges reſpondet, eas ſcilicet non habere locum contra Eccleſiaſticos, cum Martha *de Iuriſdict.* 4. *p. Cent.* 2. *Caſu* 66. de quo iterum.

Difficultas 3. de laico, cuius heres eſt Clericus: circa quã eadem reſolutio.

85 Tertia. An ſaltem quando laicus ab inteſtato moritur, & hæres eſt Clericus, Iudex prædictus poſſit bonorum facere collectionem. Cui ſimiliter videtur reſpondendum ex adducto fundamento: nam talia bona morte laici deſinunt eſſe laica, & jam incipiunt ad perſonam Eccleſiaſticam pertinere: ergo non licet judici laico circa illa ſe intromittere. Vnde & plures cenſent in caſu, quo laicus Clericum hæredem teſtamento dixit, publicationem non eſſe faciendam à Iudice laico, ſed ab Eccleſiaſtico. *L. Publicata. C. de Teſtamentis.* Cui conſonat *L.* 14. & 15, *Titul.* 4. *Lib.* 5. *Recopil.*

Ad quem ſpectat publicatio.

Licèt contrarium cum aliis teneat Couarruuias *Practicar. Cap.* 8. *Concluſ.* 1. & P. Fragoſus *Tomo* 3. *Pag.* 232. §. 89. Sed quidquid de inſinuatione ſit, in quâ eſt ſpecialis ratio, quia nondum publicato teſtamento, non cõſtat authenticè quis ſit hæres; in caſu noſtro adducta vrget inſtantia: teſtamento enim publicato jam eſt notorium hereditatem ad Clericum pertinere, & ita nequit judex laicus ſuam circa hoc juriſdictionem ampliare.

Difficultas 4. circa Eccleſiaſticos debitores, &c. an poſſit Iudex juriſdictionem ſuam exercere.

86 Quarta: cùm in iis quæ ad prædictam collectionem ſpectant, & perſonas Eccleſiaſticas concernunt, vel quia defuncti debitores, vel depoſitarii, aut aliter, poſſit Iudex, de quo agimus, contra eos procedere, & ſi quæ oriantur lites, coram ſe comparere iubens, terminare. Et pro parte affirmatiuâ videntur ſtare aliqui, quorum meminit Dom. Solorzanus *num.* 36. & Politicæ §. *En loqual*, ſicut, & cuiuſdam Regiæ ſchedulæ ad inſtantiam vnius ex huiuſmodi Iudicibus expeditæ, quâ hoc videtur decerni. Sed citatus Auctor contrarium affirmat eſſe ſecuriorem, & circa ſchedulam id ait, quod iam vidimus *num.* 84.

Notandum documentũ circa leges ciuiles, quæ Iuri Pontificio videntur eſſe cõtraria.

Pro cuius confirmatione iuuat Couarruuiæ doctrinam, & animaduerſionem adduxiſſe. Qui *Cap.* 8. *citato Concluſ.* 3. cùm multis probat Clericum hæredem laici defuncti nondum aduersùs eum cœptâ lite conueniendum eſſe apud Iudicem Eccleſiaſticum, etiamſi vt laici hæres ad Iudicium vocetur eâ actione perſonali vel mixtâ, quæ aduersùs defunctum actori competebat, quod eſt Pontificii iuris diſpoſitioni conforme. Addit tamen veteres quoſdam contrariam probaſſe opinionem, & hanc ſecutos viros illos doctiſſimos, qui iuſſu Regis Alfonſi X. Partitarum leges concinnarunt, vt apparet ex *L.* 57. *Titul.* 6. *Parte* 1. iuxta lectionem, quam ipſe ait, & probat eſſe veriorem. Poſt quæ ita ſubiicit: *Tametſi iuri Pontificio, ac denique receptiſſimæ opinioni omnino contraria: nec video iuſtam aliquam rationem à jure Pontificio deductam, quâ potuerint induci Regiarum legum conditores,*

Couarruuias.

tores, vt hanc ſententiam probarent. Idcircò Iudices Regios admonitos eſſe velim, quòd in eius praxi exactiſſimâ diligentiâ inquirant, & ſcrutentur, ſitne ſeruanda huiuſmodi lex, & an Regia Maieſtas velit eam ſeruari, præſertim; quia prior littera juſtior, ac verior eſt, nec vmquam viderim contrariam in praxi receptam fuiſſe. Sic ille: diuerſitas lectionis in eo ſtat, quòd vna habet: *E otro alguno demanda contra à quel lego.* Cuius ſcilicet heres eſt Clericus: alia: *E otro alguno demanda contra à quel Clerigo.* Habemus ergo ex magni illius viri judicio præclarum documentum, vt in legibus, quæ Iuri videntur eſſe Pontificio contrariæ, & maximè vbi libertas videtur Eccleſiaſtica violari; immò & in iis, quæ receptioribus opinionibus videntur eſſe contrariæ, non exiſtimemus Regię Maieſtati placere, vt iuxta eas clauſis oculis operemur. Sic ergo adducta pro caſu noſtro poterit æſtimari.

Difficultas 5. quando teſtator diſponit circa opera pia.

87 Quinta. An quod dictum eſt, quando heres eſt Clericus, debeat ſimiliter dici, quando in opera pia in Hiſpaniâ facienda, aliqua relinquuntur. Vbi ex doctrinâ quorumdam videtur affirmatiuè reſpondendum, qui cenſent publicationem talis teſtamenti, in quo ſcilicet laicus ad pias cauſas diſponit, à Iudice Eccleſiaſtico faciendam. Sic Diana *Reſolut.* 100. *citatâ.* Apud quem tamen alii contrarium tenent, & quidem non videtur negari poſſe, quin negatiua ſententia ſit maximè veroſimilis: nam licet Iudex Eccleſiaſticus circa legata pia omninò competens ſit, id etiam habet ſæcularis, quia eſt cauſa mixti fori, & ita datur locus præuentioni; quod cum aliis oſtendit P. Thomas Sancius *Tomo* 2. *Conſilior. moral. Cap.* 1. *Dub.* 52. *num.* 4. iuxta hæc ergo poterit judex bonorum defunctorum circa pias diſpoſitiones, de quibus loquimur, juriſdictionem ſuam exercere.

Cui competat publicatio.

Eſſe cauſâ mixti fori.

§. IV.

Quid effici pro animabus oporteat defunctorum.

Aſſertio 6. ſuffragiorū ſumptus nō poſſe quintam bonorum partē excedere: & quid circa Miſſarum numerum.

88 Dico ſextò: Iudex talis circa ſuffragia pro defunctis facienda, eâ vti moderatione debet, vt quintam bonorum partem, ſi ea ſit notabilis, non excedant, & Concilium quidem Limenſe ſecundum *Cap.* 107. quadraginta Miſſarum numerum excedi prohibuit in iis, qui inteſtati morerentur. Quod quidem temporibus illis videri ſufficiens potuit, quando & patrimonia erant tenuia, & pauci Sacerdotes: cùm tamen jam res aliter ſe habeat. Poſſunt ergo Miſſæ numeroſiores dici, juxta defuncti, & facultatum eiuſdem conditionem, veroſimili captâ coniecturâ, de eo, quod defunctus ipſe pro ſe fieri vellet, ſi teſtari contigiſſet. Non autem amicos ſibi facere de mammona iniquitatis, largè in hos, & illos familiaritate, aut cognatione proximos, Miſſarum ſtipendia conferentes. Quod præſertim attendendum, ſi defuncti heredes filii ſint, aut parentes: nam ſi alii, plus aliquid poteſt pro anima illius impendi. Poſſunt etiam illæ fieri eleëmoſynæ, quas communiter dari jubent, qui teſtati moriuntur, & dici ſolent legata vrgentia *Mandas forçoſas*, & etiam alia, quæ licet non ita communia ſint, multorum tamen pietati videntur conformari.

An tota quinta bonorū pars pro anima ſit expendēda defuncti.

89 An autem tota bonorum quinta pars pro animâ poſſit defuncti expendi, in dubium eſt reuocatum. Et Dom. Solorzanus *num.* 44. & in Politicâ *Pag.* 806. §. *El qual* Doctoris Carraſco judicium adducit, qui cenſuit affirmatiuam ſententiam ex vulgari traditione originem ducere, quòd ſcilicet illa præcisè, & nihil vltrà expendi poſſit, & nullo id iure probari. Videtur autem cum diſtinctione jam indicatâ reſpondendum. Vt ſi quinta pars in notabili quantitate ſit, non debeat tota pro animâ defuncti expendi, quando minoribus expenſis poteſt id præſtari, quod communiter hominibus ſimilis conditionis impenditur, cuius arbitrium Regia reſcripta Iudici præfato remittunt: ſi autem minoris quantitatis ſit, quàm vt poſſit ad prædicta ſufficere, plus poterit aliquid ad pia huiuſmodi officia conferri. Et quidem ſi is, qui inteſtatus mortuus eſt, heredes haberet præſentes, vt non eſſet locus bonorum collectioni à Iudice dicto faciendæ; non tenerentur illi totam eorum quintam partem pro animâ defuncti expendere, ſi pinguior eſſet; neque illâ eſſe contenti, ſi plus illius ſtatûs conditio poſtularet: juxta Doctrinam P. Molinæ *Diſput.* 236. *Deinde verò*: vbi ita ſcribit: *Quando autem defunctus inteſtatus diſceſſit, de toto aceruo bonorum facienda ſunt omnia, quæ æquitas poſtulat; vt & pro defuncti animâ, atque in honorem illius fiant: reliquum verò inter heredes eſt æqualiter diuidendum.* Sic ille, qui idem aſſerit de ea quintâ parte quæ ſupereſt, funere, & legatis ſolutis, quando defunctus facto teſtamento deceſſit. Cùm ergo Iudex præſentiam ſuppleat abſentis, eodem, quo ille, modo, juxta æquitatem regulato ſe gerere debet, ne, dum animæ alterius conſulit, circa propriam lethale patiatur detrimentum. Omitto alia, quæ ad conſcientiæ negotium non ſpectant, de quibus videri poteſt D. Solorzanus: circa illa enim immorari prolixioris eſſet operæ, quod & jam generaliter admonui, & iterùm juuat admonere.

Ad plus aliquid quādoque eſſe obligationē.

P. Molinæ notanda doctrina.

CAPVT XII.

De Auditore Regiæ claſſis viſitatore, & nonnullis aliis ad ſpecialia munera deputatis.

§. I.

De quatuor ex illis.

90 Decanò id Senatûs incumbit, quando ex Panamenſi portu Regia claſſis redit, in quâ Regius theſaurus exportatus: cùm enim ex Callaënſi ſoluit, ad Proregem ipſum ſpectat viſitatio. Ad quæ autem viſitatio hæc ſe debeat extêdere, probè ipſi ſciunt; id autem videtur ſpeciale, an mercibus oneratæ naues redeant, quod fieri vetitum; quia & jura fraudantur Regia, vectigalibus non ſolutis, & naues ipſæ, quæ maximis aptantur expenſis, mercium tranſuectione damna ingentia patiuntur; quin etiam tardiores in curſu redduntur, vnde

Viſitaturâ claſſis, in quibus grauiter peccare contingat.

Digitized by Google

vnde expenſæ accreſcunt, ſicut ex diuturnâ detentione in portu Panamenſi; pro quo extant Regia reſcripta terminum præfinientia, ſi tamen terminum auaritia claſſicorum Præfectorum haberet. Circa hoc ergo manifeſtum eſt poſſe grauiter à Iudice viſitatore peccari, ſi damna huiuſmodi recognoſcens, non curet inquiſitione ſolerti ſuo muneri ſatisfacere. Solent autem iſta ob priuatos reſpectus perfunctoriè tractari, cùm tamen ad grauandas conſcientias magnus in illis extet apparatus. Vrgent leges, damna ſunt obuia, & eorum habentur cauſæ, qui non obſtant, cùm ad id ex officio teneantur, vt dictum ſæpiùs: & tamen ad iſta dormitatur. Sed erit quando clamore valido dormiturientes iſti ad reddendam rationem ſupremo Iudicum omnium Iudici, ſerò ſapientes excitentur. Cùm Caſſiodoro claudendum, quî *Lib. 6. 2.* ita ſcribit. *Auari Iudices neſciunt quantùm delinquunt. Nam cùm vendunt aliena crimina, ſua faciunt eſſe peccata, quapropter eſto ſolicitus, &c.*

Contra auaros iudices. Caſſiod.

91 Auditor alius executoriis ſupremi Indiarum Senatûs implendis, & pœnis, ac condemnationibus exigendis, & ad Receptorem generalem eiuſdem Senatûs tranſmittendis ſuam jubetur induſtriam applicare. Ad quod quidem cùm per legem teneatur, & id ex officio eidem incumbat, ſi eorum incuriâ, aut priuato intuitu debita fiant deterioris conditionis, planum eſt in eo grauiter peccari, & reſtitutionis obligationi ſuccumbere. Eſt enim Auditor talis mandatarius Regius ex conuentione ad id munus obligatus: eo autem ipſo tenetur congruo tempore mandatum exequi integrè, ac fideliter; quod ſi non faciat, competit mandanti, & eius heredibus directa mandati actio, vt ſibi ſoluatur quantùm mandantis intererat congruo tempore fuiſſe executioni mandatum. Pro quo ſunt jura manifeſta, de quibus P. Molina *Diſputat.* 549. §. *Quamuis.* Qui & §. *ſequenti* affirmat cum aliis mandatarium ex leui culpâ teneri, cùm tamen leges aliquæ de leuiſſimâ etiam teneri ſignificent. Pro quo & Auctores ſuccurrunt. Quæ quidem omnia judicem, de quo eſt ſermo, debent habere ſolicitum, ne plus oneris, quàm honoris aut commodi, ſuâ ex adminiſtratione reportet.

De Auditore circa executorias Regij Senatûs implendas deputato.

Eſſe mandatarium, & contra eum eſſe actionē mādati.

Ex quâ culpâ mādatarius tenentur.

92 Eſt qui & Calculatorum maiorum Tribunali aſſiſtit, cùm res exigunt, & in eo id poteſt eſſe culpabile, de quo ſcio non leues querimonias extitiſſe, tardum ſcilicet ad talia, & ea de cauſſa grauium ad Regium patrimonium, & priuatos aliquando colligātes ſpectantium cauſarum deciſiones retardatas. Quod quidem ex aliorum negotiorum occurſu poteſt non ſæpè contingere, in quibus tamen, quòd ſit maioris momenti diſpiciendum, & juxta medicorum Canonem: *Vrgentiori occurrendum eſt, altero non neglecto.* Non tamen ſemper negotia negotiis obſtant, ſed potius otia: otia enim dicenda ſunt, quæ licèt occupationis quidquam habeant, illa tamen inutilis bono publico comprobatur. Ingenio potiùs, quàm genio indulgendum judicibus, qui cùm tales effecti, non ſuis, ſed aliorum ſe commodis addixerunt. Præclarè circa hoc Caſſiodorus *Lib. 12. 5.* cuius hæc ſententia: *Mihi enim propria cura dilapſa eſt, poſtquàm generalem cæpi cogitare cuſtodiam. Opto meis benè, ſed quod poſſit eſſe commune; quia magnæ iniuſtitiæ genus eſt, aliud ſibi judicem velle, quàm poteſt generaliter ſuſtinere.* Sic ille.

De Aſſiſtēti Calculatorum maiorum tribunali.

Iudices non ſuis ſed cōmunibus debere cōmodis incumbere. Caſſiod.

93 Conſulatus (Tribunal ſic dicitur Mercatorum) ſuum etiam habet præſidem Auditorem pro appellationibus cognoſcendis. Pro quo ſuæ ſunt etiam leges Concilii Regii Indiarum auctoritate, hoc eſt Regis ipſius comprobatæ, de quarum cuſtodiæ obligatione, fas non fuerit dubitare. Poteſt autem non leuiter ille delinquere, ſi cauſas velit ſubtilitatibus iuris decidere, quando illæ tales ſunt, vt potiùs oſtendendus ſit forenſis agendi modus, & iuri naturæ, aut municipali non contraria conſuetudo. Circa hoc ergo accuratiùs inquirendum: qui enim hoc ignorat, iudex ignorans eſt, licèt de multâ aliàs Iuris ſibi peritiâ blandiatur. Benè illis notum turpe eſſe viro Patritio ignorare ius in quo verſatur; nec ſolùm turpe, ſed lethale; quia ex illius ignorantiâ damna poſſunt ingentia reſultare. Tenetur quidem ex officio reddere vnicuique ius ſuum; quod tamen ſtare nequit, cùm ius reddendum ignoret. Vnde & ſi contingat aliquando non errare, & partem litigantem id aſſequi, quod iure illi erat debitum; non quidem iuſtè, ſed iuſtum dicendus eſt judicaſſe: materialiter inquam, & non formaliter tale, vt morales philoſophi loquuntur: vnde & ſtare cum eo poteſt iniuſtitia formalis: ſi videlicet aduerſæ partis vrgentiores, licèt falſæ, fuerint probationes. Quæ omnia indubitata ſunt, vt non ſit opus Auctorum ea ſuffragiis roborare, de quo etiam *infrà Tit. 9.*

De Præſide in Conſulatu Mercatorum.

§. II.

De Iudice mediæ Annatæ.

94 PRo media Annatâ ſuus etiam eſt Auditor deſignatus, & legibus quidem ea omnia aſſignata ſunt, ex quibus ſit illa ſoluenda. In iis ergo remiſſionem facere, ſine graui peccato ſtare nequit; id enim minus Rex habebit, pro quo ſoluendo judicem habet ſpecialiter conſtitutum. Neque accommodari hîc vllo pacto poteſt quod de legibus pœnalibus dictum aliàs, juxta aliquorum opiniones: quandoquidem hîc nihil pœnale eſt, ſed beneficium Principis cum onere ſpeciali. Quemadmodùm cùm quis argenteum dat pauperi integrum, ſed vt reddat dimidium eroganti non ſuppetit. Aut cùm res in emphitheuſim datur, ex quâ tamen fructus nonnulli ſoluendi, aut pecuniæ aliquid. Si autem quidquam ſit, de quo non eſt mentio in Catalogo eorum, pro quibus Annata ſoluenda decernitur, arbitrium Iudici relinquitur, ſed juxta rationis, & æquitatis regulas temperandum. Aut enim illud ſimile eſt aliis, de quibus Annata ſoluitur, quibus generali ſtatuto non potuerunt commodè omnia Regis donaria in ſpeciali recenſeri; & ſic clarum eſt ſoluendam ex eo, nec poſſe judicis arbitrio aliter diſpenſari. Aut res eſt dubia, & tunc dubium etiam eſſe poteſt, an in fauorem Fiſci, an verò in fauorem donatarii debeat judicari: & videtur pars Fiſci non penitus fundamento deſtituta, quia fauorabilior eſt, cùm ſit ad commune bonum ordinata: vnde & priuilegiis ſpecialibus gaudet, de quibus Auctores agunt, & ſpecialiter Dom. Alfarus in *ſuo Tractatu de Officio*

Annatæ Iudicē non poſſe facere remiſſionē.

Legem non eſſe pœnalem.

In dubio videri partem fiſci præferendam.

Fiſca-

Digitized by Google

Fiſcalis: cùm tamen priuati pars bonum particulare ſpectet, neque ſpeciali proprio priuilegio perfruatur.

Sed pro parte donatarij certius fundamentum.

95 Nihilominus certum videtur donatarij partem præferendam: tum quia beneficia Principis debent eſſe integra, & perfecta; vbi de illorum diminutione non conſtat. *L. finali. D. de Conſtitut. Principum.L. Cum multa. C. de bonis*, quæ *liber*: ibi: *Vt enim Imperialis fortuna omnes ſupereminet, ita oportet principales liberalitates culmen habere præcipuum Cap. decet de regulis iuris in Sexto* Vbi Gloſſa, & Dom. Solorzanus *Tom.2.lib.3.Cap.*11. *num.* 54. Tum etiam, quia poſſeſſio ſtat pro donatario, qui officium, aut honorem, ſeu quiduis aliud Regiâ ex liberalitate ſuſcepit, & in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Nec dicas poſſeſſionem non dari, ſicut nec titulum officij, niſi poſt Annatæ ſolutionem. Nam hîc non loquimur de materiali officij poſſeſſione, ſed de iure ad illam, quod omnibus Regis vaſallis competit erga donata ab ipſo, vt cùm purè donantur, integrè ad eos deueniant neque ab vllo aliquo diminui queant. Sic enim poſſeſſio latiùs patet, vt communiter docent Scriptores, & poſſidere dicuntur Prælati, lex, votum, libertas &c. Ponamus ergo legem Annatæ non extare: tunc certè nihil de donato à Rege poſſet extrahi; quia pro integritate poſſeſſio ſtaret. Tali ergo extante lege ſi dubium ſit, poſſeſſio illa prior præualet, quia in dubio nullus eſt ſuâ priuādus poſſeſſione. Addo id, quod eſt ſub dubio, potuiſſe exprimi; cum ergo expreſſum non fuerit, ſibi imputet, qui potuit exprimere, qui certè ſi voluiſſet, expreſſiſſet, vt aliàs dictum ex *Cap. Ad audientiam de decimis. & Cap. Contra de regulis iuris in Sexto*, vbi ſic habetur *Contra eum, qui legem dicere potuit, apertiùs eſt interpretatio facienda.* Secus erit ſi probabilis ratio pro fiſco extet, tunc enim iudex poterit, ut libuerit, arbitrari. Neque oppoſita ratio quidquam vrget, vbi iura contrarium ſtatuunt; neque fiſci priuilegia præſenti caſui poſſunt applicari, quæ in ordine ad ſpeciales effectus ſunt. Bonum autem publicum ibi remotè agitur, quod etiam in priuati cuiuſque vtilitate poteſt ſpectari; quia ex priuatorum vtilitatibus bonum commune reſultat, & ad bonum publicum etiam ſpectat, ipſamque Regiam dignitatem, vt donata ab ipſo integrè ad donatarios veniant: quando pro diminutione nullum expreſſum ſtatutum deprehenditur.

Cap. Contra, de regul. iur. in 6.

Oppoſita ratio diluitur.

Officij non adeptus fructum, an debeat mediam Annatam. Vbi pro parte fiſci data ſententia defenditur.

96 Illud quæſtionem videtur difficiliorem habere, an officio, aut quopiam alio, à Rege dato, vel à Prorege, aut Gubernatore, quibus eius nomine id fas fuerit prouiderere, & mediâ Annatâ perſolutâ, ea ſit reddenda, ſi conceſſio talis non habuit effectum. In quo Limani Iudices affirmatiuam ſunt partem amplexi, quando videlicet per eum, qui conceſſit, non ſtetit quominùs effectum potuerit ſortiri conceſſio. Tunc enim ſolutâ iam mediâ Annatâ, ſibi imputet, qui eo non eſt vſus beneficio, oleum, & operam perdidiſſe, & quidem conceſſiones tales ea ſub conditione fiunt; quia aliàs negotium eſſet nimis implexum, & nouæ orientur lites circa rationes, aut occaſiones non habiti effectus. Sibi ergo imputet iacturam talem, qui cum eo voluit onere beneficium acceptare. Ex quo etiam ſequitur, ſi per mortem id accideret, non eſſe heredibus contra fiſcum actionem, quia ſcilicet ſub eâ fuit conditione petitum, & admiſſum, quod Regiâ eſt liberalitate conceſſum. Quod roborari ex eo poteſt: Nam ſi quis emiſſet officium, & paullò poſt moreretur, heredes non haberent actionem contra fiſcum, quia ſub eâ conditione pactum celebratur. Sicut ſi moriatur mancipium paulò ante emptum, quòd tamen ſanum fuiſſe conſtet, damnum ex integro ad emptorem ſpectat; ſic enim paciſci homines ſolent, & oppoſitum moleſtis eſſet obnoxium quæſtionibus, & fraudibus immodicis, quibus ire obuiam conuenit potiùs, quàm vnum, aut alterum iacturas huiuſmodi ſuſtinere. Fateor contrarium poſſe aliquâ ratione fundari, ſed cùm adductæ ſatis videantur veroſimiles, bene potuerunt Iudices in eam partem fiſco fauorabilem inclinare. In quo, & ipſi ſuam cauſſam agunt; ſolent enim in priuatorum commodum proni, & pro eis ferentes ſententias, ſuâ id pecuniâ luere, à Regali Indiarum Conſilio totius anciſſi fiſcalis emolumenti indictâ ſolutione mulctati.

§. III.

De Iudice Menſatæ.

Quid Menſata?

96 CVm mediæ Annatæ iudiciali collectione ſolet Menſatæ recollectio ſociari, quæ eſt exactio Eccleſiaſticis impoſita, pro iis quæ ad Regiam, ob Patronatûs priuilegium, ſpectant prouiſionem, antecedenter ad exhibitionem Regij tituli eâ pecuniæ acceptâ quantitate, quæ vnius menſis redditibus, & prouentibus reſpondet ex beneficio recipiendo: Et hanc quidem aliqui conceſſêre Pontifices, negarunt alij; & modò in ſtatu negationis verſatur res finita conceſſione Innocentij X. *Anno* 1654. cuius tenorem adducit D. Gaſpar. de Eſcalona *in Gazophylacio Peruuiano lib. 2. Part. 2. Cap.* 35. Quia tamen ſuæ Sanctitati pro eâ gratiâ ſupplicatur, & conſequendi ſpes arridet, in prouiſione Beneficiorum ſic proceditur, vt nulli tradantur tituli, niſi cum cautione ſoluendi Menſatam, quando id à Pontifice fuerit imperatum. Circa quod quidem aliqui, & in iis Dom. Archipieſcopus Limenſis, difficultatem nec leuem deprehendunt: videtur enim id libertati Eccleſiaſticæ repugnare. Beneficia enim ſine vllo onere debent conferri, quod poſſit illis laicus Patronus imponere, qui præter præſentationem nihil vlteriùs habet. Onera enim honeſta imponere ſolis Prælatis, & Capitulis conceditur. *Cap. ſignificatum de præbendis, & dignitatibus.* Licèt autem de facto nihil petatur, & promiſſio ſub conditione ſit, eſt tamen de facto onus ſe obligandi, ſine quo minimè tituli conferuntur. Et quidem ius præſentandi in Patrono laico beneficium Eccleſiæ eſt, quod ipſi aliunde nequit competere, quia quid ſpirituale eſt aut ſpirituali annexum, cuius eadem eſt ratio, vt explicat Gloſſa. *Tit. de iure patronatûs in Sexto.* Ergo eo modo competit, & iuxta eam menſuram, quam is, qui concedit, præſcribit. Quidquid igitur huic facultati additur, vſurpatio alieni eſt, & grauamen in materiâ, cui ſine ſacrilegio nequit ſe laicus immiſcere. Ex quo fit obligationem, de quâ loquimur, non poſſe à Patrono Beneficiariis

An promiſſio ſolutionis exigi poſſit, ſub ſpe impetrandi conceſſionem Et negatiuA pars probatur.

neficiariis imponi, & grauari ex Beneficio à ſe præſtito: contra regulam iuris in ſexto 61. quæ ſic habet. *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum.* Quod vt dixi in materia, de quâ eſt ſermo, præcipuè debet obſeruari, ne graue ſacrilegium committatur: *Quidquid enim in ſacratis Deo rebus, & Epiſcopis, iniuſtè agitur, pro ſacrilegio reputatur, quia ſacra ſunt, & à quoquam violari non debent, Cap. Quæ multoties de regulis iuris.* Quod ſacrilegium Excommunicationis pœnâ caſtigat Eccleſia. *Cap. Nouiter* de ſententiâ Excommunicationis, & in Bulla Cœnæ: Iuxta quæ poſitio iſta videtur manifeſta.

In oppoſita videtur eſſe ſacrilegium.

Cap. Quæ multoties.

98 Nihilominus ob vitanda diſſidia, quæ ſine inconuenienti non ſtarent, diſſimulatum circa hoc, & cum obligatione dictâ tituli Beneficiorum capiuntur. Et Beneficiarij quidem tutâ id videntur conſcientiâ facere: quia ſuam redimunt vexationem, & procedere bonâ fide poſſunt, dum vident diſpoſitionem dictam à Regio venire Conſilio, in quo viri docti, & pij aſſiſtunt, quos non eſt credibile ſuas in hoc velle conſcientias cum periculo damnationis innodare. In Prælatis autem maior eſſe ſcrupulus poteſt, quibus ſpecialis incumbit cura defendendi Eccleſiaſticam libertatem. *Cùm ex officio ſuo teneantur non ſolùm arguere, ſed etiam increpare, quin etiam interdum ſuſpendere; nonnumquam verò ligare.* Verba ſunt Innocentij Tertij, & habentur in *Cap. Qualiter, & quando de accuſationibus & 2.* Cùm inquam teneantur ex officio ad prædicta; in negotio immunitatis Eccleſiaſticæ id præcipuè vrget, pro quâ Canones ſacros notum eſt ſpecialiùs militare, & Concilium Tridentinum *Seſſione 25. Cap. 20.* Nec reſpectu eorum videtur vrgere ratio pro Beneficiariis adducta: ipſi enim diligentiùs, & profundiùs expendere debent ſtatuta laicorum, quibus imminui conſtat libertatis Eccleſiaſticæ prærogatiuam: ideò enim Epiſcopi dicuntur, id eſt, ſuperintendentes, ſeu ſuperiorem præ aliis attentionem rebus ad ſuum officium ſpectantibus impendentes. *Cap. Cleros. diſt. 21.* vbi & habetur, Epiſcopum etiam dici, quaſi ſpeculatorem: & vtriuſque ratio redditur.

Contrariũ Beneficiarios ſine ſcrupulo poſſe practicare.

Circa Prælatos maior difficultas propter obligationem immunitatis Eccleſiaſticæ defendendæ.

Epiſcopus vnde dicatur.

99 Poſſunt tamen illi hac in parte excuſari, quia eorum contradictio nullum erat effectum habitura. Proreges enim Regio nomine patronatum exercentes nimis hærent Senatûs Regij decretis, neque ab eorum executione deſiſtent quibuſuis Epiſcoporum cohortationibus. Ad arma autem Eccleſiæ, Cenſuras inquam, prouocare, periculoſæ plenum aleæ negotium eſt, & ita prudenter agitur, ſi cohortationibus præmiſſis, nec quidquam obtinentibus, interim de rigore aliquid remittatur; & ad Supremum Conſilium ſeriò, & conſtanter ſcribatur. Quod ſi rem benè viſam eſſe reſcribat, & nihil in eo eſſe, circa quod debeat quæſtio ſcrupuloſa moueri; tutò annui poteſt: nam vel ſapientium id ſententiâ firmatur, vel tacito ſaltem Summi Pontificis conſenſu ſtabilitur. Præterquam quòd aliquis poteſt diſpoſitioni tali locus inueniri: eò quòd grauamen dictum non videatur eſſe præiudiciale Eccleſiaſticis, ſed in eorum potiùs commodum ordinatum, & ita nec grauaminis nomine compellandum videatur. Nam ſupponitur gratiam Pontificis talem futuram, vt ad prouiſiones iam factas extendatur; ſi enim non ſit talis, ſed ſimplex conceſſio, ad præterita non extenditur, iuxta communem doctrinam de legibus: pro qua videri poſſunt P. Palaus. *Tom. 1. Tract. 3. Diſp. 5. Puncto 3. §. 5.* apud quem alij occurrent idem tradentes, iuxta certiſſimam iuris vtriuſque diſpoſitionem. Et Dom. Solorzanus *lib. 3. cap. 9. n. 51. & 52.* & etiam de priuilegiis, de quibus Doctores ſentiunt non poſſe extendi ad ea, quæ notitiam eorum præcedunt; & ſi quidam aliter ſentiant; ſed certè, quoad notitiam, non verò quoad realem priuilegij conceſſionem, de quo loculentiſſimè P. Suarez *lib. 8. de legibus cap. 25.* Gratiâ ergo ad præteritas conceſſiones ſe extendente, facile erit Regi Menſatam exigere; ſi enim quis renuat; ex adminiſtratoribus decimarum, & gubernatoribus, qui Parochis Indorum ex ipſorum taxis ſtipendia ſoluunt, id poterit ſine aliquâ difficultate integrè, & in opportunitate temporis obtineri. Quando ergo obligatio ſoluendi Beneficiariis imponitur, non agitur de Regia vtilitate, quæ ſartatecta modis omnibus perſeuerat. Id igitur tantùm Regiæ intentionis eſt, vt exactio hæc ſine ſoluentium peculiari moleſtiâ peragatur. Si enim nihil tale ſuſpicantibus, conceſſa iam gratia, peteretur, graue illis hoc, & moleſtum eſſet, & ſolutionem fortè detrectarent; quod ſecus accidet obligatione præmiſſâ ad ingreſſum in Beneficium, quo tempore ob lætitiam adeptionis, paruæ iſtius portionis ſolutio grauis illis non apparet reſpectu eius, qui adeò ſibi commodum pro totius vitæ ſuſtentatione cum honoris auctario, beneficium confert.

Vnde poſſint illi excuſari.

Grauamen non videri præiudiciale.

Simplex conceſſio ad præterita non extenditur.

100 His addi poteſt Reges noſtros non eſſe more Patronorum aliorum inſpiciendos, cùm in Indiis ampliorem habeant poteſtatem, ratione cuius ſunt, qui eos legatos Apoſtolicos eſſe cenſeant, de quo dixi alibi: ſcilicet *Titulo 1. n. 159. & Tit. 2. num. 126.* & nunc addo. Fr. Ioannem Baptiſtam in *Animaduerſionibus Indicorum Confeſſariorum fol. 177. pag. 1.* vbi ita ſcribit. *Vnde hoc priuilegium, & indultum non tam ad ipſos Mendicantes pertinet quàm ad Regem Catholicum, qui ex ſpeciali indulto Alexandri Sexti, & aliorum Pontificum, legatum Apoſtolicum in his terris agit; ad quem pertinet de idoneis miniſtris, quos voluerit, & ſibi viſum fuerit, prouidere.* Sic ille. Quod licèt cum moderatione debitâ accipiendum ſit, cùm poteſtatem talem Reges noſtri in ſe ipſis cum ea amplitudine non agnoſcant, vnde & recurſus habent frequenter ad Sedem Apoſtolicam, qui neceſſarij non eſſent eâ extante facultate: id certè ex eo loquendi modo colligendum eſt, plus ſcilicet illis, quàm Patronis aliis circa Miniſtrorum prouiſionem tribuendum. Et quidem decimæ illis à Sede Apoſtolicâ conceſſæ; vnde, & eâ perſiſtente conceſſione, circa Miniſtrorum ſuſtentationem ita diſponere potuerunt, vt multò minùs, quàm modò illis datur ex ipſius indulgentiâ, etiam Mēſatâ demptâ, tribueretur. Quando ergo decimas Eccleſiis reddiderunt, id ſaltem potuerunt reſeruare ſibi, vt liceret aliquem modum obligationis exigere in caſibus, qualis hic eſt, de quo loquimur, cùm aliàs vt dictum eſt, minimè Eccleſiaſticis præiudicialis habeatur. Pro quo tandem facit ita factum poſt impletam conceſſionem Vrbani

Reges Catholicos legati Apoſtolici auctoritate fungi in Indys.

Fr. Ioannes Baptiſta

Quod explicatione congrua temperatur.

Ratio alia ex decimarum conceſſione.

Digitized by Google

bani VIII. & ab Innocentio X. approbatum vt ex tenore Bullæ conſtat. Pro quo hæc ſatis.

CAPVT XIII.

Qualiter Indicorum Auditorum conſcientiæ grauari poſſint, dum ſe inhonorantium vindictam proſequuntur.

§. I.

Inhonorationem non eſſe ſacrilegium, & quando crimen leſæ Maieſtatis.

Honorandos eximiè Indicos Auditores.

101 HOnorandos Regios Senatores, & eximiè quidem honorandos, eorum dignitas perſuadet, cùm Regiæ Maieſtatis culmen excellentiori quodam modo, practicè vt ſic dixerim, repræſentent: & ita tradunt, exornant, illuſtrant Auctores plures, quos adducit Dom. Solorzanus *lib.* 4. *Cap.* 4. *à num.* 21. & in Politicâ *lib.* 5. *Cap.* 4. *pag.* 779. vbi & ſpecialiter id neceſſarium eſſe oſtendit in Auditoribus Indicis, pro quo & videnda, quæ diximus *Cap.* 1. Tenenda tamen circa hoc moderatio, quam ratio & iura præſcribunt: nam per exceſſum poteſt & ſolet non leuiter in hac parte peccari. Fiſcalem Regium audiui, qui ſeriò contenderet inhonorationem huiuſmodi habere rationem proprij ſacrilegij. Id quod ex Cæſareo iure conabatur deducere, ſed ineptè: Religio quidem Deum ſpectat, erga cuius verſatur cultum, vt neque ad Sanctorum propriè cultum ſe extendat, quod luculenter oſtendit D. Thomas 2.2.q.103. *Art.*3. Ex cuius etiam doctrinâ *q.*99.*art.*1.2.*&* 3. manifeſtè conuincitur præfatus error: ibi enim oſtendit quid ſit ſacrilegium. In 1. autem pro argumento priori adducit, id, quod habetur. *Cap. Si quis ſuadente* 17. q. 4. vbi ſic dicitur. *Committunt etiam ſacrilegium, qui de principali Iudicio diſputant, dubitantes, an is dignus ſit, quem Princeps elegerit: vel qui intra Prouinciam, in qua prouinciales & ciues habentur, officium gerendæ, ac ſuſcipiendæ adminiſtrationis deſiderant, vt in Codice lib.* 9. *Titulo de crimine ſacrilegij.* Sic Gratianus. Ad quod S. Doctor reſpondet, quòd *iuxta Ariſtotelem lib.* 1. *Ethicor. Cap.* 2. bonum commune gentis eſt quoddam diuinum, & ideò antiquitus Rectores Reipublicæ *diuini vocabantur*, quaſi diuinæ prouidentiæ miniſtri, ſecundùm illud *Sapientiæ.*6.*v.*5. *Cùm eſſetis miniſtri regni illius non rectè iudicaſtis, & ſic per quandam nominis extenſionem, illud, quod pertinet ad irreuerentiam Principis, ſcilicet diſputare de eius iudicio, an oporteat eum ſequi, ſecundùm quandam ſimilitudinem ſacrilegium dicitur.* Hæc Doctor Sanctus: iuxta quæ ſatis manifeſtè apparet ſacrilegium tantùm ſimilitudinariè poſſe ad inhonorationem laicarum perſonarum trahi: quòd ſi erga Principem ita contingit, multò eſt certiùs non poſſe irreuerentiæ miniſtrorum proprietatem nominis, & rei ſignificatæ per illud conuenire.

Inhonorationem eſſe ſacrilegiũ, malè quidam cenſuiſſe.

Quid propriè ſacrilegium.

D. Thomas.

Sapient. 6. *v.* 5.

Gratiani doctrinam non adeò propoſitam.

102 Gratianus autem in deſcribendis ſacrilegiis parum conſideratè proceſſit, ea, quæ propriè talia ſunt; iis, quæ ſimilitudinariè tantùm ſunt talia, coniungens, vt ex *citato Capite* conſtat, in quo ſacrilegium, quod quis per violentarum manuum iniectionem in Clericum vel Monachum incurrit, & per violatam Eccleſiæ immunitatem, & iniurias in eadem Sacerdotibus irrogatas; aliis tum præfatis, tum etiam omnibus diuinæ legis tranſgreſſionibus, ſiue per ignorantiam ſiue per negligentiam, adnectit. Qui ergo auctoritatibus præfatis nituntur, nihil obtinere poſſunt, ſed quamdam ſimilitudinariam extenſionem, ſicut in iuramento accidit, quod extenditur ad ſimiles loquendi formulas, in quibus manifeſtè iuramentum non eſt, vt cùm quis ait: Per patrem, aut matrem meam, aut per vitam vxoris, vel filiorum iuro: & certè, aut ſacrilegium eſſe proprium contendunt, quia contra religionem eſt, & hoc non poſſe ſtare iam vidimus, quia Auditor non eſt res propriè ſacra. Vel tantùm extenſionem illam nominis, quâ ius vtitur. Quod ſi damus; quid inde? An ex eo quòd extendatur nomen, iniuria ad ſuperiorem ſphæram aſſurget? Ad hoc certè neceſſarium erat, vt ad religionem proprio aliquo modo pertineret; cùm ergo non pertineat, quid intereſt erga ſimilitudinem nominis litigare? Vnde neque circa hoc audiendus D. Villaroel *Part.* 2. *Quæſt.* 11. *Art.*3. *num.* 24. vbi ex Dom. Solorzano & alijs ſacrilegium eſſe abſolutè pronuntiat.

Diſcurſu aperto concluditur.

103 Illud maioris quæſtionis eſt, an qui illis iniuriam inferunt, crimen læſæ Maieſtatis incurrant, & hoc iidem paſſim clamitant. Et cum aliis affirmat Dom. Villaroel *loco nuper adducto num.* 22. cùm tamen circa illud diſtinctio ſit ſatis notabilis adhibenda. Crimen quidem læſæ Maieſtatis committi, communis reſolutio eſt, pro quâ textus, & Auctores congerit Farinacius in *Pract. crim. Part.* 4. *Quæſt.* 112. *num.* 136. *& ſeqq.* Non quidem in primo gradu, ſed in ſecundo. Id tamen ita accipiendum, vt tunc crimen tale ſit, quando iniuria irrogatur ratione officij; ſecùs ſi ex priuato odio, aut inimicitiâ: vt videri apud eumdem poteſt. *numer.* 150. *& duobus ſequentibus*: vel ſi ob prauos mores, de quo *num.* 155. Pro quo exemplum adduci poteſt eorum, qui Togatum quemdam nocte intempeſtâ obſeruarunt domum pellicis ingredientem, cùm ille ex officio circumire ciuitatem ad cuſtodiam ſimularet, & eum non leuibus moleſtiis affecerunt. Quod & videtur pariter aſſerendum, etiamſi ratione officij iudex iniurioſè tractetur, quando conſtat eum in officio iniuriam pariter intuliſſe. Quod quidem negari nequit, quin grauis iniuria ſit; non tamen læſæ Maieſtatis crimen, cùm in iudice ſuo perperàm vtenti officio, non ſit animus offendere Principem, ſed id, quod contra voluntatem, & auctoritatem eſt Principis, caſtigare. Iniuſtum enim iudicium, non eſt iudicium, & iniuſtus iudex, non eſt iudex reputandus, ex D. Thomâ, & Caſſiodoro, vt diximus *Titulo* 2. *num.* 76. vnde nec tale iudicium à vultu Dei oritur, & conſequenter neque à vultu Principis, ita nec ille in læſo iudice debet læſus reputari.

Inhonoratio an ſit crimen læſæ Maieſtatis.

Notanda pro reſolutione diſtinctio de iniuriâ ratione officij. aut ob aliam cauſſam.

Iniuſtum iudicem non eſſe iudicem.

104 Quando autem dubium eſt, an ratione officij, an verò ex odio, & inimicitiâ ortum habuerit offenſio, ad coniecturas eſſe recurrendum affirmat cum aliis Farinacius *num.* 154. ex quibus illa pro officio videtur valida, ſi in ipſo actu

Quando ſit cenſenda ratione officij facta iniuria.

Digitized by Google

actu officii, & exercitio judiciario fuerit irrogata. Non ergo talis, quando judici nondum in Tribunali ſedenti, aut poſt deſcenſum ab eo quidquam iniurioſum infertur. Si præſertim Iudex partem potiùs litigantem quàm judicem agat: vt in facti contingentiâ accidit; altercantibus inter ſe Sacerdote quodam, & Auditore, circa prædiorum aquæ ductum; & eâ de causâ, cùm ſe iniuſtè grauatum Sacerdos crederet, & in Auditorio Regio res ageretur, cum collitigante ſuo, præ tribunalis foribus, neſcio quid contentioſiùs, quàm deceret peractum, quod eſt exilio mulctatum; auctoritate tamen Prælati, qui ad id eſt monitoriis Iudicum incitatus. Cùm ergo res arbitraria ſit, caueant ſibi ad huiuſmodi iniurias proni; quia Iudices talium cauſarum ſuum in illis negotium agunt, auctoritati conſulentes ſuæ, & omnimodæ immunitati. Quod tamen Iudices ipſos etiam debet ad moderationem in judicando compellere; quia in eo partes ſimul & judices ſunt; vnde peccare grauiſſimè poſſunt, ſi ſtante pro reo veroſimili defenſionis fundamento, ad rigorem ſemper inclinent, & ſeueriora ſectentur. Quod enim communis habet Scriptorum vox, in criminibus ſole clariores debere eſſe probationes, quod ad factum ſpectat, id etiam ſuo modo circa ius dicendum; quòd ſcilicet, vt ad ſeueriorem pœnam damnatur reus, ſole clariora debeant in jure fundamenta ſuppetere: vtriuſque enim ratio eadem videtur. Vnde eſt regula juris notiſſima, *cùm ſunt partium jura obſcura, reo fauendum eſt potiùs, quam actori* 1 1. *in Sexto*. Neque crimina contra judices alicubi inueniuntur excepta; licèt veriſſimum ſit grauiùs aliis punienda.

Caſus ſpecialis.

Auditores quàm debeant cautè in cauſſis procedere.

§. II.

Quid de Eccleſiaſticis iniuriarum auctoribus.

Eccleſiaſticos poſſe à judice laico in carcerē mitti. quorumdam ſententia.

105 Poſſe illos in carcerem mitti, ſi delictum ita exigat, aut pœnâ pecuniariâ coërceri, ſi irreuerentia interuenerit, quæ non leuis momenti ſit, vt ſi coram eis pertranſeant nullo reuerentiæ ſigno adhibito; affirmant Pereira, & Bobadilla, quos adducit Diana *Parte* 1. *Tractat*. 2. *Reſolut*.26. & Tiberius Decianus apud Dom. Felicianum à Vega. *Relectione in caput. ſi diligenti de foro competenti num.* 58. & ipſe Dom. Felicianus cùm *num*.56. & 57. abſolutè affirmet Clericum contra judicem delinquentem, de illius foro non effici; cum aliàs ex jure habeatur id ita eſſe reſpectu aliorum; eò quòd illi ſuo poſſunt renuntiare foro, quod faciunt eo ipſo, quòd contra judicem delinquunt; non tamen Clerici: *citato* tamen *num*. 58. cum citatis conuenit, ſi coërcitionem non exerceant auctoritatiuè, & quaſi proprio iure, ſed ex permiſſione Pontificis, cui illa non videtur diſplicere, ſi carceratio non ſit diuturna, ſed intra viginti quatuor horas Clericus ſuo Prælato præſentetur. Pro quo & facit Clericum Regio fungentem officio, ſi in eo delinquat, priuari eo poſſe & mulctari, vt tenent multi, quibuſcum Dom. Villaroel *Parte* 1. *Pacificæ gubernationis Quæſt*.1. *Art*.8. *num*.68. & 69. Quibus non obſtantibus

D. Felicianus à Vega, vt temperet illam.

106 Dico Primò. Si Clericus non ſit paratus in crimine proſequi, aut id veroſimiliter timeatur, teneri nequit, & clauſurâ premi. Conſtat ex manifeſtâ Iuris deciſione *Cap. Vt famæ*, de ſententiâ excommunicationis, in quo ſic loquitur Innocentius Tertius: *Laici verò citra excommunicationis ſententiam capere Clericos, & ad judicium trahere poſſunt, ſi oporteat, etiam violenter; dum tamen id de mandato faciant Prælatorum, quorum illi ſunt juriſdictioni ſubiecti, & quorum eſt corrigere criminoſos; cùm hoc non ipſi, ſed illi, quorum auctoritate id faciunt, facere videantur; dum tamen non ampliùs eorum violentia ſe extendat, quàm defenſio, vel rebellio exigit Clericorum.* Sic ille: juxta quam deciſionem id ſequitur quod intendimus; nam reſpectu eius, qui non eſt paratus in crimine proſequi, aut de quo id veroſimiliter non timetur, nulla defenſio, aut rebellio eſt, neque beneplacitum Prælatorum expreſſum aut tacitum. Tacitus namque præſumi veroſimiliter poteſt, quando ex capturâ damnum imminens impeditur; quod velle Prælatus debet; & ſi adeſſet, rationabiliter credi poteſt judicis auctoritate ad illud impediendum fore vſurum; & juxta hanc intelligentiam accipiendi ſunt, qui dicunt Clericum in flagranti crimine deprehenſum, capi poſſe, & ad Prælatum remitti: qui videri poſſunt apud Dianam *ſuprà Reſolut*. 11. & 12. vbi obſeruare juuat, etiamſi nihil prætereà timeatur niſi fuga, id aliquibus videre ſufficiens; cuius ea eſſe ratio poteſt, ipſam fugam damnoſam eſſe, tum ob rationem, quam adducit Pontifex *citato Capite*; quòd ſcilicet, *publicæ vtilitatis interſit, ne crimina maneant impunita*. Tum etiam quia ſic fugiens, & ab oculis Prælatorum remotus, addere peccata peccatis poteſt, & turbarum occaſiones excitare. Pro quo videri poſſunt Souſa *in Bullam Cœnæ Can*.16. *Diſput*. 82. *num*. 9. & Ioannes de la Cruz *in Directorio Conſcientiæ*, *Parte* 1. *Præcepto* 8. *Quæſt*. 3. *Art*. 1. *Dub*. 3. *Concluſ*. 3. P. Fragoſus *Tomo* 2. *Pag*.251. *num*. 329. & alii, apud ipſos, & apud Barboſam *in Collectaneis ad Decretales, cap. citato n*.5. & nouiſſimus D. Villaroel *Parte* 2. *Quæſt*. 11. *Art*.3. *n*.30. & *ſeqq*.

Aſſertio 1. non paratū in crimine proſequi teneri non poſſe.

Cap. Vt famæ, de ſent. excom.

De fuga ſuſpectum capi poſſe.

107 Dico ſecundò. Clerico irreuerenti nequit ab Auditore, aut Audientiâ totâ, ſeu quocumque alio judice, pœna pecuniaria imponi. Sic citati à Dianâ, & contrarium eſt prorſus improbabile, quia contra libertatem Eccleſiaſticam, in Iure Canonico, & Bullâ Cœnæ ſpecialiter declaratam & pœnis adiectis communitam. Neque apparet vnde talis licentia fundari poſſit, quæ nullibi fundamentum habet, niſi in aliquorum ſcriptorum, qui laici fuere judices, minùs piâ erga Eccleſiaſticos affectione.

Aſſertio 2. non poſſe pœnam pecuniariam irreuerenti imponi à laica poteſtate.

Nec dicas Clericos capi poſſe & ita etiam in pecuniâ mulctari: quod minus eſt *ex Cap. Cui licet*, de regulis juris in Sexto: vbi ſic dicitur: *Cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus. Ex L. eadem..D. eodem Titul.* Nam inprimis id eſt valdè dubium, an ſcilicet plus ſit capi, vt ſtatim tradatur Iudici, an pœnam pecuniariam ſoluere; quia prior pœna nihil demit, & captura cum debitâ reuerentiâ eſt executioni mandanda; pecuniæ autem jactura pluris ſolet ab Eccleſiaſticis æſtimari. Deinde. Regula illa plures habet exceptiones, de quibus Gloſſa. Et tantùm habet verum, quando id quod eſt minus, in eo, quod plus eſt, continetur. Vt in materia præſenti, cui licet capere, licet armis

Ex capturâ non benè argui.

Regula, Cui licet plus, qualiter accipienda.

Digitized by Google

mis ſpoliare, quia benè capi & teneri nequit, ſi ſuis ille armis inſtructus relinquatur; & etiamſi non ſit capiendus ne vlteriùs nocere poſſit. Quidquid de hoc aliqui in contrarium ſentiant, quos adducit, & ſequitur Diana *ſuprà Reſolut.* 10. *&* *Part.*2. *Tractatu* 1. *Reſol.* 28. Nam pro aſſertione poſitâ ſtant complures, & inter eos præſtantiſſimi Theologi vt fatetur Diana eos allegans. Neque priores videntur contradicere in caſu à nobis propoſito; quando ſcilicet Clericus nequit commodè ad ſuum judicem deferri; & aliàs in capturâ inconueniens apparet; tunc enim eum armis ſpoliare licitum erit; immò & expediens, vt nocumenti vlterioris occaſio præcidatur. Item, cui licet plus, licet & minus, quando tale eſt in eodem genere actionis, nec poteſt rationabiliter judicari Superioris id eſſe contrarium voluntati. Sic cui licet carnes comedere die jeiunii, licet & oua. Non tamen licet potenti adminiſtrare Euchariſtiam, Sacramentum adminiſtrare Baptiſmi, Pœnitentiæ & aliorum, quæ minora ſunt, de quibus proportionaliter eadem ratio eſt, vt minora non liceant, eo ipſo, quòd liceant maiora: & generaliter vbi eſt diuerſa ratio, & fundamentum aliter coniecturandi de ſuperioris voluntate, aliter ſentiendum eſt, vt in præſenti. Prælatus enim circa capturam poteſt eſſe rationabiliter beneplacens ob rationes dictas; non ita circa mulctam pecuniariam; quia in primo miniſtri laici eius etiam miniſtri ſunt, vt Pontifex *citato Cap. Vt famæ*, affirmat: in alio verò judiciariam poteſtatem vſurpant, mulctam vt judices imponentes, quod quidem Eccleſiaſticæ libertati penitus aduerſatur.

Qui poteſt capi, an poſſit armis ſpoliari.

Ratio diuerſitatis in capturâ.

108 Non ergo circa hoc admittendum eſt, quod Dom. Felicianus tradit; hoc ſcilicet laicis Iudicibus concedi, non vt auctoritatiuè, & ſuo quaſi jure id faciant, ſed ex Pontificis beneplacito. Si enim hoc illis ſemel concedatur, parum ipſi de illâ reſpectuum diuerſitate curabunt, in libertatis Eccleſiaſticæ certiſſimum detrimentum; & deinde Pontificis voluntas, vt vidimus, in contrarium vergit, nec præſumi illa, niſi præſumptuosè, poteſt. Quod in Indiis præſertim obſeruandum, in quibus Eccleſiaſticis honor eſt eximius tribuendus, vt Neophyti erga Chriſtianam eruditionem, quam ab ipſis hauriunt, potentiùs afficiantur. Ex quâ perſuaſione Ferdinandus Corteſius, nulli niſi ſibi inter Heroës bellicos comparandus, Sacerdotibus ſingulari reuerentiæ affectu ſe proſternebat, & eorū manus oſculabatur, vt hoc vidêtes Indi magnum aliquid de eorū conciperent dignitate. Quod quidem non ſine eximio fructu ab eo peractum; fides enim cum pietate in Mexicanis regionibus meliùs eſt, quàm in aliis, propagata. Videatur Fr. Ioannes de Torquemada in Monarchia Indica. *Parte* 3. *Lib.*15. *Cap.* 10. Vbi de Corteſii occurſu primis gentium illarū Apoſtolis è Familiâ Franciſcanâ.

Diſtinctio circa hoc D. Feliciani minimè probanda.

In Indijs quantùm oporteat honorari Sacerdotes.

Ferdinandi Corteſii exemplum ſingulare.

109 Hinc apparet exceſſiſſe Auditores Cancellariæ cuiuſdam, qui Concionatori eiuſdem Eccleſiæ Præbendario mulctam pecuniariam ſatis magnam decreuerunt, ob ſalutationis officium in Concionis exordio non ita honorificum, vt ipſi cenſuerunt; qui neſcio quid aliud ſibi exhibendum intimarant. Quod quidem non omnibus eſt Togatis dominis probatum, & ita cùm eâ de re ſermo mihi in ſcribendo ad eorum vnum incidiſſet, qui non aderat in occaſione præfata, prudentiſſimè & Chriſtianiſſimè reſcripſit, & ita illius verba non grauabor, ad aliorum exemplum, his paginis adiecisse. Sic ergo ille poſt alia ſcribit, cuius non oportet nomen expreſſiſſe: *El caſo que refiere V. P. ſe obro aprieſa ſegun vi por los autos. Dueleme mucho que tal vez en mi caſa, ò en la agena, en la calle, en la plaça, y en el Tribunal, no pareſco Miniſtro del Rey, ſi no de mis liuiandades, y paſiones, deleytes, y vicias, y en la Yglеſia, y en los templos, alli ſolo aſpiro à la Mageſtad: alli ſi pretendo la competencia, aun con la diuina viuamente repræſentada à todas luces en un Prælado reueſtido de Pontifical, como en los miniſtros ſeculares la humana Dios nos de ſu gracia, &c.*

Audientia cuiuſdam factum nō probandū.

Docti & pij Senatoris epiſtola.

§. III.

Circa concionatores eo in munere moderationis regulas trangredientes.

110 ET quia de Concionatoribus mentio à nobis eſt inducta, negari quidem nequit plures eorum circa hoc grauiter delinquere; Senatores Regios, ac ſupremos ipſos Gubernatores, apud populum traducentes. Tum dicendi modo, qui ſatyricus potiùs eſt, quàm Euangelicus; tum exprobratione actionum, de quibus tumultuariam notitiam, & ab inuidiâ, & malauolentia ſæpiùs ortam, habuerunt: tum denique eorum narratione, quæ licet vera ſint, ſine audientium ſcandalo non referuntur, juriſdictione circa hoc Prælatorum vſurpatâ, ad quos tantùm ſpectat peccantium publica diſtrictio; cùm reprehenſiones huiuſmodi ad correctionem fraternam reduci nequeant: in quâ occulta debet monitio præcedere, & alia ſeruari à Chriſto tradita, in quibus animaduerſio adeò publica delicti non inuenietur. Et quidem concionatores, aut indocti ſunt, & vulgari linguâ ſcriptis libellis inſtructi ad dicendum procedunt, in quibus quàm ſit ignorantia damnabilis, ſatis eſt unicuique perſpectum. Aut litterati, & ii, quod ad eorum obligationem ſpectat, non ignorantes, aut malitiâ, aut paſſione, vel populo placendi libidine, in huiuſmodi videntur abſurda proſilire. Quod ſi zelo quiſquam ducatur: non ſecundùm ſcientiam, vt liceat illi Apoſtoli ſententiam applicare, ſic ſcribentis. *Rom.*10.*v.*2. *&* 3. *Teſtimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam. Ignorantes enim juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere: juſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* Ignorant equidem juſtitiam æmulatores iſti, contra quam peccant inhonorantes Magiſtratus, & alienam juriſdictionem vſurpantes, ſuam volentes ſtatuere, dum ſe ad hæc officii aiunt obligatione teneri, quod dicendi imperat libertatem. Quam quidem non negamus, ſed contra vitia ſuauitate dicendi temperatam, dè quo ſic Diuus Iſidorus Peluſiota *lib.*3. *Epiſt.*397. *Sermonis quidem libertati ſuauitatem admiſcere oportet, diuinæ autem dextræ ſanctatem permittere.* Hæc ille Moyſis, Eliæ, & D. Ioannis Baptiſtæ exempla proſecutus. *Sit ergo rigor iuſtitiæ ſemper feruidus, ſed numquàm præceps*, vt D. Bernard. admonet *Epiſt.*25. quando de iuſtitiæ obligatione ita ſunt præfati Miniſtri verbi ſoliciti.

Concionatorum quorumdam exceſſus.

non excuſabiles.

Rom.10. v.2. & 3.

Optima Concionādi formula.

D.Iſid. Peluſiota.

111 Et

Dicendi libertas contra Gubernatores exitioſa.

111 Ex experientiâ quidem compertiſſimum habetur hanc dicendi libertatem, quam communiter Concionatores in ore habent, & quâ maximè gloriantur, parum eſſe proficuam; immò & exitioſam frequentia experimenta demonſtrant. Circa quod Diuus Ignatius Parens in libro verè aureo, verè diuino, exercitiorum circa finem in Regulis ſeruandis, *vt cum Orthodoxâ Eccleſiâ verè ſentiamus. Reg.* 10. ita ſcribit: *licèt autem non reperiatur vbique ea, quæ deberet eſſe, morum integritas; ſi quis tamen, vel in publica concione, vel in populari commercio, ipſis obloquitur; generat potiùs damna, quàm aliquid afferat remedij, aut vtilitatis; cùm nihil aliud ſequatur; niſi exaſperatio, & obtrectatio populi aduersùs Principes, ac Paſtores ſuos. Temperandum eſt igitur ab iſto inuectiuarum genere.* Sic ille: Pro quo & Diuus Iſidorus Peluſiota *citato libro, Epiſtolaque*, ita loquitur: *Scio me perſæpè mihi ipſi huiuſmodi quoddam conſilium præbuiſſe: O Iſidore, quoniam res magnæ magnis periculis confici ſolent; ea, quæ decet, loquendi libertate vtere; fortaſſis erubeſcent ij, qui in peccatis erubeſcere minimè norunt. Ac quidem fortaſſè aliquid efficies: ſin autē aliquid etiam iniucundi patiaris; cū Prophetis, & Apoſtolis atq; alijs ſanctis viris patieris, cum quibus tibi, qui vnus è vulgo es, optandū eſt etiam ſi non in virtutibus at certè in perpeſſionibus numerari. Verùm ad hunc modum contrà mihi ipſi reſpondi. Alijs quidem in rebus præclarè loqueris ac tibi morem gerere paratus ſum; at quonam pacto liberè loquemur? &c.*

Præclarum circa hoc D. Ignatij documentum.

D. Iſidorus Peluſiota.

112 Quod equidem non minùs graui, quàm eleganti ſententiâ claudendum P. Franciſci Sacchini *Parte* 4. *Hiſtoriæ Societatis lib.* 3. *num.* 156. *& ſeqq.* vbi ita ſcribit poſt turbulentias occaſione Concionatoris cuiuſdam enarratas: *Ceterum hominum ſub obedientiâ viuentium haud dubium peccatum eſt, vbi in rebus adeò grauibus, non interrogatis Moderatoribus ſuo velificantur arbitrio: præſertim cùm vnius hominis conatus, vt nunc ſeſe habent humanæ res, multùm habeat ſtrepitûs, momenti parum: atque inſtar eorum medicamentorum, quæ vitiatos corporum humores excitant, non egerunt; longè magis obſint, quàm proſint. Eam ob rem Societas, quæ in turbulento rerum mortalium, quaſi oceano, opem, ſi poſſit, naufragantibus allatura verſatur; ſummoperè abſtineat neceſſe eſt ab ijs attrectandis, à quibus plus vlceris faciat, quàm medicinæ. Quod, Deo aſpirante, excubantibusque Moderatoribus, diligentiſſimè totum corpus cuſtodit. Quamquàm vt nequis vnquam è tanto numero, ſiue prudens, ſiue imprudens committat, dum hac infirmitate circumdamur, optandum magis, quàm ſperandum eſt, & potius, quòd non crebro eueniant ſcandala, quàm quòd aliquando eueniant, admirandum.* Sic ille.

P. Sacchinus.

Peculiaris pro Societate monitio.

113 Iuxta cuius cordatam animaduerſionem, Magiſtratus non ita delicatis eſſe auribus debet, vt ex quouis imprudenti dicto, ad excitandas perſecutionum tempeſtates moueantur, & indignationem in corpus Religionis accendere, contra cuius voluntatem membrum vnum, & frequenter non potius, inſultauit. Prudenti diſſimulatione meliùs quandoque res agitur, & decoro conſulitur eorum, quos reprehenſionis acerbitas vlcerauit. Noui Prælatum, qui quadam die à Religioſo pro concione moleſtè, & immodeſtè attrectatus, ſub veſperum ad Conuentum venit, & in cellâ Prælati exceptus, vocari ad ſe Concionatorem poſtulauit, Venit ille, ſuâ opinione plus accepturus, quam dederat. Sed vrbanè acceptus, aliud valdè diuerſum, quàm ſperabat, audiuit. Laudauit Prælatus concionem, cum gratiarum actione, feſtum enim fuerat anniuerſarij Conſecrationis ſuæ: adiecit tamen; *Licèt quod audire potui, ſat mihi placuit, non potui tamen omnia; quod doleo; credo tamen alijs à me auditis fuiſſe ſimillima.* Non mentitus ille ſed amphibologiâ officioſâ vſus, ſicque prudentiam ſuam teſtatiorem reliquit; eo ad obſtruendum os imprudenter locuti remedio vſus, quo potentius nullum potuiſſet eius nota ſagacitas inuenire. Pro quo, & Saülis prudentia jam pridem ſuccurrit, de quâ ſic 1.*Reg.* 10.*v.*27. *Filij verò Belial dixerunt: Num ſaluare nos poterit iſte? & deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera; ille verò diſſimulabat ſe audire.* Circa quæ P. Gaſpar Sancius ita ſcribit, elegantiam, grauitatem, & eruditionem accumulans: *Eſt autem hoc documentum his, qui præſunt, interdum valdè neceſſarium, vt cæci ſint ne videant, aut ſurdi ne audiant ea, in quæ incerto quodam rerum articulo duriùs eſſet agendum*; ita ſanè in ſuo Ænea, quem, & fortem ducem, & prudentiſſimum Imperatorem fingit, ait Maro *Lib.* 1. *Æneid.*

Magiſtratus non debere circa hoc nimis eſſe delicatos.

Prælati cuiuſdam memorabile exemplū.

1. Reg. 10. v.27. Saülis opportuna diſſimulatio.

P. Gaſpar Sancius.

> *Curiſq; ingentibus æger,*
> *Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.*

Virgilius.

Et alius ex prophanis (Gnæus Plancus) *docet eos, quibus commiſſa eſt reſpublica, vt ad effectum ſuorum Conſiliorum veniant, oportere, vt multa ſimulent inuiti, multa diſſimulent cum dolore, &c.*

Lib. 10. *Epiſt.* 8. *Familiarium Ciceronis.*

114 Quod ſi ad hæc humanæ prudentiæ ſufficiunt regulæ, maiora debent in Chriſtianorum Iudicum pectoribus fides, & pietas obtinere. Sic Magnus Theodoſius Mediolani ad Eccleſiam ire ſtatuens feſtiuo Natiuitatis die, & retrahente eum Ruffino jam jam euntem, ne Ambroſius acerbius aliquid in eum jactaret, ob necem Theſalonicæ factam, propter quam octo menſium interdictum ſuſtinuerat; eidem reſpondit: *Pergo, & juſtas in faciē ſuſcipio contumelias.* Sic habetur in Vitis Patrum; *Opuſculo de laude & affectu virtutum Cap.* 15. vt videant ii, quorum mera eſt vmbra ad tantæ lucis comparationem auctoritas, quali eſſe animo debeant, cùm illis ſui exprobrantur errores. Quòd ſi non omnes eſſe cauſſentur Ambroſios, quorum id debitum ſanctitati; animaduertant tamen, nec Theodoſios ſe eſſe, quos vt numina oporteat reuereri. De quo iſthæc ſatis.

Magni Theodoſij præclarum & dictum, & factum.

CAPVT XIV.

In iis, quæ ad Academias ſpectant; qualiter delinquere ſit obuium Indicos Auditores.

115 SVnt in Indiis auctoritate Pontificiâ, & Regiâ nobiles Academiæ conſtitutæ, ex quibus Limana, & Mexicana præcipuæ, maiorum omnium facultatum habentes Profeſſores. Aliæ pro Philoſophia tantùm & Theologia in ſcholis Societatis Iesu: quas aliqui eò quòd non ita vniuerſales ſint, Academias ſiue Vniuerſitates non eſſe dicendas arbitrantur. Sed certè Conſilium Regium Indiarum dubium omne circa hoc videtur exemiſſe, dum in ſententiâ finali, quam pro Argentinenſi Academiâ protulit,

Quæ in Indiis Academiæ.

Digitized by Google

protulit, eam Vniuerſitatem appellauit, vt videri in ipſâ executoriali prouiſione poteſt. Circa illas

Aſſertio 1. Auditores debere iura incorporationis abſoluté ſoluere.

116 Dico primò. Auditores Indici alibi Gradum conſecuti, ſi in Corpus Vniuerſitatis recipiantur, id omne debent quod alij ſoluere. Id patet: quia ſtatuta Regia ita diſponunt, & lucra ſunt ex incorporatione iſtâ non parua habituri: ergo debent quod alij, propter eamdem rationem ſoluere: cùm in ſtatutis Regiis neutiquam inueniantur excepti.

Dices: ob perſonarum dignitatem emolumentorum huiuſmodi fieri remiſſionem.

Nec poſſe admittere remiſſioné.

Sed contra: quia hoc eſt iam munera recipere ab iis, qui lites habere poſſunt: quod leges ſeueriſſimè prohibent. Remiſſio enim debiti, donatio eſt. *L. Si quis delegauerit. D. de donationibus.* de quo Matienzis in *lib.* 5. *Recopil. l.* 3. *Tit.* 3. *Gloſſa* 2. *num.* 3. Propter quam rationem in Syndicatu à Viſitatore docto, & exacto ita iudicatum. Prætereà remiſſio iſta eſt inuoluntaria, ſicut largitiones aliæ, quæ fieri iudicibus ſolent, vt diximus *Tit. præced. num.* 27.

Ex vſufructu remiſſo filio à patre, arguitur contra Aſſertionem.

117 Poteſt tamen obiici *L. Cum oportet.* §. *ſin autem. C. de bonis, quæ liberis,* ex quo habetur filium, cui remiſſus eſt vſusfructus, non teneri in diuiſione hereditatis eum conferre cum aliis fratribus; & ita id tenent Doctores, viderique poſſunt P. Molina, *Tom.* 1. *Diſp.* 8. §. *ſecundus eſt* & Pater Thomas Sancius: *Libr.* 6. *de Matrimonio Diſp.* 4. *num.* 18. & etiam *Tom.* 1. *Conſiliorum lib.* 1. *Cap.* 2. *dub.* 14. qui alios adducunt, & eâ ratione ducuntur, quia ea remiſſio non eſt propria donatio, ſed non vſurpatio de bonis filij, vt poterat fieri à patre; ergo ſimiliter in noſtro caſu, in quo videtur eſſe maior ratio, quia is, qui incorporari intendit, abſolutè nihil ante incorporationem debet, ſicut debetur vſusfructus, & ita minus eſt fundamentum ad rationem propriæ donationis. Propter hoc videri alicui poteſt id non carere probabilitate; vnde ita à nónnullis, neq; indoctis quidem practicatum. Quod & mihi placeret, ſi de omnino voluntaria remiſſione conſtaret, quod non ita frequentiùs accidit. Vnde & obligatio ad ſolutionem perſtat; in quo tamen id obſeruandum, quod de largitione munerum diximus. *Cap.* 2. *& Tit. Præced. Cap.* 4.

Quid iuxta illud dicendum.

Aſſertio 2. Non poſſe aſſiſtentiũ lucra leuare, ſi non aſſiſtant.

118 Dico ſecundò. Auditores nequeunt ea lucra leuare, quæ aſſiſtentibus tantùm ſunt per Academiæ leges deſtinata. Id planum: quia non eſt titulus ad illa, cùm ſolus ex aſſiſtentia oriatur. Id quod euidenter conſtat in aliis; quibus non aſſiſtentibus nihil datur: atqui Auditores priuilegiati non ſunt: ergo nihil eſt illis tribuendum. Si dicas remiſſionem ab iis fieri, ad quos lucra pertinebant; de hoc iam dictum; quod neque hîc habet fundamentum: nam lucrum tale aſſiſtentibus non ſemper accreſcit, ſed ſingulis ſua eſt portionis taxa deſignata, vnde eſt propria donatio.

Aſſertio 3. In Gradibus filiorũ non poſſe remiſſionem emolumentorum petere.

119 Dico tertiò. Quando Auditorum filij Gradum maiorem accipiunt, nequeunt remiſſionem emolumentorum petere; immò neque admittere. Colligitur ex dictis. Nec eſt ſolidum effugium, ſi dicant remiſſionem illam non ſibi fieri, ſed filiis; nam neque filij recipere munera poſſunt, vt vidimus *Titul. præcedenti n.* 21. ſicut neque vxores, vt *ibidem* dictum, quæ in huiuſmodi negotiationibus ſolent ſolicitudinem præcipuam adhibere, conniuentibus maritis, & ignorationem ſimulantibus, ac ſi Deus poſſit irrideri.

Aſſertio 4. De peccato in iudicio. circa recuſationem ſuffragatorum.

120 Dico quartò. Auditores grauiter peccare poſſunt in cauſſis recuſationis ſuffragatorum ad cathedras, quæ ad ipſos deuoluuntur, ſi pro affectu iudicent, vt vnus potiùs, quàm alius cathedram aſſequatur. Hac certè die, quâ hæc ſcribo, oppoſitorum vnus cathedram amiſit, quia ob recuſationem ducenta & viginti illi ſuffragia defuerunt. Et id quidem ritè, & rectè factum non nego, cui de cauſſis non conſtat, nec ſunt animi iudicum manifeſti. Rei ſolum iſtius momentum expendo. Equidem probatio ſuffragationis, quando præſertim Doctoris in ea facultate eſt, pro qua certatur, qui viginti quatuor ſuffragia habet, & multoties qualitatem: ſi videlicet Sacerdos ſit; grauis pœna eſt, & in graue etiam detrimentum oppoſitoris redundans; vnde probationes ad illam ſufficientes meridianâ luce clariores eſſe debent; vt *num.* 104. dictum manet; in huiuſmodi autem oppoſitionum factionibus claritas eſſe tanta nequit; quia nullus contra eum, cui fauet, iurabit ita, vt ſecurum poſſit reddere iudicantem. Ab aduerſæ autem partis fautoribus quomodo poſſit irrefragabile teſtimonium expectari? Nam vbi caput eſt ſuſpectum, etiam illi, qui caput veroſimiliter ſequuntur, vt cum multis tradit Dom. Solorzanus *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 100. Iudicium ergo arbitrarium reſtat, & cùm de pœnâ, vt diximus, graui agatur, videtur in rei fauorem iudicandum, iuxta regulam iuris in *ſexto* 49. quæ ſic ſe habet; *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* Quod ex aliâ communi doctrinâ conuincitur, iuxta quam teſtis non eſt integer, etiam cùm in cauſſa, quæ eum principaliter non tangit, deponit, ſi aliquod commodum, vel intereſſe ex eâ ſperare poſſit: de quo Farinacius *in Practica. Quæſt.* 60 *per totam,* & alij adducti à Dom. Solorzano *ſuprà. num.* 98. item ex aliâ, quòd domeſtici ad teſtificandum non admittuntur communiter, & rationem reddunt Scriptores, quia erga dominum, vel Patrem Familias notam habent affectionem. Pro quo Auctores producit. P. Fragoſus *Tom.* 1. *pag.* 659. §. *Quid dicendum.* Eorum autem, qui pro oppoſitoribus ſtant, notiſſima eſt affectio, vt parati ſint pro illis vſque ad ignem, & ſanguinem decertare: non ergo contra aduerſarium veniunt, vt integri, & inexceptabiles admittendi; & præſertim cùm agatur de pœnâ ſine defenſionis opportunitate ſtatim infligendâ.

Teſtes in huiuſmodi cauſſis vix poſſe integros reperiri.

Qui non ſint integri reputandi.

Contra Eccleſiaſticos vt queat in hoc iudicio procedi.

121 Quando autem contra Eccleſiaſticos in hoc iudicio procedatur, & ſuffragio priuentur, ſuam videtur difficultatem habere. Licet enim Regis auctoritate Vniuerſitates fundentur, qui & ſtipendia profeſſoribus ſuo ex patrimonio ſoluit, ac communia alia lucra: id tamen non videtur ſatis; quia ex eo non tollitur immunitatis priuilegium, cui nec poſſunt Eccleſiaſtici renuntiare, cùm in corpus Vniuerſitatis cooptantur, per textus, & Doctores, quos adducit Diana *Part.* 1. *Tract.* 2. *Reſolut.* 3. Nec ſola Regia auctoritas eſt, quæ in hoc negotio intercedit, cùm Vniuerſitates auctoritate Pontificiâ præcipuè fundentur,

Non poſſe illos fori priuilegio renuntiare.

Digitized by Google

fundentur, & ita pro Indicis à Regibus noſtris Pontificia eſt Sedes exorata. Cùm autem iuriſdictio Pontificia potior ſit, ad illam potiùs ſpectat iudicium de cauſſis ad eamdem ſpectantibus, & præcipuè cùm de Eccleſiaſticis agitur, & ita Eccleſiaſtici Iudices deputandi.

Ex beneplacito Apoſtolicæ Sedis haberi.

122 Ad quod dici poteſt ex beneplacito Sedis Apoſtolicæ rem ita diſpoſitam, vnde Rector laicus alternâ vice cum Eccleſiaſtico annuatim eligitur, qui & cauſſas Academicorum iudicat, & à quo ad Regiam Cancellariam prouocatur; ſi negotium iuſtitiæ ſit, ſi verò ad Gubernationem ſpectet, ad Proregem eſt ſatis prouocari. Non eſt autem inſolitum vt Eccleſiaſtici aliquando apud laicos iudices conueniantur: ſic enim feudatarij apud dominum feudi cauſſam dicunt, vt ex pluribus textibus, & auctoribus oſtendit Dom. Solorzanus *Tom. 2. lib. 2. Cap. 5. num. 13. & Cap. 28. num. 15.* & in Politicâ *lib. 3. Cap. 6. §. y por el mſmo & Cap. 30. pag. 464. §. y lo mſmo.* Et Dom. Felicianus à Vega *in ſuis Relectionibus*, variis in locis, ſed præſertim *in Cap. Verum. 7. num. 1. & ſeqq.* de foro competenti. Pro quo & alios adducit Diana *Part. 2. Tract. 1. Reſolut. 59.* cum quadam limitatione. Et certè non videtur quomodo auctoritate Regiâ poſſint Gradus in Theologiâ, & ſacris Canonibus conferri; quod tamen in formula collationis dicitur; ſcilicet *Auctoritate Pontificiâ, & Regiâ, quibus in hac parte fungor* &c. Niſi ad hunc explicationis modum accurramus. Licet enim Doctores in iure Ciuili, Medicinâ, & naturali Philoſophia creari auctoritate Principis laici poſſint, vt tradunt Doctores *in l. Deo auctore C. de veteri iure enucleando*: in ſacratioribus tamen facultatibus, ſolius Pontificis eſt, ad quod nec partialiter concurrere Princeps laicus poteſt, quia generale illud eſt, vt neq; partialiter poſſit ſe rebus ſacris commiſcere, cùm poteſtas eius merè temporalis ſit: vt ex iure ſacro conſtat, & auctoribus ita communiter atteſtatis. Fatendum ergo eſt Pontificium circa hoc beneplacitum extare, ob magnum Reipublicæ commodum, quod ex litterarum profeſſione conſequitur, & ita oportuiſſe Chriſtianos principes pro fouendo illo ſpecialibus priuilegiis excitari. Non eſt ergo negotium hoc ad rationem illam reducendum, quòd delinquant in officio, & ſic mulctari poſſunt, vt cum Zeballos tenet Dom. Villaroel. *Part. 1. Quæſt. 1. Art. 8. n. 69.*

Auctoritate Regiâ non poſſe Gradus in facultatibus ſacris conferri, ſecus in alijs.

Aſſertio 4. Academias à Pontifice conceſſas non poſſe ab Auditorijs prohiberi.

123 Dico quartò. Academiæ à Pontificibus in Scholis Religioſis conceſſæ, nequeunt à Senatibus Indicis prohiberi. Id conſtat: quia ſupremæ nequit poteſtati reſiſti opportuna iubenti. Quod ſi quidquam obſtaret, id tantùm eſſe poſſet, Bullas conceſſionis non fuiſſe in ſupremo Conſilio regiſtratas: atqui contrarium apparet in Bullis pro Societate conceſſis: regiſtratæ enim ſunt, neque vllum ipſis impedimentum conſtitutum; nullo ergo pacto poteſt executio earum impediri. Cùm præſertim executio adeò vtilis comprobetur; tum vt multorum pauperum, qui eximium in litteris fecêre profectum, honori, & commodo conſulatur; tum etiam vt omnium vitæ, quæ aliunde venturi, & in ciuitatibus prædictis ob cœli aduerſam temperiem graues ſalutis iacturas frequentiùs patiuntur. Temperiem autem commodam pro Academijs conquirendam benè oſtendit Beyerlinck in Theatro magno V. *Academia. Tit. Quo loco.* Qui *Tit. Monaſteria* eodem verbo, luculenter oſtendit, olim in Monaſteriis Academias extitiſſe: & certè Bullis Pontificiis impedimentum apponere, quo minùs executioni mandentur, Doctores quamplures clamant contra Eccleſiaſticam eſſe libertatem, & in Bullâ Cœnæ ſub reſeruatâ Sedi Apoſtolicæ excommunicatione prohibitum, qui videri poſſunt apud Dianam *Part. 1. Tract. 2. Reſolutione 13.* Quod ergo illi dixerint audientes etiam regiſtratis Bullis obſtacula ab inferioribus iudicibus opponi; in quo non iam Pontifici tantùm, ſed & Regis manifeſtæ voluntati compeririuntur aduerſari? Quidquid ergo contradictionis ab Vniuerſitatibus præcipuis occurrat, id miminè curandum, quandò cauſſa boni communis in eo vertitur, & ad præſtandum obſequium diuinis, & humanis oraculis perurgentur. De Academiis iterùm *Titulo 20. num. 82. & ſeqq.*

Bullis Apoſtolicis non poſſe impedimentum apponi iuxta Bullam Cœnæ.

CAPVT XV.

Circa Salarium, quæ Conſcientiæ onera eſſe poſſint in Regiis Auditoribus.

Pro ſumptibus itineris quid dari ſolitum.

124 Eſt illud Regiâ quidem munificentiâ dignum, & opulentiæ Indicarum regionum conſonum, ne turpe aliquid contingat indigentiam perſuadere. Circa illud ergo ita diſpoſitum, vt non ſoluatur niſi poſt adeptam officij poſſeſſionem, & laborem, in exercitio eiuſdem exhibitũ cõgruis temporibus. Pro itineris autem expenſis id dari ſtatutum, quod ſex menſibus ſeruitij reſpondet, quando ex Hiſpaniâ faciendum illud; quòd ſi ex valde remotâ prouinciâ, ſuum etiam pro ſumptibus dari ſubſidium ſolet, Regiâ ſemper prouidentiâ miniſtrorum ſuorum commodo prouidente. Circa quæ

Aſſertio 1. Si mora affectata nihil lucrari poſſe.

Dico Primò: Auditor moras voluntarias nectens, & veras ſimulans, vt ſic maius ſubſidium accipiat, grauiter peccat, & ad reſtitutionem tenetur. Probatur: quia largitio illa eſt propter cauſſam, aliter non facienda: ergo deficiente cauſſâ deficit titulus iuſtæ acquiſitionis. Quod eſſe indubitatum affirmat P. Molina *Diſp. 209. concluſ. 1.* cum Ioanne Medina, Nauarro, Syluestro, & alijs de donationibus ex cauſſa loquentibus, quando illa exiſtimata eſt, & non verè ſubſiſtens: quod in foro conſcientiæ & etiam exteriori procedit. Nequit autem dubitari eam, de quâ loquimur, eſſe donationem ex cauſſa non ſubſiſtente; quia Rex nullo titulo tenetur ad illam, qui ſubſidium pro ſumptibus itineris etiam gratioſè largitur: vnde quod ſuperadditur ob moram falsò propoſitam multò id habet potiùs, vt meritò dicat citatus Auctor non poſſe de eo dubitari.

Quia eſt donatio ex cauſſa. Et quid de illa.

Aſſertio 2. Obligatio reſtitutionis ob defectum in miniſterio.

125 Dico ſecundò: Auditor ſerò ad tribunal veniens, & negligenter miniſterium ſuum implens, non poteſt integrum ſalarium accipere, & ſi accipiat, ad reſolutionem pro rata tenetur. Sic probauimus *ſuprà Cap. 3. & Tit. præced. Cap. 9. §. In fine.* Modò iuuat P. Molinam audire *Diſp.*

493.

Digitized by Google

493. Sic loquentem: *Qui operas ſuas in diem, aut in aliud tempus alicui locauit, fideliterque non laborarauit intra limites laboris ac curæ debitæ, ita quòd prudentis arbitrio laborem infimum iuſtum pro eo ſtipendio debitum non attigit; tenetur reſtituere conductori de ſtipendio pro rata eius laboris, atque operis, quod præſtare tenebatur, neque præſtitit: immò verò tenetur etiam illi reſtituere, ſi quod aliud detrimentum etiam lucri ceſſantis inde ſubſecutum conductori fuit, aut ad aliud ſimile.* Sic ille pro ſe adducens, Nauarrum in *Manuali Cap.* 17. *num.* 196. concluditque ſic, *Resque ex ſe ſatis eſt perſpicua.* Hac conſideratione quidam Regiæ Cancellariæ Argentinæ Viſitator in officij ſui exercitio indefeſſus aſſiſtens, à Religioſo ſchedulis Regiis, rationum libris, & diuerſis ad negotia ſpectantibus inſtrumentis immerſus, cùm fuiſſet inuentus, illeque vrbanè de laboris aſſiduitate ipſum corripuiſſet, reſpondit; *Quid faciam? Operarius Regis ſum ad onera iſta conductus, cui fideliter operas meas conor impendere, & ſicut alij ligone, aut ſtiuâ pondus diei, & æſtus portantes mercedem accipiunt, ſic & ego meam, quam non merebor aliter, ſtudeo comparare.* Sic ille laborator fidelis, cuius tamen labor æmulantium calumniis infelici eſt exitu conſummatus. Videant ergo Auditores an eorum labores infimum ſaltem gradum attingant, nec ne, prudentis arbitrio, alterius inquam, qui ſine paſſione iudicet: & iuxta id conſcientiæ ſuæ grauamen agnoſcant, idque præſtent opportunè, quod non præſtitiſſe ſerò incipiant pœnitere.

Fidelis Miniſtri reſponſum.

Aſſertio 3. Ob miniſterium officio annexum non poſſe ſalarij augmentū exquiri.

126 Dico tertiò: Auditor nequit tutâ conſcientiâ ſupra ordinarium ſalarium accipere aliud, ob miniſterium officio annexum ex diſpoſitione legis, licet ſecundùm ſe annexum non ſit. Sic vidimus in Superioribus commiſſiones aliquas eſſe muneri Senatorio annexas: & præſertim notanda quæ diximus. *num.* 74. *& toto Cap.* 12. licet enim ex ſe officio non ſint annexæ, officium tamen cum eo onere datur: præſertim, quia eo tempore, quo tali vacatur commiſſioni, labores alij non ſubeuntur ab Auditore, vt aſsiſtendi tribunalibus, & qui occurrere aliàs ſolent; & non duplicato labore, non eſt cur debeat ſalarium duplicari. Licet ergo in genere talia onera non ſint officio annexa, huic tamen officio annexa ſunt, & non pro officio in genere, ſed pro hoc ſtipendium eſt conſtitutum, & ita creſcente labore ſtipendium non accreſcit. L. *honos D. de aduocat. diuerſ. Iudi.* Quod tenent & exornant Baldus, Gailius, Capicius, Romanus, & Decius, quos adducit, & ſequitur Pater Fragoſus *Tom.* 1. *pag.* 421. §. *Nihilominùs.*

Aſſertio 4. Remotus ab officij exercitio ſine culpa, ſalarium percipere poſſe.

127 Dico quartò. Auditor ab officio remotus ob inquiſitionem aliquam contra ipſum, quia videlicet matrimonium contraxiſſe intra prouinciam, aut eius filium, vel filiam, opponitur, vel ex officio, vel ad accuſatoris inſtantiam, ſi nihil contra ipſum ex inquiſitione reſultet, neque iniuſtum aliquid ex parte illius fuerit in defenſione commiſſum, poreſt ſalarium integrè accipere. Sic colligitur clarè ex L. *Cum allegatis. C. de re militari. Lib.* 12. & ex Salicceto, Franciſco Marco, & aliis dicentibus ita faciendum, quando quis remouetur ob culpam aliorum, ciuium videlicet, quos adducit Pater Fragoſus *ſuprà. pag.* 422. *n.* 67. Videtur autem eadem ratio in caſu noſtro; quia cùm nihil ex informatione contra Auditorem reſultet, non illius culpâ, ſed alterius, qui calumnioſè egit, ab officio fuit remotus. Vbi ergo culpa non eſt, neque etiam pœna eſſe debet, iuxta regulam vulgarem: *ſine culpâ, niſi ſubſit cauſſa, non eſt aliquis puniendus.* 23. *in Sexto* Cui & addenda 41. ibidem: *Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Sic ægrotanti Senatori integrè ſalarium ſoluitur in Indiis ex ſpeciali reſcripto, de quo Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 4. *num.* 33. & P. Fragoſus *num.* 61. quia ſcilicet non ſeruire, culpæ ipſius nequit imputari.

Quid de remoto ob ſuſpicionem, & abſoluto.

128 Secus autem eſſe quando quis ob ſuſpicionem culpæ remouetur, doctrina eſt Baldi, & Surdi, quos adducit citatus Auctor *num.* 67. quamuis abſolutus euadat ex regula notiſſima; *qui non laborat, non manducet.* Sed hoc videtur accipiendum, quando Auditor cauſſam dedit ſuſpicioni, ſine circumſpectione procedens; ſi enim ſuſpicio ex maleuolentia aliquorum orta ſit, non eſt propter illam puniendus, iuxta nuper dicta: & quidem cùm ſuſpicio non eſt, integrum ſalarium debet ſolui: ſi ergo ob ſuſpicionem negatur, ergo iam priuatio iſta non eſt ex eo tantùm, quòd non ſeruierit, cùm non ſeruienti etiam detur, quando ſuſpicio defuit, & ita erit pœna ſuſpicionis: atqui ſuſpicio nullam ex parte eius ſupponit culpam, ergo nec infligi pœna illi dicta poteſt. *L. Capitalium D. de pœnis. & L. Aliud eſt fraus. D. de Verborum ſignificat.* Qui diſcurſus videtur euidens. Immò videtur non quamlibet ſuſpicionis cauſſam ab Auditore datam ad priuationem iſtam ſufficere, ſed grauem ſeu momenti magni: leuis namque non eſt graui pœnâ punienda; cùm culpa, & pœna proportionari debeant, ex communi omnium ſententiâ; ſed hoc ſequentem prouocat quæſtionem.

CAPVT XVI.

Auditores Indici an peccent ſine Licentia Regis matrimonium intra Prouinciam contrahentes, vbi quædam alia circa illud.

§. I.

Licita eſſe ſtatuitur.

129 A Cæſareo iure prohibitio iſta deſcendit, quæ & legibus eſt Hiſpaniæ ſtabilita, ac pro Indiis ſpecialiſſimæ illæ ſunt, de quibus Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 4. *num.* 60. *&* 61. & in Politicâ *lib.* 5. *Cap.* 9. Quibus licet diſpenſationis omnis præcidatur ſpes ob grauia inconuenientia, quæ ex matrimoniis iſtis emergunt, iam tamen eſt rigor ille plus nimio mitigatus, & in Prætorio hoc Limano maior Auditorum pars, Indulto Regio potita, ob pecuniarium ſeruitium quod vocant, quo inconuenientia omnia adeò exagerata legibus deuorantur. Quod quidem malum, quæ lege caret neceſſitas tolerabile reddit, ex doctrina Marienzi in *Tractatu manuſcripto de moderatione*

Leges matrimonium prohibentes, & earum diſpēſatio, atque inconuenientia diſpenſationis.

Digitized by Google

moderatione regni Peruniani, quem citat Dom. Solorzanus *ſuprà num.* 62. dicentem in Limana, & Mexicana vrbibus, eò quòd ciuibus abundent, faciliùs poſſe circa hoc diſpenſari, alibi tamen ſtrictè obſeruandum. Sed quidquid ille dicat, in vrbibus etiam frequentioribus ſimilia, immò & maiora inconuenientia cernuntur; quia latiùs excurrunt parentelæ, vnde oporteret non ſolùm licentias prædictas non dari, ſed etiam ex Audientiis aliis non adduci eos, qui in præfatis vrbibus, vbi contraxêre matrimonium, diffuſas affinitates habent; quia inconuenientia eadem ſunt, vt experientiâ eſt multiplici comprobatum. Poſſunt autem aliquándo dicta inconuenientia ceſſare; quia vxores in vrbibus prædictis nullam habent, quæ periculum creare poſſit, cognationem. Vnde valdè expediet, vt cùm quis indultum Regis deſiderat, de cognatione vxoris informatio à Prorege facta remittatur. Quibus præmiſſis circa difficultatem præſentem

Aſſertio 1. mortaliter contrahentē non peccare, quia id nequit laica poteſtas impedire.

130 Dico Primò: Auditor matrimonium contrahens intra Prouinciam ſine Regis indulto non peccat mortaliter. Id probo; quia Principes laici matrimonia impedire nequeunt, eò quòd matrimonium ſit Sacramentum, vnde nihil poſſunt circa illud, ſed id ad Eccleſiaſticam ſpectat poteſtatem. Quâ ratione Concilium Tridentinum antiquis impedimentis noua addidit; cuius diſpoſitioni omnes Chriſtiani Principes, vt veri Eccleſiæ filii caput obſequentiſſimum ſubmiſerunt, & licet alicubi, quod ad nullitatem clandeſtini matrimonii ſpectat, receptum non ſit, id ex reſiſtentia Chriſtianorum Principum non accidit, ſed ex difficultate in executione, recognoſcentibus omnibus circa hoc Eccleſię poteſtatem. Vnde Concilium Tridentinum *Seſſione* 24. *Cap.* 9. *de Reformatione*, ſic ſtatuit: *Præcipit ſancta Synodus omnibus cuiuſcumque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrant, ne quouis modo directè, vel indirectè, ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios cogant, quo minùs liberè matrimonia contrahant.* Sic illud. Hinc eſt leges exhæredantes filios, eò quòd contra voluntatem parentum contrahant, non obligare. Si illi matrimonium in facie Eccleſiæ contraxerint, & modo ab Eccleſia non prohibito, ita vt validum prorſus ſit. Quod non ſolùm communis ſententia tenet, ſed communior, vt teſtatur P. Molina *Tom.* 1. *Diſput.* 176. §. *Communior ſententia.* Pro quâ ibidem adducit Panormitanum, Couarruuiam, Nauarrum, & Ledeſmam. Nec ſolùm communior, ſed etiam probabilior, iuxta P. Thomam Sancium *Lib.* 4. *de Matrimonio*, *Diſp.* 25. vbi quamplurimos pro eâdem adducit, eos ſecutus, ſicut & P. Ægidius *de Sacramentis Diſput.* 28. in fine. P. Vaſquez *Diſput.* 4. *de Matrimonio*, *num.* 24. P. Gaſpar Hurtadus *Diſputat.* 6. *de eodem Difficultat.* 10. & alii ex quo manifeſtè ſequitur, quod ſi ſuperiores prohibere nequeunt, qui contra huiuſmodi prohibitiones faciunt, non peccent grauiter.

Concilium Trident.

Leges exhæredantes ea de cauſa nō obligare.

Tridentini excommunicationem contra impedientes verſari.

131 Nec obſtat juxta P. Henriquez *Lib.* 11. *cap.* 6. *numer.* 5. & alios, quos adducit in Gloſſa *Lit. H.* & ſequitur P. Hurtadus *ſuprà difficult.* 7. à Concilio non excommunicari impedientes matrimonium, ſed eos, qui cogunt contrahere cum hac, vel illa perſona: nam contrarium verba ipſa demonſtrant, quandoquidem ex illis habetur matrimonia debere liberè celebrari, quod aliàs à jure Canonico eſt ſtatutum, aut potiùs declaratum variis in locis, de quibus P. Sancius *num.* 4. Quod etiam contra impedientes à Tridentino tradi, vt certiſſimum ſupponunt Doctores citati, & alii magis in ſpeciali, qui de adducta pœna tractant, videndi apud P. Sancium *Diſput.* 22. *num.* 8. 9. & 10. & quidem Concilium ex eo coactionem ſub anathemata prohibet, quia matrimonium liberum eſſe debet: quod ſi non ſit ita liberum quò minùs prohiberi poſſit, ergo & dari coactio poterit circa hanc, vel illam perſonam. Præterquàm quòd, qui cogit eum, hac vel illâ contrahere, conſequenter prohibet contractum cum aliis: ergo manifeſtiſſimum eſt de impedientibus eſſe ſermonem. Vide etiam P. Fragoſum *Tom.* 3. *pag.* 93. *n.* 70.

Non obſtare ſententiæ probabilitatem circa prohibitionem.

132 Dici præterea poteſt oppoſitam ſententiam eſſe probabilem, quam cum aliis tenet P. Molina *ſuprà* §. *Contrariam ſententiam.* & pro eâdem plures adducit P. Sancius *Diſput.* 25. *citat.*, dicens eſſe probabiliſſimam. Verùm hoc nihil obſtat; quia juxta eumdem P. Molinam oppoſita ſententia eſt communior, vt ex eodem diximus, & juxta P. Sancium probabilior, pro quâ ſunt Scriptores innumeri; ergo qui juxta illam operatur ſatis ſuæ conſcientiæ conſulit, vt non debeamus eũ, vt lethalis peccati reum, condẽnare.

Quomodo leges Hiſpaniæ Iuri Canonico contrariæ non ſint.

133 Si vlteriùs dicatur non debere leges Hiſpaniæ vt contrariæ Iuri Canonico damnari. Reſponderi poteſt ita ſentire doctiſſimos, qui grauia Iudices ſubſellia tenuerunt. Deinde aliter explicari poteſt quomodo contrariæ non ſint, ſi dicamus eas nõ prohibere matrimonia, ſed tantùm priuationem officii ſtatuere, quia eo ſub onere collatum eſt: ſciunt enim Auditores quid circa hoc agendum cum illis, ſi contrahant, & tamen officium acceptant, vnde & conſequenter amittere volunt contractu matrimonii ſubſecuto; in quo nihil contra libertatem matrimonii eſt. Quemadmodùm ſi quis domi accipiat famulum matrimonii vinculo ſolutum, dicatque ei: ſi vxorem duxeris, ibis amicè foras. Vbi dubitari nequit id eſſe licitum; quia priuationem illam famulitii, in quo ſpeciale commodum habet, ſponte vult, cùm ita paciſcitur, & ita nihil libertati matrimonii contrarium inuenitur. Nec eſt ſimile de legibus exhæredationis filiorum, de quibus *ſuprà*; quia illæ valdè contrariæ ſunt matrimonii libertati: hæreditas enim non ex pacto aliquo omnino voluntario debetur filio, ſed quaſi naturali iure, & eâ priuari duriſſimum eſt; vnde magna inde neceſſitas oritur conformandi ſe parentis voluntati, & ita non liberè penitus contrahendi: cum tamen Regius miniſter voluntariè cum Rege contrahat officium accipiens, ad quod jus habet nullum; vnde ratio eſt valdè diuerſa.

Commodũ ad explicationem exemplum.

§. II.

Aſſertio alia pro eodem.

Aſſertio 2. Matrimonium dictũ ſtare ſine veniali peccato poſſe.

134 Dico ſecundò. Stare poteſt matrimonium dictum, etiam ſine veniali peccato. Probatur fundamento Aſſertionis præcedentis: nam matrimonium tale ex ſe eſt licitum,

&

Digitized by Google

& ratione legis nihil eſt, quod vrgeat, cùm illa non obliget ad non contrahendum, ſed ad ſummum ad ſubeundam priuationem, ſi matrimonium fuerit juridicè comprobatum. Quod roborari poteſt ex Doctrinâ eorum, qui dicunt filios contrahentes nuptias contra voluntatem parentum nullo modo peccare, quia id contra nullam eſt legem, ſed contra decentiam quandam in eo repertam. Sic Diuus Thomas 2. 2. *quæſt.* 164. *art.* 5. *in Corpore*, vbi ſic ait: *Vnde non tenentur, nec ſerui dominis, nec filij parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſeruandâ.* Sic ille. Quæ eſt etiam Doctrina Scoti, & aliorum apud P. Sancium *Lib.* 4. *Diſput.* 23. *num.* 10. quibus adde P. Vaſquez *Diſput.*4. *citatâ num.*24. P. Ægidium *Diſputat.*28. *num.*52. *Concluſ.* 4. & P. Hurtadum *Diſputat.*6. *Difficult.*10. Eſt autem in Regio Auditore ratio potior; quia non habent eum ſubiectionis modum reſpectu Regis, quem filius reſpectu patris, vt quædam illius pars & naturalis imago, cum omnium maximo debito, ſcilicet originis ad principium.

D. Thom.

Roboratur ex poteſtate filiorum ad contrahendum citra parentum voluntatê.

135 Si obiicias ex matrimoniis Auditorum intra Prouinciam ea inconuenientia ſequi, propter quæ illa leges prohibuerunt, vt initio diximus, & ita ſine peccato ſtare non poſſe matrimonium, ex quo illa ſunt futura: cùm manifeſtum videatur contra rationem eſſe aliquid agere, ex quo inconueniens aliquod emerſurum ſitquia inconueniens nihil eſt aliud in præſenti, quàm damnum publicum, cui ſaluâ conſcientiâ nequit cooperationis aliquid adhiberi. Reſpondeo inconuenientia illa ex publicis matrimoniis ſequi, dum non timet jam vxoratus officii ſubtractionem: ex occultis autem non ita, quia cautè proceditur ob timorem ſubtractionis. Poteſt autem quis viriliter ſtatuere nihil indignum cognationis intuitu facere, & ſic in eo nullo modo peccare. Aliàs quotquot diſpenſationes petunt, peccarent, cùm ſe exponant dictæ inconuenientium turbæ; quod tamen non eſt vllatenus aſſerendum: Accedit Eccleſiaſticos Prælatos ſine vllo ſcrupulo licentiam aſſiſtendi loco Parochi talibus matrimoniis concedere: vnde circa hoc non eſt cur quiſpiam diſturbetur. Quod autem de Auditoribus dictum eſt, de eorum filiis eſt potiùs aſſerendum; quibus tantùm indirecta videtur facta prohibitio, & ob eorum matrimonia ſoleant parentes officiis ſpoliari; & id quidem jure, quando eorum conſenſus acceſſit: ſi autem ipſis ignaris & penitus inuitis res accidit, durum ſatis videtur ad internecionem vſque mucronem Regium deſæuire: vnde cum eis mitiùs quandoque agi, & in officio ſuſtineri, in rigore iuris tenet Dom. Solorzanus *num.* 64. & in Politicâ *lib.* 5. *cap.* 9. *§. Pero en eſta, & duobus ſequentibus.* Quod quidem attentâ legum prohibitione dictum velim: nam aliunde poſſunt filii in eo grauiter peccare; quia videlicet non conſultis parentibus nuptias contrahunt, iuxta quamplurium ſcriptorum Doctrinam, quibuſcum id tenent P. Sancius *Diſput.* 23. *citatâ* P. Ægidius *Concluſ.* 3. P. Hurtadus *citatâ Difficult.*10. Item, ſi ſcandala, & capitalia odia, damnaúe alia momenti magni timeantur, vt cum Victoria, & Ledeſma obſeruat P. Sancius *num.*21.

Obiectioni ex inconuenientibus, propter quæ prohibitio, eſt ſtatuta, ſit ſatis.

Quod de filijs Auditorum.

Quando grauiter peccare contingat.

136 Dico tertiò. Auditor, & Togatus quilibet contracto matrimonio non tenetur dimittere officium. Probatur; quia nulla eſt lex, quæ id iubeat; ſolùm autem Proregibus, & Præſidibus Prætorialibus ſpoliatio iſta committitur, & quidem, vt volunt multi, priuatio iſta eſt pœna, & lex illam ſtatuens, conſequenter eſt pœnalis: nullus autem tenetur pœnam in ſe ipſo exequi, ſed ſententiam ſaltem declaratoriam expectare, juxta dicta *n.* 75. Quòd ſi pœnalis non ſit, juxta dicta *n.*133. Sed conuentionalis, ſimiliter dicendumquia conuentio in acceptione officii virtualiter celebrata non fuit cũ obligatione dimittendi illud matrimonio ſubſecuto, ſed legitimâ ſententiâ præcedente, quod eſt valdè conſonum rationi, cùm aliud ſatis durum videatur.

Aſſertio 3.

non eſſe obligationem dimittendi officium.

§. III.

Ampliatio Reſolutionis.

137 Dico quartò. In caſu dicto non eſt obligatio reſtituendi ſalarium in foro conſcientiæ. Circa hoc Dom. Solorzanus *num.* 87. & in Politicâ *Pag.*836. *§. Y quando.* ait latam ſententiam retrotrahi, & tentari poſſe ſalaria contrauenientis, ceſſaſſe, & in vtroque foro ab eo reſtituenda eſſe ex die contrauentionis, ex traditis, poſt alias à Nicolao Garcia *Tom.*2. *de Beneficijs Parte* 11. *Cap.* 10. *num.* 19. *& ſeqq.* Sed licèt verum ſit tentari id poſſe probabiliter, oppoſitum tamen valdè probabile eſt, ex traditis etiam ab aliis in caſibus ſimilibus: à Nauarro ſcilicet, & P. Henriquez, quos adducit P. Sancius *Lib.* 3. *de Matrimon. Diſput.*51. *num.*12. & ſequitur, dicentes Canonicum excommunicatum, & ſuſpenſum lucrari diſtributiones, non obſtante peccato, quod contrahit; quia quamuis peccauit in tali adminiſtratione & ſeruitio, ob quod in foro externo poſſet fructibus priuari, grauioriq; pœnâ plecti; at certum eſt illud miniſterium eſſe tam vtile Eccleſiæ, acſi exhiberetur à miniſtro non ſuſpenſo; ergò miniſterii ſtipendium recipere debet, poſſeſſor enim malæ fidei mercedem laboris in vtilitatem rei impenſi percipit. Sic ex citatis P. Sancius; quod quidem meliùs poteſt cauſæ præſenti applicari, in quâ Auditor non peccat miniſterium ſuum exequens, nec poſſeſſor malæ fidei eſt, juxta dicta: & cùm illius labor eodem modo vtilis ſit, acſi matrimonium non contraxiſſet, ſimile debet ſtipendium habere. Item, priuatum ab officio non eſſe priuatum beneficio, niſi id exprimatur, multorum grauiumque ſcriptorum ſententia eſt, quos adducit, & ſequitur P. Sancius *ſuprà*, quibus adde P. Azor *Tomo* 1. *Lib.*5. *cap.*7. *quæſt.* 6. P. Fagundez in 1. *Præceptum Decalogi cap.* 18. *num.* 13. P. Bauny *de Beneficijs Diſput.* 7. *Quæſt.*6. *Aſſertione* 2. & de hæreticis etiam loquentes idem tenent P. Suarez *Diſput.* 22. *de fide, ſect.*21. *§.* 19. P. Vaſquez *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Diſput.* 172. *num.* 11. P. Henriquez *Lib.*13. *Cap.*56. *num.*2. P. Palaus *Tom.*1. *Tractat.* 4. *Diſput.*4. *Puncto* 5. *numer.* 4. *§. Requiritur.* P. Becanus *de Fide Cap.*15. *quæſt.* 5. *num.*3. qui alios citant. Requirunt igitur Auctores dicti ſaltem ſententiam declaratoriam: quorum ratio eſt; quia pœna non debet imponi, niſi à jure id exprimatur, quod tamen in caſu prædicto non contingere

Aſſertio 4. neque reſtituendi ſalarium.

Ex Canonico ſuſpenſo & excommunicato arguitur juxta plurium ſententiam.

Et ex alia juxta quã, priuatus ab officio non eſt priuatus beneficio. etiam in hæreticis.

Ratio cur ſententia requiratur.

tingere citati oſtendunt per varios textus, qui contrarii videntur, diſcurrendo: quod præſertim exequitur P. Suarez. Idem autem in caſu, de quo loquimur, etiam contingere ex eodem fundamento conſtat; nulla enim lex de hoc ſtatuens, priuationem ita indicit, vt ſententiam ſaltem declaratoriam neceſſariam eſſe videatur inficiari.

Rationes aliæ.

138 Accedunt aliorum rationes pro eodem: Nauarrus in Manuali *Cap.* 23. *num.* 67. ex eo arguit, quod eleganter proſequitur P. Bauny *ſuprà, Aſſert.* 1. §. *Tertio, Nimium.* Quia ab humanitate, quæ hominum eſt propria, abhorret, vt quis contra ſe jus dicat, in ſe ipſum ſæuiat, ſibi pœnam ſtatuat, aut ſtatutam à judice effectui tradat: quod eum tamen facere eſſet neceſſarium, ſi eſſet oppoſita ſententia vera. Quod quidem licèt generaliter verum habeat, in caſu noſtro robuſtius vrget, vbi quod relinquitur, tantùm dignitatis, & emolumenti habet, vt cùm illud viri litterati comparant, ſe feliciſſimos arbitrentur. Deinde citatus Auctor ſapienter in hunc modum philoſophatur: cùm id agere pauci, probabili admodùm coniecturâ ſint animum inducturi, de ſe vt pœnas ſumant, de eo mandatum dare, eſſet eorum conſcientiis laqueum iniicere: quàm non eſt ergo probabile legi pœnali quemquam debere obſequi, niſi poſt ſententiam. Qui diſcurſus in cauſam præſentem quadrat aptiſſimè. Quid enim ex iis, de quibus loquimur, erit, qui dignitatem tantam, nullo impellente, deponat? Et certè viri docti, & Chriſtiani ſic feciſſe comperiuntur, vt ex eo etiam aliquod poſſit poſitioni iſti firmamentum accreſcere, vt ea poſſit ſine conſcientiæ remorſu ſuſtineri. Quæſtiunculæ aliquot circa hoc, quia forum conſcientiæ non ita ſpectant, videri poſſunt apud Dom. Solorzanum in Politica citato *cap.* 9.

Ex Nauarro.

Ex P. Bauny.

§. IV.

Quid de Filijs ex occulto coniugio natis.

Filios ita educare, vt parentes nõ agnoſcant, inhumanũ videri.

139 Illud, de quo ipſe nihil diſſeruit, quæſtionem meritò videtur exigere; quod ad filios attinet occulti matrimonii tempore procreatos. Cùm enim vt tales tractari nequeant, ne coniugium detegatur, neque filii ipſi quandoque parentes agnoſcant, etiam in grandiori ætate, in eo quoddam inhumanitatis genus apparet, & naturalis ponderis violenta retardatio. Videmus in animalibus recens natos partus matres agnoſcere, & inter gregis numerum confuſum, eas quærendo dignoſcere; & ita pro quodam quaſi naturæ prodigio habetur, ſi tale aliquid in nonnullis non reperiatur. Pro quo iuuat Caſſiodorum audire ſic loquentem *Lib.* 2. 19. *Ferarum catuli ſequuntur parentes; à ceſpite ſuo virgulta non diſcrepant: propago vitis propriæ ſeruit origini: & diſcrepat homo à ſuo ſuſus initio? Perdicibus etiam mos eſt oua perdita per alterius matris damna ſarcire: vt adoptione aliena ſobolis incommoda ſua reparent orbitatis. Sed mox vt nati fiduciam habere cœperint ambulandi, ad campos exeunt cum nutrice; qui vt fuerint maternâ voce commoniti, onerum ſuorum potius genitricem petunt, quamuis ab aliis furtiuis fœtibus educantur.* Sic ille: eâ in exordio exclamatione vſus:

Caſſiod.

Quis poſſit accuſare jam reliqua, ſi pietatis nomina probantur eſſe crudelia? Naturæ ipſius illa vox eſt apud Virgilium. Eclogâ. 4.

Virgilius.

Incipe parue puer riſu cognoſcere matrem.

Reddit autem ſtatim rationem, nam eo riſu faſtidia geſtati vteri videntur matri compenſari.

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

Pergit item vates infelicitatem denuntians, ſi non incipiat cognitionem à riſu parentum auſpicari, ſic dicens:

Incipe parue puer. Cui non riſere parentes,
Nec Deus hunc menſâ, Dea nec dignata cubili eſt.

Ab ortu ipſo mutua cum riſu debet eſſe cognitio.

Simplicior intellectus, vt & lectio, nam alii habent. *Qui non riſere parentes:* vt riſus parentum riſui recens nati reſpondeat: & quando hic riſu illos cognoſcere incipit, incipiant & illi riſu cognoſcere natum: ſin minùs, infelix ille, nec menſâ, nec cubili, à Ioue, aut Genio, ac Iunone, fabuloſis numinibus condonandus. Pro quo P. Pontanus conſulendus. Infelicitas ergo filiorum ſat magna eſt ſuos parentes ignorare; ſicut & inſignis parentum crudelitas ſe illis non reddere manifeſtos, ſed vt alienos tractare ſtruthionis adinſtar, de quo *Iob* 39. *v.* 16. *Duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui.* Quin & ex claris orti parentibus, ſpuriorum iniquâ fortunâ premuntur: tales enim dicuntur, quia ſine patre, vt apud Grammaticos vulgare; ſine patre inquam noto; vt habere incognitum perinde ac nullum habere veniat æſtimandum.

Exponens filium, nequit eum repetere. Ex quo arguitur.

140 His accedunt alia ex juris vtriuſque diſpoſitione. Nam exponens filium, ſi ſponte id faciat, repetere eum nequit, *Nec enim dicere poterit, quem parentem contempſit,* ſic habetur, *L. Prima, & ſecunda. C. de Infantibus expoſitis.* Gloſſa in Cap. *Si Expoſitus,* 87. *diſtinct.* vbi pereuntem dicit, qui à parentibus ita abiicitur, vt eoſdem non agnoſcat, nam perire dici aliter nequit, cùm ideò exponatur, ne pereat, ſed pietate alienâ ſubleuetur. Et id quidem ad tempus, quandoquidem de eo agitur, qui conatur repetere, non ergo filium voluit à ſe perpetuò ſeparare. *Cap. Expoſitus, diſtinct. citatâ:* idem ſtatuitur ſed cum moderatione, de qua ibi. *Conteſtationis* (inquit) *penitus Epiſtola, vt ſi is, qui collectus eſt, intra decem dies quæſitus, agnituſque non fuerit, ſecurus habeat, qui colligit. Sanè qui poſt prædictum tempus calumniator extiterit, vt homicida Eccleſiaſticâ diſtrictione damnabitur, ſicut Patrum ſanxit auctoritas.* Ex Concilio Toletano 4. *Cap.* 71. vbi dici nequit, id proptereà ſtatui, quia alimenta denegantur: nam ea poſſunt à repetente exigi, & ſoluere ille paratus eſſe poteſt; cùm etiam ſtare poſſit, vt nulla proptereà debeatur compenſatio, ſi puerorum educatio ex pietate procedat, vt videri poteſt apud P. Fragoſum *Tom.* 3. *pag.* 33. *num.* 129. Pro quo hæc dici poſſent.

Moderatio ex Cap. Expoſitus

Toto vitæ tempore cognitione parentum priuari, graue eſſe peccatum.

141 Primò, ita ſuſpenſum tenere filium, vt toto vitæ tempore patrem non agnoſcat, graue peccatum eſſe videtur. Probatur ex dictis; quia id contra omnia naturæ jura eſſe videtur, & ita à legibus indicatur. Item filius priuatur bono maximo contra id, quod paterna pietas exigit; priuatur namque agnitione parentum, quæ maximè connaturalis eſt hominibus, & exoptatiſſima; ex quâ etiam alia ſubſequi bona poſſunt, reuerentia inquam erga illos, jus ad hæreditatem,

quæ

Digitized by Google

quæ licet aliàs detur, non tamen vt talis, quod etiam oportet filium non ignorare. Præterquam quòd ſuſpenſio illa excitare in filio poteſt graues ſuſpiciones, quòd ſi alius illi aſſignetur pater; obligatio imponitur ſpecialis obſeruantiæ, ad quam non tenetur, & ſic alia accumulari incouuenientia poſſunt.

Non ita per tempus aliquod.

142 Secundò. Per tempus aliquod id tenere ſecretum, donec ſcilicet filius ad annos diſcretionis perueniat, & ſecretum etiam ipſe ſeruare poſſit, non videtur lethale crimen habere. Id probo: quia rationes naturalis obligationis videntur ceſſare: quia ex eo damnum notabile filio non emergit. Item, ex ſententiâ ſatis probabili, iuxta quam pater poteſt bona aduenticia filiorum ad longum tempus alienare. Videatur P. Rebellus *de iuſtitia Libr.* 14. *Quæſt.* 5. *num.* 8. vbi pro illâ Pinellum adducit cui & ipſe annuit. Cùm præſertim ſecretum hoc in ipſorum filiorum bonum videatur cedere; quorum intereſt parentes in officio conſeruari. Accedente autem ætate dictâ, nequeunt filij ad ſecretum obligari, ſi ipſorum interſit illud non ſeruari; quia eſt de iuribus naturæ parentum agnitio; niſi quando reuelatio in eorum infamiam redundaret. Quemadmodum filiis à parentibus impediri coniugium nequit, iuxta dicta *num.* 134. quia de iure naturali eſt, ſicut nec ſeruo dominus.

Bona aduenticia filiorum poſſe à patre ad longum tempus alienari.

§. V.

Peculiaris caſus diſquiſitio.

Circa negatam filiam, & vti vxoris ſororem nuptui traditam.

143 IVxta quæ indicandum occurrit, quod modò ſub lite eſt: Senatori enim cuidam ab æmulo opponitur filiam intra Prouinciam, immo & in eâdem ciuitate, in quâ Regia Curia exiſtit, nuptui tradidiſſe. Sed reſpondit ille non eſſe filiam ſuam, ſed vxoris ſororem, filiam autem ſoceri, & ſocrùs, quod & ipſi ſuis teſtamentis declararunt. Quid veri res habeat Deus ſcit; & Senatoris ſapientia, & probitas adeò perſpecta eſt, vt fides ei poſſit adhiberi. Demus autem filiam eſſe: an id agi tutâ conſcientiâ poſſit, vt eam pater neget, affirment ſuam aui, dos illi ex legitimâ cum aliis fratribus accipiendâ portione deſignetur? Negatiuè profectò reſpondendum, ſi talis filia Cataſtrophem iſtam ignoret; ſi autem ſciat, ſuo agere iure poteſt. Primum conſtat ex dictis, quia ad æternam parentum ſuorum ignorantiam condemnatur. Secundum item; quia vt diximus, ætatem habet, & quid ſibi expediat poteſt peruidere. Quòd ſi tacente patre res iuridicè probetur, non tenetur teſtamento fidem habere, cùm explorati iuris ſit parentum atteſtationem in teſtamento per probationes in contrarium elidi. *Cap. Tranſmiſſæ, qui filij ſint legitimi*; ibi *ſtandum eſt verbo viri, & mulieris, niſi certis indiciis, & teſtibus, tibi conſtiterit filium eſſe illorum iuuenem memoratum.* Quod ad legitimam verò attinet, potuit quidem ita diſponi, & ſecretò peragi, inter Soceros, & Generum rerum iſtarum peritiſſimum, vt nihil contra filiorum ius in legitimæ aſſignatione iniuſtum miſceretur, Senatoris vxore melioratâ, non publicè, ſed ſecretò, vt ſic nepti æqualis legitima cum legitimis filiorum obueniret. Non ergo ex hoc capite damnanda venit transformatio iſta neptis in filiam, ſed ex aliis dictis, ſi ignoratio fuerit diuturna.

Negatur fieri tuta conſcientia poſſe, quod in caſu proponitur.

Vt credi teſtamento debeat.

Cap. Tranſmiſſæ qui filij. &c.

Æſtimatio famæ quàtum in hoc caſu debeat præualere.

144 Niſi fortè tanti æſtimetur Senatoris fama, vt videatur omnibus præfatis naturæ iuribus præferenda. Cùm enim illi intentata lis fuerit de matrimonio ſine licentiâ contracto, & nata ex eo filia, ipſeque conſtanter ſemel, & iterum ſe defenderit probationibus in contrarium; ſi res tandem detegatur, manifeſtum fiet contra veritatem illum militaſſe, quod in iudice ſupremo in ordine conſtituto ſemper indignum apparebit. Ne ergo periclitetur honor, res ſecreta retinetur, nec filiæ ipſi aperitur, quia nec filiæ adeò fidi poteſt, ob periculum in eo ſexu communibus experientiis comprobatum. Pro quò Ariſtophanes apud Stobeum ſic ait.

Fœmina ſecreti neſcia.

At quid intereſt, ſiue mulieri
Siue om sib..s in foro præconibus narrare?

Quod & de coniunctiſſimis accipiendum iuxta firmiorem propheticum ſermonem Michææ 7. v. 5. *Ab ea, quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui*: vbi D. Hieronymus ſic ait: *Inter chara nomina, & ſanguinitatis affectus rara eſt fides.* Chara autem nomina inter conſanguineos, filius, & filia, frater, & ſoror præ aliis ſunt: ſed femineus præſertim ſexus deſignatus, dum dormientibus in ſinu ea aut infidelitas aut infirmitas exprobratur. Hoc ergo in caſùs contingentiâ ponderandum; ſed non politicè tantùm cùm Chriſtianus potiùs in negotio conſcientiæ debeat reſpectus præualere.

Michææ. 7. v. 5.

D. Hieron.

Ea de qua agitur vt credere debeat dicenti ſuam eſſe filiam.

145 Vbi illud addendum, Senatori aſſerenti talem eſſe filiam omnino credendum ab eâ, de qua eſt quæſtio, etiamſi contrarium ſit teſtamento declaratum, quia vt non credatur teſtamento; ea ratio eſſe poteſt, de qua dictum, voluiſſe ſcilicet illos indemnitati Senatoris eiuſdem generi ſui conſulere officioſo mendacio, in quo graue peccatum non eſſe, potuerunt bonâ fide exiſtimare. Vt autem Senatori non credatur, nullâ eſſe ratio poteſt, tum ob perſonæ dignitatem; tum quia nullum ex eo emolumentum reportat, & quia, vt ſibi credatur, irrefragabiles adiiciet coniecturas. Vnde hic locum habet deciſio Cap. *Tranſmiſſæ* citata; quia per apertas probationes teſtimonium in teſtamento aliter aſſerentium infirmatur. Vnde & ſi per teſtes probetur illam non eſſe filiam. Idem dicendum; quia ſi teſtibus in extremo vitæ poſitis non creditur in hoc caſu, multò minùs eſt credendum aliis, cùm in rebus huiuſmodi doceat experientia non multum legales eſſe ſolitas ciuium depoſitiones. Pro quibus non plura.

CAPVT XVII.

De obligatione ſecreti in Auditoribus Indicis.

Iuramentum de ſecreto, quod emittunt Auditores quomodo

146 PRo illius obſeruatione, dum officij poſſeſſionem accipiunt, iuramentum emittunt; vnde manifeſtum eſt ad illius cuſtodiam obligari; & quidem ſub mortali, quando negotium, de quo tractatum in con-

obliget, & quòd aliquando non ſit ſub mortali obligatio.

claui aulæ iudicialis eſt, tale fuerit, vt ex reuelatione eius, vel ſuffragiorum circa illud, graue poſſit inconueniens pullulare. Quando autem graue, quando vero tale non ſit, ex rerum circumſtantiis æſtimandum. Si illud adnotemus, leuitatem non debere iuxta communem æſtimationem iudicari: nam quod in communi hominum agendi ratione leue eſſe poteſt, in eo, de quo loquimur, debet multoties graue cenſeri.

Notanda doctrina.

Exempli gratiâ: Si quis dicat aliquem in conuerſatione priuata amicorum mendacium dixiſſe, grauiter non peccat, vt communiter tradunt Scriptores; ſi autem de Auditore hoc diceretur, in dicendâ ſcilicet ſententiâ mendacio vſum, graue videretur fore peccatum, quia hoc valde illius opinioni incommodat, & ſi propalatum ſciret, materia grauis doloris exiſteret; & hoc quidem ſecluſo iuramento, quod videtur nouam materiam non concernere, ſed obligationem ex ſe grauem ita firmare, vt ſecretum fregiſſe ſacrilegium ſit, & ita mortale peccatum. Neque enim videtur dicendum leuia in eo genere, quæ eſſe profectò poſſunt iuxta dicta; addito iuramento eſſe venialia ſacrilegia, iuxta communem ſententiam P. Suarij, & complurium aliorum, quos adducit & ſequitur P. Vincentius Tancredi *de Religione Tract. 4. Diſp. 6. Quæſt. 1.* dicentes iuramentum de re leui non eſſe mortale; licet alij ab eodem adducti teneant contrarium. Hæc enim doctrina vera eſt, quando iuramentum cadit ſupra leuem materiam: quod in caſu noſtro non contingit. Togatus enim ſecreti cuſtodiam iurans, de materiâ leui non cogitat, ſed de graui, quia id eſt conforme intentioni legiſlatoris, dum iuramentum emittendum ſtatuit. Sicut enim de minimis non curat Princeps, vt ea ſeruanda cum iuramenti obligatione decernat. Quibus ita conſtitutis, pro ampliori explicatione

Iuramentum de re leui, tantùm ſub veniali obligare. Sed eam doctrinam non bene applicari in caſu præſenti.

Aſſertio 1. Suffragia Collegarū poſſe aliquando reuelari.

147 Dico primò, ſuffragia collegarum reuelare, non eſt ſemper mortale. Id probo: nam multoties ex reuelatione non ſequitur inconueniens, quia partes nequeunt contra ſuffragantes grauem offenſionem incurrere; immò quandoque etiam ad indignationem temperandam opportunum accidet, dum modò in parte contrariâ nihil ſimile timeatur. In quodam Indiarum prætorio quidam vir non ignobilis litigabat; & ex Auditoribus vnum ſibi putabat aduerſum. Aderat cùm ſubcellia aſcenderent, & cùm deſcendentes, aut poſt ſecretum conſeſſum exirent; & cùm ſingularia honoris ſigna exhiberet aliis, vni illi vix ſe præbebat vrbanum, à quo nihil ſibi commodum expectabat. Et tamen vnus ille præcipuus erat cauſſæ talis litigantis defenſor. Vnde Senatores illi hominis mirabantur errorem, & officia erga ſe ipſos adeò inæqualiter diſpenſata. Si ergo tunc illi aliquis eorum veritatem aperiret, non videtur de iuramenti violatione damnandus; niſi pars collitigans ex eo indignationem conſimilem conceptura crederetur. Simile quid in Limano hoc prætorio accidit, de quo teſtari poſſum. Auditor enim ex aliâ Audientiâ promotus, quorumdam narratione conſtanti, Religioni noſtræ rebus putabatur aduerſus. Cumque in negotio quodam Iudicum diſcordia fuiſſet, & res eius acceſſu feliciter terminata; nulli in mentem venit præfatum dominum fauoris quidquam contuliſſe; & tamen ſecus acciderat: teſtimonio enim collegæ id mihi perſpectum, qui & dicere tutò potuit conſcientiæ ſuæ moderatori, & vt Religio ſuſpicionem illam deponeret, quæ, vt dici apud nos ſolitum, bonum ſanguinem nequit creare.

Narrationes pro illa opportunè.

148 Dico ſecundo. Quidquid intra Conclaue geritur, cuius reuelatio in Auditorum decus cedere poteſt, non ſtat ſine lethalis culpæ reatu. Exemplo ſit, quod nunc in ore habetur complurium: Auditorem, inquam, de cuius integritate communis eſt vox, & cuius ſuffragium, iuſtitiæ ſuffragium dicitur, à Prorege grauiter reprehenſum; cùm Religioſorum quorumdam negotium ſatis turbidum ageretur, eò quòd eorum ſupremum Prælatum ſibi Compatrem elegiſſet in nati nuper filij Baptiſmo: cùm tamen non ſit credibile eam ob cauſſam Auditorem præfatum iuſtitiæ limites tranſgreſſurum. Sed erunt, qui aut credent, aut ſuſpicari poterunt auditâ reprehenſione, temerè ab aliquo pariter confidente vulgatâ. Non ergo ſine lethalis culpæ reatu ſtabit huiuſmodi publicatio, & ſimiliter de aliis iudicandum.

Aſſertio 2. Peccari in eo grauiter, ſi in Collegarum cedat detrimentum.

149 Dico tertiò. Senatori frangenti ſecretum in re graui poteſt Prorex pœnam condignam imponere. Quod probatur ex generali doctrinâ, quam cum multis tradit Dom. Solorzanus *Lib. 4. Cap. 4. num. 79. & ſeqq.* Proregem ſcilicet ob grauia crimina poſſe Auditores punire vſque ad officij priuationem. Eſt autem reuelatio ſecreti non ſolùm graue peccatum, ſed ſacrilegium, vt vidimus, & politicæ gubernationi valde exitioſum: libertati enim in iudicando aduerſatur, & conſequenter iuſtitiæ. Nam timere meritò quiuis poterit ex reuelatione ſuffragij ſui grauia illi incommoda ſuperuentura, & ita illud non iuſtitiæ, ſed proprio commodo attemperandi non leue periculum eſt; vnde priuatur officio reuelator talis legibus Luſitanis, inhabilis ad alia redditur, & pœnâ periurii plectitur. Pro quo vide Patrem Fragoſum *Tom. 1. pag. 668. in principio*; neque id mirum cùm criminis huius reus apud Romanos dignus combuſtione, aut furcâ duceretur. Sic Paulus. *L. Si quis. §. de pœnis.*

Aſſertio. 3. Et ſic peccantem poſſe à Prorege puniri.

Qua pœna ex Legibus Luſitanis, & iure Caſareo.

150 Dico quartò. In Indiis ſpecialiùs vrget, quod de obligatione ſecreti dictum eſt. Tum quia minùs tutò credi poteſt communiter, ſeu vt in plurimum loquendo. Pruritus enim nouitates ſciendi, & audita proſeminandi, in his terris peculiaris. Tum etiam quia litigantes liberioris vindictæ habent facultatem. Tum præterea ex eo quòd Auditores plus æſtimationis debent his in partibus accurare, iuxta dicta *Cap. 1.* Nihil autem eos ſic reddere ludibrio dignos poterit, quàm ſi ſecreti violatores habeantur. Pro quo eſt illud Horatij *Sermon. Lib. 1. Sat. 4.*

Aſſertio 4. In Indijs obligationem ſecreti magis vrgere.

Horatius.

Commiſſa tacere

Qui nequit, hic niger eſt, hunc tu Romane caueto.

Verè niger, & mancipio ſimilis Æthiopico, cui honor nullus debeatur. Sed, & Siracides ſic locutus *Eccli. 27. v. 17. Qui denudat arcana amici, fidem perdit.* Quod exponens P. Cornelius ita ſcribit, *Fidem, id eſt opinionem, creditum, & nomen fidelitatis perdet apud amicum, vt eum aſpernetur, tanquam perfidum, & proditorem &c.*

Eccli. 27. v. 17.

P. *Cornelius.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XVIII.

De obligationibus Togatorum iudicum pro criminibus puniendis.

§. I.

Quædam cum reis agendi ratio in eiſdem improbata.

151 AGit de illis ſpecialiter Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 5. & in Politicâ *Lib.* 5. *Cap.* 5. in cuius diſcurſu paucæ ad conſcientiam ſpectantes queſtiones occurrunt, circa illas autem, & alias

Aſſertio 1. Peccare grauiter Iudices Curiæ interceſſionibus deferendo.

Dico primò. Frequens in Indiis querela eſt, & non ſine frequentibus etiam fundamentis, multùm apud præfatos iudices valere interceſſiones, & ita iuſtitiæ curſum legitimum impediri. In quo quidem quàm grauiter delinqui contingat manifeſtius eſt, quàm vt egeat probatione. Animaduertant illi, an qui interceſſionibus ſuis reos conantur à iudiciali ſententia eximere, iudices ipſos ab æternæ damnationis pœnâ ſint etiam erepturi. Luat ergo temporaliter reus, ne iudex æternaliter crucietur. *Suſcipienda precatio eſt, quæ publicis vtilitatibus non repugnat, & amplectenda deſideria priuatorum, quæ ſic remedium quærunt, vt nobis non videantur generare diſpendium.* Vt aliàs Theodoricus apud Caſſiodorum *Lib.* 5. 6. Formidanda Prophetæ à Deo ad Achabum miſſi comminatio; cùm Benadab regem Syriæ illæſum abire iuſſiſſet, in hunc modum fulminata: *Hæc dicit Dominus: Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* Quod ſibi dictum puſilli cordis Iudices arbitrentur, ſi dignos morte dimittant, vt, & qui nocent, noceant adhuc, & graui alij pœnæ obnoxios, impunitos, vt qui in ſordibus ſunt, ſordeſcant adhuc, & Chriſtiana Reſpublica volutabrum immundorum animantium fiat, quæ habitaculum eſſe debuerat Angelorum. Et hoc, quia hic vel ille ſic fieri rogant, Dei & conſcientiæ imperio non curatis.

Quæ admittenda.

Caſſiodorus.

3. Reg. 20. v. 42.

Aſſertio 2. Grauiter etiam peccare dum honoratiores homines dimittunt impunitos.

152 Dico ſecundò. Ea non videtur probanda politica, iuxta quam rei infamium criminum dimittuntur, quia honoratiores ob officium aliquod ex honeſtioribus habitum, aut ob ingenuam parentelam, vel quia Hiſpani ſunt decenti ornatu, vbi Hiſpanum eſſe, & decenter ornatum incedere, quidam videtur excellentiæ gradus, ob viliorum hominum turbam ex Æthiopibus, Indis, & mixtim progenitis comparatam. Ratio eſt clara, nam leges, quæ pœnâ delictis ſtatuunt exceptionẽ iſtam non apponunt; *& vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.* Vt eſt vulgatum axioma, ſicut & illud; *Quod lex non dicit, nec nos dicere debemus.* & aliud ſimile & ſatis ad intentum: *Quod lege non cauetur, in praxi non habetur.* De quibus Auctores adducti à Dom. Solorzano *Tom.* 2. *lib.* 2. *Cap.* 18. *in fine.* Dei comminationem audiuimus: *Quia dimiſiſti virum dignum morte.* &c. Et quis vir ille? Rex Syriæ, quem Deus morte dignum declararat, dum ob blaſphemiam in ipſum, ac eumdem, & plebem innumeram, ſingulari prouidentiâ gladio Achabi ſubiecerat, pariter puniendum. Videatur P. Gaſpar Sancius in eum locum. Et quidem praxis vniuerſi orbis Chriſtiani ſic habet, quam præfati iudices meliùs me norunt: & quàm notanda rei huius exempla in Hiſpania conſpecta, nobiliſſimis multis ordinaria legum pœnâ, infamia ob crimina, caſtigatis. Et certè ſi hoc non ita fiat, peſſimè eſt publicæ vtilitati conſultum. Furta enim leuioris momenti viliſſimi homines ſolent committere: grandiora in hoc genere facinora, & vt poëta loquitur, *maioris abollæ*, homines nigri pallij, vt dici apud nos ſolitum, aggrediuntur. Si ergo ad hæc Iudicum conniuentia deſcendere pœnas impediat, damnis maioribus minori, quàm leuibus, ſtudio prouidetur. Quo malo nullum videtur in Republica poſſe maius inueniri. Et certum aliàs eſt, cùm lex aliquos voluit exceptos, eoſdem expreſſiſſe: vt conſtat ex *l.* 2. §. *Poſtea cùm Appius D. de origine iuris.* In qua ſtatuitur transfugam non eſſe transfugarum pœnâ afficiendum, qui multos poſteà transfugas, ac latrones deprehendendi auctor fuit.

Contra legum mentem id eſſe.

Exemplum ex Scriptura vrgens.

Et ratio aperta.

153 Bene verum eſt. Pœnas in ordinariis iudiciis eſſe arbitrarias, quia leges non poſſunt exprimere omnes circumſtantias, & ideò arbitrio iudicantis eſt remiſſa facultas, vt ſecundùm facti contingentiam poſſit pœnam minuere, vel augere. Quod communiter tradunt Doctores iuxta *l.* 1. *& l. Milit. D. de cuſtodia reorum*, alioſque. Quod ſi tale aliquid circa præfatos accidat, hac ſe tueri doctrinâ poſſunt. Sed aliud eſt minuere, aliud penitus abſoluere, quod Principi proprium eſt, & dicitur eſſe de regalibus; pro quo videantur Auctores apud P. Fragoſum *Tom.* 1. *pag.* 479. *num.* 263. Deinde etſi minui poſſint, non tamen ob titulum explicatum ſic generaliter acceptum, aliàs, vt dixi, non erit Reipublicæ ſecuritati conſultum, ſi pœnæ maioris momenti ſolis ſint miſeris Indis, Æthiopibus, & mixtim progenitis imponendæ. Et in legibus quidem multis pœnæ cum diſcrimine perſonarum aſſignantur, & maior perſonis vilibus, quàm ingenuis ſolet indici. Quando ergo indiſcriminatim pœna imponitur, ſignum eſt Legiſlatoris voluntatem talem eſſe, vt pœna talis vniuerſos comprehendat. Circa hoc ergo grauiter poſſunt delinquere criminis Auditores.

Pœnas eſſe arbitrarias.

Sed eâ doctrinâ non ſe poſſe iudices abſolutè tueri.

154 Pro Indiis autem poteſt caſus occurrere, in quo locum habere præfata queat politica: ſi videlicet aliquis ex conquiſitorum progenie crimen aliquod grauiter luendum committat; huic enim videtur pœnam poſſe remitti, iuxta doctrinam Tiraquelli *de pœnis temperandis, cauſſa* 49. per totam, præſertim *num.* 13. *&* 14. Vbi ait delinquentium pœnas remittendas, aut minuendas, propter propria, aut maiorum in Rempublicam merita, ac beneficia. Addens tamen hoc ita faciendum, niſi delicta atrociſſima, grauiſſimaque in eamdem Rempublicam fuerint perpetrata. Cùm ergo in Indiis nulla maiora eſſe merita poſſint, quàm Conquiſtatorum, legitimè ex eo deducitur, quando deſcendentes ab illis grauia delicta committunt, poſſe à iudicibus pœnas à legibus impoſitas temperari. Quia verò, ſi hoc illi ſibi perſuadeant, fieri inſolentes poſſunt, & legum ac Iudicum contemptores, quod regionibus

Circa Conquiſtatorum progeniem fauorabilis pro Indijs doctrina.

Digitized by Google

gionibus in iſtis periculo plenum eſt, temperatio talis futura, vt ſatis ſit ad eos in officio continendos, accedente ſimul Proregis auctoritate, vt ſciant illi non ſibi impunè futuram liberiorem agendi rationem.

§. II.

Circa eos, qui in Hiſpania vxores habent, quid præſtandum, & alia pro eorumdem Iudicum vigilantia rebus diuerſis applicanda.

Aſſertio 3. teneri vxoratos compelleri, vt ad vxores in Europa relictas redeant.

155 Dico tertiò. Iudices præfati ſpeciali obligatione tenentur eos, qui vxores in Hiſpaniâ habent, eò vt redeant compellere, ſi earum licentia non extet: vel vt eas adducendas curent, venire volentes, commeatu tranſmiſſo competenti, fraudes, quæ in hoc admiſceri ſolent, ſolicitè diſcutientes. Conſtat hoc ex variis reſcriptis Regiis, quibus hæc illis cura committitur; & quidem meritò; quia diuortium iſtud contra vxorum iura inhumanè protractum, crimen eſt, vt negare poteſt nullus, cùm ex eo vxores iure petendi debiti priuentur, & ſolatio virorum, ac cuſtodiâ deſtitutæ, manifeſtis periculis obnoxiæ ſint connubialis fidei violandæ: & in definitione matrimonii, quam communiter Doctores tradunt, id expreſsè continetur; dicitur enim *coniunctio maritalis viri, & fœminæ, inter legitimas perſonas, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens.* Quæ quidem ex vtroque eſt iure deducta, vt videri poteſt apud Doctores, quos adducit P. Palaus *Tom. 5. Diſput. 2. poſt initium.* Videatur præſertim *Cap. Illud quoque, de Præſumptionibus.* Circa hoc tamen aliqua occurrunt notatu digna, & peculiari inquiſitione.

Matrimonij definitio.

Vxorem nõ teneri transfretare.

156 Primò. An ſi vxor venire nolit, teneatur vir in conſcientiâ ad eam tendere. Vbi in primis probabile eſt vxorem non teneri transfretare, vt maritum ſequatur, ſic enim tenent Hoſtienſis, & Henricus, quibuſcum P. Thomas Sancius, *Lib. 1. de Matrimonio, Diſput. 41. numer. 9.* Quod etiam colligitur clarè ex aliis dicentibus non teneri ſequi maritum in longâ peregrinatione ſeu vagatione; pro quo videndus idem, & P. Palaus *ſuprà Puncto 15. num. 5. Diſp. 1.* Quæ autem peregrinatio longior eâ, quâ ad Indias ex Europâ pergitur? Item ex aliorum Doctrina dicentium generaliter vxorem non teneri virum ſequi, ſi graue timeat vitæ detrimentum. P. Sancius *ſuprà nu. 4.* & illud, *vitæ*, non addunt alii, ſed tantùm graue detrimentum; & cum illis P. Palaus *ſuprà numer. 2.* licèt ſimiliter poſſit intelligi, vt ſcilicet, quoties graue detrimentum eſt, vitæ detrimentum ſit, cùm viuere cogatur vitam difficilem, & laborioſam. Graue autem detrimentum vxorem pati ex nauigatione ſuſceptâ quis non videat? cùm & pericula frequentia mortis in illa, omnia plena timoribus, & incommodis, vt & viris ipſis nimiùm moleſta cenſeatur: illa ergo iuſtè transfretationem renuente, quid viro agendum?

Sicut nec ſequi cum graui detrimento.

Maritus an poſſit nauigare in Indias.

157 Vbi & alia ſuccurrit quæſtio, an ſcilicet renuente nauigationem, poſſit nihilominùs vir eam ſubire, etiam ſi vxor nolit abeundi facere poteſtatem. In quo certum eſt, ſi illa non habeat, vnde ſuſtentari poſſit abſente marito, aut ſecura non maneat in ordine ad cuſtodiam caſtitatis, maritum non poſſe diſcedere ſpontaneâ ſeparatione; quia obligatio eius in ordine ad prædicta eſt vrgentiſſima juxta dicta. Talis autem obligationis implemento ſuppoſito, difficultas procedit, & videtur poſſe probabiliter fundari. Maritum non peccare in tali diſceſſu, ſi aliàs illis finis honeſtus præfigatur: nam lex matrimonii non obligat ex ſe virum ad certum locum: ſed poteſt illa pro rerum opportunitate mutare: ergo & nauigare in Indias, ex quâ nauigatione commodum & ſibi & vxori poteſt ſperare non leue. Videtur legitima conſequentia; quia pro Indiis ſpecialis prohibitio non extat. Si dicas vxorem ſequi eum non poſſe: contra eſt; quia id peraccidens ſe habet, neque ea impoſſibilitas moralis, aut phyſica, poteſtatem eius abſolutè tollit. Quemadmodùm vir peregrinari poteſt ad implendum votum, etiam ſi peregrinatio longa futura ſit, quem vxor ſequi non tenetur, iuxta dicta, *num. præcedenti:* ſicut & vagari ob honeſtum finem, juxta eos, quos adducit P. Sancius *num.* 8. Quod ergo mulier viri aſſiſtentiâ priuetur, ſibi imputet, quæ ſequi eum non vult, quod incommodum præuidere potuit, dum de coniugio cogitauit; quia hoc ſæpiùs facere mariti ſolent; & ita ſi voluit ita contrahere, ſibi id adſcribat; ſcienti enim & volenti non fit iniuria.

Contra vxoris voluntatem, & affirmatiuæ partis fundamenta.

Ex peregrinatione, & honeſta vagatione arguitur.

158 Nihilominùs oppoſitum videtur tenendum ex communi ſcriptorum Doctrinâ aſſerentium in viro eſſe obligationem ſequendi vxorem, quando illi neceſſarium eſt domicilium mutare: ſic plures, quos adducit, & ſequitur P. Sancius *ſuprà num.* 15. & P. Palaus *n.* 7. ex quo clarè ſequitur debere eam non relinquere in eo, quod habet, domicilio, quod multo minus eſt, quando illa ad aliud nequit ſe conferre, quod marito placet: & ita Doctrinam prædictorum ſcriptorum videtur intelligere P. Palaus, dum ait maritum teneri vxorem ſequi, quando vxor neceſſitate legis, ſalutis, alteriuſue cauſæ grauis compellitur alicubi habere domicilium, & ſtatim pro hoc memoratos Auctores inducit. Quod cùm videatur extra controuerſiam, huic potiùs ſtandum ſententiæ. Nam vxor nauigare renuens, ad id neceſſitate aliquâ graui compellitur, ſalutis inquam, de quâ dictum *numer.* 156. immò & vitæ cum grauaminibus aliis ſat moleſtis, vt *ibidem.*

Negatiua præfertur, ex recepta ſententiâ de obligatione viri, cùm vxor ex neceſſitate mutat domicilium.

159 Iuxta hæc ergo quæſtio propoſita decidenda: teneri inquam virum in Indiis exiſtentem ad vxorem remeare; quia quòd ſine iniuriâ inchoari non potuit, nequit ſine illâ continuari. Poſſunt tamen cauſæ aliquæ detentionis ſubeſſe, ex quibus de beneplacito vxoris veroſimilis habeatur coniectura; & hoc notatu dignum occurrit. *Secundò*, vt ſi vir cœperit feliciter lucrari; poteſt pergere, vt peculium augeat; gratum enim vxori erit virum non inopem, & inhonorum ad ſe redire, ſed facultatibus auctis, quibus mulier ipſa copioſiùs, & honorificentiùs poſſit ſuſtentari. Item ſi vir mulieris pertentet aduentum, bonam ſuam fortunam nuntians per epiſtolas, & neceſſaria ad iter remittendo. Prætereà, ſi beneplacitum petat, & liberalibus largitionibus conetur exorare. Deinde, ſi valdè illi inhonorum futurum

Teneri in Indiis exiſtentem ad illam remeare.

Cauſas aliquas detentionis ſubeſſe poſſe.

Digitized by Google

Vxorem teneri virum transfretantem ſequi, aliquorum ſententia.

ſuturum ſit ad propria ex Indiis ſine ſubſtantiâ aliquâ reuerti, vt ſit fabula conterraneorum. Inſuper, ſi in eo ſit ſtatu, vt vxori magis oneri futurus ſit, quàm ſolatio; quia ſcilicet laborare jam non poſſit, in eo quòd prius, & ita vxoris labore veniat ſuſtentandus: quibus addi poteſt opinionem eſſe aliquorum vxorem teneri ſequi virum honeſtâ ex causâ tranſfretantem. Pro quo Dom. Solorzanus *num.* 27. adducit Fr. Ioannem Baptiſtam *in Aduentitius in Tabula*, *v. Matrimonio*, & Zuritam *Quaeſt.* 38. *indica.* ſed Fr. Ioannes Baptiſta *citato loco* nihil tale dicit. Ferdinandus autem Zurita *Propoſitione* 3. oppoſitum ſtatuit, quidquid *Propoſit.* 1. circa conuenientiam diſputarit. Et ipſe D. Solorzanus magis ex conſilio, quàm de præcepto procedere ait, ſed certè aliquantulum probabile eſt, quod ipſe non negat.

Vt credi debeat dicenti ſe habere licentiam.

160 Tertiò. Iudices criminis quando circa iſta inquirunt, & aliquis licentiam vxoris ſe habere teſtatur, non debent credere, niſi pro eo probabilia deprehendant argumenta, vel quia licentia per authenticum conſtat inſtrumentum, vel per vxoris epiſtolas, aut per idoneos teſtes, vel ſi probationes non ſint adeò concludentes, modus viuendi vxorati talis accedat; quia ſcilicet honeſtè viuit, Sacramenta frequentat, non enim eſt credibile illum ſalutis ſuæ oblitum ſacrilegia frequentia committere, & alium eſſe ab eo, quem opera manifeſtant. Pro quo eſt *Cap. Ex ſtudijs* de Præſumptionibus, in quo ſic habetur: *Quemcumque enim virtutibus ſtudere cum modeſtiâ continentiæ, auditioni ſapientum, obſeruantiæ mandatorum Dei, maximè ſimplicitati, & humilitati videris; huius munda, & recta opera intellige.* Sic ibi: & in *Cap. In cunctis* 11. *Quaeſt.* 3. ſic ex Diuo Gregorio habetur: *Vt nimiæ leuitatis eſſe oſtenderem, ſi quis mala gratia credere ſtudeat, quæ probari non poſſunt.* Sic ille. *Lib.* 6. *Epiſtol.* 14. Hoc ergo negotium cùm ad criminalem indaginem reducatur, ea enim de cauſa judicibus maioribus criminalium committitur, arbitraria eſt, juxta dicta *n.* 153. & ita cum bono zelo juxta æquitatis regulas remittendum. Pro quo,

Cap. Ex ſtudiis.

Vnde fauorabilis præſumptio iuxta ſacros Canones.

Aſſertio 4. *peccare poſſe judices prædictos zelo præcipiti, qui manſuetudine leniendus.*

161 Dico quartò. Sicut Præfati judices peccare per conniuentiam poſſunt, juxta dicta §. *præcedent.* ita & per zelum præcipitem, qui aliquando non ſinit veritatis lumen peruidere. Pro quo Diuus Iſidorus Peluſiota ita ſcribit, *Lib.* 1. *Epiſtol.* 47. *Præturæ auctoritas, & potentia, niſi manſuetudine condiatur, ipſique ſuauitas Deo miniſtrans affulgeat, arrogantia potiùs eſt, & immanitas: ſi verò lenitatem admixtam habeat, ac per eam jus regat & moderetur; tum dominus & integritas, & benignitas eſt, & æquitatis vis, & rerum tranquillitas.* Sic ille ad Nemeſium. Zelus ergo à manſuetudine lucem accipit, vt ſic judicium prodeat conforme penitus æquitati. Non ergo præcipiti curſu, ſed tremendi ad judicium, præſertim ſanguinis, veniendum. De quo ſic Diuus Bernardus Teobaldo Comiti ſcribit *Epiſtol.* 37. *& quidem in talibus, vbi culpa tam aperta, atque inexcuſabilis eſſe videtur, quatenus nulla, niſi cum iuſtitiæ periculo, miſericordiæ occaſio relinquatur, etiam tum tremens, & dolens vindicem vos exhibere debetis.* Sic ille.

D. Iſid. Peluſiota.

D. Bernardus.

Aſſertio 5. *Nocturna debere inſtantes eſſe cuſtodia.*

162 Dico quintò. Iudices criminis nocturnis debent periculis vitandis ſpecialem diligentiam adhibere: vnde & circuire ciuitatem idoneis miniſtris inſtructi, quod ad eorum ſpectat officium. Quod eâ quidem moderatione ab ipſis faciendum vt ad laborem diurnum, ad quem manè recurrendum eſt, non reddantur inepti. In quo quidem, ſi vires ſuppetant, peccari grauiter poteſt, vt eſt manifeſtum: ſicut manifeſtum etiam eſt in horum judicum electione ſæpiſſimè peccari: eliguntur enim homines jam ſenio inutiles, aut morbis incurabilibus impediti. Nunc in Limano hoc Prætorio ex his vnus omnino cæcus eſt, qui etiam ſi claris eſſet oculis, ex aliis dictis obſtaculis, quibuſcum venit, minimè idoneus haberetur. Vbi obuia excuſatio eſt, talia obſtacula non præuiſa. Sed neſcio an in Dei oculis, aut etiam hominum illa mereatur admitti. Cùm enim ad electionem huiuſmodi, quæ de præcipuis eſt, notitia debeat exacta eligendorum præcedere: quis defectum notitiæ pro legali excuſatione cenſeat admittendum? Honorentur ſenes, ſed ſine officiorum dedecore; & iis qui otio, quàm negotio aptiores ſunt, viribus congruentia tribuantur. *Sola ſenum vita eſt quietis inueniſſe remedia.* Verba ſunt Theodorici Regis apud Caſſiodorum *Lib.* 5. *variar.* 25. Vnde Bacaudæ ſeni congruam attribuit dignitatem; *Quatenus in exhibendis voluptatibus officij huius cura manſuetudinis noſtræ beneficio jugiter perfruaris*, vt ille loquitur.

Electio eorum ſæpè præpoſtera.

Qui ſenes quomodo honorandi.

Caſſiod.

CAPVT XIX.

Regii Prætorii Fiſcales quibus conſcientiæ obligationibus vrgeantur.

SVnt illæ nec paucæ nec leues, cùm ad eorum officium ſpectet, vt leges, ac Regia reſcripta ſeruentur, ac legum violatores puniantur; jurium Regalium Patroni ſunt, & priuatorum quandoque in cauſis peculiaribus, & in Indiis id ſpeciale, vt Indorum etiam patrocinium ad ipſos pertineat: pro quibus

163 Dico Primo. Fiſcales in iis, quæ ad jura Regalia ſpectant, non poſſunt ſequi opinionem probabilem Fiſco aduerſantem, vt poſſunt judices juxta ſatis receptam opinionem, & oppoſitum fieri ſine graui conſcientiæ nequit læſione. Id probo: nam aduocatus pro cauſa alicuius, ſi parti patrocinetur aduerſæ, præuaricator eſt, & grauiter peccat: Atqui Fiſcalis officium aduocati exercet, vt eſt planum; & ita Regius etiam aduocatus vocatur, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *Lib.* 4. *Cap.* 6. & in Politicâ *Lib.* 5. *Cap.* 6. ergo nequit partem amplecti contrariam, & ſic indefenſum Fiſcum reliquiſſe.

Aſſertio 1. *non poſſe opinionem Fiſco contrariam amplecti.*

164 Dico ſecundò. Si lis aliqua pro Fiſco nondum mota ſit, & Fiſcalis videat Fiſci jus minùs eſſe probabile, non tenetur litem intentare. Hoc videtur mihi valdè veroſimile; quia credibile non eſt Regem velle jus ſuum minùs fundatum meliori alterius juri præferri. Pro quo faciunt, quæ adducit Dom. Solorzanus *ſuprà num.* 4. Sed illud ex *L.* 2. *Cod. de Aduocatis*, & in Politicâ §. *Tſon.* Non prætereundum, Imperatoriâ voce prolatum: *Potior eſt apud nos cauſa priuatorum, quàm Fiſci tutela.* Quod vrgeri poteſt ex eo quòd ſi Fiſcalis tale non haberet officium, & ab eo vt juriſprudente quæreretur, num talis conuenienter intentari lis poſſet, non eſſe id conuenienſ reſponderet: ergo cùm ad eumdem ſpectet non

Aſſertio 2. *poſſe à lite abſtinere, ſi Fiſci cauſa minus probabilis ſit.*

Priuatorum cauſis quotidium ſtura fauemus.

Digitized by Google

non ſolùm aduocatio in Fiſci cauſis, ſed etiam ſuperius aliud patrocinium; ſimiliter agere poteſt, & ita non mouere litem in priuati præiudicium.

Aſſertio 3. poſſe etiam illam intẽtare.

165 Dico tertiò. Etiamſi non teneatur Fiſcalis in caſu dicto, poteſt tamen intentare litem. Id ex eo probo: nam licèt ipſe iudicet jus Fiſci minùs eſſe probabile, exiſtimare tamen poteſt, judicibus cauſæ aliter videri poſſe, & illud judicaturos probabilius, aut æquè probabile, & rationes habituros, propter quas expediens ſit in fauorem Fiſci judicare. Si dicas, ex hoc inferri non ſolùm poſſe, ſed etiam teneri, contra id, quod nuper diximus. Reſpondebo: probabile quidem eſſe eum obligari: nego tamen abſolutè teneri; quia etiam poteſt veroſimiliter judicare non eſſe Regis voluntatem, vt cum tanto rigore in rebus iſtis procedatur: cùm contingere etiam ſoleat judices ob humanum timorem in fauorem Fiſci judicium ferre, etiamſi illius ius minùs fundatum ſit, quod & timere Fiſcalis poteſt, cùm id non ſit Regiæ voluntati conforme, iuxta dicta *Aſſertione præcedenti.*

Aſſertio 4. teneri, cùm opinio communis & praxi recepta eſt, etiã contra propriam.

166 Dico quartò, ſi iuxta communiorem opinionem, & in praxi præferri ſolitam, ius Regis probabilius ſit, tenetur Fiſcalis tale ius proſequi, etiamſi ipſe iudicet opinionem contrariam eſſe veriorem. Probatur; quia in eo caſu priuatus quiſque litem intentaret, cùm ſcilicet pro ſe communiorem, & praxi roboratam opinionem haberet, & Aduocatus quiſque ad tale ſe patrocinium offerret; ergo & Fiſcalis pariter facere poteſt; quia cauſa Regis non debet eſſe peioris conditionis, pro quâ & ille Aduocatum agit, iuxta dicta *num.* 163.

Aſſertio 5. ad reſtitutionem teneri ob detrimenta ex incuria ſubſecuta.

167 Dico quintò: ſi ob incuriam Fiſcalis, aut malam ſui muneris adminiſtrationem, aliquod Regius Fiſcus in ſuis directis iuribus patiatur detrimentum: Fiſcalis grauiter peccat, & ad reſtitutionem tenetur. Primum conſtat; quia officio deeſt in re graui: ſecundum item; quia talis detrimenti cauſa eſt, quòd vitare ex officio debuit, & ita ex obligatione iuſtitiæ commutatiuæ, cuius violatio obligationem reſtitutionis inducit, vt omnes fatentur, & de Aduocato ſpecialiter loquentes; quorum aliquos adducit Bonacina *Diſput.* 10. *circa* 8. *Decalogi præceptum, Quæſt.* 3. *Puncto* 4. *num.* 7. Videatur P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 31 *num.* 47. qui *num.* 41. affirmat multos Doctores id generaliter de Aduocato Fiſci affirmare. Et ſanè videtur innegabile in caſu, de quo loquimur; quando ſcilicet Fiſcus detrimentum patitur in ſuis directis iuribus, & in redditibus annuis, officiorum emolumentis, & iis omnibus ex quibus, ſecluſis pœnis, ſolet Regium patrimonium

Sicut Aduocatus generaliter.

augeri. Eâ enim ratione omnes ad reſtitutionem obligant Aduocatum, cuius negligentiâ, aut malitiâ jus clientis perit: eſt autem Fiſcalis, vt jam diximus, Regius Aduocatus. De pœnis autem alia eſt ratio juxta plurium Doctorum ſententiam. Procuratorem enim, Fiſcalem ſeu Aduo-

Quid de pœnis Fiſco applicandis.

catum non teneri ad reſtitutionem pœnæ, quam Fiſcus per eius negligentiam amiſit, tenet P. Leſſius *ſuprà & cap.* 13. *num.* 73. aliique à nobis adducti *ſuprà num.* 69. ob eam rationem; quia officium eius non eſt curare vt Fiſcus mulctis, & confiſcationibus diteſcat; ſed vt leges ſeruentur, & legum violatores puniantur. Quæ roboris quantum habeant, *citato loco* oſtendimus, & vt *ibidem* dictum ob grauium Doctorum ſic tenentium auctoritatem non poteſt non probabile judicari. Illud tamen obſeruandum eſt aliud eſſe ob incuriam Fiſcalis aliquem ad pœnam non condemnari, aliud autem poſt condemnationem non adhibere curam, vt ea ſoluatur. In hoc enim ſecundo aliter iudicandum eſt iuxta Doctrinam etiam Doctorum, qui circa prius obligationem reſtitutionis non eſſe contendunt: quorum ratio eſt, Fiſcum non habere ius ad pœnam, niſi poſt ſententiam: ergo cùm iam ſententia præceſſerit, ius habet directum: & ita eadem eſt ratio; quæ de directis aliis iuribus. Niſi fortè aliqua pœna plus habeat terroris, quàm efficacis executionis, ex iudicum voluntate probabilibus coniecturis explorata. Sic videmus de pœnarum aliquarum executione non agi, quæ adinſtar excommunicationum ad terrorem videntur proclamatæ.

Poſt ſententiam rem eſſe certam.

Aſſertio 6. circa criminum curandã punitionem.

168 Dico ſextò, circa criminum punitionem eodem modo peccare Fiſcales poſſunt, quo & iudices, de quibus dictum *Cap. præcedenti*: & prætereà in ſolicitatore Fiſci, miniſtro inquam ab illis electo; ſi videlicet tale officium vendant, vel alicui tribuant cum obligatione partiendorum emolumentorum; ex quo fit multas iniquas extorſiones fieri, & ſcandala non leuia generari. Eſt ergo non vnum in hoc Fiſcalium delictum, ſed concatenatio delictorum, ipſo cum tempore officii prorogata. Officiũ illud deſignari à Fiſcali poteſt, qui tamen illius dominus non eſt; quia nec proprii officii eſt dominus, cui illud annexum eſt, ſed Regis: vnde illud dare, aut auferre poteſt: qui ergo illud vendit, alienum vtique vendit, & ſic manifeſtam iniuſtitiam committit. Sicut de venditione aliorum officiorum dictum *Titulo præcedenti cap.* 5. Deinde emolumenta, aut ſunt iuſta, aut ſupcrexcedentia. Si primum, debentur Officiali pro labore ſuo, & ita iniquè illi ſubſtrahuntur: ſi ſecundum; maior eſt iniquitas. His ergo dies per ſingulos perpetratis, quantus poſt finem officii criminum aceruus exurget? Væ talibus, ſi tales ſint.

Officium ſolicitatoris Fiſci vendi non poſſe, neque emolumenta partiri.

Aſſertio 7. circa obligationẽ curandi fidei propagationem in Indiis.

169 Dico ſeptimò. Fiſcales Indici Prætorii grauiſſimâ obligatione conſtringuntur ad promouenda ea, quæ ad fidei propagationem ſpectant. Id clarum; quia cùm obligatio iſta Reges Catholicos noſtros grauiter purgat, & pro exoneratione conſcientiæ ſuæ multas condiderint leges, varia reſcripta tranſmiſerint, quorum adimpletionis cura ad Fiſcales pertinet, ſatis compertum eſt officio illos deeſſe ſuo in re grauiſſimâ; & ſic leue eorumdem, dum eam leuiter tractant, nequit eſſe delictum. Si præſertim ex eo moueantur; quia aliquæ ſunt expenſæ ex Regio ærario faciendæ, plus alienos denarios, quàm Chriſti ſanguinem, pro Gentilium ſalute effuſum, æſtimantes. In quo quidem Principis potiùs mundi huius, quem foras venit emiſſum Princeps pacis, quàm Catholiciſſimorum Hiſpaniarum, & Indiarum Principum Fiſcales eſſe comperiuntur. Qualis ille, de quo Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 4. *num.* 80. & in Politicâ *Lib.* 5. *Cap.* 4. *Pag.* 786. *§. Pero ſi.* Sed ſunt ſanè multi zelo Chriſtiano, & morum probitate laudabiles, de quibus

Digitized by Google

bus id poſſum teſtis oculatiſsimus pronuntiare.

Aſſertio 8. Circa curam Indorum.

170 Dico octauò. Fiſcales Indorum patrocinium diligenter debent, & purè ſuſcipere, cuius defectu grauiter peccare poſſunt. Id clarum: quia patrocinium hoc per leges illis iniungitur, & circa miſerabiles perſonas verſatur, quas grauant multi, & ita Regio debent defendi præſidio. Videatur Dom. Solorzanus *citato Cap. 6. num. 32. & ſeqq.* Quod ad puritatem verò manuum attinet, res ipſa videtur comprobare: à miſeris enim & pauperibus quæſtum exigere inhumanum prorſus eſt, de quo dictum aliàs. Illud tamen addendum, ſecluſo ſcandalo, poſſe ab Indis munuſcula aliqua recipi, quæ ſoliti ſunt libenter offerre. Talis enim ſunt indolis, vt ſi oblata non admittantur, id ægrè ferant, & contriſtentur, exiſtimantes ſe contemni, aut non amari. Vnde & miniſtri ſacri, turpem quæſtum aliàs vehementer exoſi, hæc ſolent non repudiare munuſcula, vt ſic dantium animos magis ſibi valeant conciliare. Quod ergo de paruitate materiæ in munerum acceptione dictum. *Titulo præced. num. 22. & 23.* hic locum habet ſpeciali dictâ ratione.

Munuſcula ab eiſdem accipi poſſe.

CAPVT XX.

Miniſtri Togati qualiter grauare conſcientias ſuas poſſint, obnoxij dum ſunt Syndicatui.

Vbi de Proregibus aliquid.

QVia nihil Syndicatu validius inter humana remedia ad iudices in officio continendos validè illius robur curatur infringi; ſed certe vbi humana intenditur declinari vindicta, in diuinam impingitur, præ illa comparabili timoris exceſſu formidanda. Pro quo ſit

§. I.

Circa falsò iurantes, & inducentes notandæ reſolutiones.

Aſſertio 1. Inductio falſorum teſtium quantum malum, & qualis eorum vſus in Syndicatu.

171 DIco primo. Frequentior ſcopulus, per quem multorum ſolent conſcientiæ lethale pati naufragium; falſorum teſtium inductio eſt. Circa huius criminis grauitatem nullum eſſe dubium poteſt, niſi fortè an homicidio maius; quod volunt multi, ſed de quo hic non eſt opus diſputare: vbi tantùm grauiſſimum eſſe peccatum ſatis eſt affirmaſſe, quod neque ipſi, qui committunt, ignorant, nec poſſunt, qui ad illud induxerint, ignorare; & nemo quidem eſt ita ſibi iniurius, & ſuæ oblitus dignitatis, vt ad peierandum apertè non vereatur inducere: fit tamen tacitâ ſuaſione, dùm fauor petitur in eo, in quo niſi peierando, fauor eſſe nullus poteſt, & interuentores ſubmittendo, qui depoſituros moneant, aut etiam terrefaciant, ſi quidquam, quod poſſit incommodare, teſtificentur. Tanta enim ſecreti ſeruandi difficultas eſt, vt quidquid teſtes dixerint, cum eorum periculo propaletur. Vnde tueri ſe poſſunt communi doctrinâ, quam poſt alios amplectitur P. Fragoſus *Tom. 1. pag.* 591. *num.* 342. quòd ſcilicet teſtis iuridicè interrogatus non teneatur ad mentem interrogantis reſpondere, ſi ex prolato teſtimonio ſibi graue damnum immineat; quod quidem non eſt neceſſarium certò ſcire, ſed probabiliter ſuſpicari. Vide P. Becan. q. 4. *de Iuram.*

Non teneri ad mentem interrogantis reſpondere, qui damnum timet.

Inducentes à mortali poſſe excuſari ex prædicta doctrina.

172 Ex quo videtur inducentes ad iurandum in fauorem maiorum huiuſmodi poteſtatem, poſſe à reatu culpæ læthalis excuſari: quia tantùm inducunt ad id, quod ſine graui peccato fieri poteſt. Quòd ſi ij, qui iuraturi ſunt, minùs intelligentes ſint, & cùm conſcientiâ mortalis culpæ credantur eſſe dicturi, inſtrui certè poſſunt, vt credant ſe in hoc mortaliter non peccare, ad ſuam, & non ad interrogantis mentem reſpondendo. Quod quidem ipſi libenter admittent; cùm vix ſit, qui contra potentes non teſtificetur inuitus: vnde modo inuento conciliandi cum iuramento conſcientiam, ſine cordis anguſtiis ad deponendum accedent, vt qui gratiam etiam ex hoc potentium aucupentur. Terrefacere autem, ſine graui peccato ſtare poteſt, ſi minæ non ad effectum, ſed ad terrorem dirigantur. Et quia ſic minans id verè dicere poteſt, quod non à ſe faciendum ſit, ſed quod frequenter ſolet accidere; ſemper enim potentes patronis abundant, & ex amicorum, vel cognatorum offenſione graue aliquid timeri poteſt; quod ille contra quem fuit depoſitio, valeat euitare. Diebus his proximis Clericus tabellionem in publico ſui officij loco, & multis aſtantibus fuſte cecidit, quia patruum ſuum, Regium Auditorem, recèns mortuum, neſcio quo teſtificationis impulſu, vt ille eſt ratus, offenderat. Et quis ad hæc non timeat, & *fumantem naſum vim tentauerit vrſi*? Fateor magnum hoc ad iuſtitiæ adminiſtrationem obſtaculum. Sed cùm illud vitari nequeat, curandum eſt, vt cum minoribus diuinæ Maieſtatis offenſis peragatur: & ita doctrina iſta debet attentiùs obſeruari.

Et terrefacientes.

Aſſertio 2. Non contrahi obligationem reſtituendi ex prædicto teſtificandi modo, etiam pœna Fiſco applicanda.

173 Dico ſecundò. Ex modis deponendi præfatis non oritur obligatio reſtitutionis, eò quòd pœna Fiſco applicanda, non ſoluatur. Et quod ad poſteriorem ſpectat deponendi modum, cùm in eo iniuſtitia non ſit, ſed ſine peccato ſtare poſſit, manifeſtum eſt non oriri reſtitutionis obligationem. Quando autem falſa depoſitio fuit, ſententia illorum locum habet, de qua. *num.* 167. & potiori quidem ratione, nam teſtis non tenetur ex officio ad deponendum, ſicut tenentur illi, de quibus dictum. Licet oppoſitum boni tueantur Auctores; ex quibus Sotus *de iuſtitia Quæſt. 6. Art. 6.* Videantur tamen pro contrariâ de teſte ſpecialiter loquentes Bonacina *Diſp. 10. Quæſt. 3. Puncto 2. num. 23.* in fine Nauarrus *Cap. 18. n. 48.* P. Vaſquez 1. 2. *Diſp. 175. Cap. 2.* P. Thomas Sancius *in Opere morali lib. 2. Cap. 22. num. 22. & 23.* P. Gaſpar Hurt. *diſp. 4. de iudicio forenſi, difficult. 6.* P. Turrianus *de iuſtit. diſp. 52. num. 6.* Ioannes de la Cruz *in Directorio conſcientiæ Parte 1. Præcepto 8. Art. 1. dub. 6.* Malderus 2. 2. *Tract. 6 diſp. 2. dub. 19. § dico tertiò.* Diana *Parte 3. Tract. 5. Reſolut.* 101. P. Leſſius *Lib. 2. Cap. 31. num. 50.* vt alios omittam. Si autem de iure tertij agatur, quod ille contra Togatum in iudicio proſequitur, quia ſcilicet aliquid ſibi deberi contendit, quod reuerà ita eſt,

Secus ſi de iure tertij agatur, & falsò iuretur.

Digitized by Google

tunc falsò iurans, ex cuius iuramento tertius dictus in cauſſâ cadit, & debitum amittit, ad reſtitutionem tenetur, quia eſt damni illius cauſſa, vt communiter Doctores cenſent, & citati affirmant; viderique poteſt P. Leſſius *Cap.* 30. *dubio* 7. Bonacina *ſuprà. Puncto.* 3. *num.* 15. §. *ex dictis.* Baſſæus V. *Teſtis num.* 10. P. Sancius *Tom.* 2. *Conſiliorum lib.* 6. *Cap.* 5. *dub.* 21. *n.* 1. P. Hurtadus *diſp.* 3. *difficult.* 5. qui ait omnes in hoc conuenire.

Probabiliter pars oppoſitum affirmari.

174 Verùm ex doctrina P. Leſſij *Cap.* 30. *num.* 60. videtur probabile eſſe ad reſtitutionem non teneri: quia teſtis non tenetur ex iuſtitia dicere veritatem, niſi illud promiſerit, ſed ex obedientiâ, vt idem oſtendit §. *Antecedenti*: Nemo enim poteſt dare ius ad functiones liberas alterius, niſi qui earum eſt dominus, qualis non eſt iudex reſpectu teſtis actionum. Quæ ratio ſatis eſt vrgens, & licet in fine ſic addat: *Hæc dixerim non omnino aſſerendo, ſed diſputando, vt res illa à viris doctis magis examinetur: alioquin mihi ſententia magis recepta eſt cordi.* Initio tamen illius §. abſolutè affirmat eſſe probabile, dum ſic ait: *Reſpondeo probabile eſſe non teneri ex iuſtitia, ſed ſolum ex obedientia. &c.* Quod autem viro tanto probabile viſum eſt, quis audeat vt improbabile condemnare? Quòd ſi communiter Doctores teſtem falſum ad reſtitutionem obligant, ideò eſt, quia communiter etiam teſtes promittunt ſe dicturos veritatem, ex quâ promiſſione iuramento firmatâ ius confertur iuſtitiæ parti, in cuius fauorem debet teſtis iurare, vt videtur ſupponere P. Leſſius. Quamuis & hoc non ſit ita certum, vt oppoſitum non ſit etiam probabile, etiam quando promiſſio eſt acceptata, vt affirmat idem P. Leſſius. *Cap.* 18. *num.* 54. nonnullos pro ea Auctores adducens, ſicut & Diana *Parte* 2. *Tract.* 17. *Reſolut.* 9. alios congerens. Quod autem iuramentum additum, ius propriæ iuſtitiæ non conferat, probabilius cenſet idem P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 17. *num.* 25. & 26. vbi communem illam doctrinam adducit, iuramentum ſequi naturam contractûs, quam habet, ex natura rei. Quod ſi *ibidem* promiſſionem acceptatam, & iuramento firmatam, ius iuſtitiæ conferre ait, non id ex iuramenti adiectione deducit, ſed quia ex acceptatione ius tale reſultat. Vnde promiſſionem non acceptatam ex iuſtitiâ non obligare aſſerit, etiamſi firmetur iuramento. Quod & tenent alij adducti à P. Sancio *Lib.* 3. *Operis moralis Cap.* 12 *num.* 4. nullam ex iuramento obligationem iuſtitiæ agnoſcentes, neque ex naturâ ſuâ neque ex iuris diſpoſitione. Pro quo & plures citat. *n.* 17. Non videtur ergo negari poſſe modum iſtum dicendi eſſe probabilem.

P. Leſſius

Si teſtis non promittat dicere veritatem.

Immò & promiſſione poſitâ ſtare probabilitas poteſt.

Nullam ex iuramento obligationem iuſtitiæ reſultare, vnde neque circa promiſſionem.

Contrariam doctrinam de obligatione falſi teſtis eſſe receptiſſimam. Sed cum diſtinctione circa illam videri loquendum.

175 Sed quia doctrina generaliter falſos teſtes ab obligatione reſtituendi contra communem videtur eſſe Doctorum ſenſum, ac fidelium perſuaſionem, ſicut & id eſſe probabile, quod tamen Iulius Clarus cum aliis tenet *infrà.* Cùm diſtinctione mihi videtur eſſe loquendum: aliud enim eſt teſtem falſum teſtimonium dicere contra aliquem, propter quod damnum conſiderabile ſubſequatur; aliud tantùm tacere veritatem, quâ poſitâ damnum eius vitaretur. In priori caſu pro certo habendum obligationem reſtitutionis exiſtere, quia poſitiuè eſt cauſſa damni mendacio ſuo, illius compenſationem impediendo: vt qui donare volentem ab eâ voluntate retraheret mēdacio aliquo, fraude, aut dolo, vt communiter Scriptores; licet enim mendacium ex ſe contra iuſtitiam non ſit, eſt tamen contra iuſtitiam eo vti ad tollendum ius, quod habet proximus ad habendam donationem, quemadmodum etiamſi mulier viro petenti debitum, reſpondeat ſe eſſe infirmam, cùm non ſit, contra iuſtitiam peccat, licet mendacio vtatur: quod contra iuſtitiam non eſt: quia vir iuſtitiæ ius habet ad petendum, & vt redditio fraudibus non impediatur, vt impeditur in caſu dicto: vrgeret enim executionem, niſi mendacio ab eâ prohiberetur. Sic ergo ſi teſtis interrogatus an ſciat Petrum Auditori tale aliquid commodaſſe; reſpondeat id eſſe falſum, quia tempore traditionis aſſignato Petrus erat abſens; abſque dubio ad reſtitutionem obligatur, quia damni cauſſa eſt, periurio ſuo recuperationem rei commodatæ prorſus impediens. Quamuis Iulius clarus *libr.* 5. *receptarum ſentent.* §. *Falſum. num.* 19. id de foro conſcientiæ neget, pro quo adducit aliquos, quod & ait ſequi communiter Doctores. Contra quem inſurgit P. Molina *Diſp.* 700. *num.* 4. qui non benè ait illum affirmaſſe ſententiam ſuam eſſe contra omnes, cùm & aliquos citet pro ea, & addat ſequi communiter Doctores.

Exēplo res declaratur, & vrgetur, vt falſum dicens omnino teneatur.

Quidquid aſſerat Iulius Clarus.

176 In ſecundo autem caſu alia eſt ratio, quia tantùm tacere non eſt cauſſam ita dare Domino, vt tacenti penitus imputetur; ſic enim valde probabile eſt, ſcientem aliquid, & ne teſtificetur, fugientem, non peccare contra iuſtitiam, neque ad reſtitutionem teneri, etiam citatum per miniſtrum Iudicis Quod tenet P. Leſſius *ſuprà. num.* 59. non eſſe improbabile: ſicut verius, & probabilius *num.* 58. poſſe occultare ſe, aut fugere priuſquàm iudicis præceptum, aut citatio ei legitimè denuntietur: quod & tenent plures, quos adducit, & ſequitur Bonacina *ſuprà Puncto* 3. *n.* 12. qui *num.* 14. citat P. Leſſium, tàmquam abſolutè aſſerentem, teſtem, qui iurauit ſe dicturum veritatem, non teneri ex iuſtitia illam dicere, cùm tamen Pater Leſſius contrarium teneat, vt vidimus, datis eiuſdem verbis. Sic autem illud refert citatus Auctor, vt non videatur improbabile iudicare, tantùm enim ita ſubdit: *Sed contrarium tenendum eſt, quia hoc iuramentum eſt promiſſorium: ex iuramento autem promiſſorio conſurgit obligatio iuſtitiæ.* Sic ille: vbi & ſimplex negatio tantùm indicat ſententiam aliam præferendam; & fundamentum, cui innititur, tantùm eſt probabile, vt vidimus. Sed maiori cum reſolutione loquitur Cardinalis Lugo, *Tom.* 2. *de iuſtitia diſp.* 39. *ſect.* 1. vbi tamquàm veriorem amplectitur, & defendit ſententiam dictam cum P. Molina, & P. Raynaudo. Nam ille id expreſè tenet *Diſp.* 83. §. *de teſte.* & *Diſp.* 700. *num.* 4. Hic de Monitoriis *Part.* 2. *Cap.* 3. *Quæſt.* 24. Contrarium tamen inter alios tenet P. Sancius *citato Cap.* 5. *Dub.* 3. *n.* 4.

Ex tacita veritate non oriri obligationem reſtitutionis.

Vbi de fugiente, ne teſtificetur.

Et de eo, qui iurauit ſe illam dicturum.

Bonacina.

Card. Lugo.

177 Vt ergo iurans ab onere reſtitutionis liberari poſſit, quod ſemper procurandum, quia grauiſſimum eſt, & pauci ad hoc induci poſſunt, ne in damnationis ſtatu perpetuo relinquatur; in primis videat ipſe quale onus ſupra ſe pergat imponere, & doctos conſulat, vt ſi peccare ſtatuerit, minùs peccet; quando autem non ita factum,

Notanda doctrina in ordine ad praxim.

Digitized by Google

ſtum, veroſimiliter dici poteſt omnem iurantem falsò ita eſſe affectum, vt minùs quantùm poſſit conſcientiam grauet; & ita iurantem dicere veritatem, non verè promittere, etiamſi promittendi voce vtatur: cùm enim de obligatione imponendâ agitur, iuramentum ſtrictè eſt interpretandum, vt minùs grauet: videatur P. Vincentius Tancredus *de Religione pag.* 513. *num.* 8. & ita etiam ſecundùm ſententiam communem de obligatione iuſtitiæ ex promiſſione ortâ, non tenetur ex iuſtitiâ. Quia verò ſententia negans obligationem iuſtitiæ ex promiſſione etiam eſt probabilis; probabiliter etiam obligatio reſtitutionis ceſſat, etiamſi tertio damnum inde ſuperueniat, impedimentum ſcilicet ſuum debitum recuperandi; quod quia ex merâ negatione reſultat, non videtur moralis teſtificationis effectus; quandoquidem ex officij obligatione non prouenit, quidquid de obligatione Charitatis ſit, quam communiter Auctores agnoſcunt.

Iuramentum ſtrictè interpretandum vt minus obliget.

§. II.

De inductione teſtium ſpeciali, & obligatione reſtitutionis ratione illius.

Stylus in Syndicatu, quorumdam potentiorum.

178 CVm ij, qui potentes ſunt, æmulos etiam ſoleant habere potentes, frequenter in Syndicatibus, & viſitationibus accidit, vt dum apertè proſequi accuſationem refugiunt, vel quia nequeunt, vt Auditores erga Proreges; vel quia nolunt ob humanos reſpectus; alium accuſatorem ſupponant, qui proprio nomine id faciat, cùm tamen ipſi præcipui actores ſint, & totum teſtium, & capitulorum apparatum cum plenâ ſuppoſiti accuſatoris inſtructione diſponant. Vbi in primis dubitari poteſt, an Togatus, cui accuſatio iſta interdicitur, peccet grauiter eam occultè modo prædicto proſequendo. Et videtur abſque dubio, ſecluſis aliis, de quibus ſtatim, id licitum non eſſe, & grauiter in tali proſecutione, aut perſecutione peccare. Nam modus ille valde contrarius muneri eius eſt, & contra ſtylum, quem Rex, & leges in talibus cauſſis ſeruandum eſſe determinant; odiis, ſimultatibus, ſcandalis, & multis aliis inconuenientibus obnoxius. Nec zelo ſe iuſtitiæ tueri poſſunt: quandoquidem ea, de quibus accuſationem inſtruunt, Regio poſſunt Conſilio ſcribere, & Regiam pro remedio adhibendo prouidentiam implorare. Ad quod quidem iuramento ſe, cùm officij poſſeſſionem acceperunt, ſicut ad alia, quæ remedio indigeant, obligarunt. Quòd ſi non ita fuerint conſecuti, vt eorum zelus extat, Deo id remittant iudicium omnium Iudici, & Principi Regum terræ, quo iudicante *nil inultum remanebit*.

Auditores grauiter peccare in eo, dum occultè accuſatores inſtruunt.

Punitum à iudice recuſandum in Syndicatu.

179 Iam ſi ad accuſationem dictam eum ſupponant, qui punitus, & incarceratus eſt à Principe, vel iudice; repelli quidem vt inimicus à Iudice ſyndicatus poteſt, per adducta à P. Fragoſo *Tom.* 1. *pag.* 933. *in fine.* Nuper autem admiſſus, quia pars in eo noluit inſiſtere, ne cauſſa ad ſupremum Conſilium indiſcuſſa deuolueretur eò ſe conferente, qui repulſus fuiſſet. Quiſquis autem ſit, ſi de rebus, quas oppoſiturus eſt, plenam notitiam non habeat, ex eâ parte vtriuſque graue peccatum apparet. In re enim adeò graui, & parti contrariæ quæſtuoſâ, vbi de honore, & facultatibus agitur, quæ nimium quantùm ſolent in defenſione prolixâ conſumi; in fide alterius procedunt, & ita cœco modo parati exequi, quidquid viſum fuerit promotori. Si autem ſufficienter inſtruxiſſet, & inſtrumentis, aut teſtibus poſſit cauſſam proſequi, ita vt falſitas nulla admittatur, ex eo præcisè, quòd Togati inſtrumentum eſt, grauiter peccat, cùm peccare principalem actorem ex dictis conſtet. Quod aliunde oſtendi poteſt; ex eo ſcilicet, quòd magnis ſe periculis exponat. Vnde cùm in quodam regni huius Prætorio quidam ex iſtis noctu inuentus cum armis vetitis fuiſſet, ſub pœnâ mortis, ex eo pœnam euaſit quòd licentiam ſe ad id Gubernatoris habere teſtatus eſt, quam ille proptereà dederat, vt eius ſecuritati prouideret. Sed ſatiùs fuiſſet iubere illi, vt ſe domi noctu contineret, ſic enim maior illi ſecuritas obueniret.

Notitiâ carentem non poſſe ſuppone.

Et habentem etiam grauiter peccare.

Qui oculatus teſtis eſſe non poteſt, an à Regio Auditore inſtructus, & credens remitti ſe habere, iurare in Syndicatu poſsit.

180 Quia verò difficile valde eſt, pro omnibus, quæ opponi Syndicato, aut viſitato poſſunt, oculatos teſtes inuenire (falſa enim apertè opponere, cauteriatæ nimis conſcientiæ eſt, & à miniſtri Regij in ſublimi dignitate conſtituti intentione penitus alienum) res ita diſponi poteſt, vt vocentur teſtes, iuraturi quidem verum, ſed quod ipſi non viderint, & de quo neutiquam teſtari poſſunt. Formido enim eiſdem eximitur, dum auctoritas Togati pro veritate interponitur, & forſitan etiam ſcrupulus conſcientiæ tollitur, quaſi liceat teſtari id, de quo vir primarius plenam ſe habere notitiam affirmarit, & forſitan iurabit ille rem ita ſe habere, vt & iurare ſic audeat minimè aliàs oculatus. Vbi fortaſſis erit qui dubitet, an hoc aliquâ viâ fieri poſsit? & videtur poſſe affirmatiuè reſponderi, ex iis, quæ habet Dom. Solorzanus *Tom.* 2. *lib.* 2. *Cap.* 7. *num.* 48. *&* 49. Vbi ait talem poſſe eſſe perſonam aliquid affirmantem, vt eius ſola aſſertio ad omnem ſcrupulum deponendum ſufficiat; quia etiam dicimur aliquid ſcire, quando ſumus informati, & certificati ab aliquo viro notabili, & fide digno. *Cap. de Capitulis* 10. *diſt.* Pro quo & Doctores adducit; maximè cùm in teſtimoniis etiam iudicialibus, in quibus ſtrictiùs proceditur, videamus aliquando perſonæ fide dignæ etiam ſoli credi; & quod amplius eſt, etiamſi deponat ſine partis citatione: per Doctores ab eodem adductos. Accedit communis doctrina, de qua P. Sancius *lib.* 3. *Operis moralis. Cap.* 4. *num.* 10. ad iuramentum aſſertorium ſatis eſſe, vt iurans ita rem ſe habere arbitretur prudenter, & non leui coniecturâ ductus, ſed certâ, aut veroſimili, aut probabili, ac proinde ſecundùm iudicium iurantis conſentaneum rationi, ſiue id à parte rei verum ſit ſiue non.

Perſona fide digna credens iurare poteſt.

Sicut & prudenter id ita eſſe ſibi perſuadens.

Negatiuè reſoluitur, quia in iudicialibus ea doctrina non currit, cùm requiratur præſentia.

181 Sed hæc nullo modo in cauſſa præſenti ſufficiunt: nam in iudicialibus teſtes tantùm per dictum qualificatæ perſonæ certiorati, teſtificari nequeunt, ſed præſentia requiritur. Pro quo ita ſcribit Beatiſſimus Calliſtus Pontifex *in epiſt.* 2. *ad Epiſcopos Galliæ* & habetur in Cap. *Teſtes.* 3. *Quæſt.* 9. *Teſtes per quamcumque Scripturam teſtimonium non ferant, ſed præſentes de iis, quæ nouerunt, & viderunt veraciter, teſtimonium proferant, nec dicant de aliis cauſſis, vel negotijs teſtimonium.*

Digitized by Google

Cap. Teſtes 3. q. 9.

niſi de iis, quæ ſub eorum præſentia acta eſſe noſcuntur, de his etiam, quæ audierunt, ſi ad hoc vocati ſunt &c. Ex quo habetur iurantem ex teſtimonio perſonæ fide dignæ certioratum, falsò iurare: quia cùm interrogatur an ſciat, intelligitur de notitia per experientiam ſenſuum habitâ, dum præſens adfuit facto, de quo eſt quæſtio: cùmque ad mentem interrogantis reſpondere debeat, dum iurat, factum affirmat. Et ita P. Sancius *num.* 13. cùm præmiſiſſet ad veritatem iuramenti ſatis eſſe iurantem audiuiſſe rem illam à perſonâ dignâ vt ſit moraliter certus, ita rem ſe habere; ſtatim in iudicialibus aliter dicendum ſubdit, quæ & eſt communis doctrina. Et certè ſi contraria ſuſtineri poſſet, ex eâ fieret per teſtimonium vnius non iurati poſſe aliquem ad mortem condemnari: ſi videlicet plures audierunt à viro fide digno crimen illius morte dignum, & omnes tamquàm rem certam id affirment coram iudice, iuramento præmiſſo. Quod eſt horrendum dictu. Doctrina ergo ex Dom. Solorzano adducta nihil contrarium certæ reſolutioni conuincit: aliud ſiquidem eſt vni teſti credi, ſi cum requiſitis ad teſtificandum deponat, de quibus iura diſponunt, præſentia inquam, & intelligentia, dum præſens adfuit: aliud de vno auriculari tantùm quem iura repellunt. Non ergo circa hoc poteſt dubitari. Pro quo & videri poſſunt Bonacina *Tom. 2. Diſput. 4. Quæſt. 1. Puncto 3. num. 7.* P. Fagundez *Tom. 1. in præcepta Decalogi, lib. 2. Cap. 6. num. 12.* P. Palaus *Tom. 3. Diſp. 1. de iuramento. Puncto 5. num. 3. &* P. Vincentius Tancredi *de Religione pag. 603. num. 13.*

Ex oppoſito horrendum abſurdum.

An reſultet reſtitutionis obligatio. Et fundamenta pro parte affirmatiua contra Capitulantem principalem.

182 Stante ergo inductionis prædictæ teſtium iniquitate, dubitari vlterius poteſt, an ſic inducens, & conſequenter teſtes, teneantur ad reſtitutionem expenſarum, quas ſyndicati, aut viſitati faciunt, & quandoque ſatis multas; non facturi, ſi contra eos modo prædicto non eſſet proceſſatum; & etiam ad ſolutionem pœnæ, quæ pro obiectis, & probatis eſt impoſita, alias non imponenda, quia non debebatur ante ſententiam: & videtur ad reſtitutionem teneri. Primò. Quia in huiuſmodi capitulationis modo iniuſtitia committitur: ſi enim Togatus ſit, qui Capitulantem ſubmittit, peccat contra officium, vt vidimus, & cùm ad cuſtodiam legum conſtitutus ſit, modum hunc inſectationis debebat, inquantum poterat, impedire: quod tamen non ſolùm ab ipſo non factum, ſed poſitiuè damno concurſus cauſſæ principalis applicatus. Deinde. Quicumque ille potentiorum ſit, contra iuſtitiam peccare oſtenditur. Quia id, quod Syndicato opponitur, dum probari nequit, niſi per inductos teſtes, pro ſecreto habetur: atqui pro ſecreto delicto nequit puniri quiſquam, & punitio talis eſt contra iuſtitiam, vt iura clamant: ergo nec pro illo accuſatio proponi. Quòd ſi dicatur delictum eſſe probabile, ſed teſtes, qui oculati eſſe poſſunt, ob timorem, aut aliquem humanum reſpectum non deponere. Contra illud eſt: quia etiamſi eo modo ſit probabile delictum, iudex tamen niſi probatione præmiſſâ pœnam nequit imponere, neque in cognitionem cauſſæ non præcedente infamiâ, aut clamoroſâ inſinuatione, ſe intromittere; & aliter faciens contra iuſtitiam peccaret, & reſtitutionis onus ſupra ſe tolleret. Ex quo ſequitur ſimiliter peccare eum, qui iudicem inductis teſtibus ad ferendam ſententiam compellit: quo euentu non quidem peccat iudex iuxta allegata procedens: peccat tamen Capitulator principalis; & etiam immediatus ex eodem fundamento, quo iudex in caſu dicto peccaret, quia eſt cauſſa damni ſine ordine iuſtitiæ, quem ſeruare tenebatur.

183 De teſtibus autem manifeſta eſt ratio; quia licet non mentiantur re ipſâ, id tamen ipſis non conſtat: quia licet vera ſit doctrina illa, de quâ *num.* 180. intelligenda tamen eſt extra iudicium, vt oſtendimus: ergo Syndicatus ius habet ut aliter contra illum minimè deponatur: vnde quemadmodum ad reſtitutionem teneretur falsò iurans, iuxta dicta *num.* 173. ita & iurans, quod non vidit, qui etiam aliàs falsò iurat, iuxta dicta *num. ante præced.* quibus accedit præfatam doctrinam intelligi debere, quando perſona eſt ita fide digna, vt ſit omni exceptione maior, quod tamen non accidit in caſu præſenti; vbi informans eſt Syndicati inimicus, cuius teſtimonium iura reiiciunt, de quo in terminis Auilos *in Cap. de Syndicatu. Verbo Peſquiſa. num.* 4. & P. Fragoſus *Tom. 1. pag. 933. §. Notandum.* Vnde & particulari cuiuis debet eſſe ſuſpectum: & ita pro fundamento ſumi nequit ad certum damnum inferendum: poſſeſsio enim innocentiæ pro reo ſtat, quâ nequit dubia ex perſuaſione priuari, ſecundùm receptiſsimam doctrinam vtroque in iure & euidenti ratione fundatam, de quâ præcipuè agit P. Sancius *lib. 2. de Matrimonio Diſp. 21.* quæ omnia videntur partem iſtam adeò veroſimilem reddere, vt de eius probabilitate nequeat dubitari. Quia verò, vt aliàs dixi, reſtitutio grauiſſimum onus eſt, cui frequenter ſuccumbitur cum æternæ damnationis periculo; videndum eſt an ſic agentes probabiliter poſsint ab eo grauamine liberari. Neque ex eo fiet audaciores futuros Capitulantes, quia etiamſi ad reſtitutionem obligemus, à ſuo illi nocendi animo non deſiſtent, cùm ad deſiſtendum valde fortia incitamenta ex grauiſſimâ Dei offenſione ſuccurrant. Eorum ergo remedio, ne penitus pereant, per ſententiam benignam conſulendum.

Contra teſtes item.

Inimicus non eſt fide dignus, vt ei credi poſſit, vt in caſu præſenti.

184 Dico ergo poteſt obligationem in caſu dicto ad reſtitutionem non dari ex oppoſito fundamento; quia ſcilicet iuſtitia commutatiua non eſt violata quoad ſubſtantiam; quidquid de modo ſit. Quod probari poteſt ex doctrinâ P. Leſſij *lib. 2. Cap. 12. num. 124.* quem ſequitur Pater Hurtadus *diſput. 12. de reſtitut. difficul. 17.* dicunt enim illi, eum qui aliquem apud collatorem infamat officij aut beneficij, non teneri ad reſtitutionem damni inde ſecuti: quia ius eſt quando de officiis, aut beneficiis agitur, patefaciendi ea, quæ hominem minùs habilem, vel collationem minus decoram reddunt: vnde ſolent capi occultæ informationes. Quòd ſi ſequatur infamia apud plures, idem cenſent dicendum, quando officium aut beneficium non negatur ratione infamiæ, ſed ratione delicti. Immo addit P. Hurtadus; quòd, etiamſi non ſolùm propter defectum manifeſtatum, ſed etiam propter infamiam officium aut beneficium negaretur, non eſſet obligatio reſtitutionis; ſi aliàs defectus ipſe futurus erat ſufficiens ad negationem. Quia quando

Non eſſe obligationem probatur ex probabili doctrina circa infamantem aliquem apud officij aut Beneficij Collatorem. Vbi de principali Capitulante.

do aliquis eſt cauſa damni aliàs juſtè inferendi, quamuis non fuiſſet ea cauſa, non eſt obligatio ad reſtitutionem. Sic ille philoſophatur; cuius vltima doctrina poteſt declarari exemplo eius, qui falſum aliquid contra alium in judicio jurauit, contra quem alii veri depoſuerant teſtes; ex quorum teſtificatione ad pœnam eſt pecuniariam, aut cum damnis aliis pecuniâ æſtimabilibus coniunctam, condemnatus. Licèt enim ad reſtitutionem famæ teneatur, non tamen ad quidquam aliud; ſic ergo cùm infamatus apud collatorem juſtè poſſit bono conferendo priuari, ex iniuſtâ infamiâ obligatio reſtitutionis alia non conſurgit, quàm ea, quæ ad famam ſpectat: quæ poterit ſtare reſpectu aliorum, cùm tamen reſpectu collatoris obligatio nulla ſit, ob rationem dictam, qui etiam ſtante reſtitutione dictâ, poterit in ſuâ negatione procedere; ſciens alium non reſtituere, eò quòd verum eius dictum non ſit, ſed quia occultum reſpectu illorum.

Exemplum pro Doctrina comprobatione.

Applicatio Doctrinæ.

185 Iuxta hæc in caſu noſtro philoſophari licet. Nam ſciens ſyndicati delicta, poteſt ea Regi reddere manifeſta, ne homines tales officiis tantæ confidentiæ honoret, Reipublicæ pernicioſos: & conſequenter iis, qui eius nomine ad ea ſunt corripienda deſtinati. Quòd autem modo conuenienti non vtantur, peccatum quidem eſt, ſed ex quo obligatio reſtitutionis non oriatur; quia pœna non infertur propter aliquid in manifeſtatione contentum, ſed propter delicta. Expenſæ autem ſe non juſtè defendenti ſunt imputandæ. Si enim delictum verè commiſſum eſt, illius nequit eſſe iuſta defenſio. Fateatur ergo, & nullis erit opus expenſis. Quod autem ad Togatum Capitulantem attinet, nihil eſt, quod ſpecialiùs vrgeat: licèt enim ex officio ad vitanda iniqua damna teneatur, hoc tamen damnum iniquum non eſt quoad ſubſtantiam: ex modo autem non reſultat, vt diximus, aliquid ſpecialem obligationem reſtitutionis inducens.

Circa immediatum Capitulantem & teſtes probatio alia per eodem.

186 Quoad immediatum autem Capitulantem, videtur maior eſſe difficultas, ſi ipſe non ſit oculatus delictorum teſtis, ſicut etiam de teſtibus. Sed etiam pro illis ab obligatione liberandis fundamenta non leuia occurrunt: nam ipſi non ſciunt teſtimonium ſuum reuerà falſum fuiſſe, & dubitare poſſunt, quandoquidem à viris grauibus verum eſſe affirmatur: in dubio autem tali melior eſt conditio poſſidentis. Sic conſulens furtum, & dubitans an ex eo furtum ſecutum ſit, non tenetur reſtituere. Sic colligitur ex D. Thoma 2.2. *Quæſt.62. artic.7. circa finem*, & tenent quamplures, quos adducit & ſequitur Mag. Barnabas Gallego *in Reſolutionibus Moralibus de conſcientia dubia* 83. & inter alios, ex Societate Patres Henriquez, Rebellum, Filliucium, & Caſtrum Palaum. Cùm ergo dubitans an teſtimonium ſuum falſum fuerit, conſequenter dubitet an cauſa iniuſta damni quoad ſubſtantiam fuerit; prædicta doctrina currit, & ita poteſt probabiliter ab onere reſtitutionis liberari. Pro quo eſt, & alia etiam probabilis, quam tenet Diana *Parte* 4. *Tractat.* 3. *Reſol.*63. vbi cum Patribus Gordono, & Rebello tenet, eum, qui dubitat an ſuum ſuffragium rem iniuſtam concluſerit, vt dum per ſecreta ſuffragia agitur, & per priora damnum concluditur, ita vt poſteriora nullius effectus ſint, non teneri ad reſtitutionem, ob receptiſſimum Canonem de meliore in dubio poſſidentis conditione. Quod poteſt pariter applicari. Et hoc ſtat quando merum dubium eſt; cùm tamen eſſe valdè probabilis perſuaſio poſſit ex auctoritate dicentis: licèt enim; quia inimicus, videatur ſuſpectus; nihilominùs poteſt aliàs talis de eo exiſtimatio haberi, vt abſurdum adeò facinus, & viliſſimorum hominum proprium, non poſſit quiſquam ritè ſentiens ſuſpicari. Per quæ poteſt non ægrè ad adducta in contrarium reſponderi: negamus enim eſſe iniuſtitiam quoad ſubſtantiam, & ſecretum non obſtare, quod reuerà tale non eſt in caſibus, de quibus loquimur, ſed cùm probabilia delicta ſint, teſtes, qui adhiberi poſſunt, ob humanos reſpectus tacent: neque obſtat Togatorum officium, de quo dictum; præterquàm quòd illi non habent legem aliquam, quâ ad non deferendam vllo modo accuſationem ad judices ſyndicatus, aut Viſitatores teneantur, cùm excitare poſſint, & inſtruere eos, qui licitè accuſare poſſunt: auertere autem eos, qui juridicè non procedunt, ad eorum officium ſpecialiter non ſpectat, qui ad ſyndicatum ſubeundum tantùm adiguntur. Pro aliis autem reſponſio eſt ſatis perſpecta. Vnde ad alia tranſeundum.

Dubitans de damno non tenetur ad reſtitutionem.

Per contraria parte adducta diluuntur.

§. III.

Nonnulla alia notatu digna circa materiam eamdem.

Circa Eccleſiaſticos, qui officia Regalia geſſerunt, diuerſa opiniones.

187 PRimum ſit, ſententiam multorum eſſe Iudices Regios, etiamſi Eccleſiaſtici ſint, poſſe ſyndicari & viſitari: vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *Lib.* 4. *Cap.* 8. *num.*16. & in Politicâ *Lib.*5. *Cap.* 10. *Pag.* 840. §. *Y loquemus*, qui pluribus citatis, eoſdem ſequitur. Pro quâ & alios adducit Diana *Parte* 1. *Tractat.*2. *Reſolut.*19. inter quos ſunt P. Suarez & P. Layman, & P. Sancius *Tomo* 1. *Conſiliorum*, *Dub.*20. *num.*10. alios refert, ſicut & P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.*172. *num.* 345. qui & eos ſequitur. Contrariam autem defendunt plurimi, quos adducunt, & ſequuntur Diana, & P. Sancius *numer.*11. Ratio eſt; quia exemptio eſt certa, & hic caſus non exceptus, vt excipi apertè debuit, ſi ad illum poteſt ſe laica poteſtas extendere. Quia verò tot Auctoribus pro contraria ſententia ſtantibus, eam Viſitatores dubio procul practicabunt, non eſt circa hoc contentioſiùs digladiandum, ſi tantùm admoneam indecorum valdè eſſe ſi quando contingat, viſitatum in ſublimi jam eſſe dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutum, eius propalare defectus, & pœnis additis caſtigare. Et ſimile quid vidimus circa Archiepiſcopum, & magni quidem nominis, actum, quod non potuit illi non valdè moleſtum accidiſſe. Negãtes generaliter id licere, non ſolùm Theologi ſunt, ſed Iuriſperiti inſignes, & in judicialibus ſubſelliis verſatiſſimi. His accedit dignitatis Eccleſiaſticæ reuerentia. Ergo juſtiſſimè illi facient, ſi quid prædictos concernere poteſt, nequiquam attentarint. Sed ſunt quidam ita affecti, vt ex huiuſmodi minimè laudabilibus aſſumptis laudem rectitudinis ſtudeant ſibi conciliare. Qui forſitan erga laicos judices, ad quos

Vtilis admonitio circa conſtitutum in ſublimi dignitate.

eorum commiſſio dirigitur, remiſſiùs ſe gerent. Quod notatum ſcio; & ſi ita eſt, ſatis ex eo liquet, quo ſpiritu illi in tali inquiſitione ducantur. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Pſalm.* 5. *verſ.* 5. iniquitatem inquam, contrariam ſcilicet æquitati. Vbi & credo graue peccatum eſſe poſſe, ſi eius, qui in Eccleſiaſticâ eſt poſitus dignitate, vulgatorum defectuum cauſa bonum nomen non leuiter denigretur.

Pſal. 5. *v.* 5.

In Indiis an queat judex ſyndicatus ex traiudiciali notitia iuuari ad pœnā proportionatā imponendā.

188 Secundum notatu dignum occurrit, in Indiis id frequenter accidere, vt Viſitatores, & judices Reſidentiæ extraiudicialiter plura ſciant, quæ tamen teſtes negant ſe ſcire, cùm ſatis ſciant apertè; quod & ipſis eſt judicibus manifeſtum. Hac ergo de cauſa multoties Capitulantes in probatione deficiunt, vt non poſſit illa talis eſſe, quæ ad pœnam ordinariam ſufficiat, vel ad grauamen proportionatum delictis imponendum. Quid ergo faciat? Exiſtimo non peccaturum, ſi grauamen proportionatum iniungat: nam licèt probatio non ita plena ſit, adeſt extraiudicialis notitiæ adminiculum: quòd licèt ſe ſolo non ſufficiat juxta communem ſententiam, de quâ P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 29. *num.* 84. quando tamen adeſt, aliquem poteſt effectum bonum habere. Quod probo: nam judex in eo caſu probationis defectum ſupplere poteſt per talem notitiam, & teſtis vicem habere; quandoquidem teſtes ipſos audiuit aliter, quàm jurauerint, ſentientes; aut aliàs ſcit eos ita ſentire: eſtque valdè incommodum bono publico, vt delicta ob talem teſtium corruptelam remaneant impunita, præſertim judicum, de quibus tanta eſt Regum fiducia, vt eos ſuo nomine velint juſtitiam inter ſubditos exhibere. *Quia decretali pœnâ plectendi ſunt, qui ſe prohibitis exceſſibus miſcuerunt. Quid enim in alijs damnent, ſi ipſiſe inhoneſtâ contagione commaculent?* Caſſiodorus *Lib.* 9. *variar.* 18. Quod roborari poteſt ex probabili doctrinâ, praxi ipsâ bonorum judicum comprobatâ, de quâ P. Leſſius *ſuprà num.* 104. P. Gaſpar Hurtadus *Diſput.* 1. *de Iudicio forenſi, difficult.* 9. Quòd ſcilicet, quando delictum eſt Iudici ipſi notum, & publicè notorium, & expedit illud ſtatim puniri, non ſit neceſſaria vlterior probatio; ſic enim aliquando latrones in flagranti furto publico reperti puniuntur, etiáſi Iudice inferiore abſque alia ſolemnitate. Pro quo & videndus P. Fragoſus *Tomo* 1. *Pag.* 529. *n.* 116. Vbi cum multis probat quòd facti euidentia tantam habeat vim in omnibus criminibus, vt ſuppleat vices accuſatoris, teſtis, & totius proceſſus juridici, quando ipſi judici delinquens eſt notorius cum hac facti euidentia. Ex Caietano præſertim 2. 2. *quæſt.* 67. *artic.* 3. & P. Leſſio *ſuprà.* Ergo notitia ſpecialis judicis in ordine ad condemnationem aliquid conferre poteſt, & ita ſimiliter in caſu noſtro, vbi probatio aliqua eſt, licèt non prorſus plena, quod non negabunt Auctores propter adductam rationem, licèt non ita id expreſsè; quia caſus non eſt obuius, fateantur. Quia verò merita cauſæ in ſupremo ſunt Indiarum Conſilio diſcutienda; ne illi imputetur exceſſus, poterit, & debuit plenam de omnibus informationem remittere, propter quam Domini, non aliter vt credo, judicabunt.

Quàm id expediat ne judicū criminū maneant impunita.

Caſſiodorus.

Ex facti euidentia ſola poſſe judicem ad pœnam infligendā procedere.

Deficiens in probatione

Deinde, non peccabit Viſitator aut Reſidentiæ judex, ſi accuſatorem in probatione deficientem non condemnet, eò ſcilicet quòd non plenè probauerit; quia teſtes vocati dicere verum noluerunt in judicio; qui tamen extra judicium rem fatentur, de quo ſufficienter Viſitatori conſtat: id ex eo probo; quia ad condemnandum in caſu nuper dicto eſt ſufficiens facultas ex præſumptâ Principis voluntate, vt videri apud citatum P. Hurtadum poteſt; multò autem veriùs eſt ad abſoluendum dari illam in caſu adeò vrgenti, vbi ſine aliquâ ſuâ culpâ accuſator in probatione defectum ſuſtinet ob malitiam aliorum; cùm certum ſit, voluntatem Principum promptiorem eſſe ad ſoluendum, quàm ad condemnandum, Dei adinſtar, qui ad benefaciendum ſponte procedit, cùm tamen ad plectendum quodammodò tendat inuitus; *vt probaret vtique nobis Deus, quòd ipſe eos noluerit perdere, ſed ipſi extorſerint, vt perirent.* vt Saluianus loquitur, *Lib.* 1. *de Gubernatione Dei.* Et quidem ſi Rex ipſe adeſſet, incredibile eſt eum velle damnare, quem in cauſæ progreſſu videret inculpabiliter impeditum.

ne non debere puniri accuſatorē, quando id ſine eius culpa accidit.

Deus ad pœnam procedit inuitus.

Saluian.

190 Tertium. Viſitatores grauiter peccare poſſe, dum mortuorum in cauſſis ſeueriùs immorantur. Quod in Indiis debeat fieri cautum Regio reſcripto, quod habet Dom. Solorzanus *Cap.* 7. *citato num.* 63. Quia enim mortui defendere ſe nequeunt, judicium vehementer vrgere, inhumanum videbitur, niſi pars ſit, quæ de proprio agat intereſſe, quo etiam in caſu, de rigore juris aliquid remittendum: ſed præcipuè cùm de pœnâ agitur Fiſco applicandâ, ita enim de Regiâ eſt pietate præſumendum, quæ colligitur ex prædicti reſcripti verbis. *Paraque eſto ceſſe, y los de litos ſe an caſtigados.* Neque enim vult rigorem pœnarum, ſed punitionem, quæ etiamſi moderata ſit erga mortuum, qui defendere ſe non poteſt, ſatis videtur exacta. Ratione ætatis, valetudinis, ſexus, paupertatis, pœnarum moderationem leges admittunt: ergo & ratione mortis, malorum maximi, quando jam reus ad tribunal ſtetit Chriſti, rationem pro commiſſis omnibus redditurus.

Circa mortuos mitiùs agendum.

Regiæ legis tenor.

191 De quibus autem judicum ſupremorum delictis debeat ſyndicatio procedere, ac multis aliis ad eam ſpectantibus, præter Auctores à Dom. Solorzano citatis agit P. Fragoſus *Tomo* 1. *Diſput.* 23. *per totam:* videndus quidem; quia vir eſt doctus ac ſani judicii.

De P. Fragoſo viro docto judicium, & eiuſdem pro jurata fidelitate ſententia.

CAPVT XXI.

De Miniſtris alijs Indicarum Audientiarum, & quomodo negotium conſcientiæ debeant pertractare.

SVnt in illis Alguacelli maiores, Relatores, Cancellarii, Tabelliones, Janitores, vt omittam alios: de præfatis autem hic quod opportunum viſum fuerit, inſerendum.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

De Maioribus Alguacellis.

Circa carcerum curā, & carceratorum alimenta, obligatio ſub mortali.

192 ALguacellus tenetur ſub mortalis culpæ reatu. *Primò* carceris curialis curam agere, quam ei ſui officii edicta præſcribunt; quia res eſt momenti magni, & emolumenta ex hoc illi ſatis conſiderabilia proueniunt: & licèt non teneatur incarceratos ſuis ſumptibus alere, tenetur tamen curam circa id ſedulam habere, vt pauperibus alimenta non deſint Gubernatorum prouidentiam requirendo.

Item circa exactionem iurium à pauperibus.

Secundò. A pauperibus nequit jura ſibi debita cum rigore exigere, quia cùm neceſſaria ad ſuſtentationem non habeant, iniquum eſt ſuâ illos tenuitate priuare. In quo non ſolùm peccant contra charitatem, ſed etiam contra juſtitiā, quia priuant eos pecuniis, quas non debent, cùm ſibi priùs debeant prouidere.

& detentionem in carcere propter illa.

193 *Tertiò.* Graue peccatum eſt incarceratos in cuſtodia detinere; quia jura non ſoluunt, ſi pauperes ſint: quia nemo debet quod ſoluere nequit; vel ſi debeat, dum non habet, nequit pro eo in corpore luere, niſi ad id cogatur per ſententiam judicis: Alguacellus autem judex non eſt, & carceris clauſura inter mala ingentia computatur.

Etiamſi per carceris cuſtodem faciat.

194 *Quartò.* Non excuſatur à prædictis Alguacellus ex eo, quòd non per ſe ipſum hæc agat, ſed per alium, quem carceris cuſtodiæ præficit, ſub pacto, vt ſingulis mēſibus certam illi pecuniæ ſummā largiatur, commiſsâ eidem iurium omniū collectione. Nā certa juris regula eſt. *Qui facit per aliū, eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum. L. Quod juſſu alterius, de Regulis juris, & in ſexto* 92. Quòd ſi dicat ſe neſcire, quia non tenetur eſſe præſens, id locum non habet, cùm carcerem frequenter debeat viſitare, & ſic querelas miſerorum audire.

Cui nequit officium niſi ſub portione moderata tribui.

195 *Quintò.* Peccat officium cuſtodiæ tribuendo cum obligatione exorbitantis ſummæ ſoluendæ, quando ea non poteſt niſi per iniquas violentias extorqueri, vnde in vno peccato plura & ſatis grauia continentur, ſed quæ (heu) laxo guttere deuorantur.

Ad victum neceſſaria vt queant vendere.

Sexto. Nequit aut ſuo nomine, aut per alium, in carcere res ad ſuſtentationem pertinentes vendere exceſſiuo pretio, ſed currenti; quia licèt ob laborem eò comportandi illas, aliquid videatur poſſe ampliùs exigi; cùm tamen laborem alii libenter ſubibunt, ſi illis permittatur eſculenta, & poculenta incarceratis vendere, eodem pretio vendituris. Quòd ſi hoc non ſemper contingat, & labor ſit æſtimandus, non plus certè, quàm labor ipſe æſtimabilis ſit, nec vt rebus ſingulis pretium augeatur; ſic enim laboris pretium intolerandum habebit exceſſum. Quod vrgetur ex eo, quod lege cautum eſt ne Alguacelli ab incarceratis quidquam recipiant, ſcilicet *L. 9. Titul. 23. Lib. 4. Recopil. noua*, & ſpecialiter vt incarceratos non cogant ad emendum à ſe victui neceſſaria. De quo P. Fragoſus *Tom. 1. pag. 757. num. 407.*

Peccare grauiter ſi incarceratum exire ſinat.

196 *Septimo.* Peccat item grauiter, ſi incarceratum, de cuius ſecurâ cuſtodia curare debet ob cauſæ grauitatem, exire permittat, rediturum credens ante lucem, ſiue gratuitò reſpectu ſiue ob datum aliquod, & ſi fugiat, tenetur ad damna inde ſecuta, ſi pecuniâ æſtimabilia ſint. Reſolutio eſt certa ex iis, quæ Doctores tradunt in materiâ reſtitutionis, & de obligatione depoſitarii. Alguacellus enim publicus depoſitarius eſt, & hîc lata culpa interuenit, cùm maiorem ſufficere communiter Auctores ſentiant. Vnde in hoc caſu, ac quocumque alio, cùm ex eorum conniuentiâ debitor fugit, ad reſtitutionem obligatur. Vide P. Fragoſum *ſuprà pag. 748. num. 865.*

Aliquando graue non eſſe peccatū, & quòd pro eo poſſit aliquid accipere.

Octauò. Non videtur eſſe peccatum graue aliquem pro breui ſpatio è carcere exire permitti, ſi certum moraliter ſit rediturum; quia nec judices multùm de eo curant. Quòd ſi quidquam accipiatur ab Alguacello, ad reſtitutionem non tenetur; quia pro illis non extat rigor legum, qui pro judicibus, cùm ipſi judices non ſint. Vnde *L. 11. Titul. 13. Lib. 4. Recopilat.* ſic dicitur: *Alguaciles no reciban da diua, ni preſentes, directè ni indirectè, per ſi ni por otro, de qualquier perſona, que con ellos vbiere de librar, en las vbras tocantes à ſus officios, ſaluo coſas de comer, y beber en pequeña cantidad ofrecidas de grado, ſin las pedir en manera alguna y eſto deſpues, que fueren librados, y deſpachados.* Sic lex: In quâ cùm ſimplex tantùm prohibitio habeatur, neque dicatur vt non poſſint recipere, non videtur receptio inualidari, quidquid de peccato ſit. Et ita tenent plures Doctores, quos adducit, & ſequitur P. Sancius *Tom. 1. Conciliorum lib. 3. Dub. 3. num. 28. & 29.* qui *num. 25.* peccare illos mortaliter ait; dum id de judicibus, ſcribis, & aliis iuſtitiæ miniſtris generaliter ſtatuit; quod à fortiori tenent quamplures Doctores ab eodem adducti *num. 27.* qui eos ad reſtitutionem obligatos arbitrantur. Pro quo & eſt lex citata nuper §. *ſexto.* Verùm in caſu, de quo loquimur, non videtur eſſe graue peccatum: ſi quidquam accipiant; quia illud non eſt propriè munus, ſed ſolutio pro eo, ad quod miniſter talis non eſt obligatus, & ratione cuius ſe periculo incurrendi pœnam exponit. Quando autem miniſter, vel etiam judex aliquid præſtat, ad quod obligatus non eſt, licitè poteſt aliquid vltra ſtipendium accipere, juxta ea, quæ cum aliis docet idem Pater *num. 22.* & nos alibi diximus. Pro quo eſt & P. Leſſius *Lib. 2. cap. 14. num. 64.* & P. Fragoſus *Tom. 1. pag. 420. num. 54.* & juxta hæc juramentum exponendum eſt, quod non extendit obligationem ſed maiorem reddit, juxta dicta *numer. 146. & 174.*

Lex de illis loquens.

Pro non debitis ex officio aliquid accipi poſſe, & id non eſſe contra juramentum.

Quando ſtipendium vnicū ſuturū, quando plura ob multiplicatum laborē, aut delicta diuerſa.

197 *Nonò.* Quando datur mandatum incarcerandi plures perſonas ob idem delictum, vnicum tantùm ſtipendium poteſt Alguacellus accipere: ſic ſtatuitur *Titul. 10. Rubrica, En cauſas criminales, Lib. 3. Recopil.* & aduertit P. Sancius *ſuprà Dub. 21.* cuius ratio; quòd ſcilicet vnum delictum eſt, videtur contrarium inſinuare, quando delicta ſunt diuerſa, licèt in vno ſcripto, & quaſi per modum vnius contineantur. Vbi quidem difficilis eſt ratio diſcriminis: nam cùm ſtipendium pro labore reddatur, & labor ſit idem ſiue delictum ſit vnum, ſiue diuerſa, idem videtur ſtipendium ſtatui debuiſſe. Immò contingere poteſt, vt maiore labore opus ſit, ad comprehen-

Digitized by Google

dendos eos, qui vnius delicti rei ſunt, quàm eos, qui diuerſorum. Si ergo aliquid in hoc exceda-tur, non videtur graue peccatum: lex enim videtur præſumere minorem in priori caſu futurum laborem.

Quid circa executionis in ciuilibus.

In ciuilibus autem ſi ad inſtantiam alicuius creditoris ſit petita executio contra plures debitores, vel contra vnum debitorem diuerſarum ſummarum, pro qualibet perſonâ & pro quolibet debito, deberi integrum ſalarium ſignatum executori, licet ſub vno mandato, & ſubſcriptione contineantur; tenet P. Sancius *ſupra cum Antonio Gomez*: cuius ea eſt ratio: quia cenſentur plures executiones, & tot ſunt contractus, & obligationes, quot ſunt res, vel ſummæ deductæ, & comprehenſæ in ipſo contractu, licèt ſub vnâ verborum conceptione exprimatur. In quo dicendi modo eſt difficultas; nam lex eodem modo ac de criminalibus loquitur, vt patet, ex Rubrica ſubiectâ; *En las cauſas ciuiles* vbi ſic dicitur:

Lex pro illis.

Que de mandamiento para emplaçar, aunque ſea à muchas perſonas, no ſe lleue mas de vn ſaliario. Vnde miror prædictum textum ad oppoſiti probationem adduci. Videtur ergo idem dicendum, quod de criminalibus, vt cùm cauſſæ inter ſe connexionem non habent, plura ſint ſtipendia aſſignanda, licèt ſub vna ſubſcriptione contineantur; quia vnitas, aut pluralitas ſcriptionis nihil refert ad laborem in mandati executione collocandum. Si autem cauſſa vna ſit, quia multi pariter obligati ſunt, idem quod *ſuprà* dicendum, quando delictum eſt vnum.

Vt grauiter peccet decimam executionum præcipiendo. Cum quadam limitatione.

198 *Decimo.* Peccat grauiter Alguacellus, qui decimam executionis præripit ante factam ſolutionem debiti creditori, & expenſarum eiuſdem executionis. Id conſtat: quia ſic lege cautum: pro quo P. Sancius *ſuprà dub.* 22. *num.* 1. ſi tamen in eo ita procedatur, vt nullum ex anticipatâ perceptione damnum creditori proueniat, non videtur in eo graue peccatum eſſe; & quidem cùm decima, & iura alia, ſi diuerſa ſunt à decimâ, non percipienda dicantur, niſi poſt ſolutionem & expenſas; atque inter expenſas ipſas iura Alguacelli computanda veniant, non videtur à legis mente penitus alienum, vt ante ſolutionem creditori factam percipiantur: ſi liquidè cognoſci poſſit quantùm decima ſit. De ſtipendio autem pro labore minor eſt difficultas, cùm debeatur, non attentâ liquidâ debiti quantitate. Quia verò ſolutio variis modis differri poteſt etiam factâ executione; vel executio ipſa ceſſare, vt cùm pars requiſita ſtatim vult ſoluere, vel oſtendit Chirographum ſolutionis factæ: etiam poſt exhibitum mandatum pro executione, iuxta legum diſpoſitiones, quæ ſatis notæ; illis eſt ſtandum, & pro eiſdem videndus. P. Sancius *dub.* 22. *citato.* & Dom. Auendañio *lib.* 16. *de exequendis mandatis, Cap.* 17. & pro non nullis aliis P. Fragoſus. *Tom.* 1. *lib.* 5. *diſp.* 13. *per totam.* Illud tamen hîc addendum.

199 *Vndecimo.* Alguacellum iter facientem ad faciendas plures executiones in diuerſa loca, non poſſe à quolibet debitore iura integrè accipere, quaſi plura feciſſet itinera; ſed pro vno tantùm, pro rata executionum ab omnibus ſoluendâ. Sic legibus cautum: propter quod id tenent Azebedus, Auiles, & Emmanuel Rodericus, quos adducit, & ſequitur P. Sancius *ſuprà dub.* 23. & P. Fragoſus cum aliis *To.* 1. *pag.* 743. *n.* 342. & Auiles ait, quòd acceptum contra legum diſpoſitionem debet reſtitui: idque eſt planum; quia illud non eſt munus, de quo fauorabilis eſt opinio, de quâ dictum. *num.* 196. ſed eſt iniqua extorſio ſalarij non aſſignati à lege. Pro quo videatur etiam P. Fragoſus *Tom.* 1. *pag.* 707. *num.* 200. Addit tamen P. Emmanuel 2. *Tomo ſummæ Cap.* 48. *num.* 2. recipere poſſe quod amplius ſuo labore meretur. Quod intelligendum eſt quando labor eſt extraordinarius, ſed non ex induſtriâ aſſumptus ad maius ſalarium exigendum, de quo ipſe P. Sancius, *Dubio eodem num.* 2. Quòd ſi iter vno fecerit die ob ſuam diligentiam, quod duobus ſolet fieri, duplicatum ſtipendium poteſt, & debet accipere, vt ex Auiles, referente alios, ibidem ponit ipſe Pater, & P. Fragoſus *pag.* 420, *num.* 57. vbi & alios adducit. Ex prædictæ autem legis diſpoſitione videtur antimonia conſurgere inter illas, de quibus dictum. *num.* 197. aſſignatur enim per illas integrum ius executionis, ſi mandato vno ad plures executio dirigatur: vnde videbatur conſequenter idem de itineris labore dicendum; cùm tamen oppoſitum ſtatuatur. Sed certè antimonia non eſt: nam aliud eſt ius executionis, aliud extraordinarius circa executionem labor. In priori ſtabile aliquid ſtatutum, quia ſic viſum conueniens in pœnam eorum, qui debitis fraudant creditores, contra fidem datam quarentigiis inſtrumentis: in poſteriori autem tantùm eſt habita ratio laboris, quia præter ſtipendium reſpondens eidem ſua Alguacello integra iura reſeruantur. Et hæc quidem de Alguacellis curialibus Indiarum dicta ſunt; quia licet communia aliis ſint, non tamen omnia dicta aliis omnibus ſolent conuenire. Oportuit ea perſequi, quia in Indicis maior quædam licentia eſt & peculiaris ſolet regnare cupido, vnde oportuit eorum conſcientias præfatis canonibus excitare. De armis autem prohibitis noctu vagantibus tollendis dicemus *inferius.* Vbi de Alcaldiis Ordinariis.

§. II.

De Relatoribus, & Cancellario.

Relatores vt munera prohibeantur accipere.

200 PRimò circa Relatores ſtatuẽdum occurrit, eos non poſſe munera accipere, ſed eodem modo hoc illis eſſe illicitum, quo & Auditoribus; ſic enim deciſum eſt. *L.* 5. *Tit.* 5. *lib.* 2. nouæ Recopilat: vnde circa hoc videnda quæ diximus. *Tit. præcedenti. Cap.* 4.

Sicut & Auditoribus ea ab eiſdem accipere, in quo & illi grauiter peccant.

Secundò. In eadem lege cauetur ne Iudices ſuperiores & Togati munera à Relatoribus accipiant; vbi tamen diuerſus eſt loquendi modus: reſpectu enim aliorum dicitur vt non poſſint; quod tamen non dicitur de Relatoribus, ſed ſimplici tantùm prohibitione præcipitur verbis illis: *Que los ſuſo dichos Iuezes no reciban præſentes, ni coſas de comer de los Abogados, ni Procuradores, ni Relatores de las Audiencias.* Minorem ergo imponere obligationem voluit; & videtur ſane ſub mortali, ſecundùm communem intelligentiam, de quo *citato illo Cap.* 4. *&* 5. *præcedenti octauo.* Pro quo eſt ſatis vrgens ratio: Nam contra Relatores graues eſſe querimoniæ poſſunt, & ſi munerum

rum

rum interueniat acceptio, nihil contra illos, quod in officio reddat peruigiles, egredietur. Cùm ergo accipientes grauiter peccent, etiam & largientes eodem modo peccabunt, grauiter inquam; licet illi directè contra iuramentum, non tamen isti, ſed indirectè: quia iuramentum de accipiendo eſt, ſicut & lex, quæ directè non prohibet donationem: poſſunt tamen tituli amicitiæ & alij concurrere, qui largitionem iuſtificare poſſunt iuxta dicta *citato Capite*.

Sicut in negligentia ergà officium.

201 Tertiò. Relatores peccare grauiter poſſunt dum erga faciendam relationem negligenter ſe habent, & eorum cauſſa negotiorum expeditio notabiliter retardatur. Conſtat enim ex eo damna non leuia litigantibus accreſcere, vnde & obligatio reſtitutionis oritur iuxta dicta ſæpiùs.

Aut non plena relatione. Vnde obligatio reſtitutionis.

Quartò. Peccant item lethaliter, dum ſiue per negligentiam ſiue ſcienter aliquid in relatione addunt aut omittunt; ex quo ſequitur cauſſam aliter, quàm ſi relatio fuiſſet fidelis, iudicari; quod etiam reſtitutionis obligationem inducit potiori ratione, quàm dudum expoſita negligentia. Hoc autem aliquando accidere notiſſimum eſt, vnde & clamare litigantes ſolent cauſſam à Relatoribus non eſſe fideliter enarratam.

Pro non lectis proceſſus folijs ſtipendium habere non poſſe.

202 Quintò. Quia pro ſingulis proceſſùs folijs ſtipendij eſt pars per leges aſſignata, eam accipere Relatores nequeunt iuxta numerum foliorum, ſi aliqua ex illis non perlegerunt, vel quia prorſus inutiles aut parùm vtiles iudicarunt. Id conſtat, quia ſtipendium eſt laboris pretium, & vbi labor nullus, nihil debet ſtipendij reſpondere.

In die feſto quæ illis liceant, etiam miniſtro adhibito.

Sextò. (vt hæc etiam dicamus) Relatores in die feſto poſſunt proceſſum in compendium redigere, etiam vtendo miniſtro, quem ad id habent pretio conductum vt ſcribat. Sic P. Sancius *Tom. 2. Conſiliorum. Cap. 2. dub. 8. num. 6.* cuius ratio eſt, quia hoc eſt pars ſtudij, & ordinatur ad loquelam, & ad referendum coram Auditoribus, & ipſos inſtruendum, & miniſter adiuuat ad illud. In ſtudio autem & inſtructione nihil ſeruile eſt, & ita neque in feſto prohibitum. Non eſt prætereà actus iudicialis, ſed quædam præparatio ad illum, quæ & ipſis Iudicibus licet in die feſto, & vtinam omnes iis ſtuderent diebus, vt ſic iudicia iuſtitiæ omnino conformia diebus congruis proferrentur.

Cancellarij Regiæ Audientiæ obligationes.

203 Cancellarij officium magni apud alios pretij, in Indiis non multæ æſtimationis eſt, licet magni Indiarum Cancellarij titulus in Hiſpaniâ Primario fuerit Magnati non pridem attributus. Ad eum ſpectat prouiſiones, quæ Regis loquuntur nomine, Regio ſigno inſignire, cuius illi ſit copia; cùm tamen loco Senatùs decentiſſimo, & cultus illi ſpecialis habeatur. Poterit ergo peccare ille ſi circa cuſtodiam ſigni non eam curam adhibeat, quæ illi per leges præſcribitur. Item ſi adeſſe renuat, cùm Prouiſionum expeditio vrget: ſi præter Octi-regalem pro qualibet ſigni impreſſione deſtinatum, plus accipiat, quod erit obnoxium reſtitutioni iuxta dicta *num.* 199. Si Prouiſioni, cui aliquid ad ſolemnitatem defecit, ſignum adhibeat, & conſequenter ſi ſcire non curet quid ad ſubſtantialem ſolemnitatem Prouiſionum neceſſarium ſit. Si aliquem ſubſtituat, etiam filium, ſine Proregis aut Præſidis licentiâ, & alia fortaſsè erunt, in quibus peccare continget. An autem liceat in die feſto talis ſigni impreſſio; ſi cauſſa pia ſit, aut vrgens neceſſitas, vel grauis cauſſa neceſsitati æquiualens licet quidem; iuxta *Caput Conqueſtus de Feriis.* & ita tenent omnes. Item ſi pro bono Indorum ſint, quia ſunt miſerabiles perſonæ, pro quibus actus iudiciales liciti habentur: vt cum aliis docet P. Sancius *ſuprà dub. 27. n. 15.* & hoc etiamſi in toto rigore dicamus eſſe actum iudicialem. At non eſſe actũ iudicialem ex eo oſtenditur, quia neque eſt citatio partis, neque formatio proceſſùs, neque cognitio cauſſæ, neque ſententia, quæ ſolùm nomine ſtripitùs iudicialis à iure canonico prohiberi communiter affirmant Doctores, ex quorum mente id trahit, citatis aliquibus, P. Palaus. *Tom. 2. pag. 96. numer. 6.* ſi tamen Prouiſio pœnam mortis, aut grauem pœnam contineret, non videtur licere: quia id ſpecialiter in iure prohibitum: & ſigni impreſsio eſt robur ſententiæ dare, & illam complere. Ex quo fundamento argui poteſt, vt non liceat abſolutè: quia ſcilicet pars ſententiæ eſt: ſed cùm ſtrepitum non præſeferat, & aliunde grauamen directè non contineat, non videtur cum lethalis culpæ onere prohiberi.

In fauorem Indorum licent in Feſtis actus iudiciales.

Quot ſint illi.

§. III.

De Tabellionibus, ſeu ſcribis, qui dicuntur de Camera, & aliis Iudiciorum Prætoriorum.

Circa munera quæ Scribarum obligatio.

204 PRimò circa illos ſtatuendum eſt id quod de Relatoribus eſt dictum, *num.* 200. ad ſcribas dictos pariter pertinere, quia in eadem lege pariter eiſdem acceptio munerum prohibetur: & quod ſponte oblatum non teneantur reſtituere, tenet P. Gaſpar Hurtadus *infra.* & P. Fragoſus *Tom. 1. pag. 726. num. 285. & pag. 728. num. 291.*

Circa taxam iurium, facta circa pretium magna mutatione.

Secundò. Quia pretia rerum his annis nimis excreuerunt, communis doctrina ſuffragatur prædictis, vt non teneantur in conſcientiâ iurium ſuorum taxam obſeruare. Pro quo videri poteſt P. Molina *diſput 83.* P. Gaſpar Hurtadus *Diſp. 5. de iudicio forenſi difficult. 6.* & P. Fragoſus *Tom. 1. pag. 707. num. 201.* qui addit id non eſſe faciendum propriâ auctoritate, ſed de conſilio timorati, prudentis, ac religioſi Confeſſarij. Quod eſt quidem optimum conſilium; conſilium tamen, & non præceptum: quia cùm notitia rei ab ipſo habeatur Notario, iuxta illam poteſt pretium æſtimare. Addit autem P. Molina notandum aliud, ſcilicet iuſtum pretium æſtimandum non eſſe ex indigentiâ miniſtri publici ad alendam familiam, vel ad ſubueniendum ſuæ paupertati, ſed ex opere, & obſequio, quod præſtat, vt prudentis arbitrio tantum recipiat, quantum ratio dictat; vt attentâ conditione, ſeu qualitate, & quantitate operis, muneretur. Quod eſt quidem ſapienter animaduerſum; verùm ad ſcrupulos ſubmouendos, cùm taxa iurium manifeſta ſit, ea debet iuſta iudicari: cumque aliàs rerum mutatio notabilis facta ſit, id erit ſatis, vt pretium augeatur, ſiue familiam Notarius habeat ſiue non, indigeat aut abundet, & certè

cum

Digitized by Google

cum tales homines non teneantur in cælibatu viuere, & communiter vxorati ſint, & familiam habeant, in juribus taxandis aliqua ratio haberi debet eorum ſtatûs, vt viuere commodè ex eo poſſint, & per fraudes, ac turpes venalitates vitæ neceſſaria non pergant comparare. Si autem de pretii proportione ſit dubium, ſtandum taxæ, vt cum aliis Pharaonius ſtatuit *Tractat.* 2. *Seſſione* 2. *Caſu* 24.

Non eſſe periurôs, qui tunc augent.

205 Tertiò. Si jurantes, vt jurare debent, ſe officium legaliter obituros, & taxam jurium ſeruaturos, augendo ea, vrgente rerum mutatione, non videntur periuri. Cuius tamen oppoſitum affirmat P. Gaſpar Hurtadus *ſuprà*, ſed poteſt intelligi, ſi jurauit expreſsè taxam ſe ſeruaturum, etiamſi ad augendam illam nouus titulus haberetur; nullus autem ſic jurat, ſed juxta commodiorem ſibi rationem: & ita juramentum in fauorem jurantis interpretandum eſt juxta dicta *num.* 177.

An veris aliquid falſum admiſcere, quod aliàs petenti competit: ita malum ſit, vt vſus inſtrumenti nō liceat: & pro parte negatiua arguitur, ſcilicet viū non licere.

206 Quartò. Si quidquam addant in Prouiſionibus in gratiam partium, vt aliquando accidit; peccant grauiter. Id eſt clarum & licèt obligatio circa hoc omnibus ſcribis incumbat, in iis de quibus loquimur, id juuat adnotaſſe ob rationes peculiares. Sed demus id, quod additum, ad gratiam pertinere, & præiudicium tertii non præſeferre, ſed quod aliàs parti competebat; oportebat autem Prouiſione Regiâ roborari, vt vſus priuilegii ad quædam extenſus, cui obſtabant aliqui, non tamen debentes obſtare. In hoc quidem caſu licebit tali vti Prouiſione? In primis non videtur cur vſus ſit illicitus reſpectu aliorum, quæ ex mente judicum exprimi debuerunt, & expreſſa ſunt; quia vtile, per inutile non vitiatur, juxta notiſſimam juris regulam. Hinc etiam inſtrumentum leuem aliquam continens falſitatem, vt ex mente plurium probat P. Fragoſus *Tom.* 1. *pag.* 683. *numer.* 101. pro falſo penitus non habetur, vnde & vſus eius licitus videtur. Quoad aliud autem ſecùs dicendum communis ſenſus ſcriptorum firmat. Sicut enim ſi Prouiſio illud tantùm contineret, eâ vti non liceret, quia falſo inſtrumento vti, valdè contra fidem publicam eſt, non minùs, quàm auro aut argento falſis, aut rebus aliis vti: quod confirmo ex falſo juramento; quod graue ſemper peccatum eſt, quia Dei auctoritas in falſitatis confirmationem adducitur. Ad quem modū Regio tribunali grauis irrogatur iniuria, dum eius auctoritas in confirmationem falſæ conceſſionis adducitur, pro quo & publicum inſtrumentum intimatur. Sicut ergo inſtrumentum dictum non poſſet ad vſum applicari, ita neque hoc, de quo loquimur; quia pro eo eadem fundamenta vrgent, & eſt valdè per accidens, quòd falſitas dicta aliis veritatibus miſceatur: ſicut juramento falſo, quod ſit etiam veris admixtum, quæ vno ſpiritu proferuntur; & quidem confectio talis inſtrumenti illicita prorſus eſt, vt negabit nullus: ergo & vſus. Conſequentia probatur: quia confectio propter vſum eſt; vnde ſi vſus futurus fuiſſet nullus, non videtur damnanda confectio de crimine falſi; quia tantùm res quædam ludicra videretur.

Pro oppoſita quæ faciant, vt probabilis videatur.

207 Et hæc quidem reſolutionem negantem verò quamſimillimam oſtendunt, contrariâ autem poteſt aliquomodo fundari ex opinione P. Sà *V. Falſarius*, *v.* 2. vbi ſic ait. *Falſare non eſt, nec peccatum mortale, amiſſæ ſcripturæ de hæreditate, aut nobilitate aliam ſimilem facere, nulli enim fit iniuria.* Sic ille, cuius ſententiam licèt Magiſter ſacri Palatii immutauerit, eſt tamen aliorum, ad quos, eius litura non peruenit, vt videri poteſt apud Dianam *Part.* 5. *Tractat.* 14. *Reſolut.* 40. vbi pro eâ adducit Iulium Clarum, Grammaticum, Grauetam, Corneum, Alciatum, Menochium, Gyptium, & ſequi probabiliter ex ſententiâ Belloclii, & Chapeauillæ apud eumdem ſatis ipſe inſinuat. Licèt contrarium cum aliis ibidem teneat, & *Parte* 3. *Tractat.* 6. *Reſolut.* 56. & Baſſæus *v. Falſarius, num.* 4. Cùm ergo ex vſu Prouiſionis dictæ nemini fiat iniuria, non videtur in eo peccatum lethale committi. Accedit ratio alia, quam aliqui ex citatis Auctoribus afferunt: quòd ſcilicet talis Prouiſio quoad prædictam additionem juuatur primordio veritatis; per quod reſponderi poteſt ad id, quod de auctoritate Regiâ in confirmationem falſitatis adductâ dicebatur: non enim ita abſolutè ſe res habet, ſed in confirmationem potiùs adducitur primordialis veritatis, conceſſionis ſcilicet Pontificiæ, aut etiam Regiæ contra eorum mentem retardatæ.

Quorumdam ſententia de confectione inſtrumenti in locum deperditi.

Roboratur ex aliorum doctrina circa idem. P. Molina.

208 Accedit id, quod habet P. Molina *Diſp.* 700. *num.* 3. vbi ſic ait: *Vt crimen falſi incurratur, neceſſe eſt vt falſitas fiat circa id, quod præiudicium aliquod proximo afferre poſſit; vnde ſi quis deprauet ſcripturam, ex cuius deprauatione nullum, aut leue admodum præiudicium obuenire poteſt, &c. non incurritur crimen falſi.* Hæc ille: quibus concinunt, quæ tradit P. Fragoſus *Tom.* 1. *pag.* 243. *num.* 281. ſic dicens: *quin addunt communiter doctores, falſum, quod nemini nocet, non puniri.* Quod ille explicat de pœnâ ordinariâ cum Menochio; alii autem intelligentiam dictam non adiiciunt. Quæ omnia pro caſu præſenti ſuffragantur: neque vrget, quod de confectione illicitâ dicebatur, ex quâ videtur vſus illicitus comprobari: nam doctrina illa generaliter non admittitur; multoties enim traditio rei alicuius illicita eſt, cùm tamen liceat vſus, quia defectus culpabilis in traditione non obſtitit tranſlationi dominii: & in matrimonio eſt certum, quando contra ſponſalia cum aliâ contracta celebratur, aut ob rationes alias quæ ex juris diſpoſitione proueniunt, & in communi Doctorum ſenſu inconcuſſum habent fundamentum; ſic ergo pars hæc vtcumque probabilis, vt ſic facientem non penitus damnemus, licèt oppoſita plus auctoritatis habeat, & ſolidis ſit rationibus roborata. Et hæc occaſione Notariorum de Camera diſſeruiſſe placuit; quia ſcio caſum in ſpecie dictâ ante annos aliquod accidiſſe; & bonâ quidem fide, ac ſine dolo, quo euentu crimen falſi non incurritur. *L. Neque exemplum. C. de accuſationibus*, vide P. Fragoſum *ſuprà* §. *Idem dicendum*, qui, & videri poteſt *Lib.* 5. *Diſput.* 13. §. 11. Vbi plura de Tabellionum obligationibus. Pro quibus

Crimē falſi quando non incurratur. P. Fragoſ.

D. Bona fide.

Pro Indis poſſe in diebus Feſtis Tabelliones laborare.

209 Quintò, id etiam obſeruandum; licèt variæ ſententiæ Doctorum ſint circa ea, quæ diebus feſtis ſcribere Tabellionibus ſunt prohibita, cùm de Indis agitur, omnem debere ſcrupulum remoueri, quia cùm miſerabiles perſonæ ſint, quidquid ad eorum commodum ſpectat, pietatis negotium eſt, & ita poteſt diebus quantumlibet

feſtiuis

Digitized by Google

feſtiuis expediri. Iuxta dicta *num.* 203. vbi illud dubitari ſpecialiter poteſt, an quando Indorum aliquis contra alium litigat, doctrina præfata currat; quia priuilegiatus contra pariter priuilegiatum non poteſt priuilegio vti. *L. verùm.* § *vltimo,* & *L. ſequenti de Minoribus*, & alibi, de quo ſpecialiter. P. Suarez *Lib.* 8. *de Legib. Cap.* 23. ſed dicendum doctrinam currere; quia abſolutè Indus priuilegiatus eſt, & ex eo. quòd negotium breuiter expediatur, collitigatori nullum grauamen imponitur, quod à grauamine diſtinctum ſit in ipsâ ſententiâ contento: ergo poteſt diebus feſtis ſinè violatione ipſorum, & ſine pietatis etiam violatione, concludi.

Etiamſi Indus contra Indum litiget.

210 Tandem, animaduertant præfati ſe in extremo contrario grauiter poſſe delinquere, & id frequentius, ſi videlicet Indorum executoriales litteras remorentur; quia pauperes ſunt, neque clamant valenter vt alii, ſed aſperiori quolibet verbo recedunt. Ex quo præter moras ſemper noxias alia ſpecialis cernitur, Indos ſcilicet in locis ſibi inſalubribus in graues morbos incidere, & multoties lethales. Quæ quidem damna in humanis deterioribus imputanda. Pro quo videnda, quæ ex probatis Auctoribus adducit P. Fragoſus *ſuprà pag.* 724. *num.* 275. Quod & Iudices & Relatores, ac Protectores, aliique, vt cum Diuo Ambroſio loquar *Lib.* 5. *in Lucam*, *acerbi* Indorum *funeris portitores*, animaduertant oportet, quod & animaduertere plurimos compertum eſt: ſed non omnes capiunt verbum iſtud de capiendis aliis ſoliciti. Sed væ illis; cùm diuinum proclamet edictum. *Virum iniuſtum mala capient in interitu. Pſalm.* 139. *v.* 12. Capientur à malis, & malis quidem malorum maximis, in interitu, qui multorum interitum inhumanè illos tractantes induxerunt.

Peccare illos grauiter nectantes moras, ob Indorum paupertatē: & magnorum cauſas eſſe malorū, ſicut & iudices, &c.

Quàm id formidandum.

§. IV.

De Janitoribus.

211 POſſunt & ii grauiter in officii ſui adminiſtratione peccare.

Primò. Si pretium accipiant, vt cùm aliquis coram Auditoribus pro tribunali ſedentibus iuſtitiam ſuam allegat, eum perturbent, dum tacere, aut breuiter concludere monent elatâ voce, quâ ſolent ſic allegantes commoueri. Satis enim compertum eſt neminem poſſe à poſtulatione ſui iuris impediri, & vt aliquis iuſtitiam aſſequatur multa iuuare, quæ ſi ſupprimantur, à cauſa cadere ſæpè continget: vnde expertus dicebat Auditor, cùm aliquem ad jus petendum videbat accedere: *Nihil taceas, nam inde aliquando judices decidendi motiuum aſſumunt, vbi parum eſſe momenti alii ſuſpicantur.* Peccant ergo iſti contra iuſtitiam, & poteſt obligatio ad reſtitutionem ex vocibus inconſultè prolatis oriri: ſed quia valdè id dubium erit, quòd ſcilicet voces tales cauſa damni fuerint, cùm & aliàs Aduocati ſoleant quod deſuit in partis allegatione ſupplere: ideò vix accidet ad onus prædictum obligandos juxta dicta *num.* 186.

Ianitores peccare grauiter poſſe, dum pretio accepto allegātes perturbant.

Ad reſtitutionem regulariter non teneri.

212 Secundò, peccare grauiter poſſunt, ſi ſacerdotem coram judicibus vt ſuprà perorantem inurbanè interpellent, vt taceat, aut ſe ſuccingat in dicendo. Loquentur enim iſti ſine honoris titulo, qui ſolet inter ciues communiter adhiberi; ſicut & alii adſtantes, ob repræſentationis Regiæ reuerentiam. Sed certè inferioris conditionis hominem ſic alioqui ſacerdotem, & modo ipſo dicendi riſui illum adſtantium exponere, intolerabilis abuſus debet meritò reputari. Et quidem cùm ſacerdotes non ſoleant ita frequenter in tribunalibus apparere; quando id accidit, credendum eſt cauſam momenti non leuis impellere: vnde non ſunt more aliorum arctandi, vt quod ad cauſam ſuam ſpectat laconiſmo debeant coërcere. *Sacerdotem non decet protendere improbam litem.* Sic Theodoricus verbis Caſſiodori *Lib.* 4. *variar.* 44. Debet ergo cùm loquitur in cauſa ſua, aut aliena, quam pietas vt propriam coëgit defendere, vt juſtitiæ patrocinator haberi, & ſic libera elocutio permitti. *Labia enim ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt de ore eius: quia Angelus domini exercituum eſt. Malachiæ* 2. *verſ.* 7. Labiis ergo, in quibus ſcientiæ cuſtodia eſt, & à quibus lex eſt requirenda: Dei Angeli, ſeu Legati, cuius eſt loqui ſupremæ nomine Maieſtatis, ſingularis reuerentia exhibenda eſt, & non tumultuariè, & petulanter ſilentium imperandum. Ne autem illi indecoram huiuſmodi tractationem patiantur, à tribunalibus procul conentur abſiſtere, & quod Iura cauent attentiùs exequantur, vt vix per ſe ipſos litigent, ſed per Procuratores, quos Apocriſiarios antiqui compellarunt. Pro quo videnda Fornerii eruditio circa citatum locum Caſſiodori.

Peccare iſtos ſacerdotum indecorâ in tribunalibus interpellatione.

Debere illos à litibus abſtinere, & reuerenter tractari.

Malach. 2. v. 7.

213 Tertiò. Si quidquam Officiali dicto, qui & ſalarium habet ſuum, datum fuerit ab aliquo litigante pro re aliquâ ab ipſo præſtandâ, id poteſt accipere; quia non eſt ex eorum numero, quos leges acceptiones munerum prohibentes comprehendunt; & quæ dantur, ad ſalarii augmentum non ſpectant: ſi tamen pro functionibus aliquibus ſpeciale habet ſtipendium aſſignatum, plus nequit exigere, & exactum debet reſtituere. Gratis tamen oblatum retinere poteſt, quia nullâ id lege prohibetur, & dantes inuoluntarii non ſunt, cùm nullum appareat caput, vnde poſſit violentiæ aliquid coniectari.

APPENDIX.

De Aduocatis.

214 LIcèt Aduocati in Audientiis magnæ conſiderationis ſint; quia tamen earum non videntur miniſtri, cùm eorum officium latiùs pateat, & ad omnia ſe extendat tribunalia; non eſt hoc loco de illis ex profeſſo agendum; cùm præſertim circa Indicos vix aliquid ſpeciale occurrat, quod debeamus adnotare. De illis agunt Doctores paſſim, & præſertim, qui de obligationibus juſtitiæ ſcribunt, ac prætereà Bonacina *Tomo* 2. *diſput.* 10. *circa octauum Decalogi præceptum, quæſt.* 3. *Puncto* 4. P. Thomas Sancius *Tomo* 2. *Conſiliorum, Lib.* 6. *Cap.* 7. *per totum*, & *Tom.* 1. *Dub.* 42. & 44. & P. Fragoſus *Tomo* 1. *Libr.* 5. *Diſputat.* 13. §. 10. qui multa de illis complectuntur, ex quibus hic nonnulla ſubiiciam, quæ

De Aduocatis præmiſſa nonnulla.

Digitized by Google

quæ in Indiis poſſunt frequentiùs euenire. Sit ergo

Pactionem de quota litis facere lege prohibetur.

Primum. An ſi Aduocatus pactum ineat cum litigante, ſi vincat in lite, de quotâ illius, aut præmio alio ſpeciali; eo accepto ad reſtitutionem teneatur. Pro quo eſt *Lex 8. Titul. 16. Lib. 2. nouæ Compilat.* in qua id prohibetur verbis illis: *Mandamos que ningun Abogado pueda hacer partido, ni iguala con la parte, que le de cierta cantidad, ni otra alguna, por razon de la vitoria del pleyto.* Sic lex: in qua *Iguala* idem eſt, quod pactio, ſeu conuentio, & non ſolùm eam vetat, ſed potentiam tollit; vnde & dominii videtur tranſlationem impedire, & eſt conformis *L. Si quis. C. de poſtulat. & L. 14. Titul. 6. Part. 3.* & aliis. Quarum ratio eſt: quia pactione poſitâ, Aduocati per jus & nefas victoriam procurabunt; quod non ita contingit in ſalario, quod ſiue vincant ſiue vincantur, ſunt ſimiliter accepturi. Videtur ergo hoc prorſus illicitum, & ita cenſent Auctores, quos adducunt, & ſequuntur P. Sancius *Dub. 49. citato* & P. Fragoſus *num. 257. & cap. 7. etiam citato Dub. 9.* vbi plures alios Auctores adducit. Sed certè cùm lex in adductâ præſumptione fundetur, eâ ceſſante non videtur obligare, juxta communem doctrinam de legibus in præſumptione fundatis.

Legis tenor.

Non obligare in conſcientia; quia in præſumptione fundatur.

Vrgetur ex eo quòd pactio ex natura ſua eſt licita.

215 Cùm aliàs pactio talis ex natura ſua nullam habeat iniquitatem, vnde ſeclusâ lege ſtare illa poſſet, ſicut quæuis alia, ratione cuius pars aliqua adiuuanti in negotio deſignatur. Et ita tenet Cardinalis Toletus *Lib. 5. Cap. 60.* in fine. P. Hurtadus *Diſput. 5. de judicio forenſi, Difficult. 4.* Si quis certè Factorem, quem vocant, conſtitueret, vt rem ita curaret, promiſſâ parte, id eſſet omninò licitum, & paſſim ita euenit: ergo & pariter facere poſſet Aduocatus. Accedit doctrina Baldi, & Angeli apud P. Fragoſum dicentium, Aduocatum poſſe paciſci de aliâ re ſibi dandâ, ſuper quâ non litigatur, nec ſit ex petitis; quod & ipſe Pater videtur complecti. Et Bonacina *num. 10.* quando non eſt lege interdictum. Quis autem non videat vtriuſque eamdem eſſe rationem? Quod benè admonet P. Sancius *citato Dub. 9. num. 6.* & ita negat cum aliis, quos adducit: ſtante autem rigore prædictæ prohibitionis, & quòd pactio iniqua ſit, acceptâque re promiſſâ, non eſſe obligationem reſtitutionis benè cum Couarruuia, Nauarro, & P. Henriquez oſtendit P. Sancius, quia lex pactionem irritat, non acceptionem; & dominii tranſlationem non tollit, quod cùm valde odioſum ſit, exprimi debuiſſet.

Et ex ſententia aliquorū circa pactionē in re alia extra litē.

Non eſſe obligationē reſtitutionis.

Non licere litiganti alterius informationes ſurripere, niſi ſurripuerit alter ſuas.

216 Secundum. An liceat litiganti alterius informationes ſurripere, vt Aduocato illis vti. P. Sancius *Lib. 3. citatâ Dub. 44.* benè oſtendit primum eſſe prorſus illicitum niſi par pari reddatur, & ei qui informationes collitigantis ſubripuit, quæ illius ſunt, ab alio ſurripiantur. Quem ſequitur Diana *Parte 11. Tractat. 7. Reſolut. 20.* vbi & adducit Cardinalem Lugo, & addit idem eſſe de Aduocato quoad vſum: quod ſcilicet, quando litigans non poteſt prædictas informationes capere, neque Aduocatus poteſt illas recipere, neque Amanuenſis illas ſcribere; quia licèt ſtudium Aduocati, & actio ſcribendi ſint res indifferentes; at litigans vult illis abuti contra juſtitiam. Immò neque in dubio an litigans peccauerit capiendo illas, poterunt Aduocatus & Amanuenſis prædicta facere, quia rariſſimè contingit id non fieri contra juſtitiam: quòd ſi aliud conſtaret, ſecùs dicendum. Sed hæc ita videntur intelligenda, ſi informationes ſubreptæ non ſint collitiganti reddendæ; ſi enim reddendæ ſint, in eo quòd ab Aduocato videantur, & ab Amanuenſi ſcribantur, non apparet graue peccatum: ex tali enim viſione, & ſcriptione tantùm habetur anticipata quædam earum notitia; quidquid enim in eis continetur, ab Aduocato collitigantis eſt tandem allegandum, & ita etiam ab Aduocato ſciendum partis aduerſæ; in anticipatione autem ſuppoſitâ ſubreptione, grauis eſſe iniuria nequit. Si dicas ex hoc ſequi ſurripi illas poſſe, cùm ex eo tantùm habeatur anticipata notitia, neganda eſt ſequela; quia informationes illæ ſunt aliquid collitigatoris, & prætio æſtimabile. Vnde eo inuito nequeunt contrectari. Suppoſitâ autem ablatione, non eſt propterea omnis vſus lethaliter iniquus, juxta dicta *num. 208.* Et ſi ſurripiat quis ſpeculum, & poſt ſubreptum illud ſe in eo ſemel iterùmque intùitus fuerit, grauiter non delinquit; aut ſi etiam legat in libro per iniuriam ablato, & ſic in aliis; quia in illis non eſt conſiderabilis iniuſtitia ſuppoſitâ ſubreptione.

Et Aduocatum non poſſe illis vti, qui ſentiant: ſicut neq; Amanuenſem ſcribentē; etiam in dubio circa modum captionis.

Non apparere in eo graue peccatum oſtenditur.

217 Quando autem dubium occurrit, de quo citatus Auctor; non eſt certa illius reſolutio, licèt ſit probabilis, tum quia non debet adeò ſiniſtrè de ſuo cliente judicare, vt furem arbitretur, qui & fortè bonâ agere fide potuit: tum quia ægrè fert informationes non videri, & nimis ſcrupuloſus reputabitur: ex quo fieri poterit, vt in officio aduocationis à paucis conquiratur. Cum talibus autem incommodis actioni ex ſe indifferenti cooperari poteſt, juxta receptam multorum opinionem, de quâ *Titul. 1. Cap. 14. §. 4.* & quam firmat ipſe P. Sancius *Tomo 1. operis moralis, lib. 1. cap. 7.* & ſpecialiter de dubio agens *num. 17.* ſufficere ait aliqualem cauſſam; minorem autem, quàm cùm abuſus eſt certus: & hic eſt caſus, in quo ſumus, vnde abſolutè nobis tanti Doctoris auctoritas ſuffragatur.

Circa dubium prædicti contraria reſolutio.

Actioni indifferenti ex ſe vt cooperari poſſit.

218 Tertium. An teneantur pauperibus patrocinari. Communis reſolutio eſt teneri, pro quâ videri poteſt P. Sancius citato *Cap. 7. Dub. 1.* Pater Gaſpar Hurtadus *Diſput. 5. de judicio forenſi, Difficul. 5.* & Bonacina *num. 2.* Quod quidem pro Indis ſpecialiter obſeruandum, ſi grauiter indigeant, quamuis illi ſpecialem habeant Protectorem. Aduertit autem Pater Sancius ex communi doctrinâ de obligante ſubuenire pauperi grauiter indigenti, quando non eſt ſuperfluum ſtatûs; quòd ad ſubueniendum grauiter indigenti non teneatur Aduocatus ab illis negotiis ſe expedire, vel illud tempus conſumere, quibus ad alendum ſe & familiam eget, quia illud non videtur ſuperfluum. Quod & tradunt Sylueſter, & Sotus apud eumdem, & alii citati: quod quidem reſpectu Indorum contingere nequit, quia eorum negotia facilè expediri poſſunt. Addendumque non vtcumque patrocinari debere, & moras trahendo ſibi de obligationis impletione blandiri; ſed eodem modo, ac ſi ſalarium eſſet reddendum, quando id negotium exigit, obligante charitate ad omne id quod juſtitia Aduocatum obligaret. Si tamen ex incuriâ lis periret, non

Aduocatū teneri pauperibus patrocinari, & Indis præipuè.

Exceptio propriæ indigentiæ.

Reſpectu Indorum illam non habere locum.

Si lis ex incuria

Digitized by Google

pereat, non eſſe obligationem reſtitutionis.

non eſſet obligatio ad reſtitutionem iuxta communem doctrinam, niſi volente alio patrocinari ipſe ad ſe patrocinium aduocaſſet; tunc enim eſſet cauſſa damni ex iuſtitiæ violatione. Quemadmodùm ſi volente aliquo eleëmoſynam dare, alius illum prohiberet dicendo ſe maiorem daturum, & poſteà non daret, ad reſtitutionem teneretur compenſato valore eleëmoſynæ, quam per promiſſionem à ſe faciendam impediuit.

Quid de caſu ab Auctoribus adducto.

Caſus etiam ille à citatis Doctoribus adductus, videtur Metaphyſicus, numquam enim tempus deerit ad ſubueniendum pauperi, ſi Aduocatus velit. Cuius euidens argumentum erit; nam ſi alius litigaturus accedat, aduocationis laborem pretio exhibito compenſaturus, pro eo tempus commodum conquiretur, & tamen ibi obligatio nulla eſt, ſed cupiditatis impulſus: ergo dum ad charitatis opus deeſſe dicitur, charitatis ipſius defectus eſt, cuius debent ſpatia dilatari. Omitto alia quia communia omnibus, & pro opinionibus quas ſequi debent, ac ſalario, quod iuſtè retinere poſſunt videatur P. Fragoſus.

DE PROCVRATORIBVS.

219 VT non numerentur inter Audientiarum miniſtros, eadem eſt, quæ de Aduocatis, ratio, de quibus pauca, quæ ad Indicos ſpectant, diſcutienda occurrunt, aut ſimpliciter proponenda.

Munera Auditoribus dare non poſſe.

In primis munera largiri Auditoribus, ſicut Relatores, & Aduocati, indirectè tamen, quatenus Auditoribus, interdicitur acceptio. Pro quo vide *num.* 200.

Grauiter delinquere circa ſalarij pactionem.

Deinde grauiter delinquunt in ſalarij pactione; cùm enim duplum Aduocatis, quàm ipſis tribuatur, & ipſi ſoleant de tali quantitate paciſci, in eâ excedere ſolent, vnde grauentur immodicè litigantes, & inuiti annuunt, & ita eſt inuoluntaria contributio, & cum onere reſtitutionis; venduntur equidem iſta vltramarinarum mercium ritu, quibus vnuſquiſque pro libito pretium aſſignat, iuxta Doctorum quorumdam opinionem.

Pretium rerum vnde iuſtum cenſendum.

Quis autem non videat iniquum eſſe talem modum venditionis? Pretium rerum, quod neque ex lege neque ex communi æſtimatione taxatum eſt, iuxta intelligentium arbitrium omnibus conſideratis debet deſignari, & non venditoris relinqui voluntati, vt benè ex Nauarro, & aliis explicat P. Leſſius *lib.* 2. *Cap.* 15. *num.* 16. ergo & Procuratoris induſtria: & ita non eius immoderatæ cupidini relinquendum: & ſic in terminis tenet Bonacina cum aliis quos adducit. *num.* 9. & ante eum Cardinalis Toletus *lib.* 5. *Cap.* 60. *num.* 4. & *Cap.* 62. *num.* 2. ac poſt vtrumque Pater Hurtadus *diſputat* 5. *de iudicio forenſi difficultate* 4.

Ratio circa quotam Litis vt illis prohibeatur.

220 Item quæ dicta ſunt de Aduocatis quoad quotam litis, aut aliud quid; ſimiliter eſt de Procuratoribus dicendum. Conſtat, quia leges pariter de illis loquuntur. Videndus P. Sancius *Tomo* 2. *Conciliorum lib.* 6. *Cap.* 7. *num.* 4. & *ſeqq.* Id tamen addendum, in Procuratoribus minus videri periculi, & ita minùs obligari: quia cùm ipſi peritiam legum non habeant, nec ſciant varios modos eludendi textus, qui pro parte contrariâ allegari poſſunt, non eſt periculum, vt per fas, & nefas victoriam prætendant, ſed occaſio tantùm ſolicitudinis peculiaris.

Vt liceat circa Indos poſſit.

Certè ſi cauſſa eſſet in fauorem Indorum, pro quibus pauci ex Miniſtris ſoliciti comperiuntur, non videretur penitus improbandum; ſi pactio de re eſſet moderata, & Indi non eſſent adeò pauperes, vt adiuuare eos Procurator, ſicut de Aduocato eſt dictum, teneretur. Quo euentu, obtentâ pro Indo victoriâ, non eſſet ad aliquid reddendum obligatus; quia Procurator debuit auxiliari, & pactio voluntaria omnino non fuit, ſed redemptio vexationis.

An poſſit Aduocati ſalarium capere, ſi eius ſuppleat, quia & ipſe peritus, induſtriam

221 Præterea. Quia Indorum lites non ſolent magnam Aduocatorum peritiam requirere, ſicut & aliæ nonnumquam aliorum, & ita ſuppleri per expertos Procuratores poteſt; dubium inde oritur, an poſſit Procurator ſalarium etiam Aduocati accipere? & quia petitiones Aduocati ſubſcriptionem habere debent, an debito ſatisfaciat, ſi aliquid illi pro ſubſcriptione tribuat, ſibi reliquo reſeruato. Quod negant Cardinalis Toletus. *lib.* 6. *Cap.* 62. *num.* 2. & P. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 680. obligationem reſtitutionis aſſerentes.

Duplex ſententia oppoſita.

Sed Bonacina *num.* 25. contrarium ſentit; & cum eo Pater Dicaſtillus *Libr.* 2. *de Iuſtitia. Tract.* 1. *Diſp.* 9. *numer.* 134. qui & de Notario idem aſſerit, quia illud videtur lucrum induſtriæ, per quod nulli fit iniuria, ſi Procurator omnino ſufficiens ſit: ſecus autem iudicat, ſi conſilia non ita erudita conficiat, inſcio vel reluctante cliente, qui ea ab Aduocato vellet proprio Marte elaborata. Vel quando Procurator non eſt tantæ dignitatis & ſcientiæ vt tantum ſtipendium mereatur.

Reſolutio diſtributione congruâ.

Videtur dicendum, quod ſi victoria in lite habeatur, præſumi facilè poteſt clientem non eſſe inuitum de lucro illo induſtriæ Procuratoris adſcripto, cui & ceſſit Aduocatus. Si autem victoria comparata non ſit, reſtituendum quod Aduocati labori reſpondebat: quia tùnc præſumi nequit voluntarium eſſe clientem, qui cauſſam ſuam malè agitatam arbitrabitur, & ideò victoriam non adeptam. Quod ſi id neſciat, eodem eſt modo præſumendum: quia ſi ſciret, ita & quidem magno cum fundamento, iudicaret: quia ſi Aduocati acceſſiſſet ſtudium, ius Clientis magis forſitan fundatum deprehenderet.

Aduocatus vt peccet, ſubſcribendo.

Vnde & grauiter peccat ſic ſubſcribens in negotio graui, & ſtudium ſpeciale requirente; teneturque ad reſtitutionem damnorum, quia verè officium Aduocati ſuſcipit dum ſubſcribit, & Aduocatus de damno tenetur & defectu diligentiæ, Cardinalis Toletus *Cap.* 60. *numer.* 3. & Bonacina *num.* 3.

An Procurator poſſit inſtrumenta conficere, & ſuſtipendium capere, parte aliquâ Notario pro ſubſcriptione tributâ.

222 Circa Notarios autem minor eſt difficultas, quando ſcilicet Procurator per ſe ipſum inſtrumenta conficit, & ea facit à Notario ſubſcribi, ſtipendij portione tributâ; tunc enim ſi litem perdat, nequit huiuſmodi lucrandi induſtriæ imputari cùm talia ſcripta nihil minùs habeant. Nihilominùs id negant Cardin. Toletus, & P. Reginaldus *ſuprà.* exiſtimantes idem eſſe, quod de Aduocato dicendum, ſed ex alio fundamento; quia ſcilicet illis debetur ſuorum laborum pretium; cùm enim acceptum ſit, vt daretur illis, dummodò non datur, eis fit iniuria, & ita reſtitutio non facienda Clienti, ſed prædictis.

Digitized by Google

At hoc eſt difficile, quia pretium debetur labori proportionatum; atqui præfati minimum quid laborarunt, & eiſdem proportionatum eſt pretium attributum; & præcipuũ laborem Procurator aſſumpſit: ergo nõ eſt illis debitum quidquid eſt à Cliente acceptum: & ita ſi reſtitutio facienda eſt, non eiſdem, ſed Clienti videtur, quod dederat redhibendum. Et certè lite perditâ pretium laboris Aduocato reddi, abſurdiſſimum eſt, cùm potiùs ipſe ad reſtitutionem teneatur, eò quòd ſubſcripſerit nullo adhibito ſtudio, vnde victoriam in lite comparatam non fuiſſe poteſt meritò iudicari, iuxta nuper dicta. Cùm alias etiam lucro ceſſerit, quando in gratiam ſubſcripſit Procuratoris.

Quid circa Aduocatum lite perditâ.

223 Niſi dicamus abſolutè Aduocatum, & Notarium coactos ſubſcribere, ex timore ſcilicet amittendi ampliora lucra; quia aliàs Procuratores negotia non deferent ad ipſos, quod Cardinal Toletus inſinuat. Et licet labor eorum non fuerit proportionatus ſtipendio, quia tantùm ſubſcripſerunt, id tamen per eos non ſtetit, qui parati ad laborandum erant pro ſtipendio ſibi aſſignato: iuxta receptam doctrinam de Aduocato ſalariato, cui integrum debetur ſalarium, quando per eum non ſtat, vt labor reipſa pro cauſſis occurrentibus non exhibeatur; vt quia Cliens non eſt litem proſecutus. De quo Bonacina *n.* 11. & in eodem caſu atque aliis. P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 720. *n.* 266. cum aliis, quos citat; & licet contrarium ſentiat P. Hurtadus *Difficul.* 4. cum P. Azor, & aliis; id quidem eſt quando ex cauſſâ iuſtâ à lite deſiſtitur, vt iidem explicant: neque negat Bonacina, qui vt contrarius adducitur: quandoquidem ille in comprobationem ſententiæ ſuæ præfert communem doctrinam de conductore, qui re conductâ non vtitur ob culpam ſuam; tenetur enim integram penſionem ſoluere, iuxta *L. Qui operas. D. Locati*: vnde & pro ſe Patrem Azorium adducit, reipſa non aduerſantem. Atqui in caſu noſtro Aduocatus, & Notarius non culpâ ſuâ, ſed Procuratoris, operas ſuas non exhibuerunt, & ita iniuſtè laboris pretio defraudatur.

Ex inuoluntaria ſubſcriptione difficultas.

Quando debeatur ſtipendium non laboranti, parato tamen.

224 In quo philoſophandi modo ſua eſt veriſimilitudo; quamuis mihi in prædictis non videatur eſſe ratio inuoluntarij, quæ obligationem reſtitutionis inducat: quia cùm Procuratores pro libito poſſint negotia ad Aduocatos deferre, & pro ſcribendis actis Notarios eligere; æquum eſt, vt & ipſi aliquam eiſdem gratiam referant in eo, quod talibus magis eſſe gratum ſolet, pecunia inquam, quæ vtinam non ſit illis in perditionem; & vt non ſit in caſu, de quo loquimur, benignum iis ſentiendi modum exhibemus. Sicut & dici poteſt non peccare retinendo pretium ſcripturarum, quas Notarij à ſe confectas gratis illis tradunt, exiſtimantes eas ad ipſos pertinere, aliàs gratis non daturi, quod tenet Bonacina. *num.* 13. §. *Hinc ſequitur.* cuius ratio eſſe poteſt: quia hic & nunc gratiam aliquam ſic tradens vult eidem facere, & cùm ſcripturæ ad ipſum non ſpectent, pretium ſaltem ab alio reddendum ad talem gratiam pertinet; ſiue vt arguit Bonacina: quia Notarius intuitu in perſonam Procuratoris gratis conceſſit. Sed ratio non videtur conuincere: licet intuitu Procuratoris id fecerit, exiſtimans tamen ad ipſum pertinere, aliter non facturus: ſi ergo non facturus: ergo ignorantia abſolutè fecit inuoluntarium: Certius id quod addit, poſſe retinere pretium, ſi Notarius gratis eas concedat in remunerationem beneficiorum receptorum, vel recipiendorum. Pro quo alios refert, & id confirmat, quod nuper dicebamus, vt non debeat actio inuoluntaria reputari. De quibus hæc ſatis, ſicut & de Audientiis, quæ plus nobis operæ, vtinam & pretij, quàm ſtatus alij, præbuerunt. Iam ergo ad alios.

Non eſſe inuoluntarium, quod obligationem reſtitutionis inducat.

Pro quo & caſus alij, in quibus ſcripturarum retineri pretium poteſt.

TITVLVS

TITVLVS V.

DE REGIIS OFFICIALIBVS PRO ADMINISTRANDO Regali patrimonio in Indiis deputatis, & eorum in foro animæ obligationibus.

Pro adminiſtrando Regio in Indiis patrimonio diuerſi ſunt miniſtri deſignati, ex quibus præcipui ſunt, qui tribunal maius, quod Rationum dicitur, conſtituunt, & ita ab illis tractationem iſtam operæ erit pretium auſpicemur. Sit ergo

CAPVT I.

Rationalium maiorum obligationes pro maiori etiam referuntur.

1. Obligatio Rationalium circa diligentiam in adminiſtratione, & obligatione reſtitutionis, ſi deſit.

1. PRima eſt diligentiæ peculiaris, vt nulla ſit in Regio patrimonio iactura, quæ ſi deſit, illis eſt ita imputanda, vt ad reſtitutionem teneantur: iuxta receptiſſimam doctrinam, de quâ ſæpiùs, & pro quâ in ſpeciali videri poteſt Dominus Solorzanus *Tom.* 2. *lib.* 4. *Cap.* 4. *num.* 125. & in Politicâ *Lib.* 6. *Cap.* 9. in fine, *&* *Cap.* 15. §. *Y en quanto*, qui alios adducit. P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 921. *num.* 5. P. Gaſpar Hurtadus *Diſputat.* 5. *de reſtitutione Difficult.* 10. Bonacina. *Tom.* 1. *Diſputat.* 1. *de Reſtit. Quæſt.* 2. *Puncto* 11. *num.* 4. Quia verò ex negligentiâ iſtorum ingentes poſſunt Regij patrimonij iacturæ fieri, cùm adeò amplum illud ſit, circa hoc debet eorum attentio vehementer excitari: eſt enim eorum grauiſſimum peccatum, vnde & ſalarium iniuſtè accipiunt, quia cùm debitores ſint decem millium talentorum, inſtar ſerui illius Euangelij, ſalario ipſo debent ſatisfacere ſaltem ex parte quamuis modicâ, niſi ita illo indigeant, vt aliter ſe nequeant ſuſtentare. Quod quidem in miniſtris, de quibus loquimur, Indicis inquam, ſpecialiter locum habet, quia magnæ diuitiæ illorum curæ commiſſæ ſunt, & plures ſunt, qui Regalia iura ſtudeant implicare. De quâ autem culpâ teneantur, dictum *Titulo* 3. *num.* 65. Pro quo, & videndus Bonacina *ſuprà Puncto* 7. *n.* 17. *& ſequentib.* Eſt autem optima negligentiæ damnabilis regula, quando aliquid non fit tempore à lege præfixo. Ex aliis P. Fragoſus *pag.* 944. *circa principium*, & quia non ſemper tempus eſt lege præfixum, tunc erit quando opportunitas aliquid faciendi amiſſa eſt.

Regula, ex qua culpa agnoſcenda.

Secunda, non faciendi ſumptus ſuperuacuos.

2 Secunda, ne occaſione recuperandi Regij patrimonij ſumptus fiant, qui poſſint excuſari, & potiùs in alicuius priuati commodum

vergunt, quem volunt commiſſione tali emolumentum aliquod reportare; quod quidem in Indiis non inſolens. Vnde, & graues querimonię ſolent reſultare: licet hoc magis Proreges vrgeat, qui commiſſarios nominant & ſalarium aſſignant; eſtque illud manifeſtum, & iuxta omnium doctrinam: ſumptus enim adminiſtratoris, qui non cedunt in vtilitatem Domini, eidem imputantur, & ſolùm rationabiles admittuntur. Pro quo Pater Molina *diſput.* 549. §. *inter expenſas.* Vnde idem dicendum, quando ei, qui vtiliter aſſignatur, maius ſalarium impenditur, quàm eius labor mereatur, aut plures miniſtri quàm negotium exigat: hoc enim eſt, vt verbis Regis noſtri in aliâ cauſſâ vtar, ex eius patrimonio magnificentias facere.

Tertia, non accipiendi munera pro quo ſpecialis aſſignata pœna Regiâ ordinatione.

3 Tertia, non accipiendi munera, circa quod cum Auditoribus pari pede currunt: de quibus dictum *Titulo* 3. *Cap.* 4. immò plus illi videntur vrgeri Regiâ ordinatione, quæ eſt 50. inter priores, & ſic in illâ: *So pena que haziendo lo contrario paguen lo que aſi recibieren con las ſetenas, demas de ſer caſtigados conforme ſu culpa.* Sic ibi: pro quo tamen ſententia eſt iudicis requiſita. Quia verò iudices generâles non ſunt, ſed ſolùm eorum, quæ ad Regium patrimonium ſpectât, circa quod plurimi nullam habent dependentiam faciliùs in illis occurret ratio, quæ munerum acceptionem honeſtet; ab iis ſcilicet, qui nec litem habeant nec credantur habituri: qui eſſe poſſunt innumeri. Videtur autem iuxta mentem Regum noſtrorum eſſe, vt ij à muneribus accipiendis ſe cautè contineant, quia ſatis pingue illis ſalarium aſſignauit: idem ferè ſcilicet, quod Auditoribus, quod non ita cum Regiis aliis miniſtris factum: hos enim Regii patrimonij curam habentes ſuperiorem, manus oportet habeant præ aliis puriores.

A quibus accipere poſſint.

Quarta, non iudicandi per ſe ipſos, quæ iuris peritiam exigunt.

4 Quarta, non ferendi ſententiam circa cauſſas, quæ ius, & non factum ſolummodò concernunt; in illis enim adeundus Prorex, qui iudices nominet Auditores: ſic enim lege diſpoſitum, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *Tomo* 2. *lib.* 5. *num* 131. quod quidem obſeruari oportet, quia cùm Officiales iſti ſuperiores auctoritatem ſuam nimis quantùm conentur tueri, & independentiam ab Audientiis affectent, periculum eſſe poteſt, ne de ſententiâ ferendâ deliberent, vbi de iure quæſtio eſt, cognitionem in ſe

Digitized by Google

ſufficientē, & peritiam ad illius præſumentes deciſionem. Quod in cauſſis Eccleſiaſticis ſæpius euenire ſolet apud laica tribunalia: ex affectione ſiquidem ſuperioritatis in iudicando, quæſtiones de iure ad factum reducunt, quas ad ſe dicunt pertinere, iuxta dicta *Titulo 2. numer. 62. & 63.*

Quinta, explorandi perſonas, cui Regia gaza committitur.

5 Quinta, explorandi perſonas, quibus Regia vectigalia locantur, aut venduntur, & eorum fideiuſſores licèt hoc ad Regios Officiales inferioris Tribunalis præcipuè ſpectet: vt in hoc humani reſpectus carnis & ſanguinis, aliiuè præcipuum imperium non habeant, ſed omnia iuxta ordinationes Regias, quæ de iis diſponunt, fideliter tranſigantur. Vbi quidem latam culpam ob defectum interuenire poſſe, dubitari nequit. Rogo enim miniſtros dictos, an ſalarij proprij receptionem ei committerent, de quo omnimodam ſecuritatem non haberent? Quis hoc credat? Ergo in Regio patrimonio adminiſtrando ſimilis debet reſpectus inueniri. Quæ eſt optima regula grauium Iuriſ-conſultorum apud Dom. Solorzanum in Politicâ *pag.* 1027. §. *Pero ſin embargo.* Latam quidem culpam ſic omnes explicant, vt tunc contingat quando non adhibetur diligentia circa rem aliquam, quam homines communiter ſolent adhibere. Videatur poſt alios à nobis adductos *ſuprà* cum P. Leſſio *lib. 2. cap. 7. n. 25.* P. Rebellus *de iuſtitia Parte 2. quæſt.* 10. P. Fragoſus, *Tom.* 1. *pag.* 48. & P. Gaſpar Hurtadus *Diſput. 5. de Reſtitutione difficult.* 1. Atqui circa ſecuritatem facultatum ad alicuius curam ſpectantium communiter homines ita agunt, vt non niſi prudenter reputatis ſecuris committantur: ergo cùm id in miniſtris, de quibus loquimur, in caſu prædicto deficiat, lata culpa eſt, quam æquiparari dolo aduertunt communiter Doctores: pro quo, & P. Azor *Tomo* 1. *lib.* 1. *Cap.* 15. *quæſt.* 5. Vide etiam *Titulo præced. n.* 77.

Notanda regula circa obligationem in modo adminiſtrationis. Alia ad latam culpam dignoſcendam.

Sexta, informandi Regium Conſilium.

6 Sexta obligatio eſt informandi Regium Conſilium de progreſſu laboris ſui, de quo illud valde fuit eſtque ſolicitum, iuxta *Ordinationem* 52. ex citatis quæ habentur apud D. Eſcalonam in fine Gazo-phylacij. Cum enim in hoc tribunali ingentes fiant expenſæ pro miniſtrorum ſuſtentatione; ſi eorum labor nihil momenti alicuius obtinet ad Regium patrimonium conſeruandum, & ad meliorem formam reducendum, quàm ea fuit, quæ ante erectionem eiuſdem habebatur; expenſæ dictæ ſunt prorſus inutiles, & Rex in negotio magni momenti decipitur ab iis, quos ipſe diuitiis, & honoribus ſtudet cumulare; & quidem multi non ſine fundamentis magnis tribunal hoc inutile iudicarunt; vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum in Politicâ *lib. 6. cap.* 16. Vnde & de illo tollendo ſæpiùs in Regio Indiarum Conſilio actum: nec ſolùm inutile, ſed exitiale ob rationem dictam, magnorum ſcilicet ſumptuum in miniſtrorum ſuſtentatione. Cùm tamen alij contrarium cenſerent; ſi tamen miniſtrorum numerus in duplum augeretur. Et auctus quidem diebus iſtis, omnino tamen ſine fructu, quia non viri adlecti quos ætas & experientia cum peritiâ neceſſariâ commendarent, & licèt vnus aut alter ſatis inter eos habeatur idoneus, ij tamen ætate longæui deceſſuri citò, rem tantam in manibus eorum derelinquent, quos

Viros non maturos in Tribunal adſcitos quàm dolendum.

qui vident, cum Heraclito aut Democrito aut dolent aut rident, in munere conſtitutos. Etiam cùm hæc ſcripta recognoſco, illorum præcipuus morte eſt repentinâ ſublatus. Vtinam videant, qui videre debent ſi aliquid vident; cùm adeò conſpicabilia ſint, vt ſemicæcorum etiam poſſint oculos prouocare.

Septima, attentiſſimus in Prætores intuitus.

7 Septima, attentè peruidendi an Prætores, præſertim Indorum, Regias arcas, vt dicitur, integrarint; & circa rationes ab eis redditas ſpecialiter inquirendi. In hoc enim magni eſſe inſultus ſolent, & propter varias dependentias inter eos, & maiores Rationales diſſimulari plura, quæ Regij patrimonij incommodis peraguntur: & licet hoc ad præfata reduci poſſit, oportet tamen illud in ſpeciali animaduerti, quia damnum hoc cum oppreſſione eſt Indorum ſociatum: deficiente enim, quod ex tributis ſeu taxis colligi ſolet, periculum eſt iterum vexandi eos, qui iam ea, ad quæ tenentur, vſque ad vltimum quadrantem perſoluerunt. Vrgendi ergo Prætores dicti inquiſitione præualidâ, & ad reddendam rationem omnimodis conſtringendi, ne eorum peccatis ſatis execrabilibus implicentur. Et mirari hoc loco licet Maiores iſtos Rationarios apud Regium Indiarum Conſilium conqueſtos ſe non poſſe, quæ ad Regium patrimonium ſpectant, liquidare, quia in Reſidentiis Prætorum, quæ in Audientiis recognoſcuntur, ab Auditoribus impediuntur, eò quòd cum aliis cauſſis, ea, quæ ad integrationem Regiarum arcarum pertinent, tractabantur: vnde cognitio talis iis reſeruata. Poſt hæc autem, vbi tanta Regis noſtri confidentia diſpicitur, cauſſam dictam perſunctoriè diſcutere, & cum Regij patrimonij manifeſtis diſpendiis priuatos fouere affectus, & ſuperuacuè iuriſdictionis titulos ampliare, Et in his quidem reſtitutionis obligatio eſt, atque euomendi cum pectoris dirâ, ac durâ conuulſione, quod alij cum voluptatis blandimento deuorarunt. O ſtultam cogitationem! Erit autem obligatio non ad integrum debitum, quia illud ægrè ſolet etiam ab exactiſſimis recuperari; ſed quantum ſpei eſſe poterat, iuxta communem ſententiam Doctorum, niſi difficilis recuperatio ab ipſo Rationario ortum habuiſſet: ſed etiam tunc non eſt obligatio ad integritatem, quia etſi ille faciliùs, non tamen totaliter recepiſſet.

Quæ inde reſtitutionis obligatio.

Officio inſiſtendi, iuxta exigentiam negotiorū, neque illud ob puncta quædam honoris omittere.

8 Octaua non deſiſtendi ab officij obligationibus, nec deſerendi negotium, quod inſtat, ob puncta iuriſdictionis, aut præcedentiæ in concurſu cum aliis, de quibus nonnulla habet Dom. Solorzanus *citato loco.* Id enim Regi valde diſplicebit, patrimonium inquam ſuum ob huiuſmodi vanos prætextus ad tempus negligi, & ſic diſpendiis exponi. In eo ergo euentu Proregis iudicio ſtandum, & Conſilium Regium informandum, vt quod expedierit ſtatuatur. Quòd ſi in cauſſa ſit, in quâ Prorex iuriſdictionem non exerceat, nec locus ille, quem vellet, tribuatur, cedat cum exclamatione ſui iuris, & ſibi certò perſuadeat id Regi fore gratiſſimum, cùm, & tribunal illud Regium etiam ſit, nec Regia auctoritas vllum in eiuſmodi ceſſione detrimentum patiatur. Sed iam punctum hoc à Rege deciſum, & Rationario præcedentia concesſa reſpectu eius, cum quo erat controuerſia. Et vtinam illi tam

Digitized by Google

tam eſſent de Regio patrimonio, quàm de ſuâ auctoritate ſoliciti. Non eſſet autem in controuerſiâ aliquâ peccatum graue in concurſu deeſſe, expectato Concilii Regii decreto, ſi per aliquem æquè bene poſſet talis functio ſine vllo ſcilicet Regii censûs detrimento, ſemel, aut iterum exerceri. Aliàs peccatum erit graue cum reſtitutionis obligatione ob damnum emergens, & etiam partis ſalarii ob miniſterium denegatum; cùm excuſatio ab illis adducta, leuis ſit, vt vidimus, vnde eos nequit releuare. Quidquid profectò honoris illis à Rege tribuitur, propter ſui patrimonij reſpectum tribui manifeſtum eſt. Plus ergo patrimonii ſui curam, quàm eorum honorem intendit; quando vnum rationem medii habet, alterum finis. Cùm ergo punctum aliquod honoris occurrit, negari nequit quin Regii patrimonii cura illi veniat præferenda; cùm præſertim adeò parui momenti ſit; pro quo ita certare, vt ad ſuſpenſionem miniſterij veniatur, nullâ cauetur lege. Quòd ſi magni momenti exiſtimant, & ſibi penitus indecorum, officium dimittant, erunt enim, qui cum eo onere libentiſſimè admittant: ſicut dubio procul admitterent ipſi, ſi ita cùm anxiè prætenderent, oblatum fuiſſet.

Quale inde peccatum, & reſtitutionis onus.

9 Nona, circa coniugia: in quo quidem non eſt ita rigidè cum eis actum, ſicut cum Auditoribus: tantùm enim prohibentur contrahere cum filiabus, ſororibus, aut coniunctis intra quartum gradum; Officialium Regiorum, inferioris inquam tribunalis, aut habentium curam Regiæ Gazæ, de quâ apud Tribunalia dicta ſint rationem reddituri. Sicut è conuerſo Regii Officiales nequeunt cum filiabus aut ſororibus Rationalium maiorum per nuptias copulari. Quæ prohibitio extenditur ad filios, & filias eorumdem inter ſe: vt neque Rationalis filius Officialis filiæ, aut filius Officialis filiæ Rationalis poſſint matrimonio jungi, ni velint Officiis irremiſſibilis ſententiæ executione priuari. Circa quod ea, quæ de Auditoribus diximus *Cap.* 16. præcedentis Tituli conſulenda: juxta eam enim partem, quâ prohibitio vrget, idem eſt de præfatis aſſerendum, ſed quia in prohibitione horum aliqua ſpecialia ſunt, ea breuiter exponenda. Poſſunt Rationarii maiores coniugium inire intra diſtrictum juriſdictionis ſuæ, quod tamen Auditoribus denegatum, quia in illis ratio diuerſa eſt: diſtrictus enim Audientiæ ſuos habet limites, extrà quos facilè eſt vxores dignas inuenire: at Rationalium maiorum diſtrictus ampliſſimus eſt, & totum regnum comprehendit; vnde valde difficile illis eſſet vxores aliunde ſibi exportare.

Circa coniugia contra Regiam diſpoſitionē non contrahenda.

Quid circa illa liceat.

10 Deinde cùm lex dicat ſic: *Porta preſente prohibo y defendo à los mis Contadores de quentas, que al preſente ſon, y adelante fueren de los dichos Tribunales, el caſarſe con hilas, Hermanas ò deudas dentro del quarto grado de los dichos oficiales de mi hazienda de las capas de ſus diſtritos, ni de perſonas, que tengan à cargo hazienda Real, de que ayan de dar quenta en los dichos Tribunales &c. Dubium* eſſe poteſt quid voce illâ *Deudas* intelligatur. *Deudas* enim communiter dicimus ſe attinentes conſanguinitate, aut affinitate, & videtur durum illam ſic extendere; vt nequeat vnus aliquis ex dictis cum ſobrinâ vxoris alterius in quarto gradu ſibi affini matrimonium celebrare; cùm poſſit in quinto cum conſanguineâ, quod vinculum ſtrictius eſt, vnde hæredes eſſe conſanguinei ab inteſtato poſſunt vſque ad decimum gradum, juxta ea, quæ adducit Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 7. *num.* 41. cùm tamen affines neque in gradibus proximioribus tales eſſe poſſint. Vnde vrgentior videtur eſſe ratio conſanguinitatis, quia *ſanguis* juxta vulgare prouerbium noſtrum *ſine igne feruet*. Videtur etiam vox *Deudas* conſanguineos præſertim deſignare, & ita in lege pœnali non eſt ad ſignificationem non ita propriam extendenda; juxta receptam de legibus huiuſmodi doctrinam, quòd obligatio in illis minima eſſe debeat, & ita faciendam interpretationem; quia non eſt inducenda obligatio ſine manifeſtâ ratione. Pro quo videri poſſunt Emmanuel Rodericus *Tomo* 1. *qq. regul. quæſt.* 11. *art.* 6. *verſ. Prima regula, num.* 2. P. Thomas Sancius *Lib.* 1. *de Matrimonio Diſput.* 9. *numer.* 11. P. Salas *Diſput.* 21. *de legibus quæſt.* 3. *verſ. Octaua regula*. Sayrus *in Claui regia lib.* 3. *cap.* 8. Bonacina *Tomo* 2. *Diſput.* 1. *Quæſt.* 1. *Puncto* 8. *num.* 18. qui, *& num.* 19. *&* 20. *magis* in ſpecie caſus noſtri loquitur. P. Palaus *Tom.* 1. *Tractat.* 3. *Diſputat.* 7. *Puncto* 3. §. 3. & alii. Quæ quidem partem hanc videntur veroſimilem oſtendere, vt, qui ita fecerit, non debeat rigorem legis experiri. Sed quia res eſt dubia, & judicium Regiorum Senatorum anceps, non erit expediens periculo ſe priuationis exponere, qui velit ſe in officio conſeruare.

Tenor prohibitionis.

Deudas *quid in ea deſignent.*

Legis pœnalis benigna interpretatio facienda.

11 Prætereà, cùm prohibitio ſe extendat ad eos, qui Regii patrimonii partem aliquam contrectarint, de qua apud præfatos miniſtros reddituri ſint rationem, fit ex eo, cum Prætorum filiabus aut ſororibus, conſanguineiſque non poſſe contrahi matrimonium; quia illi Gazam Regiam contrectant, & rationem ſunt de illâ apud præfatos reddituri. Redditâ autem, impedimentum ceſſat, etiamſi credantur habituri officia alia cum eadem cura, quia lex de præſenti loquitur, *Que tengan à cargo hazienda &c.* ſi non etiam ſint rationem reddituri in ipſis Tribunalibus, prohibitio non vrget. Vnde cum filiabus, & ſororibus Officialium S. Cruciatæ, & è conuerſò, connubia celebrari poſſint; quia illi non reddunt rationem in Tribunali, de quo loquimur. Et licet contingat aliquem ex prædictis miniſtris in Tribunali S. Cruciatæ aliquando intereſſe, vbi de Gaza Regiâ agitur; cùm illud Tribunal non ſit ſuum, pro eo non extat prohibitio, cùm expreſsè dicat lex. *Que aian de dar quenta en los dichos Tribunales*. Vbi, & alia quæri poſſunt: ſed cùm ex dictis citato *Capit.* 16. habeatur quod ad negotium conſcientiæ ſpectat, in illis non eſt cur oporteat immorari.

Cum Prætorum cognatis vt prohibeatur connubium.

Non ſic Officialium S. Cruciatæ.

CAPVT II.

De Officialibus Regiis minorum Tribunalium, & Primò circa munerum acceptionem.

12 PEriculoſæ plenum opus aleæ iſti pertractant, quia omnis Regia Gaza per eorum tranſit manus, & ipſi arcarum claues tenent, in quibus illa aſſeruatur. Eſt autem viſcoſa pecunia, & ita cautiſſimos, & delicatiſſimos

Officialiū minoris tribunalis periculorum officium, &

Illorum cũ alijs communes obligationes.

mos exigit tractatores. De illis ergo eadem dicenda, quæ de majoribus Rationariis dicta ſunt quantùm ad ea, in quibus eorum officia conueniunt, diligentiam inquam, ſumptus, ſententias, commiſſiones, coniugia &c. Quoad munerum autem acceptionem nihil expreſſum deprehendi, licèt ordinationes Regias pro illis perlegerim. Et ita generaliter loquendo non videtur illis prohibita, quamuis de illâ, cùm aliquid ex Regio patrimonio ſoluunt, quæſtio à Doctoribus agitetur, ſi videlicet eo intuitu conferantur. Et id eſſe illicitum, & graue peccatum, communiter Auctores tenent, quia ad ſolutionem talem ſunt in conſcientiâ obligati, & pro huiuſmodi exercitio ſui officij proprio ſalarium accipiunt: ergo nequeunt quidquam vlterius accipere. Vide P. Molinam *Diſput.* 83. *&* *Diſput.* 88. *in principio.* & Cardinalem Lugo *Diſput.* 37. *de juſtitia n.* 123.

Cùm ſoluunt nihil poſſunt pro eo accipere.

Circa reſtitutionis autem obligationem dubium eſſe poteſt. Circa quod cenſent aliqui illam non extare quando munera gratis offeruntur, gratis inquam; quia Officiales dicti nullam eo vſque difficultatem in ſoluendo oſtenderunt. Si videlicet eâ liberalitate eis dentur, quæ intra limites donationis ſit ſatis ad transferendum dominium, & ſtare poteſt non ſolùm quando ex amicitiâ, & gratitudine procedit, ſed etiam, vt afficiatur Regius miniſter ad benè negotium expediendum. Sic P. Molina *Diſput.* 88. *citatâ*, etiamſi lex adſit, quâ id prohibeatur. Quod & ſequitur P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 921. *num.* 4. & colligitur etiam ex citandis ſtatim, qui ſcilicet aſſerunt obligationem eſſe reſtituendi, quando Quæſtores difficiles ſe exhibent, & tergiuerſantur ſperantes ſe aliquid accepturos. Sic Nauarrus, P. Reginaldus, P. Vaſquez, & P. Rebellus, quos adducit & ſequitur Bonacina *Diſput.* 1. *de Reſtitutione, Quæſt.* 3. *Puncto* 2. *num.* 7. Videntur ergo ſentire talem obligationem non eſſe quando Quæſtores nullam difficultatem præſeferunt.

Circa obligationem reſtitutionis quid ſentiãt Auctores.

Extare illã concluditur.

13 Sed ex omnium prædictorum mente videtur dicendum miniſtros tales ad reſtitutionem teneri: fatentur enim ad dominij tranſlationem in caſu dicto tam rationem voluntarij requiri, quæ gratuitam faciat, & ita propriam donationem; atqui talis non eſt: ergo non transfertur dominium, & per conſequens obligatio perſtat reſtitutionis faciendæ. Major conſtat, & Minor oſtenditur: quia nullus niſi inuitus tribuit, non tributurus, ſi ſciret debitũ ſibi opportunè ſoluendum: ergo nõ eſt ratio voluntarij ad tranſlationẽ dominii neceſſaria. Antecedens conſtat experientiâ; vnde qui dato pretio ſolutionẽ obtinent, Quæſtores vocãt latrones. Ex quo eſt clara conſequẽtia: nam ex ratione quando eſt aliqua difficultas, aut tergiuerſatio, non eſt propria donatio, quia tantùm eſt redemptio vexationis. Quòd ſi illa nõ apparet, cùm aliquid datur, timetur tamẽ & de illâ dubitatur, vnde ratio eſt eadem, quia idem eſt fundamentum inuoluntarietatis. Vnde quod ait P. Molina de amicitiâ, & gratitudine, locum in præſenti non habet, vt conſtat. Reſpectus autem ille, vt afficiatur Regius miniſter ad negotium diligenter expediendum, ſupponit equidem non ita affectum: ergo redimit quis ſuam etiam in eo vexationem. Quis enim actum agat, & benè affectum, vt benè afficiatur pergat obtinere?

Vanus quidam reſpectus donationis excluditur.

Non ergo loquitur citatus Auctor de tributo munere, vt communiter contingit, juxta quod eſt judicandum, ſed de caſu ſingulari, in quo quis expreſſam eam habeat voluntatem donandi, etiamſi lege prohibeatur, juxta quem non eſt generaliter judicandum, ſed juxta id, quod ordinariè contingit, vt Auctores communiter docent. P. Th. Sancius *Tom.* 1. *Moralium conſiliorum* in fine. Cardinalis Lugo *Diſput.* 37. *de juſtitia num.* 109. & in ſpecie caſus noſtri P. Vaſquez *Tractat. de Reſtitutione Cap.* 7. *num.* 40. ait quòd dum contrarium non conſtat, ſemper eſt præſumenda violentia. Ideò ſententiam iſtam abſolutè tenet Bartholomæus de Medina *in Inſtructione Hiſpana de Sacramento Pœnitentiæ Pag.* 223. §. 3. P. Rebellus *parte* 2. *lib.* 18. *Quæſt.* 20. *in fine*, qui non benè citatur à Bonacina pro eâ tantùm aſſertione, quâ velit obligationem tantummodo reſtitutionis exſtare cùm ſe difficiles exhibent Quæſtores; abſolutè enim loquitur, nec talem limitationem apponit, ſicut nec P. Vaſquez videndus *num.* 38. *&* 39. junctis iis, quæ habet *num.* 126. videant ergo Officiales Regii inter quas ſint anguſtias eorum conſcientiæ conſtitutæ.

CAPVT III.

De negotiatione cum Regiâ pecuniâ, & emptione eorum, quæ in ſubhaſtatione venduntur.

Quæ videtur oſtendere licitã eſſe negotiationem cũ Regiâ pecuniâ.

14 INquiri præterea circa illos poteſt an poſſint cum Regiâ pecuniâ negotiari? ſupponendo omnem ab illis ſecuritatem adhibendam, ne vllo modo illa diſpendium aliquod patiatur; nam ſi periculum diſpendii ſit, res extra omnem eſt controuerſiam, quandoquidem neque cum pecuniâ priuati cuiuſpiam id fieri poteſt. Quia verò dici poteſt grauem audaciam videri pecuniam ex Regiis arcis extrahi ad negotiandum cum eâ, & lege prohibitum ſub pœnis grauiſſimis, de quibus Ordinat. 7. id temperari poteſt, ſi non extrahatur, ſed cùm includendâ adducitur, extra illas relinquatur, fide acceptionis afferentibus datâ. In quo quidem, ſi addatur hoc etiam lege prohibitum, vt videri poteſt apud D. Solorzanum in Politicâ *pag.* 1026. §. *Y por traer. & in citata ordinatione.* Occurri poteſt legem illam in præſumptione fundari, periculi inquam diſpendii; quod ſi ceſſet, obligatio ceſſabit, juxta communem ſententiam de legibus in præſumptione fundatis, de quo non ſemel dictum. Nihilominus dicendum eſt in eo grauiter peccare: cuius ratio eſt manifeſta; quia eſt vſus pecuniæ inuito Domino: voluntas enim Regis ſatis in legibus expreſsè habetur, tum juris communis, de quibus P. Fragoſus *ſuprà num.* 3. tum Regni, de quibus dictum. Licèt autem hoc ita ſit, lucrum ex tali negotiatione proueniens ſibi poſſunt retinere, quia eſt fructus induſtriæ, & non naturalis, aut mixtus. Quod quidem juxta communem doctrinam procedit, quæ id in ſure etiam admittit. Pro quo videantur Bonacina *Diſput.* 1. *de Reſtitutione, Quæſt.* 3. *Puncto ult.* §. 2. *in principio.* P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 12. *Dub.* 17. Cardinalis Toletus *Lib.* 5. *Cap.* 35. P. Gaſpar Hurtadus

Contrarium ſtatuitur.

Lucrari tamen ſibi.

Digitized by Google

tadus *Diſput. 6. Difficult. 6.* & quotquot de Reſtitutione agunt, aut ſpeciali tractatione, aut de juſtitjà & jure diſputantes.

Leges prohibentes nō fundari in præſumptione.

15 Ad id autem, quod de præſumptione dicebatur, negandum eſt quod aſſumitur: licèt enim periculum nullum diſpendij ſit; non vult tamen Rex patrimonium ſuum negotiationibus ſuorum Officialium deſeruire, quando neque Rex ipſe illas in ſuam vult vtilitatem inſtitui: ſed illos ſuo officio diligenter incumbere, neque ad alia diſtrahi, ex quibus ſui patrimonij cura negligatur. Et vt demus in præſumptione fundari: talis præſumptio numquàm ceſſat; licèt in hoc aut illo periculum non ſit: quod tamen non ita contingit, cùm contrarium experientia comprobarit: eſt tamen periculum in eo, quòd exemplum huius ſequetur alter, & illius alius; & ſic grauia diſpendia Regium patrimonium perpetietur. Quando autem præſumptio non eſt tantùm facti, ſed periculi, quod communiter euenit, non currit doctrina illa de præſumptione, vt cum P. Suario, P. Salas, Bonacinà, & Baſilio Legionenſi docet P. Palaus *Tomo 1. Tractat. 3. Diſput. 1. Puncto 8. num. 13.* Ex quo infert cum eodem Baſilio obligare in Religione præceptum non intrandi in aliena cubicula, etiamſi in ſpeciali huius ingreſſu nullum ſit inconueniens; quia generaliter illa eſſe ſolent, & iuxta generalem experientiam leges & præcepta feruntur. Sed quia erit fortè aliquis, qui hoc penitus non admittat, in caſu noſtro addendum non ſolùm communiter accidere id, quod lex præſumit, ſed ſemper eſſe periculum, ob rationem dictam: & ita circa id omnes debent conuenire. Sin minùs vix erit lex vlla, quæ vim habeat, quia omnes ad præſumptiones reuocari poſſunt, & ita earum efficacia prorſus eneruari.

Vel præſumptionē numquam ceſſare.

Sicut in præcepto nō intrandi Religioſa cubicula.

Prohibitio emendi quæ ex bonis Regijs ſub haſtâ venduntur.

16 Habent item prohibitionem expreſſam non emendi ſibi aliquid eorum, quæ ad Regium patrimonium ſpectant ob confiſcationem, aut aliter, & ſubhaſtatione venduntur. Circa quod etiam grauis extat prohibitio pro Rationalibus maioribus, vt patet ex eorum *Ordinatione* 49. inter priores, vbi & omnis illis contractatio prohibetur. Et non videtur negari poſſe quin grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur, ſi aliquem ſubmittant, qui ſuo nomine emat, & per eum, aut per ſeipſum emptores impediat alios maius daturos pretium, vt ipſe viliori poſſit obtinere. Licèt enim aliquorum ſententia ſit id eſſe licitum: de quo Diana *Parte 1. Tractat. 8. Reſol. 76.* & nos aliàs, ſcilicet *Titulo præced. num. 43. & ſeqq.* quia dummodò pretium juſtum ſit, licèt infimum, quod ex eo minùs habet rei Dominus, fructus induſtriæ ac diligentiæ eſt. In Regiis tamen Officialibus res aliter ſe habet; quia tenentur Regium patrimonium ita adminiſtrare, vt eiuſdem vtilitati, non propriæ, conſulant: idque non ſolùm ex fidelitate, ſed etiam ex juſtitiâ commutatiuâ, quia ſunt miniſtri ſalariati, & manifeſtum eſt Regiam voluntatem eſſe, vt ea, quæ ad ſe ſpectant, commodiori ſibi vendantur pretio, ſicut & quiuis alius rei Dominus, cùm eam vendendam alicui tradit, qui abſque dubio ad reſtitutionem tenetur, ſi cùm poſſit maiori pretio vendere, viliori vendat. Pro quo eſt *L. Diligenter. D. Mandati.* Et videri poteſt Bonacina *Diſput. 1. de Reſtitutione, Quæſt. 2. Puncto 6. num. 13.* vbi alios, & omnes quidem è Societate, adducit Auctores. Videantur dicta *citato loco.*

Quando obligationis reſtitutio ex impeditione licitantium.

CAPVT IV.

Duæ aliæ obligationes. Et difficultas ſpecialis circa earum vnam, cùm juſſio Proregis vrget.

Obligatio ſoluendi in pecuniâ militibus.

17 ALiâ etiam prohibitione cauetur, ne militum ſtipendia alio quàm pecuniâ ſoluant, de quâ, ſicut & de præcedenti, Dom. Solorzanus *Pag. & §. citatis num.* 14. Et verò non ſine vrgenti ratione: nam cum ingenti miſerorum incommodo mercimonium exercent, & auidis ſtipendii res, quo volunt pretio, ingerunt, Deo, Regi, Reipublicæ multipliciter infideles. Vbi & præter graue peccatum obligatio eſt reſtitutionis aperta, quandoquidem ſtipendiarii tales detrimenta pretio æſtimabilia patiuntur inuiti, & tolerant; vt ſuam redimant vexationem. Vbi quidem non ſit ſatis, ſi id, quod de pretio eſt auctum, tribuatur: vt ſi linteum ſex regalibus emptum, iuxta octo æſtimationem datum ſit, ad conſtituendam æqualitatem tribuantur duo: poteſt enim contingere vt plus aliquid debeatur. Si enim miles non ita indigebat linteo, & illud viliori pretio, vt aliud magis ſibi neceſſarium compararet, vendidit; totum illud compenſandum eſt detrimentum. Si cùm deberet ſoluere pecuniam, pro quo ſtipendium ſperabat, eâ non acceptâ, aliquod à creditore illi grauamen illatum: pro illo etiam facienda ſatisfactio, & ſic pro aliis, quæ juxta rerum circumſtantias conſideranda, quando huiuſmodi homines de componendâ conſcientiâ per miſericordiam Dei magnam pertractarint.

Obligatio reſtitutionis ex trāſgreſſione.

Pecunias nō poſſe extrahere, niſi ex præcepto ſuperioris, in quacūque neceſſitate: Ex quo reſtitutionis onus.

18 Nequeunt inſuper pro quacumque, etiam publicâ, neceſſitate pecunias extrahere, niſi ex præcepto eius, qui jubere poteſt. *L. Sciant judices. C. de his, quæ ex publica collatione illata ſunt, Lib. 10.* & alibi. Pro quo P. Fragoſus *Tomo 1. pag. 921. num. 3.* Vnde & in eo grauiter peccant, cum reſtitutionis onere: neque enim illi partem aliquam Gubernationis habent in Republicâ, vt ad id, quod occurrit, ærarium debeant ſuo arbitrio Regium aperire. Circa quod ſunt leges Indicæ ſtatuentes quando & quomodo pro neceſſariis ſumptibus Regia debeat pecunia contribui. Illud autem ſpecialis quæſtionis eſt, an ſufficiat Proregis mandatum, quando ad ſumptus eſt extraordinarios, & non lege deſignatos. Et non ſufficere quodcumque, ſed vrgens, poſt factas à Regiis Officialibus inſtantias, vt forma in hoc ſtatura ſeruetur, pro quo & ad Regiam Audientiam prouocatum. Doctè reſoluit Dom. Solorzanus in Politicâ *Pag. 1027. §. Pero ſin embargo, & ſeqq.* Vbi tamen cum diſtinctione loquitur. Quoad criminalem ſcilicet cauſam non vrgendos: quoad ciuilem autem ſecùs: & ita ad ſoluendum obligandos: quia id erga Regias pecunias neglexerunt facere, quod veroſimile eſt facturos erga ſuas. Iuxta quam regulam omnes eos, qui facultates alienas adminiſtrant, ſe gerere in eorum tuitione debere, plures probant Textus

Proregis mandatū quomodo obtemperandum: & quâ diſtinctione D. Solorzanus vtatur.

& Doctores ab eodem adducti. Si ergo pecuniam propriam non ita facilè traderent, iubente Prorege: neque alienam, & maximè Regiam, tradere debuerunt. Quin etiam quòd Principis mandatum non excuſat, quando eſt notoriè iniuſtum, & ita illi debuit reluctari. Nec timor, qui allegari poteſt, eſt cadens in conſtantem virum, ſed vanus: Prorex enim non poteſt excandeſcere ex adeò iuſtâ petitione ad Regis ſeruitium ſpectante, qui & pro ſui officij dignitate, fidelis miniſtri debet obſeruantiam collaudare. Vnde & in facti contingentiâ ſic contra quemdam iudicatum affirmat Paulus de Caſtro in *l.* 1. *D. de iudiciis*. Præterquàm quòd Officiarij publici non ſolùm poſſunt conueniri ex dolo & latâ culpâ, ſed etiam ex leui, & leuiſſimâ, vt poſt alios reſoluit Menochius *Lib.* 3. *Conſilio* 246. *num.* 61. In præſenti autem caſu videtur euidens culpam inueniri, quando pro obſeruatione legum vrgentiſſimarum aliquod non adhibetur obſtaculum ab iis, quibus earum obſeruatio præſertim commendatur.

Contra illum ſentiunt alij obedientem penitus abſoluentes.

19 Sic vir ille doctiſſimus, qui tamen alios ex Collegio aliter cenſuiſſe teſtatur; omnino abſoluentes eum, qui iuſſioni eſt Proregis obſecutus. Et quidem rationes adductæ aliquod Officialium peccatum oſtendunt, quod & tandem citatus Auctor eſſe fatetur, & rationibus præfatis euinci; licèt id, quod ad ciuilem obligationem ſpectat, præcipuè probare contendat. Poteſt autem ſententia vtraque in concordiam redigi, ſi dicamus peccare grauiter Officialem, qui Proregi non reſiſtit eâ, quâ debet, reuerentiâ, ſi ille talis indolis ſit, cui proteſtationes tales poſſint ſecurè proponi. Tunc enim ſtatim annuere iubenti, & ſic gratiam eius aucupari cùm leges grauiter vrgeant, non ſine graui peccato ſtabit; immò & reſtitutionis ſuberit obligatio, ob malam adminiſtrationem: vt aperiant illi oculos, videantque caudata hæc crimina multùm eſſe formidanda. Si autem Prorex vir duro ingenio ſit, & qui impatienter ferat ſibi non protinus obediri; obediat Officialis, ſi nolit indignationem experiri eius: id enim facere ſine peccato poteſt, iuxta communem doctrinam Scriptorum, dicentium teneri quidem ad vitanda damna ſub mortali, qui adminiſtrationem ex officio ſuſcepit, & obligari ad reſtitutionem, ſi ſecus accidat: id tamen non ſic habere, quando tale quid ſine ſuo notabili damno præſtare nequit. Pro quo videri poteſt Bonacina *Tomo* 2. *Diſput.* 1. *de Reſtitutione. Quæſt.* 2. *Puncto* 11. *num.* 5. P. Leſſius *lib.* 2. *Cap.* 13. *num.* 69. 70. & 71. & alij apud ipſos. Eſſe autem damnum notabile indignationem Proregis, ſicut & generaliter Principis, in eo, qui cum ipſo frequenter eſt acturus, & qui adeò inferioris conditionis habetur; non videtur poſſe dubitari. Quod ex receptâ aliâ doctrinâ confirmari poteſt aſſerentium militem non poſſe ſtationem deſerere, aut arcem tradere non defenſam, etiam cum periculo vitæ, eò quòd ſtipendio conductus ſit ad huiuſmodi opus vitæ periculoſum: addunt tamen hoc ita intelligendum, ſi ſperet fore, vt defendendo ſtationem, aut tuendo arcem, præualeat contra hoſtem: hac verò ſpe ſublatâ non tenetur certæ morti ſe exponere, nam id fruſtrà eſſet. Sic ex P. Molina. & P. Filliucio, aliiſque Bonacina *ſuprà. num.* 4. Atqui in caſu noſtro idem accidit, licet enim Officialis reſiſtat, Prorex id eſt executurus: quod iubet ergo ſublatâ ſpe profectûs in reſiſtentia, fruſtranea illa erit, & ita pro eo obligatio nulla.

Diſtinctione alia videtur quæſtio componi.

Indignatio Principis damnum notabile ex quo excuſatio.

Robur ex deſperato profectu reſiſtentiæ.

CAPVT V.

Obligationes aliæ. Et de vitiatâ pecunia damnabile lucrum expunctum.

Quæ non liceant Officialibus dictis.

20 SVnt prætereà obligationes aliæ, quæ communes ſunt iis, qui aliorum ſubſtantiam adminiſtrant, & videntur ad ſolos bonorum dominos pertinere, vt mutuare, remiſſionem debitorum facere, tempus ſoluendi prorogare, compoſitionem facere, expenſas in recuperatione debitorum factas indulgere, vitiatam aliquomodo pecuniam admittere: circa quæ eſſe dubium nequit, niſi in ſolutionis terminis prorogandis: quia eſſe aliquando talis rerum concurſus poteſt, vt illos prorogando, vtiliùs Regio patrimonio conſulatur. Si autem ſterilitas, aut calamitas grauis occurrat, non ſpectat ad eos facienda remiſſio, ſed ad ſupremos Magiſtratus, de quo dictum *Titulo* 1. *Cap.* 17. niſi fortè in loco aliquo calamitas vrgeat, vnde non poſſit ad Magiſtratus ſupremos recurſus haberi. Indulgeatur ergo miſeris, quibus cœlum & terra videntur aduerſari: à talibus enim ſolas lachrymas exigit, qui; quod non inuenitur, imponit: vt à Caſſiodoro dictum *Lib.* 12. 26.

Sterilitatis tempore quid faciendum.

21 Et quia de vitiatâ pecuniâ ſermo incidit, cuius damna ex fabrefactione & mutatione innumera his annis, non Indiæ modò, ſed vniuerſus ferè eſt orbis expertus: illud hoc loco commemoratione quidem non dignum, niſi ad condemnationem, adnotaſſe præſtabit. Monetam quidem optimam ex Regiis iuribus in arcas eius illatam; ſed ab aliquibus ad ſoluenda ſtipendia eductam, aliâ vitiatâ mutatam, & pauperum diſpendiis Regios aliquos miniſtros incraſſatos. Quod cùm ſit, non iam hoc lucrari eſt, ſed ſub aperto ſole latrocinia perpetrare. Quid ſi ij, quibus ex Regia pietate indultum eſt, vt primam poſt mutationis Edicta ſolutionem iurium Regiorum vitiatâ pecuniâ facere poſſent, ad puram & legitimam adigantur: & tamen illata pro vitiata mutetur, & hæc Regiis arcis inferatur, pura & legitima, non iam à Regiis, ſed Satanæ miniſtris imburſata? Quid ad hæc dicam neſcio, niſi quòd ad hæc auaritiæ portenta erubeſcere debemus, & Dei exemplare iudicium contra eadem implorare. Quando enim hi reſtituent, *qui deuorant plebem Chriſti ſicut eſcam panis*? Quòd ſi non reſtituant, quæ ſpes ſalutis, ſtante inconcuſſæ veritatis regulâ 4. in 6. *Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum*?

Quorumdam illorum infidelitas in tranſitione vitiata pecunia.

CAPVT VI.

De Officialibus ad iura Regia curanda in portubus deputatis.

Portuenſis Officialis munus, & qualis in

22 PRæter obligationes Officialibus omnibus communes aliquæ ſunt quibuſdam peculiares, eò quòd ſpeciale miniſterium

ro ſoleat à mercatoribus indulgentia collaudari.

miniſterium conſequantur. Solet namque ex iis vnus in portu reſidere inſpecturus quæ aduehuntur & extrahuntur, & iura Regia collecturus. Et in talibus grauiſſima eſſe mercatoribus indulgentia ſolet, dum plura diſſimulant ſimplici eorum teſtimonio contenti, qui & plura ſupprimunt, & merces pro mercibus referunt; quia inæqualia pro diuerſis earum generibus ſunt vectigalia decreta. Cùm enim publicè exponi nequeant, ſed arcis, aut rudioribus pannis vel linteis incluſæ accuratè conſutis, diſpici primo nequit aſpectu quod fertur occultum; ſed dicto mercatoris adhibetur fides, cum adminiculo formæ; quæ infarcimentis mercium ſolet pro earum diuerſitate etiam applicari. Sed certè mediocri diligentiâ explorari omnia poſſent, ſicut & numerus infarcimentorum & arcarum, quo & minor affirmari ſolitus quàm re ipſa ſit. Et in his Officialis Regij benignitas collaudatur, qui bonum; vt dicitur, paſagium facit, exactiſſimis aliis communi odio prægrauatis. Verùm iis videtur dicturus Rex, quod quidam aliàs: *Non mihi placet iſta charitas.* Neque ego inuenio vnde iuſtificari illa poſſit, niſi ex voluntatis Regiæ benignâ interpretatione: de quâ ipſis conſtet, quia ſic vbique ſeruatur, ſciente illo; nec volente vaſallos ſuos in vectigalium exactionibus ſcrupuloſâ inquiſitione grauari. Sed mediocris quidem ſcrupuloſa non eſt; nec video quomodo poſſit prædictis de huiuſmodi Regis voluntate conſtare, à Rege ipſo adeò remotis, & negligentiam circa hoc non leuiter punituro. Si præterea accedant munera, ex quibus euidens fit in hoc nullum boni publici reſpectum haberi, ſed auaritiæ imperio potiùs quàm Regiæ voluntati miniſtrari.

Vnde iuſtificari poſſit, quod tamen non probatur.

Negligentia & diſſimulatio ab Auctoribus condemnatur, cum reſtitutionis obligatione, vnde vrgentur prædictâ.

23 Et Auctores quidem de hoc agentes, negligentiam iſtam, aut diſſimulationem vno ore condemnant, & cum reſtitutionis obligatione. Pro quo videri poſſunt Bonacina *Tomo 2. Diſput. 1. de Reſtitutione Quæſt. 2. Puncto 11. num. 11.* apud quem Sayrus P. Azor, P. Vaſquez, Salon, Aragon, P. Rebellus, P. Molina, P. Leſſius, P. Reginaldus. Quibus addendi P. Gaſpar Hurtadus *Diſput. 5. de Reſtitutione Difficult. 10.* ex communi, vt ipſe ait, Doctorum conſenſu locutus. Cardinalis Lugo *Diſput. 37. de Iuſtitia num. 101.* P. Dicaſtillus *Lib. 2. de eadem Tract. 2. Diſput. 4. num. 188.* P. Fagundez *Tomo 2. in Decalogum Lib. 8. Cap. 5. num. 6. & 7.* P. Fragoſus *Tomo 1. pag. 522. num. 95.* Cardinalis Toletus *Lib. 5. Cap. 21. num. 2.* Syluius *2. 2. quæſt. 62. art. 7. de muto*, Baſſæus *V. Reſtitutio 3. num. 17.* Pharaonius *Tract. 2. Seſſione 2. Caſu 16.* Diana *Parte 3. Tract. 5. Reſolut. 54. & Parte 11. Tract. 6. Reſolut. 18.* cum citatis ab eo, qui aut obligationem etiam ad reſtitutionem pœnæ incumbere affirmant, non quia pœna eſt, ſed quia damnum: vel ſi id de pœnâ non admittunt, de damno fatentur: quia cuſtodes vectigalium non conſtituuntur, vt Principes mulctis ditentur, ſed ad damna euitanda: ad damna ergo, & non ad pœnas tenentur. Non videntur ergo Officiales dicti tutum conſcientiæ habere perfugium.

Praxis tamen prædictorum probabiliter defenditur.

24 Nihilominùs quia viri aliàs Chriſtiani, & Regij ſeruitij zelatores non frigidi, eam non rarò praxim amplectuntur, non penitus damnandi, ſi vſum talium ſe dicant amplecti, quem mercatores bonâ præditi conſcientiâ laudant, non laudaturi, ſi in eo manifeſtam iniuſtitiam deprehenderent: vt non laudant eos, qui, vt commodè negotia expediant, muneribus volunt permoueri: poteſt tamen talis praxis in eo fundari, quòd eo modo meliùs Regio patrimonio conſulunt: ſi enim rigidi inquiſitores exiſterent, mercatores varias tentarent vias ad Regia vectigalia defraudanda, eaſque inuenirent: quia ad huiuſmodi occultationes plures ſuppetunt adminiſtri. Iuxta quod P. Leſſius verb. *Reſtitutio Caſu 15.* Regium Theſaurarium excuſat à delatione. Cùm aliàs propter varias Doctorum ſententias circa obligationem ad vectigalium ſolutionem, ſe ad ea ſoluenda obligatos non eſſe communiter arbitrentur. Pro quo ſingulariter pugnat Ludouicus de Beia *Parte 1. Caſu 13.* cuius doctrina hìc applicari poteſt; quòd ſcilicet conſuetudo interpretatur animum legiſlatoris: ipſi autem Principes ſciunt homines conſueuiſſe gabellas defraudare, nec ſibi à Confeſſoribus fieri ſcrupulum de reſtitutione: cùm omnes ferè gabellæ quoad quantitatem & qualitatem ſint dubiæ dari iuſtè: in pari autem turpitudinis cauſſâ potior eſt conditio poſſidentis *Syluester V. Gabella 3. §. 14.* Ad hunc modum cùm ſciant Principes Officiales ſuos hæc non ignorare, & eos vtiles ſuâ electione teſtentur, ſi iuxta id agant, quod diximus, non eſt credendum eos velle ad maiorem diligentiam obligare. Quando autem munera interueniunt, iam Miniſtri tales non ſunt, quales ſuâ electione Princeps æſtimauit: vnde incredibile eſt eorum voluntatem eſſe eamdem, quæ circa alios. Et ita licèt obligare ampliùs mercatores nolit, quàm generaliter obligati ſint; Officiales tamen vult totum grauaminis pondus iniuncti ſubire: & ita ad compenſationem damni ex integro conſtringere, ne ex turpitudine ſuâ lucrum ſe gaudeant reportaſſe. Quæ quidem veroſimiliter dicta velim; aliorum meliùs ſentientium iudicio corrigenda. Quæ & dicta ſint de Officialibus alijs in portubus conſtitutis: quorum aliqui nullo Regij patrimonij cõmodo, aut publici ſtatûs vtilitate, ſed maiori ſorte, ſi tamen fortè diſpendio, proximis ſunt annis multiplicati ſuper numerum, vt rerum iſtarum experientiſſimi paſſim proloquuntur. Vide *infrà num. 55. & 123.*

Diſcurſus Ludouici Beia pro deobligatione ſoluendi vectigalia in foro conſcientiæ.

Caſui præſenti applicatur.

Prouiſori pro alimentis Regiorum miniſtrorum, quæ obſeruanda. Et Primò de emente viliori pretio.

25 Circa Prouiſorem, eum ſcilicet, qui pro Miniſtris Regiæ claſſis, & aliis maritimis Officialibus alimenta comparat, ſeruat & opportunè diſtribuenda curat, obſeruanda iſta. *Primò*, illum grauiter peccare ſi vili emat pretio, non ſine violentiâ aliqua, & quaſi id, quòd minus habetur pretij, ſit fructus induſtriæ, eam ſibi partem retinet, quæ emenda eſſent, ſi quiuis alius emptor acceſſiſſet: venditor enim, etſi infimo vendere pretio poſſet, non niſi medio vendere deſtinarat. Et certè ſi pretium minus infimo fuit, de obligatione reſtitutionis nequit dubitari. Si autem infimum; neque etiam tunc ſibi, quod medietatem facit, poteſt acquirere, quia violentia interfuit, quæ inuoluntariam fecit venditionem: vt eſt Doctorum omnium conſenſione certiſſimum. Quòd ſi vis abfuit, & bono modo res acta eſt, ea certè induſtria debita eſt ratione officij: debet enim ita illud in vtilitatem Regis exercere,

Digitized by Google

ercere, vt non minùs Regium patrimonium curret, ac curaret ſuum: omnes autem minori, quo poſſunt, pretio res ſibi ſtudent obtinere. Quâ ratione teneri ad reſtitutionem, qui iuſſus aut rogatus rem aliquam emere, quam cùm poſſet ab vno pro triginta, quæſiuit alium, à quo eam pro viginti accepit, affirmant P. Molina, P. Azor, & P. Reginaldus, quos adducit & ſequitur Bonacina *Tomo 2. Diſput. 2. de Reſtitutione Quæſt. 2. Puncto 6. num.* 14. Quia ſcilicet debuit rem ſibi commiſſam gerere vtilitate mandantis inſpectâ.

Sic emens mandato alicuius nihil poteſt retinere.

Secundò de obtrudente res proprias pretio maiori.

26 Secundò, Onus lethale conſcientiæ ſupra ſe tollit, ſi ipſe aut ex fundo proprio collectas fruges, aut per negotiationem obtentas, pretio ſibi commodo vendat Regi, ſub alieno Capite, cùm illæ minori pretio æquè bonæ haberi poſſent. Quod quidem ratio dudum adducta confirmat: debuit enim vtiliter Regium tractare negotium, & non ſuæ vtilitati ſeruire. Et idem eſt ſi amico emat maiori pretio in eius gratiam: omnis enim huiuſmodi gratia ingrata eſt Regi, cuius & gratia & vtilitas omnibus eſt aliis, dum illius negotium agitur, præferenda. Similiterque dicendum ratio eadem conuincit, ſi in amici gratiam fruges vitiatæ aut peioris conditionis ementur non minori pretio, quàm aliæ meliores, quæ poſſent facilè comportari. Vbi dubium eſſe poteſt cui ſit reſtitutio facienda: an ſcilicet Regi, an verò Officialibus, quibus talia ſunt alimenta diſtributa. Et videtur dicendum quod ſi in vſu erat meliora alimenta præbere, reſtitutio eſt Officialibus facienda: illi enim ſuo ſunt commodo, pretio æſtimabili, defraudati. Si autem in vſu non erat, ſed viliora dari ſolita, reſtituendum Regi, cuius eſt patrimonio damnum illatum.

Singularis circa reſtitutionem difficultas.

Tertiò, ob difficultatem ſolutionis pretium augendum.

27 Tertiò. Prædicta procedunt quando in ſolutione nulla eſt futura difficultas: quia verò communiter illa eſt, & quidem non parua; res, quæ emuntur, maiori debent pretio emi, iuxta receptam doctrinam in materiâ emptionis & venditionis. Licet enim vſura ſit vendere maiori pretio ob dilatam ſolutionem: id tamen fallit quando in ſoluendo futura eſt difficultas: & multò magis quando faciendæ ſunt expenſæ à venditore. Pro quo P. Leſſius *Lib. 2. Cap. 21. n.* 54. alios adducens. Et Bonacina *ſuprà Diſputat.* 3. *Quæſt. 2. Puncto 4. n. 17. §. Ex quo fit* apud quem & alij. Et hinc eſt Regios Officiales grauiter peccare ſolutionem difficilem reddentes, quia videlicet in cauſſa ſunt, vt res cariùs emuntur propter huiuſmodi difficultatem: vnde & ad reſtitutionem tenentur. Quod benè adnotat Pater Fragoſus *Tomo 1. pag. 922. num.* 8.

Propter illam quo modo Officiales grauiter peccant cum onere reſtitutionis.

CAPVT VII.

Quomodo vnus Regius Officialis pro aliorum delictis in conſcientiæ foro teneatur.

Quemlibet Officialem pro aliorum delictis obligari, vt probat Dom. Solorzanus.

28 TEneri abſolutè, non minùs quàm ob proprium, probat Dom. Solorzanus in Politicâ *pag. 1024. §. Y porque & ſeqq.* ex eo quòd in praxi ita receptum eſt, & ex naturâ ſequitur talium officiorum. Cùm enim nihil diſponi circa Regias arcas poſſit, in quo omnes non interueniunt, omnes certè in delicto participant. Pro quo bonos producit Auctores, & ad fideiuſſores extendit. In caſus autem contingentiâ, de quo ſpecialiter agit, videtur contrarium reſoluere, aut contradictione aliquâ laborare. Ait enim fideiuſſorem, qui Limæ pro Officiali ſoluerat id, quod ex Regiis arcis deficiebat, laſtum contra fideiuſſores Officialium aliorum in Audientia petiiſſe, ſe tamen denegandum iudicaſſe, ob doctrinam quorumdam Doctorum, quos *ibidem* adducit dicendum, cùm quis ob dolum proprium, vel vt fideiuſſor doloſi talis conuenitur, non gaudere beneficio diuiſionis neque omnes illi cedendas actiones. Iuxta hoc ergo fideiuſſores non ſunt indiuiduè obligati. Et prętereà, ſi vnus conueniri ſpecialiter pro ſuo delicto poteſt, quia circa Regias arcas delinquere ſine aliis potuit: ergo non benè deducitur communis obligatio ex eo quòd vnus nihil agere queat circa arcas Regias ſine aliorum aſſiſtentiâ. Vbi non videtur dici poſſe Officiales Collegas infirmitate aut aliter impeditos, non adfuiſſe, & ita delictum vnius tantùm eſſe potuiſſe. Cùm enim impedimenta iſta deberent eſſe manifeſta, ideò vnus tantùm condemnatus, ſtultè à fideiuſſore laſtum contra fideiuſſores alios eſſet poſtulatum, cùm de illo dubium eſſe non poſſet. Et licet multa inconſideratè petantur ab iis, qui ſe iniuſtè grauatos dolent: in caſu præſenti id non habet locum, quia circa petitionem talem Aduocati peritia laborauit, actorum notitiâ plenè inſtructi. Quid ad hæc? Iam dico,

Circa fideiuſſores non videtur eius ſibi conſtare doctrina.

29. Reſolutio Dom. Solorzani pro releuandis fideiuſſoribus optima eſt, eam tamen non in caſu tantùm prædicto currere, ſed quando delictum omnibus eſt Officialibus commune, ſeu tale præſumitur, veroſimilius haberi debet: duriſſimum namque onus eſt, quod nullus, qui fideiubet, ſibi arbitratur imponere. Cùm enim vix ſit, qui pro vno fideiubere velit, & præſertim in Regiis Officialibus, quorum frequenter ſunt exitus infelices ob ſummum in recuperando rigorem ea, quæ illi parùm Regi fideles inſumpſerunt: quomodo inueniri queat, qui pro omnibus velit onus importabile ſuſtinere? Cùm ergo fideiuſſionis obligationem ſubeant, non eſt vltra eorum verba, quæ intentionem indicant, extendenda. Vnde & praxis non videtur iuſtificata, cùm nulla talis ſit, quæ grauet inuitos, quancto actio, circa quam grauamen tendit, omnino voluntarios prærequirit. Quemadmodum iuſtificata non eſſet praxis, ſi ex eo quòd aliquis fideiuſſor ſit, vxorem ad ſoluendum in eius defectum obligaret, quia tunc fideiuſſio eſſet inuoluntaria. Eſt autem receptiſſimus Canon, neminem vltra intentionem obligari: & intentio eſt veroſimiliter explicanda, vt ex variis Textibus oſtendit Gloſſa circa *regulam iuris 81. in Sexto.* Vbi & regula traditur ad dignoſcendum quando eſt intentio veroſimiliter coniicienda; & inter alia dicitur illam non eſſe, quando dura obligatio redderetur: quod noſtro in caſu contingit. Et non omnem praxim iuſtificatam eſſe, conſtat ex iis, quæ ipſe Dom. Solorzanus habet *citatâ paginâ. §. Y eſto, (como he dicho)*

Admittendam generaliter quoad illorum releuationem, quando delictũ non eſt commune.

Praxim circa hoc non videri iuſtificatam.

Quia

Digitized by Google

Et ita pro foro conſcientiæ non obligare, & quid juxta id fieri poſſit.

30 Quia verò pro foro externo parùm fortè iſta ſufficient, putant enim judices obſequium ſe præſtare Regi, ſi priuatorum grauaminibus illius patrimonium tueantur, quod tamen de piâ & Catholicâ non eſt eorum voluntate præſumendum: ad forum poteſt conſcientiæ deſeruire: vt talis videlicet fideiuſſor ſciat ſe non eſſe ad ſoluendum obligatum, niſi pro eo, cui fidem ſuam adſtrinxit. Vnde & occultare bona poteſt, & vti etiam compenſatione, juxta communem ſcriptorum doctrinam. Et hoc quidem Regi pergratum fore non dubito, qui grauari contra æquitatem & rationem Vaſallos non vult ſuos, quorum commoda vt propria optat ſartatecta conſeruari. Vnde meliùs quàm Theodoricus Rex illa, quæ apud Caſſiodorum leguntur, verba *Lib.* 14.8. poteſt vſurpare; *A nobis quippè poteſtis rationabiliter cuſtodiri, quibus proſpectus non grauati.* Al. *Quibus profuiſtis.* Et meliùs. *Quibus proficitis.* Et ſenſus eſt idem, ſed clarior. Veriſſimè enim ita ſe res habet, vt tunc Vaſalli Regi proficiant, quando grauati non ſunt: membrorum enim grauamen nequit non in grauamen capitis redundare.

Neque illud ingratum Regi, cui vaſalli non grauati proſiciunt.

Caſſiod.

CAPVT VIII.

De iis, ex quibus in Indiis Regium patrimonium integratur, & quomodo illa tractanda, ne tractantium conſcientiæ degrauentur.

§. I.

An Quintatio in conſcientiâ debeatur.

Mineræ omnes Regio Dominio jure adiudicatæ.

31 PEr leges Regias Mineræ omnes Regis Catholici Dominio adiudicatæ ſunt: quod quidem jure effici potuit, ſtante donatione Pontificis, de quâ *Titulo* 1. *cap.*1. cùm ſit Indiarum Dominus conſtitutus, dare id poteſt, quod illi conueniens viſum fuerit, & quod non conueniens, retinere. Per quod ceſſat difficultas, quæ generaliter loquendo circa hoc poſſet occurrere: ſunt enim qui negent poſſe Principes Mineras vſurpare tutâ conſcientiâ, cùm inuentoris ſint & fructus induſtriæ. Sic tenent Syluester, Sotus, Bartholomæus, Medina, & Ludouicus, Lopez, quos adducit P. Dicaſtillus *Lib.* 2. *de Iuſtitia & Iure, Tractat,* 3. *Diſput.*9. *num.* 409. & ex eodem Caramuel *in Theologia morali*, *num.*285. Qui & addunt in nullâ Republicâ benè inſtitutâ legem inueniri aut conſuetudinem, per quam Mineræ Principibus adſcribantur. Contra quam poſitionem inſurgit Caramuel *loco citato*: qui tamen ex eo ſaluare à tyrannide huiuſmodi legem contendit, quia populus in eam voluntariè conſentit. Quod quidem difficile eſt. Vbi enim de tali populorum conſenſu conſtat? Et certè in Indiis nullum illius fundamentum extat: & ita in eis vt omnis ſuſpicio iniuſtæ vindicationis amoueatur, ad donationem eſt prædictam recurrendum. Cùm aliàs grauium Doctorum ſententia ſit, metallorum venas eſſe eius, cuius eſt ſolum. Pro quo P. Molina *Diſput.* 54. & P. Mendus *in Bullam Cruciatæ, Diſput.*33. *num.*7. In aliis autem Hiſpanæ Coronæ regnis, ad opinionem probabilem, quæ Mineras ad ſupremos Principes pertinere aſſerit, recurſus habendus; quia ab ipſâ naturâ in jus publicum, non autem ad priuatos vſus videntur inſtitutæ: vt ex Soto *Lib.* 6. *de Iuſtitia*, *Quæſt.*2. *Art.*3. pro eâ ſententiâ laudato, habet P. Leſſius *Lib.*2.*cap.*5.*n.*53.

Qui generaliter id fieri poſſe negant.

Ad conſenſum populi non benè recurrit Caramuel, cum debeat ad Pontificiam donationem.

Quomodo Inuentoribus à Regibus tradita.

32 Licèt autem Regij patrimonij factæ ſint, Reges Catholici eas inuentoribus tradiderunt quoad præcipuam earum partem, aliam minùs principalem ſibi reſeruantes, & deinde reliquas conferendo aliis, qui ſicut & inuentores, quintam ſunt partem puri metalli Regi tradituri. Licèt alicubi propter ſpecialem in eruendo difficultatem, decimam tantùm reddere jubeantur. Vbi inquiri meritò poteſt an lex iſta conuentionalis in conſcientiâ obliget, vel ſaltem non obligare ſit aliquomodo probabile. Et vt probabile ſit ſequentia fundamenta ſuccurrunt.

Fundamentum 1. vt quintatio in conſcientia nõ obliget, ex eo quòd Minera ſint inuentoris.

33 Primum & radicale ex adductis: nam Mineræ iſtæ ſunt inuentoris, vt citati Doctores dicunt, & Princeps nequit, niſi ipſis volentibus, ſubditos eo jure ſpoliare. Licèt autem pro Indiis hoc non videatur currere ob donationem dictam; id non videtur adeò certum: nam Pontifex Indica regna concedens, ſic ea donauit, vt adinſtar aliorum gubernentur, in quibus ſubditi naturali quoad rerum acquiſitionem jure non priuantur: neque enim credibile eſt voluiſſe Regis Catholici ſubditos peioris eſſe in Indiis conditionis, quos ad fundandas colonias allicere cònabatur. Atqui in Minerarum adiudicationem non videntur aliàs conſenſiſſe: ergo probabile eſt eos tali lege in conſcientiæ foro neutiquam obligari. Nec dicas ſub eâ conditione in Indias venire permiſſos: nam id non ſatisfacit; talis enim conditio non eſt juri naturali conformis: & ita à Pontifice non appoſita, ſed oppoſitum potius, vt vidimus, indicatum, nolente vaſallos Regios peioris eſſe conditionis.

2. Quia eſt lex pœnalis, & tales in conſcientiâ non obligant.

34 Secundum. Lex prædicta videtur pœnalis: ex illius enim tranſgreſſione, quod non eſt quintatum, amittitur, & Regio Fiſco adiudicatur: Leges autem pœnales in conſcientiâ non obligare communis ſententia eſt, de ciuilibus loquendo, de quo dictum non ſemel, & pro quo videri poteſt Caramuel *ſuprà num.* 1281. *& in Regulam Benedictinam, num.* 30. & P. Eſcobar de Mendoza *Tomo* 1. *Lib.*5. *Cap.*17. *Problem.* 26. Probatur autem pœnalem eſſe ex grauitate pœnæ aſſignatæ: ex nullo enim capite meliùs dignoſci lex pœnalis poteſt. Ita Auctores, quos adducit P. Baldellus *To.*1. *lib.*5. *c.*19. *n.*16. Si dicas furibus etiam pœnas imponi grauiſſimas, & tamē præceptum non furandi in conſcientiâ obligare. Inſtari poteſt: quia illud eſt præceptum naturale, ſecùs autem in præſenti contingit; quia de inuentâ Minerâ nihil reddere alteri, iuri eſt potiùs naturali conforme. Et licèt Princeps poſſit conſcientias ſuâ lege conſtringere, id debet ex aliquo efficaci argumento conſtare, quale non eſt impoſitio pœnæ, juxtà probabilem grauium ſcriptorum opinionem.

3. Ex accretione ſumptuum in effoſſione.

35 Tertium. Quia quando quinta pars reddenda per legem cōſtitura eſt, metallorum effoſſio minùs erat quæſtuoſa ob eorum pretioſitatem, & Indorum abundantiam, rerumque aliarum copiam minori pretio comparabilem. Vnde jam

jam diu eſt quòd Minerarum Domini clamant obligationem quintationis eſſe prorſus exceſſiuam, quòd & Regio Concilio ſæpiùs inculcatum. De quo Dom. Solorzanus in Politicâ *Pag.* 934. §. *De las quales.*

Rebus non eodem modo ſe habentibus moderandæ contributiones.

Rebus autem non eodem modo ſe habentibus rigorem contributionum non ſeruandum, ſuadet æquitas, conuincit ratio, & auctoritas etiam ſcriptorum euincit. Sic enim P. Molina *Diſput.*667. *num.*1. P. Vaſquez *Tractatu de Reſtitutione, Cap.*6. §. 3. *num.*6. P. Azor *Tomo* 3. *lib.* 5. *cap.*23. §. *ſextò quæritur.* Plureſque alii, qui impoſitiones proportionatas eſſe debere docent, & eorum commenſuratas viribus, qui grauiter eiſdem, vt etiam videri poteſt apud P. Molinam *Diſput.* 668. *in principio.*

Continua quarela eas indicant excedentes.

Cuius & doctrina circa hoc, quod de querelis diximus, digniſſima eſt quæ debeat ſingulariter obſeruari; ſic enim ſcribit *Diſput.*674. *num.*6. *Si temporis progreſſu fiat ſemper querimonia de aliquo tributo, vt de graui & iniuſto, ac ſine ſufficienti causâ introducto: aut quòd ceſſauerit cauſa, & quòd tum eâ id tributum ceſſare omnino debuerit, aut ex parte: certè antiqua conſuetudo id recipiendi non eſt ſufficiens ad pacandas Principum conſcientias & ad auferendum jus ſuum à ſubditis.* Sic ille.

P. Molina.

Cauſſam deſignationis Quinti ceſſare.

36 Ex quod ad cauſæ ceſſationem attinet, eâ extante debere tributum tolli; ac, ſi non tollatur, non eſſe ſoluendi obligationem, communis reſolutio eſt, de quâ dictum *Titulo* 1. *num.* 101. & 102. & idem eſt de illius diminutione, ſi cauſa minùs vrgeat. Hæc autem doctrina caſui poteſt præſenti accommodari. Nam cauſa quintæ partis aſſignandæ ea fuit; quia conſideratis expenſis ſufficiens lucrum Minerario relinqui videbatur: Atqui cauſa deſignationis huius ceſſat ob rationes dictas; & ita videtur exactio iſta minuenda.

Pro quo efficax argumentum.

Quòd roboratur ex eo quòd vbi noua Minerarum detectio eſſe ſolebat, non quinta, ſed decima pars ſolui jubebatur, & aliquando viceſima, vt teſtatur Dom. Solorzanus *Lib.* 5. *num.*23. ob maiores ſcilicet expenſas in principiis effoſſionis, quando & paranda multa, quæ ad metallorum deputationem neceſſaria ſunt. Quòd ſi hoc poſteà ſublatum; non ex eo fuit quòd impoſitio exigua videretur, ſed quia fraudum inde occaſio ſumebatur, ex antiquioribus Mineris clam metallis adductis, & ibi juxta decimam regiſtratis, ac Regio ſignaculo conſignatis. Quod tradit Dom. Solorzanus in Politicâ *Pag.* 934. §. *De las quales.* Cùm ergo maiores expenſæ generaliter jam in effoſſione Minerarum deprehendantur, non debet quinta pars in rigore perſolui.

Aliud ſimile & vrgens.

Cuius & aliud argumentum eſt à Dom. Solorzano petendum: qui *Tomo* 2. *lib.* 5. *num.*20. obſeruat cum Torreblanca, homines, qui in metallis inueſtigandis occupantur, Reipublicæ quidem eſſe vtiliſſimos; cùm tamen ipſi ceteris pauperiores & ſordidiores exiſtant. Pro quo & *Lib.* 1. *Cap.* 13. *num.* 57. certè vt non ſordidos dicamus omnes qui Minerarum domini ſunt: quod ad paupertatem attinet, ita ferè ſemper accidit: plus enim in debitis, quàm in cenſu habent; Regi, & iis, qui neceſſaria ad opificium tribuunt, pinnis argenteis ſoluenda, vbi primùm illæ è fornacibus eductæ fuerint, laborantes. Parum ergo eſt quod illis relinquitur, dum ad quintam partem reddendam obligantur.

4. Ex eò quòd Minerarum inuentores debeant ſingulariter inuitari.

37 Quartum, ex quo id, quod nuper eſt dictum, roboratur, & deſumitur ex Cardinali Lugo *Diſput.*6. *de Iuſtitia, num.* 109. vbi ita ſcribit: *Oportet, & multùm intereſt Reipublicæ maximis præmiis excitare & allicere ad Mineralium inueſtigationem; quod cùm ſit opus ingenij, laboris, induſtriæ, ac expenſarum, non facilè inueniretur qui ad hoc attenderet, niſi ſpe illâ maximi lucri ſibi propoſiti: immò experientia communis oſtendit, ex ijs, qui huic ſtudio attendunt inquirendi auri argentiq; venas in noſtris Europæ prouinciis, paucos quidem diteſcere, plurimos depauperari.* Sic ille: qui id, quod de Europæis Minerariis dixit, de Indicis potuit pariter pronuntiare. Cùm ergo non debeant illi ſine ſuâ culpâ præmio inueſtigatoribus & laborantibus propoſitis defraudari; non ſunt ad quintam partē reddēdam obligati, quia illâ redditâ nihil illis præmij, ſed appremij potiùs multùm relinquatur.

5. Ex ſcriptorum dubitatione circa talem obligationem.

38 Quintum. Graues ſcriptores in caſu iſto de obligatione in conſcientiâ dubitant. Cardinalis Lugo *Diſput.* 6. *citatâ, num.* 208. cùm de obligatione dictâ loqueretur, ſoluendi inquam partem, eam juſtificari ait cum P. Vaſquez *Tractat. de Reſtitutione, Cap.* 5. §. 4. *num.*17. Quia agri ab initio in ea prouincia eâ lege ſingulis diſtributi ſunt, vt Mineralia Principis diſpoſitioni reſeruarentur: vel quia per modum tributi ſic ſtatui potuit. Addit tamen in fine §. illius ſic: *An verò hæ leges obligent ante ſententiam, dicetur Sectione ſequenti.*

Cardin. Lugo.

In ſequenti autē Sectione poſt dubia alia, circa quæ diuerſæ verſantur opiniones, ſic *n.*130. inquirit: *Vltimò dubitatur an de facto leges circa theſaurorum applicationem factæ, obligent in conſcientiâ.* Vbi de Mineralibus videtur etiā loqui; quia de illis nihil ſpeciale reſoluit, vnde reſolutionem vt communem illis videtur proponere, & de omnibus pariter judicare. Eſt ergo dubium, quod, ſicut alia præcedentia, vt tale proponitur: vnde reſolutio, etſi contraria ſit, non tamen vt certa, ſed vt veroſimilis exhibetur: ſic enim ſcribit: *Aliæ autem leges, quæ pœnales non ſunt* (talem exiſtimare videtur eam, de quâ agimus) *potuerunt quidem transferre dominium juſtas ob cauſas in Fiſcum, vel dominium agri, ſaltem quoad partem, & ideò videntur in conſcientiâ obligare ante omnem ſententiam judicis.* Sic ille, nihil plus indicans, quàm quòd à nobis dictum eſt.

P. Vaſquez.

39 P. Vaſquez *ſuprà num.*19. ita ſcribit: *Apud Indos ſimiliter Minerabilia non ſunt Regi adiudicata, ſed ſunt Domini agri, meo judicio: vel, ſi in loco publico ſunt, inuentoris; quia ſolum inter nullius bona tunc eſt.* Sic ille. Circa obligationem conſcientiæ eodem modo loquitur ac Cardinalis Lugo *num.*28. *& ſeqq.* vbi & pro ſententiâ negante adducit Mercadum, quem vide *fol.* 128.

Mercadus.

Silueſter.

40 Silueſter v. *Inuentum, num.* 13. ita loquitur: *Secundùm Petrum de Palude hodie vbicumque inueniatur theſaurus, de conſuetudine eſt Principis. Sed ego dico iſtam conſuetudinem in conſcientiâ non ligare, quia non eſt introducta per modum legis, ſed violentiæ, nec fuit vnquam moribus vtentium approbata, niſi violenter. Eſt etiam contra Iura Canonica, quæ volunt bona incerta, ſi reſtituenda ſunt, eſſe pauperum: & ſi ſunt reſtituenda, eſt contra Iura Ciuilia, & contra naturalem æquitatem, vt patet in dicto. §. Theſaurus Inſtit. de rerum diuiſione, vbi dicitur quòd D. Adrianus naturalem æquitatem ſecutus, &c. contra quam æquitatem conſuetudo non poteſt.* Sic doctus ille Magi-

ſter

Digitized by Google

ſtet inter Theologos ac Iuriſperitos; quem ſecutus Mag. Sotus *lib.* 5. *de Iuſtitia, quæſt.* 3. *Artic.* 3. addens in Hiſpaniâ ſeruari jus commune, *& ſi alicubi conſuetudo illa non obtinuit, per vim, & contra jus naturæ cogentium fuiſſe introductam*, Quæ quidem non ideò refero, quòd penitus approbem, ſed vt ſaltem ex iis veroſimilis hæc pars, quæ probatur modò, appareat; & principum voluntatem non eſſe cum tanto rigore obligare, vbi & Ius commune renititur, & Doctores negant tutâ fieri poſſe conſcientiâ.

Dominic. Sotus.

41 Ludouicus Lopez, & Bartholomæus Medina apud P. Rebellum *Parte* 1. *lib.* 1. *quæſt.* 15. *num.* 14. de theſauris loquentes, negant quidquam in conſcientiâ deberi, licèt lege aut conſuetudine ſit aliud conſtitutum. Mineralia autem venire nomine theſaurorum affirmat P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 263. §. *Nec obſtat.* Qui Auctor *pag.* 264. §. *Conſequens* eſt, ita ſcribit: *Quoad venas metallorum quæſtio eſt anceps:* an ſcilicet ſint inter Regalia numerandæ. P. Azor *Tomo* 3. *lib.* 1. *cap.* 13. in fine ait dubiæ quæſtionis eſſe, & de theſauris quidem cum Mercado ſentit P. Rebellus *ſuprà num.* 12. licèt de venis metallorum aliter ſentiat, dicens eum, qui in fundo alieno theſaurum inuenit, ex induſtria quærens, poſſe ſine Domini conſenſu medietatem retinere ante judicis ſententiam; quia lex pœnalis eſt, & ſolùm ob iniuriam medietate priuat. Sicut ergo lex ita diſponens non priuat inuentorem medietate ſuâ in conſcientiæ foro, etiamſi magnum intereſſe fundi Domino ſubtrahatur: ita de legibus, iuxta quas Regi aliqua eſt reddenda pars, videtur aſſerendum: vt non ſit eius intentio conſcientias grauiter onerare.

Ludouicus Lopez. Barthol. Medina.

P. Fragoſ.

P. Azor.

P. Rebell.

42 Tandem ita cenſent quamplures viri docti in Indiis, vbi & praxis eſt frequentiſſima. Vnde ſi quis Confeſſarius Pœnitentem circa hoc velit vrgere, ad aliorum ille ſententiam prouocabit. Quòd ſi vir vnus doctus ſententiam poteſt probabilem conſtituere, vt dictum aliàs cum multis, & pro quo poteſt videri Mag. Gallego *in Tractat. de Conſcientiâ dubiâ, dub.* 25. *de Conſcientia probabili*, apud quem id tenent Ioannes à S. Thoma, Monte-Sonus, Portel, Angelus, Nauarrus, Trullench, & ex Societate Pater Suarez, Pater Vaſquez, Pater Valentia, Pater Thomas Sancius, & P. Sà. Quibus adde P. Eſcobar de Mendoza *Tomo* 1. *lib.* 2. *num.* 12. & Stephanum Spinulam in opuſculo de Electione in moralibus *Diſput.* 2. *Sect.* 1. *Concluſ.* 2. Si inquam vnus id poteſt, quomodo non idem præſtare queant, non plures, ſed plurimi & erga Reges ſuos non ſolùm benè affecti, ſed affectiſſimi, Hiſpanicæ fidelitatis ritu.

Vltimum ex multorum praxi, cùm vnus ad probabilitatem ſatis.

43 Nihilominus in contrarium eſt communis ſcriptorum auctoritas, qui leges huiuſmodi obligare in conſcientiâ dicunt, quando circa applicationem bonorum diſponunt, quorum diuiſio licèt generaliter ad jus gentium ſpectat, in ſpeciali acquiſitione à legibus pendet, vnde jus ad rem, & in re oritur, quando in illis nihil tyrannicum deprehenditur. Sic bona ad hæredes tranſeunt, Legata debentur, præſcriptiones valent, Falcidia, & Trebellianica detrahitur, & ſimilia. In caſu autem noſtro ita accidit; quia leges circa quintam partem diſponentes valdè rationabiles ſunt; circa quod benè Philoſophatur P. Molina *Diſput.* 56. §. *vltim.* vt ſcilicet Principes in re ſupra priuatorum conditionem ob ſingulare pretium, & rerum ſupra alias æſtimabilium abundantiam, partem ſaltem aliquam habeant, ſicut habent ſæpè in bonis aliis. Sic enim deficientibus cognatis vſque ad certum gradum, Fiſco bona inteſtatorum applicantur, & in pœnam criminum bona confiſcata lucratur taliter, vt ſi aliquis titulo cognationis Fiſco auferret, iniuſtitiam committeret cum reſtitutionis obligatione. Et tamen dicere aliquis poſſet id non rectè fieri, ſed in bonum publicum diſtribuenda, cui videtur à Principibus potiùs conſulendum quàm ſibi, & cui, ſi delictum interfuit, videtur delinquens iniuriam intuliſſe. Vnde in caſu noſtro ſic tenent citati, Cardinalis Lugo, P. Vaſquez, P. Rebellus, P. Molina, P. Azor, P. Leſſius *num.* 51. P. Dicaſtillus, P. Fragoſus, Caramuel, & prætereà Dom. Solorzanus in Politicâ *Pag.* 934. apud quem Otalora, Gutierrez, Marquez, Salon, Alfarus, P. Gaſpar Hurtadus *Diſput.* 1. *de Iure, Difficult.* 34. Cardinalis Toletus *Lib.* 5. *Cap.* 18. *num.* 4. vbi & Victorellus, Couarruuias *Regula* Peccatum § 2. *num.* 4. P. Turrianus *de Iuſtitia, Diſput.* 43. *Dub.* 4. Bonacina *Diſput.* 1 *de Reſtitutione, Quæſt.* 3. *Puncto* 6. *num.* 10. Ramirez, Sixtinus, & Caſtillius, quos adducit & ſequitur Diana *Parte* 9. *Tractat.* 5. *Reſolut.* 17. in fine. Emmanuel Rodericus *Tomo* 2. *Summæ Cap.* 160. *n.* 5. & alij.

Pro contraria poſitione arguitur ex communi Doctorũ ſententiâ de obligatione legis circa applicationem bonorum diſponentium.

44 Deinde, pro hac parte eſt manifeſtatio Regiæ voluntatis: ſic enim ſcribit Philippus Secundus Proregi Peruuico Comiti del Villar *Ann.* 1584. *Y pudiera yo cobrar enteramente el Quinto de todo ello* (ex elaborato inquam per artificium auro & argento) *à Las perſonas que le deben, eſtan obligadas en conciencia à me lo pagar.* Hæc ille. Nec juxta priuatam quidem ſcientiam locutus, qui de obligationibus in conſcientiâ non poterat adeò exactam cognitionem habere, in re præſertim adeò controuerſâ. Id ergo poſt conſultos Theologos, & Regios Indiarum Conſiliarios, confidenter pronuntiauit: & huic determinationi conſonat lex Luſitana, de quâ P. Rebellus *ſuprà num.* 5. juxta illam enim quinta pars Regi reſeruatur, etiam ante latam ſententiam. Cumque Regna iſta eiuſdem Coronæ ſint, & circa idem ſtatuant Reges, eodem modo videntur decernere, & ita obligationem in conſcientiâ ſtabilire. Poſſe autem Principes obligare dicto modo, communis ſcriptorum, Theologorum pariter ac Iuriſperitorum ſententia firmat, de quâ dictum *Titulo* 2. *n.* 3.

Et Regis voluntas manifeſta.

Philippi II. verba.

45 Accedit aliud magni ponderis argumentum. Nam ex auro & argento debentur decimæ, ſicut ex fructibus terræ, vt oſtendit Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 21. *num.* 10. & in Politicâ. *pag.* 678. §. *Aſi meſmo.* & tradit P. Suarez *Tomo* 1. *de Religione Lib.* 1. *de diuino cultu, Cap.* 34. *num.* 3. *&* 6. & P. Vincentius Tancredi *Tract.* 1. *de Religione Lib.* 2. *Diſput.* 11. *num.* 7. ex omnium mente: cùm tamen in Iure Canonico non ſit ſpecialis pro illis deciſio. Poteſt tamen, tum à ſimili ex aliis rebus; tum ex generali diſpoſitione deduci, præſertim ex *Cap. Non eſt*, de decimis, vbi illa habentur verba: *De omnibus bonis*

Vrgetur ex eo quòd decima ex auro & argento debentur.

Digitized by Google

Cap. Non eſt, de decimis, Cap. Ex transſmiſſa, Cap. Tua nobis.

nis decimæ ſint Miniſtris Eccleſiæ tribuendæ. Sic ibi poſt enumerata aliqua in ſpeciali. Et *Cap. ex tranſmiſſa*, vbi ſic dicitur: *quia fidelis homo de omnibus, quæ licitè poteſt acquirere, decimas erogare tenetur.* Luculentiùs autem in *Cap. Tua nobis*, vbi ratio redditur, cur omnium terræ prouentuum decimæ reddi debeant Eccleſiæ Miniſtris, non deductis expenſis: *Cum enim Deus, cuius eſt terra, & plenitudo eius, Orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo, deterioris conditionis eſſe non debeat, quàm dominus temporalis, cuius fructum de terris, quas exhibet aliis incolendas, non quidem deductis ſumptibus, aut ſemine ſeparato, neceſſariò cum integritate perſoluitur: nimis profectò videtur iniquum; ſi decimæ, quas Deus in ſignum vniuerſalis dominij ſibi reddi præcepit, ſuas eſſe decimas, & primitias aſſeuerans.* &c. Iuxta hæc ſic habetur inferiùs. *Vt cùm de cunctis omnino prouentibus decimæ ſint reddendæ* &c.

Cur de omnibus ratio reddita.

Ex quibus præmiſſa poſitio manifeſtè deducitur: quia Deus auri & argenti eſt peculiaris Dominus, qui eâ ad cultum ſuum miro modo intra viſcera terræ genita videtur deſtinaſſe, eſtque illorum maximus omnium prouentus, vnde ab hominibus ſingulariter appetitus: & ita decimæ ex illo poſſunt ſingulari ratione requiri.

In conceſſione Pontificia Regibus reſeruata.

46 Cùm ergo in Indiis prouentus iſti præmineant, non eſt credendum Eccleſiam eos penitùs neglexiſſe. Illos itaque Regibus Catholicis ſimul cum aliis ampliſſimâ illâ conceſſione donauit, de quâ dictum *Titulo 2. Cap. 6.* Quod quidem ab alis Pontificibus confirmatum in erectione Cathedralium Eccleſiarum, in quibus ſic habetur, vt refertur à Dom. Solorzano *Cap. 21. citato num. 5. At ex omnibus ibi pro tempore prouenientibus, præterquàm ex auro & argento, & alijs metallis, gemmis, & lapidibus pretioſis, quæ pro tempore exiſtentibus Caſtellæ & Legionis Regibus, quoad hoc libera eſſe decernimus, decimas & primitias de iure debitas, ceteraque Epiſcopalia iura, prout alij in Hiſpaniâ Epiſcopi de iure, vel conſuetudine exigunt, & percipiunt, exigere, & percipere liberè & licitè valeant.* Sic Pontifices. Cùmque Reges Catholici decimas in Eccleſias refuderint, temperatiſſimè vtentes Pontificiâ largitione: id quod ad prædicta attinet ſibi reſeruarunt, vt videri poteſt apud Antonium de Herrera *in Hiſtoriâ generali Indiarum Decade. 1. Lib. 6. Cap. 19. & Lib. 8. Cap. 10.*

Diſpoſitionis verba.

Decimas in conſcientiâ deberi

Ex quibus ſequitur tales decimas in conſcientiâ deberi, ſicut debentur aliæ, & omnes Doctores admittunt; eſtque prorſus innegabile, quia Ius Canonicum ſtatuit eas ita ſolui, vt ſi non ſoluantur, poſſint Prælati vſurpatores ad ſolutionem cenſuris Eccleſiaſticis compellere. Vide citatum Cap. *Non eſt.* & Cap. *Ex parte.* & Cap. *Peruenit.* Circa quod ait Gloſſa cum aliis, Eccleſiam ante poſſeſſionem decimarum dominium earum habere. De quâ quæſtione Doctores agunt, qui de materiâ decimarum tractant. Et videri poteſt P. Palaus *Tomo 2. Diſput. Vnica de Decimis Puncto. 2.* apud quem alij.

Obiectio ex eo quòd non quinta, ſed decima tantùm pars deberi videatur cui fit ſatis

47 Dices ex hoc non haberi quintam partem eſſe debitam, ſed ad ſummum decimam. Fateor ita eſſe: ſed tamen id ſatis, vt non debeamus legem de quinta parte ſoluendâ eſſe purè pœnalem affirmare, & ita tantùm poſt ſententiam illius obligationem vrgere. Deinde, vt appareat præfatæ legis iuſtificatio, aduertendum eſt iuxta diſpoſitionem iuris Cæſarei ex venâ metallicâ inuenta decimam fiſco deberi. Sic enim ſtatuitur in *L. Cunct. C. de metallar. & L. Inter publica. §. Finali*, vbi Gloſſa. *D. de verborum ſignificat.* Et id intelligitur quando eſt inuenta in fundo alicuius priuati. Vnde inferunt aliqui deberi duas decimas fiſco, quando eſt inuenta in loco publico: nam cùm in priuato, præter decimam debitam fiſco, debetur alia domino fundi. Pro quo Auctores adducti à P. Fragoſo *Tomo 1. pag. 265. §. Alij addunt.* Reges ergo noſtri iuxta prædictam doctrinam, præter decimam ſibi à Sede Apoſtolicâ conceſſam duas alias exigere poterant, iuris communis diſpoſitionem amplexi. Cùm ergo non duas, ſed vnam exigunt ex iure communi debitis, & eam, quæ ſibi ex priuilegio competit, non ſunt exactores rigidi, ſed benigni reputandi.

ex diſpoſitione iuris Cæſarei, iuxta quã dua decima debebantur.

Officialiũ Regiorum obligatio ſub mortali circa curam quintationis.

48 Hinc fit Officiales Regios in ordine ad hoc præcipuè deputatos graui obligatione conſcientiæ teneri ad munus ſuum fideliter exequendum, nec diſſimulare poſſe grauia præiudicia, quæ Regio patrimonio defraudatione iuris huius frequenter inferuntur. Cùm enim Reges noſtri adeò fundatam ſuam habeant intentionem, & pro fideli executione ſtipendia tribuant; clarè inde conſtat iniuſtitiam in diſſimulatione dictâ non leuis momenti committi: quandoquidem præcipua Regij patrimonij portio in Indiis ex hac præſtatione conſurgit, &, Deo quidem iuuante, creſcit illa indies, nouarum Minarum detectione. Et anno præcedenti 1658. & præſenti 1659. amplior extitit, quàm fuerit vnquam. In quo quidem diuinæ prouidentiæ reſpectus ſpecialis deprehenditur, vt quando Hiſpanicæ Coronæ hoſtes hinc inde, vt numquàm aliàs, factâ impreſſione concurrunt, maiora Rex noſter habeat diuitiarum ſubſidia, vt validiſſimos inſtruere, & opponere poſſit exercitus victoriis feliciſſimis potituros. *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit. Pſalm. 111. v. vlt.* & quare ita? Propter id certè, quod præceſſerat: *Gloria & diuitiæ in domo eius: & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. verſ. 3.* Quod Regi Catholico Philippo Quarto felix fauſtumque ſit, Eccleſiæ familiâ pacatiſſimâ gratulante.

Vt creſcat inde Regius prouentus nouarum detectione Minarum.

Pſalm. 111. v. 3. & vlt.

§. II.

Dubiorum quorumdam circa præſtationem Regiorum iurium reſolutio.

49 PRimum occurrit circa aurum, quod dicitur natiuum, vulgo *de nacimiento*, de quo eſt lex vt cum alio non confundatur, aut confundatur, quia ex eo non ſolùm quinta pars, ſed prætereà nouena eſt alia perſoluenda: an ſcilicet hæc lex obliget in conſcientia, ſtante dudum ſtabilitâ ſententiâ de quinta aut decima, vbi illâ Rex vtitur indulgentiâ. Et videtur quidem ſic dicendum ob rationes dictas, quia lex talis non eſt pœnalis, & quia auri extractio, & elaboratio minores habet expenſas, cùm non amet eas, quas argentum, profunditates, & duritiam ſocialem. Aurum item natiuum, præter rationem

1. Dubium de auro natiuo, ne cum alio confundatur, & vt nouena pars cum quintatione ſoluatur.

Digitized by Google

nem dictam, pretioſitatis eſt ſingularis, vnde conueniens videtur, vt plus aliquid ex eo Regio patrimonio deferatur. Verùm licet hæc ſatis videantur vrgere, non videtur tamen cum tanto vigore agendum, vbi tantus imperatur exceſſus. Vt ergo ita fiat Regij Officiales aduigilent, & quæ occultari paſſim curantur, explorent, ex quibus maius Regio patrimonio lucrum obueniet. Nam velle adeò rigidè onerare conſcientias, æternæ damnationis eſt laqueum quamplurimis inieciſſe. Pro quinto anceps circa conſcientias quæſtio, vt nuper vidimus: & pro noueno obligationem certam adiiciemus?

Non videri legem in conſcientia obligare.

2. Circa prohibitionem contractationis cum auro in puluere.

50. Secundum, An lex prohibens aurum in puluere contractari, vt conſtat ex reſcripto Regio *Anni* 1532. ad conſcientiam ſpectet. Et videtur veroſimile non ſpectare, licet pœna ſit grauis, amiſſionis ſcilicet; & finis quidem talis legis videtur eſſe, vt quinta pars Regi reddatur, quæ dari nequit dum aurum in puluere conſeruatur. Non eſt ergo noua obligatio præter illam, cum quâ tranſit, ad quemcumque tranſit. Vnde idem dicendum de eo, quod in eâdem lege diſponitur, ne ſcilicet auri glebis, vulgo *Teſos*, ante funditionem & quintationem ad commercium quis vtatur, ſub pœna eâdem. Et quidem talis lex videtur pœnalis peculiari quadam ratione, quia non ſolùm pœna amiſſionis indicitur, ſed pars denuntiatori aſſignatur: quod ſpecialiter fieri ſolet, quando lex non ſolùm poſitiuè diſponens, ſed pœnalis principaliter eſt.

Circa æualiationem auri, vtrum illi debeat ſtari.

51 Tertium, Vtrum aualiatio auri ſecundùm quilates, vt dicitur, obliget in foro animæ: illi enim lege præſcribuntur, in quo tamen eſſe variatio ſolet. Cùm enim auri pondus iuxta quilates valorem habere debeat, & quilates ſinguli valorem viginti quatuor marapetinorum cum tribus partibus vnius marapetini aſſignatum haberent per priores leges: per recentiores viginti ſex marapetini, & quinta vnius pars, auro viginti duorum quilatum vt valor legitimus aſſignatur: vt ſingula auri pondera (vulgo *Peſos*) quingentos octoginta, & nouem marapetinos habeant. Quæ quidem diſpoſitionum diuerſitas oſtendit in hoc non ita, vt in monetâ, ratiocinandum: vt ſcilicet valori per legem ſtatuto debeat ſtari: non enim ita facilè valor mutaretur, non extante nouâ cauſſâ: & ita circa valorem aureæ monetæ, ſicut & argenteæ, mutatio nulla facta eſt. Valor ergo prædictus aurum in ratione mercis conſtituit. Et dubitari poteſt an in conſcientiâ obliget, iuxta communem doctrinam de valore aut pretio per leges aut Principem deſignato quod in indiuiſibili conſiſtit, ad diſtinctionem pretij vulgaris, quod latitudinem habet ſupremi, medij, & infimi. Et videtur quidem non ita debere accipi, quia in eo res accidit mira: in Indiis enim, vbi illius natale ſolum, plus frequenter valet quàm in Hiſpaniâ: extra Hiſpaniam autem maius pretium habet, quia in illâ deſignatus valor obſeruatur, qui abſque dubio non videtur exactus: quandoquidem boni rerum iſtarum æſtimatores maiori pretio ſibi comparant; non quidem pro moneta efficiendâ, ſed ad fabrefacta pretioſiora, propter quam cauſſam etiam in Indiis pluris ab aurificibus emitur, & bractearíis. Quamquàm & in Hiſpaniâ quod nobilius eſt, & ex Mineris Carabaiæ educitur, pluris etiam vendi ſoleat, quàm per legem ſit ſtatutum, ſecretò propterea: habet enim Carabaiæ aurum viginti tres quilates, ſeu Caracta, cum dimidio. Leges ergo iſtæ pœnales ſunt, & vt tales videntur receptæ: & ita vnus quiſque vt poteſt vendit, circa quod neque docti Religioſi ſcrupulum vnquam iniiciunt, neque ipſi habent ſic vendentes aut ementes, quando neceſſitas pro rebus ſacris, aut vtilitas non indecora eorum ſtatui ſuccurrit.

Videri negandum.

Lex de parte reddendâ Fuſori, & Enſayatori vt obliget, in auro.

52 Quartum, quia pro funditore, & Enſayatore, quos vocant, pro eo ſcilicet, qui adminiculo ignis aurum purificat, & in laminas reddit: & pro eo, qui pretium explorat, & ſignaculum Regium apponit: ex quolibet pondere ſeu Caſtellano vna pars cum dimidiâ deducenda præſcribitur per Schedulam *An.* 1578. & ex reliquâ maſſâ quinta pars Regi reddenda: quæſtionis eſt an lex iſta etiam conſcientiæ obligationem importet. Et quod ad fuſorem ſeu Tuſorem attinet, ſi aurum ad regiſtrum afferatur, videtur clarum deberi, quia eſt laboris merces lege deſignata: vnde & ſimiliter de Appretiatore dicendum. Nec dicas Regem ſuis expenſis id debere præſtare: nam Regi debetur quinta pars non deductis expenſis, ſi ita velit: ſic autem ſecùs factum: nam deductis expenſis, ex reliquo quinta pars extrahitur: quod enim ad fuſorem & Appretiatorem ſpectat, inter expenſas meritò computatur. Si autem quis ad regiſtrum non deferat, vbi induſtria prædictorum adhibenda, aurum ſuum; non debet in conſcientiæ foro aliquam illis reſtitutionem: quia vbi labor eſt nullus, nulla etiam debetur merces. Neque lex obligans ad manifeſtationem, pro fine habet intereſſe prædictum eorum, quibus Rex nullum ius contulit, niſi ex ſuppoſitione laboris & induſtriæ; licet ipſi laborem talem libenter adhiberent. Quod ampliandum eſt, etiamſi officia talia ab ipſis empta fuerint: quia quando emerunt, ſatis illis perſpectum fuit occultationes dictas eſſe frequentes, vnde nequeunt ſe fraudatus pretio proclamare.

Circa argentum reſolutio ſimilis.

53 Tandem circa argentum idem eſt cum proportione dicendum de eo, quod prædictis Officialibus aſſignatur, & de valore ac pretio, quod poſt ſolutam partem quintam cum Regio ſtigmate pariter attribuitur, & in ipſa maſſa defertur ſuis notis impreſſum. Eo enim non obſtante pretium creſcit & decreſcit, eſtque id omnium conſenſione receptum. Vnde & Regij etiam Officiales maſſam dictam ad Regium patrimonium pertinentem ſolent minoris vendere, vt pecuniam pro Regiis ſumptibus neceſſariam cum aliqua ementium vtilitate recipiant. De aliis circa negotiationem huiuſmodi, & alias de eadem materia, quæſtiones inferiùs, Deo dante, vbi de Indicis contractibus, differemus. *Titulo 9. Cap. 3. & ſeqq.*

Digitized by Google

CAPVT IX.

De Theſauris Indicis, & quæ conſcientiæ obligationes circa illos.

§. I.

Duo quædam ſpecialia ex Regia Ordinatione.

Regia Ordinatio circat theſaurorum inuentores.

54 Circa Theſauros in Indiis peculiares extant Regiæ deciſiones. Primò per Ordinationem *Ann.* 1573. quæ habetur *Cap.* 44. *Ordinationum ad Regias arcas pertinentium*, cuius tenorem refert Dom. Solorzanus in Politicâ *pag.* 956. ſtatuitur vt Theſauri omnes quocumque in loco reperti quoad dimidiam partem ad Regem pertineant, pro dimidiâ aliâ ad inuentorem. Per quod videntur ceſſare quæſtiones variæ, quæ circa theſauros à Doctoribus agitantur, ob diuerſa ſcilicet loca, in quibus inueniri poſſunt & ob diuerſos inuentores ac inueniendi modos: de quibus habet tractatum Diana, quintum ſcilicet *Partis* 9. & à nobis *Capite præcedenti* inſinuatæ, adductis Auctoribus, qui de hoc agunt. Ad vnam ergo Tantùm quæſtionem omnes illæ reuocantur, an ſcilicet lex prædicta obligationem conſcientiæ grauem inducat. Circa quam etiam dictum aliquid, & qui negant adducti; ac potiori id quidem ratione quàm leges de mineralibus agentes: illa enim, cùm à naturâ videantur in bonum commune conceſſa, ad Principes videntur ſpectare, ad quod bonum commune ſpectat promouere: quod tamen in theſauris non euenit, qui cùm in ſuo principio priuatos dominos habuerint, non eſt mirum ſi ad priuatos etiam deueniant, & primò occupantis ſint. Circa quod ferè ſingularis eſt modus dicendi Mag. Bañez. 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 5. *Concluſ.* 7. dicentis inuentorem theſauri, quidquid lex dicat, poſſe illum ſibi retinere, donec petatur à publica poteſtate: quia ſoluitur per modum tributi, quod tantùm debetur quando petitur, niſi in Regio fundo inuentus fuerit: tunc enim dimidia pars debetur, ſicut & priuato deberetur fundi domino ex iuſtitiâ commutatiuâ. Impugnant illum P. Turrianus, quem ſecutus Caramuel. *n.* 306. limitatione reiectâ de fundo Regio, quia ex Cæſareo iure prouenit in Hiſpaniâ non obligante, cùm habeatur circa theſauros municipalis lex. Sed quod ratio tributi non repugnet, defendit Cardinalis Lugo *Diſp.* 6. *de Iuſtitia n.* 108. licet doctrinam generaliter non amplectatur. Quia tamen doctrina illa de tributis, vt non debeantur, niſi petantur, probabilis eſt; pro quâ & videri poteſt Pharaonius *Tract.* 2. *Seſſione.* 10. *Caſu* 8. inde habetur ſententiam negantem in caſu noſtro aliquid ex eo capite probabilitatis attrahere, vt aliis iuncta pondus augeat, nec debeat vt abſurda condemnari. Contraria autem communior eſt pro quâ Auctores congerit Diana *Tract. citato. Reſolut.* 18. probanda fundamento adducto. *num.* 44. quia ſcilicet eſt lex diſponens circa rerum dominia, & non pœnalis, neque in præſumptione fundata. In Indiis autem eſt peculiaris ratio donationis Pontificiæ: vnde inter bona ſibi tradita potuerunt Reges Catholici ſibi theſauros reſeruare.

An obliget in conſcientia.

Mag. Bañez. non penitus probanda doctrina, circa illud.

Probabile eſt non obligare, licet ſententia communior contrariũ ſtatuat.

Bañez ſuâ doctrinâ impugnatus, vt obligatio in conſcientiâ ſit.

55 Contra Bañez autem eſt ratio ex ipſius doctrinâ deſumpta. Nam iuxta ipſum, inueniens theſaurum in fundo alieno tenetur ex iuſtitiâ commutatiuâ dimidiam partem reddere domino, vnde & Regi quando in eius fundo inuentio accidit: ſic deciſum *l.* 47. *Tit.* 28. *Part.* 13. Tunc ſic. Quòd partes iſtę theſauri ad hos vel illos pertineant, vt obligatio conſcientiæ reſultet, ex diſpoſitione legis pendet, iuxta quam vni aufertur, & alteri confertur: & tamen in prædictâ lege non eſt declaratum in conſcientia obligare: ergo ſimiliter cùm lex partem fiſco applicat, obligatio in conſcientiâ reſultat, licet id non habeatur expreſſum. Patet illatio: quia ratio eſt eadem. Et præterea. Quia Rex non debet eſſe peioris conditionis: neque vllum iudicium in lege ipſâ eſt, vnde id colligi poſſit. Si dicas eſſe per modum tributi. Inſtari maniſeſtè poteſt: nam & dari tributum aliquod poteſt, cuius ſolutio in conſcientiâ obliget. Videantur dicta *Titulo* 1. *num.* 170. & tale hoc eſſe ratio adducta demonſtrat, ſi tributum eſt: quandoquidem Rex ex eo quòd tributum eſſe voluerit, noluit deteriorem ſuam reddere conditionem, quàm ſi partem illam alteri applicandam decreuiſſet.

Medietatem Regi reddendam non eſt certum, ob diuerſas ſententias, & praxes.

56 Licet autem pro medietate Regi reddenda præfatum reſcriptum extet, non videtur conſtans circa hoc praxis, ſicut nec ſententia. Vnde Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 5. *num.* 37. ait quintam partem reddendam tantùm: & quia metalla inuenta conflanda ſunt, inde quinta alia pars deducenda eſt: quod tamen expreſſum lege aliquâ non habetur, licet ex Regiis ſchedulis colligi videatur, vt iam olim Matienzus obſeruauit in *manu ſcripto Tractatu*. In Politicâ autem *pag.* 957. 5. *Y en eſta*, affirmat in detectionibus, regiſtris, & maniſeſtationibus, quæ ordinariè fiunt, dictam ordinationem, quâ medietas præſcribitur, obſeruari; quamuis frequentiùs ſola quinta pars ſoleat, ſicut in metallorum maniſeſtatione, perſolui. Iuxta hæc ergo lex non videtur vltra quintum obligare in conſcientiâ; licet arbitrio Officialium alia quandoque diſpoſitio minùs inuentoribus fauorabilis obſeruetur. Ad quod quidem circumſtantiæ conducere poſſunt: & vt grauiter in hoc non peccent, vtilitatem Regij patrimonij non debent negligere, cùm ad fidele miniſterium ex officio, & Regiâ confidentia teneantur, vt dictum ſæpiùs.

Ex quibus Regi tribuenda, medietas.

57 Secundò. In prædictâ Ordinatione ſtatuitur vt dicta medietas Regi ſoluatur ex omnibus pretioſis, auro ſcilicet, argento, vnionibus, & lapidibus pretioſis, in ſepulcris Indorum, ac locis aliis ſuperſtitioſè ab eiſdem diſpoſitis. Ex quo videtur colligi licitum eſſe ſepulchra ſcrutari, & corpora mortuorum extrahere, quod tamen aliàs illicitum comprobatur per *l.* 3. *de ſepulc. violat. & L. item* 3. *C. de Epiſcop. Audient. & Cap. Sicut, de Iudæis*. Et in caſu noſtro per Concilium Limenſe ſecundum ſub pœna excommunicationis prohibens ſepulcra Indorum demoliri. Pro quo & pugnat Epiſcopus Chiapenſis, adductus à Dom. Solorzano *ſuprà num.* 40. vbi contendit

Sepulchra Indorum, an ea de cauſſa ſcrutari liceat.

tendit quidquid in his ſepulchris inuentum fuerit, Indorum ſepultorum hæredibus, vel communitatibus applicandum. Ipſe tamen Dom. Solorzanus reſoluit contrarium *num.* 41. *& ſeqq.* & in Politicâ *Pag.* 957. vbi ex Antonio de Herrera *in Hiſtoria generali Indiarum Decade* 5. *lib.* 5. *cap.* 8. teſtatur circa hoc magnas fuiſſe ſeſſiones & conſultationes: & iis præmiſſis legem pronuntiatam. & certè ſecluſo ſcandalo, aut alio extrinſeco inconuenienti, non apparet cur hoc fieri nequeat. Regula enim eſt omni æquitati conformis, vt quod tibi prodeſt & alteri non nocet, nequeat impediri. In caſu autem dicto diuitiæ in ſepulchris Indorum aſſeruatæ, quorum domini penitus ignorantur, nihil mortuis proſunt, & ex earum ablatione nullum patiuntur detrimentum: ac præterea viuis valdè prodeſſe poſſunt, vt conſtat: ergo non poteſt earum extractio penitus prohiberi.

Affirmatiua reſponſio.

Obiectio ex obligatione ſub mortali humandi corpora.

58 Dices inhumanum videri corpora mortuorum extrahi, & iniurioſè tractari. Cùm enim quis teneatur ſub mortali mortuum ſepelire, quando deeſt, qui id facere velit aut poſſit, vt tradit cum aliis Baſſæus *V. Sepultura num.* 1. licèt non benè citet Patrem Sà, *eodem verbo* vbi de eo nihil. Cùm inquam ad id teneatur, quia eſt charitatis, & miſericordiæ opus vltimo loco inter corporalia numeratum, vrgens in extremâ neceſſitate: conſequenter dicendum eſt ſimilem ſubeſſe non exhumandi obligationem, & decenter tractandi illa. Et ex hac conſideratione Decretalis citata proceſſit, in quâ Clemens Tertius ita loquitur: *Ad hoc malorum hominum prauitati & auaritiæ obuiantes, decernimus vt nemo cæmeterium Iudæorum mutilare aut inuadere audeat, ſiue obtentu pecuniæ corpora humata effodere.* Sic ille, qui ſtatim pœnam ferendam apponit aut infamiæ & priuationis officij, aut excommunicationis.

Et ex prohibitione Canonica.

Cap. Sicut, de Iudæis.

59 Sed hæc non videntur vrgere: nam licèt inhumanum videatur mortuorum corpora iniurioſè tractare; ſunt tamen cauſæ plures, propter quas exhumari poſſint, vt communiter fatentur Auctores. Vide citatum alios afferentem: ergo & ratione magnæ vtilitatis, qualis in detectione theſauri deprehenditur. Vnde nequit occurri in eo auaritiæ prauitatem admiſceri à Pontifice condemnatam. Non enim auaritia eſt malorum hominum propria, ob vtilitatem aliquam non vulgarem mortua corpora loco mouere, ſtatim ſepulturæ reddenda, & terrâ ſuperiectâ operienda: quod Concilium Limenſe tantùm videtur præcepiſſe, vt ex verborum tenore colligitur. Sic enim illud: *Y aſi deſen terrados los dexare, à que perros y aues los coman.* Quæ explicatio poteſt etiam Decretali allatæ accommodari. Et illa quidem de Iudæis tantùm agit, non de Paganis: nec de Iudæis omnibus, ſed de iis, qui cæmeterium habent, & à Chriſtianis in ſuis viuere Synagogis permittuntur: & verò cùm Iudæi non ſoleant cum diuitiis ſepeliri; ſi quis ſepulchra eorum effodiat, ſupellectilis alicuius videtur cupiditate moueri, vt ex eâ peculiolam aliquam aucupetur. Quod quidem iniquum videtur & inhumanum; vnde & illud directè potuit Pontifex prohibere.

Fit illi ſatis, ratione magnæ vtilitatis.

Concilium Limenſe quid præcipiat.

Decretalis ſicut, de Iudæis explicatio.

§. II.

Duo alia. Vbi ſpecialiter de inuentis in locis ſacris.

60 TErtiò, ordinatio dicta de locis etiam Religioſis ſtatuit verbis illis, *Y lugares Religioſos.* Hoc autem videtur difficile: nam cùm loca Religioſa ſint à iuriſdictione Principum ſæculariũ exempta, nihil poſſunt illi, quod ipſis directè incõmodet, ſuis legibus ſtabilire: quæ eſt omnium Catholicorum ſcriptorum doctrina Iure Canonico comprobata, & à Ciuili ſuis etiam legibus communita. Ordinatio autem prædicta valdè contraria eſt locis ſacris & Religioſis, vt conſtat; cùm priuet illa adeò ingenti emolumento. Ideò theſaurum in loco ſacro repertum pro medietate, quæ alias erat applicanda Fiſco, ad Eccleſiam pertinere, ad Prælatos inquam, & communitatem cum Capitulo, ſi Capitulum habeat, vel alio modo loci Religioſi cum dominio adminiſtrationem: pro aliâ autem medietate ad inuentorem: tenent Doctores quamplures, quos adducit Amaza à Dianâ citatus *Tract.* 5. *Reſolut.* 11. qui præterea pro eodem allegat P. Filliucium, Ioannem Viggers, Villalobos, & Megalam, quos & ſequitur. Et idem amplectuntur Cardinalis Lugo *Diſputat.* 6. *num.* 116. *&* 117. qui & adducit P. Leſſium, P. Vaſquez, & P. Turrianum, Baſſæus *V. Dominium* 2. *num.* 11. Bonacina *Diſput.* 1. *de Reſtitutione Quæſt.* 3. *Puncto* 6. *num.* 5. P. Molina *Diſput.* 56. §. *Dubium*, citans Couarruuiam, Antonium Gomez, Angelum, & Silueſtrum, P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 266. §. *Secunda propoſitio.* P. Dicaſtillus *Lib.* 2. *de Iuſtitia & Iure Tract.* 2. *Diſput.* 9. *num.* 414. P. Gaſpar Hurtadus *Diſput.* 1. *de Iure, Difficult.* 35. §. *Secundò eſt.* Qui tamen cum Couarruuia, & P. Vaſquez, id ſupponit quod alij ex citatis vt in plurimùm negant: ait enim locum ſacrum, in quo inueniri theſaurus poteſt, nullius eſſe domini, vt regulariter accidit: cùm tamen alij dicant vix inueniri locum ſacrum, qui non ſit ſub ſpeciali alicuius dominio: ex quo colligunt regulariter loquendo dimidium ad Eccleſiam pertinere: ſi enim locus ſacer ſub nullius dominio ſit, totus theſaurus eſt inuentoris, iuxta §. *Theſauros Inſtit. de rerum diuiſione.* Et Couarruuias quidem loca ſacra nullius eſſe quoad dominium affirmat *in Regula Peccatum, Parte* 3. §. 2. *num.* 3. & probat ex §. *Nullius*, *Inſtit. de rerum diuiſione*, vbi ſic ſtatuit Imperator: *Nullius autem ſunt res ſacræ, & Religioſæ, & ſanctæ: quod enim diuini iuris eſt, id nullius in bonis eſt.* Nihilominùs affirmat etiam §. *Sed apud nos*, theſaurum in loco Religioſo ac ſacro inuentum, pro eâ parte ad Eccleſiam, eiuſque Prælatum pertinere, pro quâ ad priuatum, qui dominus illius loci fuiſſet, omnino ex legibus deferendus eſſet: iuxta leges inquam iuris communis: nam iuxta leges Partitarum aliter videtur ſentire §. *ſeqq.* ſtatuens theſaurum vbilibet repertum ad Regem pertinere, quintâ tantùm parte inuentori traditâ.

Ordinatio circa loca Religioſa vt ſtatuere queat.

Theſauri huiuſmodi pro medietate ad Eccleſiam pertinere, multorum eſt ſententia.

Locus ſacer ſitne alicuius.

61 Sed ſunt qui aliter ſentiant: Fiſco enim, & non Eccleſiæ dimidiam partem tribuendam contendunt Iuriſperiti quidam apud Dianam *ſuprà* Et negari nequit quin id magnum habeat in Ciuili iure fundamentum: ſic enim ſtatuitur in

Ad Fiſcum medietatẽ ſpectare aliorum opinio.

Digitized by Google

in *Cap. vnico. Quæ ſint Regalia*, in fine. Et *L.* 3. §. *penultimo, D. de jure Fiſci.* Niſi fortè qui inuenit, ſit Eccleſiaſticus: tunc enim dimidiam partem habebit Eccleſia, quæ ſcilicet inuentori reſpondet: juxta *Cap. Excommunicamus.* §. *Damnati*, de hæreticis. Vbi licèt non decidatur, argumentum tamen ad id aſſerendum exhibetur; vbi & poteſt ſingularis quæſtio moueri: quid ſi Clericus inueniens ad illam non pertineat Eccleſiam: tunc enim illi non videtur acquirere: & præterea eò quòd Clericus ſit, non debet inuentoris jure priuari. Quod quidem ita videtur aſſerendum.

Specialis difficultas.

Eſſe totaliter inuentoris qui cenſeant.

62 Aliter Caramuel *in Theologiâ morali, n.* 308. vbi ait theſaurum inuentum in loco ſacro eſſe inuentoris. Et probat: quia nullo jure poteſt ad Eccleſiam vel ſecundum ſe totum, vel ſecundùm partem pertinere. Iure enim naturæ inuentoris eſt; quia eſt illius moralis productor, cùm faciet in hominum vſus venire, qui dum lateret, perinde erat, acſi non eſſet. Iure Inſtitutæ nulla pars Eccleſiæ aſſignatur, & Cæſarium non mutat bonorum Eccleſiaſticorum naturam, vt ſcilicet (ſic enim videtur explicandum) Eccleſiaſtica reddat, quæ ex ſe talia non ſunt. Ius autem Hiſpaniæ, ſi receptum eſt, quadrantem inuentori, tres Regi adſcribit: Canonicum nihil de theſauris diſponit: præter jura autem prædicta nullum aliud excogitari poteſt, ex quo poſſit Eccleſia medietatem theſauri vendicare: erit ergo totus inuentoris. Sic ille Philoſophatur, antequàm id tradiderat Pharaonius *Tractat.* 2. *Seſſione* 8. *Appendicis, Caſu* 1.

Reſolutio cum probabilitate circa medietatem Eccleſiæ, aut Regi præbendam.

63 Iuxta quæ ſatis apparet quàm ſit res iſta perplexa, cùm aliàs in jure ipſo ciuili antinomia inueniatur; quam licet Doctores aliqui amoliri conentur, vix tamen quidquam dicunt, quod ſatisfaciat rem non leuiter contemplanti. Cùm ergo non ſit perſpicuum prò Indiis aliquid circa hoc à Regibus Catholicis innouatum, valdè probabile videtur theſauros quoad dimidium ad Eccleſias pertinere, & ita retineri illud in foro conſcientiæ poſſe. Vt autem jus Regis poſſit etiam probabiliter fundari, ad donationem eſt Pontificiam, ſicut in mineralibus etiam diximus, recurrendum. Cùm enim terræ omnes & dominia tradita ſint, potuerunt Reges in omnibus illis theſauros ſibi appropriare; & ita cùm poſteà in quocumque fuerint ſolo reperti, ſine alicuius injuriâ ad ſe trahere, ſiue profanus locus fuerit ſiue ſacer; quia cum eo onere ad quemcumque tranſiuit; ſicut tranſeunt prædia cenſualia, hypothecæ ſubiecta & modis aliis onerata. Hanc autem fuiſſe eorum voluntatem leges ipſæ manifeſtant, quas ita debemus accipere, vt Catholicos Reges deceant, & ita meliori modo, ac juxta meliorem ſenſum conditas & promulgatas. Pro quo eſt optima admonitio apud P. Molinam *Diſp.* 176. §. *Tertio, cauſa.*

Pro Rege quid ſpecialiter faciat.

Prohibitio non quærendi in proprio fundo, non ligat in conſcientiâ.

64 Quartò. Nulli eſt licitum, id lege prohibente, de quo D. Gaſpar de Eſcalona in *Gazophylacio Regio Peruuiano pag.* 126. *num.* 3. ſine regiſtro in proprio fundo theſaurum quærere: ſed legem huiuſmodi non obligare in conſcientiâ ex ratione ipſius oſtenditur; quia ſcilicet ſine regiſtro nequeunt quæ ad Regem ſpectant ſufficienter prouideri. Eſt ergo lex in præſumptione fundata: vnde ſi Regi ſua jura reddantur, nihil contra illius mentem perpetratur. Si autem non reddantur, ex eo erit fortè peccatum juxta dicta, non ex legis violatione.

§. III.

Vlteriores reſolutiones de Viſitatoribus Eccleſiaſticis, & inuentis induſtriâ diaboli.

Viſitatores Eccleſiaſticos in theſauris nullam habere partem, niſi inueniant ipſi ex induſtria.

65 Quintò, Viſitatores Eccleſiaſtici nullam habent partem in theſauris, quæ in delubris Indorum reperiuntur: quibus tamen congruum aliquod præmium poterit, ſi Rex annuerit, exhiberi. Sed certè ſi Viſitatores tales ſuâ induſtriâ theſauros inuenerint, non videntur fraudandi præmio inuentoribus aſſignato. Quòd ſi pœna eſt, eò quòd auctoritate ad bonum ſpirituale ſibi conceſſâ abutantur, imponenda, non poteſt à laicâ illis poteſtate decerni, ob priuilegium exemptionis: videtur ergo lex in eo caſu loqui, quo Viſitatores delubra Indorum ſcrutantes, vt idola extrahant, diuitias aliquas deprehenderint; tunc enim præmium non merentur inuentoribus deſignatum: & ita indicat reſcriptum Regium, de quo Dom. Solorzanus in Politicâ *Pag.* 958. in quo ſic dicitur; *Sin embargo que las Igleſias pretendan ſer ſuyo loque ſe ha hallado en adoratorios, y ſantuarios, ſin deſcubridos, &c.* Dari ergo poteſt inuentio theſauri ſine induſtriâ detectoris: & vbi Viſitatores Eccleſiaſtici tales ſunt, nequeunt in illis partem habere vllam, ſicut non haberent laici, qui modo ſimili reperirent. Si ergo Viſitator ſit detector ex induſtriâ ſpeciali, præmium detectoris habebit: ſi aliud agens, non ita. Vbi pœnalis diſpoſitio non eſt, ſed in id tendens, vt Viſitator non habeat laboris præmium, quod reipſa non meretur. In eo ergo caſu theſaurus ex integro Regi cedet, ſic lege diſponente. Licèt enim leges Cæſareæ circa inuenientes fortuitò valdè fauorabiles inueniantur, in Hiſpaniâ illæ locum non habent, & multò minùs in Indiis, quæ magis peculiaribus legibus gubernantur.

Theſauros arte Diaboli acquiſitos poſſe retineri tutâ conſcientiâ qui affirmant.

66 Sextò. Ordinatio illa generaliter loquitur de omni auro, argento &c. Vnde quæſtio oritur quæ pro Indiis videtur ſpecialiter agitanda, in quibus Indi cum diabolo ſolent frequens habere colloquium; vnde & contingere poteſt diuitias aliquas occultas eiſdem detegere, & eos forſitan Europæis. An ſcilicet tunc in iis, qui modum inuentionis norunt, & fortè in eo, quod tamen rarum erit, partem aliquam habuerunt, poſſint quod inuentum eſt, tutâ conſcientiâ retinere. In quo quidem eſt ſententiarum varietas. Plures enim affirmant, ex quibus ſunt Nauarrus in Manuali *Cap.* 17. *n.* 176. Gutierrez *de Tutelis* 3. *p. cap.* 26. *& Lib.* 4. *p.* 1. *q.* 36. Megala *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 4. *q.* 2. *n.* 14. Villalobos *Tomo* 2. *Tract.* 10. *diffic.* 20. *n.* 7. Malderus *de Iuſtitia Tract.* 1. *cap.* 7. *dub.* 1. Ioannes Viggers *de Iuſtitia, tract.* 1. *cap.* 4. *dub.* 8. Trullench in Decalogum *Tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 2. *dub.* 8. *n.* 10. Diana *Tractat.* 5. *citato, Reſolut.* 23. Bonacina *Diſput.* 1. *de Reſtitutione, Quæſt.* 1. *Puncto* 6. *num.* 8. Cardinalis Lugo *Diſput.* 6. *num.* 131. P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 5. *num.* 65. P. Filliucius *Tomo* 2. *Tractat.* 31. *num.*

Digitized by Google

num. 153. P. Vaſquez *Tractatu de Reſtitutione, cap.* 5. §. 4. *num.* 28. P. Rebellus *Parte* 1. *Lib.* 1. *quæſt.* 15. *num.* 14. P. Gaſpar Hurtadus *Diſput.* 1. *de Iure, Difficult.* 35. §. *Quartò eſt.* P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 266. §. *Quarta propoſitio*, & alij. Quorum ratio eſt; quia leges circa hoc diſponentes ſunt pœnales, vt videtur in *L. vnica. C. de theſauris, lib.* 10. *& L. Nemo C. de Maleficis & Mathemat.* Legem autem pœnalem ante judicis ſententiam non obligare, ſatis recepta ſententia eſt. Pro quâ, præter citatos alibi videri poteſt Gutierrez *Lib.* 2. *Canonicar. quæſt. cap.* 5. *n.* 14.

Eorum ratio.

Qui tenean oppoſitum.

67 Alij per oppoſitum ſentiunt, ex quibus Aluarus Valaſcus *de jure Emphit. Parte* 1. *Quæſt.* 5. *n.* 4. Amaya *in Codicem lib.* 10. *Tit.* 15. *n.* 18. apud quẽ Farinacius & Valenzuolà. P. Molina *Diſp.* 56. *in principio*, quem ſequitur P. Turrianus 2. 2. *Tom.* 2. *Diſp.* 43. *Dub.* 2. *n.* 3. & alij: quorum ratio ex oppoſito fundamento procedit: quòd ſcilicet leges dictæ pœnales non ſint, ſed diſponentes ſub conditione, vt ſi videlicet aliquis modo dicto theſaurum inueniat, eius ſit vel totus, vel quoad partem: ſi autem maleficio, dominium non acquirat. Sed certè cùm in odium peccati ſit, non videtur negari poſſe pœnales eſſe, & explicationes, quæ adhibentur, parùm ſolidæ comperiuntur. Et quidem ex præfato explicandi modo fieret nullam legem prohibentem aliquid ſub amiſſionis onere pœnalem eſſe; quia dici poteſt ſolùm eſſe conditionaliter diſponentem, & ita cum eâ non poſſe dominij acquiſitionem conſiſtere.

Eorũ fundamentũ.

Contra quod arguitur.

Duæ aliæ ſententiæ circa dominũ fundi innocentẽ; & earum fundamenta.

68 Eſt ergo prioris ſententiæ fundamentum quoad hoc innegabile: an autem omnino firmum, ſtatim dicemus; ſi priùs dicas, alias ſententias adiiciamus; Primam eorum, qui dicunt eum, in cuius fundo theſaurus inuenitur, ſi innocens ſit, non eſſe ſuâ parte fraudandum. Sic Diana *ſuprà in fine.* Bonacina, P. Hurtadus P. Leſſius *num.* 66. & alii. Secundam affirmantium debere fraudari, pro quâ P. Rebellus adducit Couarruuiam, Nauarrum, & Valaſcum, quos & ſequitur, licèt oppoſitum cenſeat non eſſe improbabile; cùm pœna ſuos auctores egredi non debeat. *L. Sancimus. C. de pœnis.* Quorum ratio eſt, quia ita leges abſolutè diſponunt. Et quidem etiam quando modo licito inuenitur theſaurus, potuerunt eum Fiſco penitus applicare, aut cenè nullâ parte domino fundi applicatâ; & ita leges Hiſpaniæ diſponunt; ergo & in ſpeciali caſu dicto, cuius motiuum eſſe poteſt, ne quis maleficio locupletetur, ſiue proprio ſiue alieno, & occaſionem habeat gaudendi de illo; quod quidem in Fiſco non ita accidit, cùm Principes in odium maleficij pœnam ſtatuant *arte legibus odioſâ*, vt Imperator loquitur lege 1. *citatâ.* Addit P. Hurtadus non ſolùm partem innocenti tradendam poſt ſententiam, ſed etiam totum, ſi per induſtriam theſaurus ſit quæſitus. Quod non video quàm ſit aptè dictum; cùm enim per artem magicam ſit inuentus, manifeſtum eſt ex induſtriâ quæſitum; ergo ſemper applicandus totus, & non tantùm illius pars.

Additio P. Hurtadi refutata.

Aſſertio 1. *opinionis prioris probabilitas, juxta quã in caſus contingentiâ erit quẽ hæreat nullus.*

69 Dico igitur, ad præcipuam difficultatem reſpondendo. Primò opinionem priorem adeò eſſe grauium Doctorum auctoritate firmatam, vt in casûs contingentia nullus videatur futurus, qui eam non amplectatur. Cùm enim ad onera iſta deuitanda opinio quæuis placeat, vbi ſcilicet pauci & minùs probati Doctores excuſant; quod fiet quando tot pro excuſatione militant, & bonâ ducuntur ratione? Hoc ergo conſtante, non videtur multùm de vlteriori diſcuſſione curandum.

Aſſertio 2. *contrarium ſolidiori niti fundamento.*

70 Dico ſecundò. Sententia contraria, licèt minùs auctoritatis habeat, ſolidiori poteſt fundamento probari. Nam vt demus leges eſſe pœnales, lex pœnalis obligare in conſcientiâ poteſt, quando pœna verſatur circa dominij impeditionem. Sic qui obtento Parochiali Beneficio, ſuâ culpâ intra annum non ordinatur ſacerdos, illud in conſcientiâ dimittere tenetur, ſicut & Epiſcopatum qui intra ſex menſes non conſecratur, nec facit fructus ſuos; qui non recitat diuinum Officium, fructuum etiam perceptione priuatur, ſicut & non reſidens, qui ratione Beneficij tenetur reſidere. Quas exceptiones, & alias opponunt Doctores, qui ſententiam de lege pœnali prædictam conſectantur, vt videri poteſt apud Bonacinam *Tomo* 2. *Diſput.* 1. *Quæſt.* 1. *Puncto* 7. §. 2. *num.* 9. 17. *& ſeqq.* vbi plures adducit Auctores, præſertim ex Societate. Tunc ſic. Leges de theſauris diabolico adminiculo repertis tractantes, ad hunc modum diſponunt: ergo ſtante obligatione in conſcientiâ legum huiuſmodi, ex eo quòd pœna in illis extet non deſinunt obligare. Antecedens conſtat ex earum tenore. *Nam leg. vnicâ Tit.* 15. *C. de theſauris, Lib.* 10. ita loquitur Leo Imperator: *nam in ſuis quidem locis vnicuique, dummodo ſine ſceleratis & punendis ſacrificijs, aut aliâ qualibet arte legibus odioſâ, theſaurum (id eſt, condita ab ignotis dominis tempore vetuſtiore mobilia) quærere, & inuento vti liberam tribuimus facultatem.* Sic ille. Vbi manifeſtè, vt frui theſauro quis poſſit, conditio decentis inquiſitionis apponitur. Dictio enim *Dummodò* conditionem importat, quando apponitur vt diſpoſitio vim habere incipiat, & non faciendum aliquid tantùm indicat poſt diſpoſitionem completam. Pro quo videndus P. Molina *Diſput.* 208. §. *Iuxta & ſeqq.* Quod in caſu noſtro videre eſt, vbi diſpoſitio legis non verſatur circa aliquod poſt completam diſpoſitionem faciendum, vt in exemplis ab eodem Patre adductis, ſed circa diſpoſitionem ipſam, vt vim habere incipiat, quòd ſcilicet inquiſitione ſacrilega, & arte legibus odioſâ non quæratur, vnde per inquiſitionem non odioſam nec ſacrilegam vim habere incipit. Licèt autem Marius Antoninus *Lib.* 1. *Variarum Reſolutionum Reſolut.* 88. *num.* 5. dicat cum Rotâ dictionem *Dummodò* modum importare; id ita intelligendum vt ex P. Molina, & aliis dictum, quando ſcilicet diſponitur aliquid faciendum poſt completam diſpoſitionem, vt in caſu ab eodem Mario adducto donationis à patre factæ filio primæ tonſuræ, vt adueniente ætate legitimâ poſſet ad ſacros Ordines promoueri. Eſt ergo non obſcura præfatæ legis mens: neque alia eſt legis alterius, de quâ *ſuprà.*

Lex Imperatoria dominij prohibens trãſlationem.

Dictio Dummodò *quam vim habeat.*

Quid pro Hiſpaniâ ſpecialiter.

71 Et hæc quidem juxta jus commune, cuí in Hiſpaniâ ſtatur, quando aliquid per leges ſpeciales ſtatutum non inuenitur. Licèt autem caſus præſens non inueniatur in particulari deciſus, ex generali diſpoſitione colligitur, juxta quam theſauri applicantur Fiſco, quintâ parte inuentori deſignatâ, vt communiter Hiſpani teſtantur

Digitized by Google

in *Cap. vnico. Quæ ſint Regalia*, in fine. Et *L.* 3. §. *penultimo, D. de iure Fiſci*. Niſi fortè qui inuenit, ſit Eccleſiaſticus: tunc enim dimidiam partem habebit Eccleſia, quæ ſcilicet inuentori reſpondet: juxta *Cap. Excommunicamus*. §. *Damnati*, de hæreticis. Vbi licèt non decidatur, argumentum tamen ad id aſſerendum exhibetur; vbi & poteſt ſingularis quæſtio moueri: quid ſi Clericus inueniens ad illam non pertineat Eccleſiam: tunc enim illi non videtur acquirere: & præterea cò quòd Clericus ſit, non debet inuentoris jure priuari. Quod quidem ita videtur aſſerendum.

Specialis difficultas.

62 Aliter Caramuel *in Theologiâ morali, n.* 308. vbi ait theſaurum inuentum in loco ſacro eſſe inuentoris. Et probat: quia nullo jure poteſt ad Eccleſiam vel ſecundum ſe totum, vel ſecundùm partem pertinere. Iure enim naturæ inuentoris eſt; quia eſt illius moralis productor, cùm faciet in hominum vſus venire, qui dum lateret, perinde erat, acſi non eſſet. Iure Inſtitutæ nulla pars Eccleſiæ aſſignatur, & Cæſarium non mutat bonorum Eccleſiaſticorum naturam, vt ſcilicet (ſic enim videtur explicandum) Eccleſiaſtica reddat, quæ ex ſe talia non ſunt. Ius autem Hiſpaniæ, ſi receptum eſt, quadrantem inuentori, tres Regi adſcribit: Canonicum nihil de theſauris diſponit: præter jura autem prædicta nullum aliud excogitari poteſt, ex quo poſſit Eccleſia medietatem theſauri vendicare: erit ergo totus inuentoris. Sic ille Philoſophatur, antequàm id tradiderat Pharaonius *Tractat.* 2. *Seſſione* 8. *Appendicis, Caſu* 1.

Eſſe totaliter inuentoris qui cenſeant.

63 Iuxta quæ ſatis apparet quàm ſit res iſta perplexa, cùm aliàs in jure ipſo ciuili antinomia inueniatur; quam licet Doctores aliqui amoliri conentur, vix tamen quidquam dicunt, quod ſatisfaciat rem non leuiter contemplanti. Cùm ergo non ſit perſpicuum prò Indiis aliquid circa hoc à Regibus Catholicis innouatum, valdè probabile videtur theſauros quoad dimidium ad Eccleſias pertinere, & ita retineri illud in foro conſcientiæ poſſe. Vt autem jus Regis poſſit etiam probabiliter fundari, ad donationem eſt Pontificiam, ſicut in mineralibus etiam diximus, recurrendum. Cùm enim terræ omnes & dominia tradita ſint, potuerunt Reges in omnibus illis theſauros ſibi appropriare; & ita cùm poſteà in quocumque fuerint ſolo reperti, ſine alicuius injuriâ ad ſe trahere, ſiue profanus locus fuerit ſiue ſacer; quia cum eo onere ad quemcumque tranſiuit; ſicut tranſeunt prædia cenſualia, hypothecæ ſubiecta & modis aliis onerata. Hanc autem fuiſſe eorum voluntatem leges ipſæ manifeſtant, quas ita debemus accipere, vt Catholicos Reges deceant, & ita meliori modo, ac juxta meliorem ſenſum conditas & promulgatas. Pro quo eſt optima admonitio apud P. Molinam *Diſp.* 176. §. *Tertio, cauſa*.

Reſolutio cum probabilitate circa medietatem Eccleſiæ, aut Regi præbendam.

Pro Rege quid ſpecialiter faciat.

64 Quartò. Nulli eſt licitum, id lege prohibente, de quo D. Gaſpar de Eſcalona in *Gazophylacio Regio Peruuiano pag.* 126. *num.* 3. ſine regiſtro in proprio fundo theſaurum quærere: ſed legem huiuſmodi non obligare in conſcientiâ ex ratione ipſius oſtenditur; quia ſcilicet ſine regiſtro nequeunt quæ ad Regem ſpectant ſufficienter prouideri. Eſt ergo lex in præſumptione fundata: vnde ſi Regi ſua jura reddantur, nihil contra illius mentem perpetratur. Si autem non reddantur, ex eo erit fortè peccatum juxta dicta, non ex legis violatione.

Prohibitio non quærendi in proprio fundo, non ligat in conſcientiâ.

§. III.

Vlteriores reſolutiones de Viſitatoribus Eccleſiaſticis, & inuentis induſtriâ diaboli.

65 Quintò, Viſitatores Eccleſiaſtici nullam habent partem in theſauris, quæ in delubris Indorum reperiuntur: quibus tamen congruum aliquod præmium poterit, ſi Rex annuerit, exhiberi. Sed certè ſi Viſitatores tales ſuâ induſtriâ theſauros inuenerint, non videntur fraudandi præmio inuentoribus aſſignato. Quòd ſi pœna eſt, eò quòd auctoritate ad bonum ſpirituale ſibi conceſſâ abutantur, imponenda, non poteſt à laicâ illis poteſtate decerni, ob priuilegium exemptionis: videtur ergo lex in eo caſu loqui, quo Viſitatores delubra Indorum ſcrutantes, vt idola extrahant, diuitias aliquas deprehenderint; tunc enim præmium non merentur inuentoribus deſignatum: & ita indicat reſcriptum Regium, de quo Dom. Solorzanus in Politicâ *Pag.* 958. in quo ſic dicitur; *Sin embargo que las Igleſias pretendan ſer ſuyo loque ſe ha hallado en adoratorios, y ſantuarios, ſin deſcubridos, &c.* Dari ergo poteſt inuentio theſauri ſine induſtriâ detectoris: & vbi Viſitatores Eccleſiaſtici tales ſunt, nequeunt in illis partem habere vllam, ſicut non haberent laici, qui modo ſimili reperirent. Si ergo Viſitator ſit detector ex induſtriâ ſpeciali, præmium detectoris habebit: ſi aliud agens, non ita. Vbi pœnalis diſpoſitio non eſt, ſed in id tendens, vt Viſitator non habeat laboris præmium, quod reipſa non meretur. In eo ergo caſu theſaurus ex integro Regi cedet, ſic lege diſponente. Licèt enim leges Cæſareæ circa inuenientes fortuitò valdè fauorabiles inueniantur, in Hiſpaniâ illæ locum non habent, & multò minùs in Indiis, quæ magis peculiaribus legibus gubernantur.

Viſitatores Eccleſiaſticos in theſauris nullam habere partem, niſi inueniant ipſi ex induſtria.

66 Sextò. Ordinatio illa generaliter loquitur de omni auro, argento &c. Vnde quæſtio oritur quæ pro Indiis videtur ſpecialiter agitanda, in quibus Indi cum diabolo ſolent frequens habere colloquium; vnde & contingere poteſt diuitias aliquas occultas eiſdem detegere, & eos forſitan Europæis. An ſcilicet tunc in iis, qui modum inuentionis norunt, & fortè in eo, quod tamen rarum erit, partem aliquam habuerunt, poſſint quod inuentum eſt, tutâ conſcientiâ retinere. In quo quidem eſt ſententiarum varietas. Plures enim affirmant, ex quibus ſunt Nauarrus in Manuali *Cap.* 17. *n.* 176. Gutierrez *de Tutelis* 3. *p. cap.* 26. *& Lib.* 4. *p.* 1. *q.* 36. Megala *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 4. *q.* 2. *n.* 14. Villalobos *Tomo* 2. *Tract.* 10. *diffic.* 20. *n.* 7. Malderus *de Iuſtitia Tract.* 1. *cap.* 7. *dub.* 1. Ioannes Viggers *de Iuſtitia, tract.* 1. *cap.* 4. *dub.* 8. Trullench in Decalogum *Tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 2. *dub.* 8. *n.* 10. Diana *Tractat.* 5. *citato, Reſolut.* 23. Bonacina *Diſput.* 1. *de Reſtitutione, Quæſt.* 1. *Puncto* 6. *num.* 8. Cardinalis Lugo *Diſput.* 6. *num.* 131. P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 5. *num.* 65. P. Filliucius *Tomo* 2. *Tractat.* 31. *num.*

Theſauros arte Diaboli acquiſitos poſſe retineri tutâ conſcientiâ qui affirmant.

Digitized by Google

num. 153. P. Vaſquez *Tractatu de Reſtitutione, cap.* 5. §. 4. *num.* 28. P. Rebellus *Parte* 1. *Lib.* 1. *quæſt.* 15. *num.* 14. P. Gaſpar Hurtadus *Diſput.* 1. *de Iure, Difficult.* 35. §. *Quartò eſt.* P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 266. §. *Quarta propoſitio*, & alij. Quorum ratio eſt; quia leges circa hoc diſponentes ſunt pœnales, vt videtur in *L. vnica. C. de theſauris, lib.* 10. & *L. Nemo C. de Maleficis & Mathemat.* Legem autem pœnalem ante judicis ſententiam non obligare, ſatis recepta ſententia eſt. Pro quâ, præter citatos alibi videri poteſt Gutierrez *Lib.* 2. *Canonicar. quæſt. cap.* 5. *n.* 14.

Eorum ratio.

Qui teneant oppoſitum.

67 Alij per oppoſitum ſentiunt, ex quibus Aluarus Valaſcus *de jure Emphit. Parte* 1. *Quæſt.* 5. *n.* 4. Amaya *in Codicem lib.* 10. *Tit.* 15. *n.* 18. apud quē Farinacius & Valenzuola. P. Molina *Diſp.* 56. *in principio*, quem ſequitur P. Turrianus 2. 2. *Tom.* 2. *Diſp.* 43. *Dub.* 2. *n.* 3. & alij: quorum ratio ex oppoſito fundamento procedit: quòd ſcilicet leges dictæ pœnales non ſint, ſed diſponentes ſub conditione, vt ſi videlicet aliquis modo dicto theſaurum inueniat, eius ſit vel totus, vel quoad partem: ſi autem maleficio, dominium non acquirat. Sed certè cùm in odium peccati ſit, non videtur negari poſſe pœnales eſſe, & explicationes, quę adhibentur, parùm ſolidæ comperiuntur. Et quidem ex præfato explicandi modo fieret nullam legem prohibentem aliquid ſub amiſſionis onere pœnalem eſſe; quia dici poteſt ſolùm eſſe conditionaliter diſponentem, & ita cum eâ non poſſe dominij acquiſitionem conſiſtere.

Eorū fundamentū.

Contra quod arguitur.

Duæ aliæ ſententiæ circa dominiū fundi innocentē, & earum fundamenta.

68 Eſt ergo prioris ſententiæ fundamentum quoad hoc innegabile: an autem omnino firmum, ſtatim dicemus; ſi priùs dicas, alias ſententias adiiciamus; Primam eorum, qui dicunt eum, in cuius fundo theſaurus inuenitur, ſi innocens ſit, non eſſe ſuâ parte fraudandum. Sic Diana *ſuprà in fine.* Bonacina, P. Hurtadus P. Leſſius *num.* 66. & alii. Secundam affirmantium debere fraudari, pro quâ P. Rebellus adducit Couarruuiam, Nauarrum, & Valaſcum, quos & ſequitur, licèt oppoſitum cenſeat non eſſe improbabile; cùm pœna ſuos auctores egredi non debeat. *L. Sancimus. C. de pœnis.* Quorum ratio eſt, quia ita leges abſolutè diſponunt. Et quidem etiam quando modo licito inuenitur theſaurus, potuerunt eum Fiſco penitus applicare, aut certè nullâ parte domino fundi applicatâ; & ita leges Hiſpaniæ diſponunt; ergo & in ſpeciali caſu dicto, cuius motiuum eſſe poteſt, ne quis maleficio locupletetur, ſiue proprio ſiue alieno, & occaſionem habeat gaudendi de illo; quod quidem in Fiſco non ita accidit, cùm Principes in odium maleficij pœnam ſtatuant *arte legibus odioſâ*, vt Imperator loquitur lege 1. *citatâ.* Addit P. Hurtadus non ſolùm partem innocenti tradendam poſt ſententiam, ſed etiam totum, ſi per induſtriam theſaurus ſit quæſitus. Quod non video quàm ſit aptè dictum; cùm enim per artem magicam ſit inuentus, manifeſtum eſt ex induſtriâ quæſitum; ergo ſemper applicandus totus, & non tantùm illius pars.

Additio P. Hurtadi refutata.

Aſſertio 1. opinionis prioris probabilitas, juxta quā in caſus

69 Dico igitur, ad præcipuam difficultatem reſpondendo. Primò opinionem priorem adeò eſſe grauium Doctorum auctoritate firmatam, vt in caſûs contingentia nullus videatur futurus, qui eam non amplectatur. Cùm enim ad onera iſta deuitanda opinio quæuis placeat, vbi ſcilicet pauci & minùs probati Doctores excuſant; quod fiet quando tot pro excuſatione militant, & bonâ ducuntur ratione? Hoc ergo conſtante, non videtur multùm de vlteriori diſcuſſione curandum.

contingentiā vix qui hæreat nullus.

Aſſertio 2. contrarium ſolidiori niti fundamento.

70 Dico ſecundò. Sententia contraria, licèt minùs auctoritatis habeat, ſolidiori poteſt fundamento probari. Nam vt demus leges eſſe pœnales, lex pœnalis obligare in conſcientiâ poteſt, quando pœna verſatur circa dominij impeditionem. Sic qui obtento Parochiali Beneficio, ſuâ culpâ intra annum non ordinatur ſacerdos, illud in conſcientiâ dimittere tenetur, ſicut & Epiſcopatum qui intra ſex menſes non conſecratur, nec facit fructus ſuos; qui non recitat diuinum Officium, fructuum etiam perceptione priuatur, ſicut & non reſidens, qui ratione Beneficij tenetur reſidere. Quas exceptiones, & alias opponunt Doctores, qui ſententiam de lege pœnali prædictam conſectantur, vt videri poteſt apud Bonacinam *Tomo* 2. *Diſput.* 1. *Quæſt.* 1. *Puncto* 7. §. 2. *num.* 9. 17. & *ſeqq.* vbi plures adducit Auctores, præſertim ex Societate. Tunc ſic. Leges de theſauris diabolico adminiculo repertis tractantes, ad hunc modum diſponunt: ergo ſtante obligatione in conſcientiâ legum huiuſmodi, ex eo quòd pœna in illis extet non deſinunt obligare. Antecedens conſtat ex earum tenore. *Nam leg. vnicâ Tit.* 15. *C. de theſauris, Lib.* 10. ita loquitur Leo Imperator: *nam in ſuis quidem locis vnicuique, dummodo ſine ſceleratis & puniendis ſacrificijs, aut aliâ qualibet arte legibus odioſâ, theſaurum (id eſt, condita ab ignotis dominis tempore vetuſtiore mobilia) quærere, & inuento vti liberam tribuimus facultatem.* Sic ille. Vbi manifeſtè, vt frui theſauro quis poſſit, conditio decentis inquiſitionis apponitur. Dictio enim *Dummodò* conditionem importat, quando apponitur vt diſpoſitio vim habere incipiat, & non faciendum aliquid tantùm indicat poſt diſpoſitionem completam. Pro quo videndus P. Molina *Diſput.* 208. §. *Iuxta* & *ſeqq.* Quod in caſu noſtro videre eſt, vbi diſpoſitio legis non verſatur circa aliquod poſt completam diſpoſitionem faciendum, vt in exemplis ab eodem Patre adductis, ſed circa diſpoſitionem ipſam, vt vim habere incipiat, quòd ſcilicet inquiſitione ſacrilega, & arte legibus odioſâ non quæratur, vnde per inquiſitionem non odioſam nec ſacrilegam vim habere incipit. Licèt autem Marius Antoninus *Lib.* 1. *Variarum Reſolutionum Reſolut.* 88. *num.* 5. dicat cum Rotâ dictionem *Dummodò* modum importare; id ita intelligendum vt ex P. Molina, & aliis dictum, quando ſcilicet diſponitur aliquid faciendum poſt completam diſpoſitionem, vt in caſu ab eodem Mario adducto donationis à patre factæ filio primæ tonſuræ, vt adueniente ætate legitimâ poſſet ad ſacros Ordines promoueri. Eſt ergo non obſcura præfatæ legis mens: neque alia eſt legis alterius, de quâ *ſuprà.*

Lex Imperatoria dominij prohibens trāſlationem.

Dictio Dummodò quam vim habeat.

71 Et hæc quidem juxta jus commune, cui in Hiſpaniâ ſtatur, quando aliquid per leges ſpeciales ſtatutum non inuenitur. Licèt autem caſus præſens non inueniatur in particulari deciſus, ex generali diſpoſitione colligitur, juxta quam theſauri applicantur Fiſco, quintâ parte inuentori deſignatâ, vt communiter Hiſpani teſtantur

Quid pro Hiſpaniâ ſpecialiter.

Digitized by Google

Auctores. Quatuor ergo partes habebit fiſcus, quomodocumque theſaurus inueniatur: an autem quintam in caſu, de quo loquimur, ex nullâ lege habetur: Nam citata ex iure Cæſareo, de toto theſauro loquitur, quem quis ſuis in locis inuenit, vt iam vidimus: nec vult inuentorem habere illum; licet ratio deciſionis ad partes etiam videatur extendi, ſicut ad inuenientem in locis alienis, vbi potior eſt ratio. Sed cùm pœnalis ſit, non ita admittetur ab omnibus extenſio: vnde ſententia dicentium leges iſtas non obligare in conſcientiâ ad reſtitutionem, in Hiſpaniâ præſertim locum habebunt. Pro Indiis autem, de quibus præcipuè agimus

Aſſertio 3. Quid pro Indijs circa medietatem.

72 Dico tertiò. Dimidia pars, quæ in Indiis inuentori theſauri conceditur, poteſt ab eo retineri, etiamſi diabolicis illam artibus compararit. Conſtat in primis ex probabilitate ſententiæ ſic generaliter affirmantis. Deinde ex nuper dictis, quia non habemus legem, ex cuius verbis deduci queat dominij acquiſitionem impediri, cùm nulla inueniatur pro Indiis circa caſum, de quo loquimur. Lex autem iuris communis in alio procedit, & licet valde probabile ſit ob rationis identitatem extendi poſſe; quia tamen communiſſima ſententia contrarium tenet, pro quâ videri poteſt Bonacina *Tomo* 2. *Diſp.* 1. *Quæſt.* 1. *Puncto* 8. *num.* 23. vbi alios adducit: ideò illa ſecurè poteſt ſuſtineri: præſertim cùm non ſit ratio omnino eadem in toto, & in parte. Et vbi ſimilitudo quomodolibet deficit, non valet argumentum à ſimili, etiamſi diſſimilitudo parua ſit, ex adductis à Marco Antonino *ſuprà Reſolut.* 39. *num.* 34. vbi ex Menochio, quod argumentum à ſimili eſt leue & infirmum. Fauet id, quod habet P. Azor *Tomo* 3. *Lib.* 1. *Cap.* 13. in fine, vbi quæſtionem tractans, & duas ſententias contrarias adducens, ſic concludit; *At nunc in Caſtella eſt vſu receptum vt theſauri vbicumque inueniantur, ad Principem, vel Rempublicam pertineant, & inuentoribus quædam pars aſſignetur l.* 1. *tit.* 13. *lib.* 6. *nouæ Collectionis.* Sic ille. Iuxta quam in caſu, de quo erat ſermo, inuentionis ſcilicet per artem Magicam, non derogatur inuentori pars, vt ſcilicet in foro conſcientiæ poſſit eam retinere. De quibus hæc ſatis.

Argumentum à ſimili leue & infirmum.

P. Azor.

Pro inuentione Theſauri in domo Gentilitia, vulgò Solariega *vide Thomam Hurtadum* Tract. 8. n. 402. & 403.

CAPVT X.

De margaritis, pretioſis lapidibus, & quibuſdam aliis.

Ex gemmis nihil deberi, quæ videantur oſtendere, quia ſunt primò occupantis.

73 EX margaritis, & gemmis aliis quinta pars Regi debetur per leges, de quibus Dom. Solorzanus in Politicâ *pag.* 952. *T de derecho.* Vbi quæſtio ſimilis agitatæ dudum occurrit, an ſcilicet lex talis in conſcientiâ obliget; in quâ ad negandum maius eſt quàm in metallis fundamentũ, quia plures ſunt qui negent res iſtas ad Regalia pertinere, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *ſuprà pag.* 951. §. *Pero viniendo*; quod & tenet P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 264. *in fine*, vbi ait conſtare ex Inſtitutâ de rerum diuiſione §. *Item lapilli*, eſſe primò occupantis, vnde eas non cenſet inter Regalia computandas. Sic etiam P. Mendus in *Bullam Cruciatæ Diſput.* 83. *num.* 8. Pro quo & eſt doctrina D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 66. *artic.* 5. *ad* 2. vbi ita ſcribit: *Quædam ſunt, quæ numquàm fuerunt in bonis alicuius, ſicut lapilli, & gemmæ, quæ inueniuntur in littore maris; & talia occupanti conceduntur.* Sic ille. Qui licet ſtatim addat eamdem rationem eſſe de theſauris; ſubiungit tamen ſic: *niſi quòd ſecundùm leges ciuiles tenetur inuentor dare medietatem domino agri, ſi in alieno agro inuenerit.* Hæc Doctor ſanctus, ex quibus apparet differentia inter margaritas, lapillos, & theſauros; quia de iſtis leges ſunt, non de illis, pro medietate, aut parte aliâ Principibus tribuendâ, ſi ergo lex etiam pro illis extet, non ita æquitati conformis ſicut illa, debet reputari. Licet P. Turrianus 2. 2. *Tomo* 2. *Diſp.* 42. *n.* 9. illam probet.

D. Thomas.

Pro quinta partis obligatione quid faciat. Vbi quòd decimæ huiuſmodi à Regibus reſeruatæ.

74 Sed eſt quod pro Regibus noſtris faciat; nam illi, cùm decimas ſibi à Pontifice conceſſas in Eccleſias refuderunt, decimas margaritarum, & gemmarum ſibi reſeruarunt; vt conſtat ex Antonio de Herrera in *Hiſtoria generali Indiarum Decade* 1. *Lib.* 6. *Cap.* 19. Ergo ſaltem ex illis decima reddenda pars in foro conſcientiæ. Quòd verò ex prædictis decimæ exigi poſſint, conſtat ex dictis *num.* 46. & quod ad margaritas attinet, ex *Cap. Peruenit*, de decimis, vbi ſpecialiter exprimuntur *Piſcariæ*, margaritas autem piſcatione colligi manifeſtum eſt; vnde in Indiâ Orientali celebris ille tractus, in quo illæ conquiruntur, *Piſcariâ* dicitur. De lapidibus autem pretioſis eadem eſt ratio, quæ de metallis, pro quibus videri poteſt P. Suarez *Tomo* 1. *de Religione Lib.* 1. *de diuino cultu. Cap.* 34. *num.* 3. & 6. & P. Tancredi *citato num. adductus.*

Quæ & ex metallis debentur.

Obiectioni ex eo quòd quinta & non decima exigatur, ſatisfactum.

75 Vbi illud tantùm videtur dici poſſe, quòd etſi Reges noſtri prædictas decimas ſibi reſeruarunt, id fuit quoad habitum, non quoad actum; id eſt, reſeruaſſe ſibi poteſtatem eas exigendi, de facto autem non conſtare de huiuſmodi exactione ex vi priuilegij: nam ſi ita eſſet, non quintam partem exigerent, ſed duplo maiorem; & ita cùm illam exigant, alio videntur iure vti; & ſic non adeò ſtrictam obligationem incumbere ad illius præſtationem. Quæ reſponſio negari nequit quin ſuam habeat veriſimilitudinem, vnde nequit euidenter impugnari. Nihilominùs non videtur credibile ita ſeriò & conſtanter hoc ſibi reſeruaſſe ius, quo tamen numquam vſi fuerunt vel ipſi, vel eorum poſteri. Prætereà. Non dixerunt ius ſibi reſeruare, ſed decimas: ergo earum exactio in vſu eſt: atqui non alia apparet, niſi dicta, quatenus ſcilicet decimæ in quintâ parte includuntur; ergo in foro illæ conſcientiæ debentur.

De repertis cum cadaueribus eadem ratio quæ de theſauris.

76 Quia nonnumquàm accidit vt intra Indorum cadauera ex veteri ritu pretioſa aliqua inuenirentur, Regio eſt reſcripto cautum vt ea Fiſco ſeu Cameræ applicentur, inuentoribus dimidiâ parte deſignatâ. Quod an in conſcientia obligat dubitari poteſt. Sed certè de illis eadem videtur eſſe ratio, quæ de theſauris; quod enim in terra ipſa, aut intra mortuorum corpora, diuitiæ aſſeruatæ ſint, minimi diſcriminis eſt ad propoſitum, ſicut ſi in arcâ, aut extra illam, condita fuiſſent.

Pro Salinis quid in Indijs practicandum.

77 Circa Salinas in Indiis multa ſunt diſpoſita, dum illæ Regio fiſco addicuntur; ſed exitu ferè inutili, & non modico Indorum grauamine

Digitized by Google

ne ſubſecuto: de quo agit Dom. Solorzanus in Politicâ *Lib. 6. Cap.* 3. ſtante quidem lege tali, quæ tamen Peruuio abrogata eſt,aut ei pro tempore ſuperſedere præceptum; non deberet peccati mortalis damnari, qui ex ſalinis eam ſalis quãtitatem tolleret, quam ad proprium vſum haberet neceſſariam: eſſet enim nimis durum id lege rigidâ prohiberi, vbi ſalis abundantia eximia copiam ſui facere omnibus videtur indigenis, pro quorum vtilitate à Deo eſt liberali exhibitione tributa:& vt hic aliquid ſpeciale adiiciam,dignum equidem quòd inter illa recenſeatur, quorum Dom Solorzanus *ſuprà* luculentam intulit mentionem. Iuxta oppidum *Acos* Cuſcenſis diœceſis, vidi montem altitudinis non exiguæ, ex cuius medio cliuo aqua ſalſa abundanter erumpit; quæ ad complures tumulos, menſarum inſtar, limpidiſſimis lapidibus ſuperimperitis artificiosè deducta, in candidiſſimum breui ſalem efformatur. Et eſt profectò mirabile, ad radices montis fluuium ſatis celebrem, quem Incolæ *Apuerimas* indigitant, dulcis aquæ decurrere; vt non appareat quomodo in propinquo monte perennis ille ſalſarum aquarum fluxus conſiſtere poſſit. Hinc ergo Indigenis nefas ſit ſumere, quod vſui neceſſarium habent, aut ex quo lucellum aliquod comparare queant? Aut non liceat omnibus eò accedentibus, quod indigenis fas eſt, vbi Deus mirabili illâ copiâ, & naturæ miraculo, videtur omnes ad vſum cum Auctoris prouidentiſſimi laude prouocare?

Mirabile ſalis profluuium.

CAPVT XI.

De Argento viuo, & quæ in illius emolumentis conſcientiæ nocumenta poſſint admiſceri.

Indorum in effuſione argenti viui labor quantùm fidei receptioni officiat, recenti narratione monſtratum.

78 DE illo dictum à nobis *Titulo* 1. *Cap.*12. quatenus in ipſius extractione Indi plus videntur grauari, quàm iuſtitia, & Chriſtiana charitas patiantur. Et *n.* quidẽ 116. narrationem adiecimus, ex quâ compertum habetur quàm hoc grauamen fidei eorumdem officiat,cui & aliam recentiſſimã hîc iuuat adnectere, vt appareat quantùm oporteat oneris huius lethale impedimentum quantocyus, iuxta Regis noſtri pollicitationem piiſſimam, amouere. Ante paucos menſes in oppido Totorhuailas Cuſcenſis diœceſis, cuius incolæ Huancabelicenſi torturæ per vices addicuntur; cùm viderent profectionis tempus iam propinquum, ſic agentibus quibuſdam, in hunc modum diſcurrerunt. Deus Chriſtianorum parùm nobis propitius eſt, qui ab hoc nos grauamine non curat liberare. Ad Huacas ergo noſtros, & propitiora Numina recurramus. Dictum factum. Conuocantur omnes, & vt vnuſquiſque aliquid ex iis, quæ offerre in ſacrificiis ſoliti, afferat, commonentur. Cùm ergo ſic fuiſſet animitus deſtinatum, ex indigenis quidã rem deteſtatus,quia fides Chriſtiana in illo firmiores egerat radices, duobus ex Societate noſtra Patribus,qui eò deuenerant, Prouinciam totam per Miſſiones vtiliſſimas obeuntibus,quidquid erat deſtinatum aperuit, vt remedium opportuuum adhiberent. Quod &, Deo fauente, præſtitum, ſed non ſine ingenti difficultate:adeò illorùm corda pro horrore intolerandæ moleſtiæ longè à fidei caſtris exularant. Et hoc quidem quod in oppido iſto deprehenſum, in alijs accidere grauamini iſti deſignatis ſatis eſt veroſimile, vbi & ratio eſt eadem, & Indorum indoles nõn diuerſa. Videant ergo ij, ad quos maximè ſpectat prouidiſſe, vt de remedio efficaciter adhibendo prouideatur: ni velimus Deum rebus noſtris inſenſiſſimum experiri. Dicat, dicat tandem Piiſſimus,& Religioſiſſimus Princeps, quod aliàs Deus Regis Vatis voce *Pſalm.* 11. *verſ.* 6. *Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum,nunc exurgam.* Nunc equidem, nunc quoties auditum hoc *Nunc*: ſed protenſum adeò, vt *Nunc* æternitatis eſſe videatur. Nec moueat quod de nouo opere, quo labor ſublatus operariis, nimium quantum D. Gaſpar Eſcalona commemorat in *Gazophylacio Peruuiano Lib.* 1.*Parte* 1.*Cap.*14. 44. & 45. Totum enim opus illud ſuo eſt fine fruſtratum, metalli venâ præcipuâ diſparente. Quod tamen nuper repertum eſt; licet minùs moleſtiæ habeat; habet tamen non leues, & eſt illud de duratione ſuſpectum; vt Scripturæ verbis vti liceat. *Erat ergo videre miſeriam.* 2. *Matth.* 6. 29.

Pſalm. 11. v. 6.

Parum illo nouo opere tenuatus.

79 Licet autem Mineræ aliæ inferioris notæ Regiæ Coronæ adiudicatæ non ſint; quæ tamen argenti viui ſunt adeò iudicantur pretioſæ, vtpotè ſine quibus auri & argenti copia non ſuppetat, vt cum auriferis & argentariis veniant numerandæ. Immò præ illis æſtimatio increuit, nam cùm aliæ priuatis dentur, cum onere quintariæ præſtationis, & qui eas poſſident, dicantur Minarum domini; hydrargyriæ in Regiâ poteſtate retinentur. Et priuatis adminiſtratio ſola committitur, quibus duo onera imponuntur quaſi vſufructuariis, qui quod colligunt, faciunt ſuum. Primum, vt quintum Regi ſoluant. Secundum, vt quidquid extraxerint, eidem vendant, taxato pretio grauiſſimis pœnis impoſitis vendentibus, & ementibus contra Regiam prohibitionem. Vnde ad ſolum Regium ſpectat arbitrium, Supremis Gubernatoribus commiſſum, illud pro diuerſis Minerarum elaborationibus diſpartiri. Nullum autem ex hoc commercio Fiſco ſpeciale emolumentum accreſcit, quia ſicut emitur, ita & venditur, additis comportationis expenſis; quia vnicuique vbi illi eſt opus tribuitur Regiis ſumptibus exportatum. Emolumentum tamen magnum ducitur Minerarios hoc ſingulari & mirabili naturæ adminiculo iuuare, vt ſic vberiores theſauri in Regium Fiſcum inducantur.

Minera prædicta in Regia conſeruata.

Sed dantur cum duplici onere in adminiſtrationem.

80 Vbi circa Primum eſſe difficultas poteſt,quia vt teſtatur Dom. Solorzanus *ſuprà* §. *Y tambien pag.* 942. non extat reſcriptum aliquod Regium, quo Minerariis dictis onus quinti ſoluendi impoſitum reperiatur, quando Mineræ in Regio dominio conſeruantur,licet extet quando in priuatos dominos transferuntur, aut nouis inuentoribus pro tempore aliquo per modum vſusfructus cedunt vt præmium induſtriæ, de quo D. Eſcalona in *Gazophylacio Parte* 2. *pag.* 101. *num.* 2. Sed ad hoc fieri ſatis poteſt, Primò quia Rex ipſe auctor legis de quinto ſoluendo generaliter ex Mineris iſtis, ſic ſuam legem interpretatus

Quinti obligatio vnde fundari queat.

Digitized by Google

tatus eſt, vt etiam ex illis in adminiſtrationem datis hoc debeat intelligi; & interpretationem iſtam vſus ipſe confirmat. Deinde. Quia cùm Mineræ iſtæ Regis ſint, aliquod ſpeciale emolumentum habere debet ex illis: cumque ex commercio emptionis & venditionis nullum habeat, vt diximus; ſatis eſt conueniens vt illud ex quinto accepto conſequatur. Prætereà. Ad omnem difficultatem tollendam præcedit contractus ſub eâ conditione; cumque de pretij inæqualitate non ſit ratio dubitandi, & illud tum quinto, tum ceteris partibus debitâ proportione reſpondeat in venditione, nulla videtur in eo iniuſtitia committi. Quod à Dom. Solorzano *ſuperiùs* obſeruatum, ſed debuit ampliùs explicari. Nam aut quintum abſolutè debetur, aut non, ſi primum: ergo non erat neceſſarium id in contractum deduci. Si autem ſecundum, & alioqui centilibris (vulgo *Quintal*) iuſto non accipitur pretio, cùm pro eâ nihil detur, videtur in eo iniuſtitiæ labes admiſceri. Vt ergo hæc penitus propulſetur, dici poteſt quintum quidem ſolui vt Regium dominium agnoſcatur: nec tamen gratis accipi, ſed pretio dato; quia ſcilicet pretium taxatum tale eſt, vt ad illud poſſit extendi. Si aliunde conſideretur Indos Minerariis ad huiuſmodi opificium tribui ſub moderatæ ſatis mercedis onere, qui ſi voluntarij accederent, maius laboris ſui pretium reportarent.

Clarius eiuſdem fundamentum. ex contractu.

81 Ex quo ſequitur Minerarios teneri in foro animæ ad contractûs impletionem; quia hic non occurrunt rationes illæ, quæ in Mineris aliis, vt poſſit obligatio ſoluendi ceſſare: quandoquidem Mineræ in adminiſtrationem dantur, quarum inuentores non ſunt adminiſtratores ipſi; ſi enim ſint, nullum eſt diſcrimen. Hac autem ratione non extante, obligatio eadem reſultat ad ſtandum contractui, quæ in priuatorum contractu reſultaret: ſi videlicet Minera alicuius eſſet priuati, & alteri in adminiſtrationem traderetur. Eſt autem contractus innominatus, Do vt des; vel, Do vt facias: aut potius, Do & facio, vt des & facias. Nam & Rex Mineram tradit, & Indos diſtribuit, ſuiſque deſignatis temporibus etiam pecunias confert, vt Minerarij poſſint magno illo in labore progredi; qui ad laborandum, ſoluendum quintum, & vendendum Regi quidquid extraxerint, obligantur. Sed certè ſi ex parte Regis pacta non exactè ſeruentur, obligatio iſta minuitur: ſi videlicet aut Indi deſint aut pecuniæ ſuis non tribuantur temporibus, vt ſæpè accidit: vnde cùm hæc ſcribo magna illis ſumma pecuniæ debetur. Quomodo enim poſſint illi ſingulis hebdomadis mercedem Indiis operariis reddere, ſi Rex in eâ negandâ perſeueret? An ſua omnia, & ſe ipſos vendent, ne mercenarij ſuo labore fruſtentur? Si ergo occultè metallum vendant, erit qui condemnet nemo, ex communi Doctorum ſenſu: quoniam pactum tacitam illam ſemper habet conditionem. *Modo tu illi ſtes.* Pro quo P. Molina *Diſput.* 111. §. *Quod verò.* Vnde rarò in contractibus, qui cum Rege ineuntur, Officialium aut impotentiâ aut culpâ, fides integrè ſeruari poteſt. Vt enim eſt apud P. Leſſium *Lib.* 2. *Cap.* 23. *num.* 58. §. *Secundò, hunc*, in contractibus cum Regibus magna ſunt pericula, ſoluunt enim illi quando volunt, & facilè antiquos contractus reuocant, ſi per eos læſi videantur. Et in hoc quidem graue non eſt Regij patrimonij diſpendium: cùm enim id, quod ex venditione metalli colligunt in Mineræ adminiſtratione conſumant, plus equidem eſt quod lucratur Rex, quàm id, quod amittit, nimium quantum adminiſtratione ceſſante perditurus: laturuſque moleſtiſſimè ſi Indis laboris pretium retardetur.

Minerarios in foro animæ teneri ad illius impletionem.

Quod genus contractus ſit.

Si ex parte Regis illi non ſtatur, ceſſat obligatio Minerariorum. Ex quo illatio.

82 Circa ſecundum autem; obligationem ſcilicet vendendi Regi quidquid extractû fuerit, eſſe etiam dubitatio poteſt. Nam contractus emptionis & venditionis debet eſſe liber, & nemo contrahentium inuitus. *L. Inuitus & L. Nec emere. C. de contrahenda empt.* Et ita communiter tradunt Scriptores. Non ergo obligatio vendendi Minerariis imponi poteſt. Præterquam quòd pretium metalli iuſtum videtur illud, quod eſt à Rege taxatum, vnde propter illud traditur Minerariis argentariis. Tunc vltra. Grauamen illud vendendi neceſſariò Regi eſt pretio æſtimabile: vnde vendens cum pacto retrò vendendi, minori debet pretio vendere propter grauamen: vt eſt receptiſſima doctrina, pro quâ videri poteſt P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 21. *Dub.* 14. *præſertim num.* 117. Bonacina *Tomo* 2. *Diſputat.* 3. *de Contractibus Quæſt.* 2. *Puncto* 3. *num.* 2. *&* 6. & alij citati ab ipſo. Ex quo ſequitur plus aliquid vltra pretium taxatum eſſe reddendum, quo ſcilicet grauamen huiuſmodi compenſatur.

Venditio Regi facienda quomodo iuſta, ſi non libera quod vrgetur.

83 Ad hæc dici poteſt grauamen venditionis non eſſe contra leges, quia & lex extat, quæ Regum prærogatiuam in rebus iſtis edicat. Scilicet *L.* 1. *C. de Metallariis*: poſſunt enim venditores cogere vt ſibi vendant iuſto pretio quæ neceſſaria habent, & ita Doctores tradunt, quos adducit Dom. Solorzanus *Lib.* 5. *num.* 33. & in Politicâ *pag.* 942. ad marginem §. *La qual condicion.* Quod ſi omnia, quæ venditor poteſt vendere, neceſſaria habeat, ad omnium poteſt compellere venditionem: ratio enim quæ pro quibuſdam militat, pro omnibus conſtat militare: & quando publica vtilitas vertitur, compelli poſſe, ex iure habetur. *L. Si locus.* §. *vltimo. D. Quemadmodum ſeruitutes.* Pro quo Doctores congerit Bonacina *ſuprà Puncto* 3. *numer.* 28. Vide etiam P. Fagundez Lib. 5. de Iuſtitia Cap. 28. & Pater Palaum *Diſp.* 5. *Puncto* 19. vbi & exempla adducit, ex quibus nullum ita publicam vtilitatem concernit, ac illud, de quo agimus; cùm illa ad totum Chriſtianum orbem extendatur. Vnde Philippus Tertius venerandæ memoriæ Princeps in epiſtolâ *Ann.* 1618. ad Principem Squilacenſem Peruuianum Proregem ſic poſt alia: *Os agra dezco el cuydado, que aueis pueſto en ello.* (in Minera inquam Huancauelicenſi) *encaminando y acudiendo el reparo de eſtas Minas, y os encargo lo proſigais, pues faltando ellas, ceſſarian los labores de los metales de donde reſulta la proſperidad y riqueza de eſſos Reynos, y eſtos.* Sic ille apud Dom. Solorzanum *ſuprà pag.* 941. Hinc cùm Doctores de inualiditate contractûs agunt ob illatam vim, addunt, *Si iniuſtè inferatur*, vt videri poteſt apud P. Dicaſtillum *Lib.* 2. *de Contractib. Tract.* 3. *Diſp.* 1. *Dub.* 17. & P. Eſcobarde Mundiza *Tomo* 1. *Lib.* 10. *Cap.* 20. Pretium ergo à Rege taxatum haberi debet iuſtum etiam pro

Non fieri ſatis ex Regum prærogatiua circa venditionem.

graua-

Digitized by Google

grauamine venditionis: ad iuſtitiam enim in rebus huiuſmodi obſeruandam maximè illi attenti ſunt. Vnde cùm ante annos aliquot pretium Quintalis metalli huius eſſet quadraginta Octiregalium, vt de ſuæ gubernationis tempore teſtatur Dom. Solorzanus *citatâ pag.* 941. §. *Otras muchas*; modò ad ſexaginta accreuit, quia & expenſæ metallariorum excreuerunt. De quibus multa congerit D. Gaſpar de Eſcalona *in Gazophylatio Latino Lib.* 1. *Cap.* 14. Sed quia illa ad conſcientiæ negotium non ſpectant, vel ſi quidquam in illis tale, alterius eſt conſiderationis, de quâ inferiùs iuuante Deo, nihil de illis diſſerendum.

Monitio vtilis ne leges circa commercium in hoc genere in contemptum veniant, Regijs etiã Miniſtris annuentibus.

84 Illud tamen non grauabor adiicere, quod vtinam momenti ſit alicuius, ſi ad hoc ſit qui velit animum remedij cupidum, & pro eodem validum, applicare. Leges ſeueriſſimæ metalli huius commercium inter priuatos prohibentes vim ſuam omnem, Regiis Officialibus, & Gubernatoribus ipſis annuentibus, amiſerunt. Cùm enim pecuniæ ex contractu ſuis temporibus tribuendæ à Rege deſint, vt diximus; ipſi Regij Miniſtri, ne opificium cum ingenti boni publici diſpendio deficiat, commercio tali conniuent, non ſolâ diſſimulatione, ſed notitiâ auctoritatem miniſtrante. Afferuntur à Minerariis Centilibræ metalli viginti. E. g. Regiis promptuariis inferendæ. Rogat tunc Gubernator, Officialibus adſtantibus, quot ex illis ſuo ſint nomine recipiendæ? Et reſpondet Minerarius, quatuor: aliæ enim ad alios pertinent, quibus ab ipſo venditæ: & quia eorum nomine inferri nequeunt, quia ex Minerariorum gremio non ſunt, offeruntur aliquorum ex gremio nomina, & ſic receptio conſummatur. Cùm etiam contingat vt Minerarij pecunias non habeant ad vrgendum opus, & ſubſidium hebdomadarium Indis tribuendum, Miniſtri prædicti interceſſores accedunt, vt mercatores pecunias tribuant, metallum minori pro tertiâ parte pretio certis temporibus accepturi. Quæ quidem iure ſe facere exiſtimant, & obſequium in eo præſtare Regi, quia aliàs opus momenti tanti minimè progredietur. Ad hunc ergo Regiarum legum contemptum violatio Fidei debitæ contractui compellit. Vbi quidem Gubernatorum conſcientia non poteſt non nimoperè grauari, ſi poſſint, diligentia adhibita, pecuniarum exhibitione ſuccurrere: nam ex eo fit & Regium Fiſcum metalli huius Quinto, dum diſtrahitur occultè, fraudari, & Minerarios magnam facere bonorum iacturam, dum metallum vendere pretio minori coguntur, & aliquando ſummo emere, vt creditoribus tradant tempore præſtituto; quia proprio carent; aut in pecuniâ ſoluere. De cuius contractûs iuſtificatione agendum alibi. Vide *Titulo.* 9. *cap.* 5.

Praxis circa illud.

Gubernatorum grauata conſcientia.

CAPVT XII.

De bonis vacantibus, & iis, quæ ab inteſtatis relinquuntur.

§. I.

Quæ circa hoc leges, & qualiter obligent.

Vacantia bona quæ dicantur.

85 VAcantia bona, generaliter acceptâ voce, dicuntur, quæ in Hiſpaniâ *Moſtrencas* & ſunt illa, quæ aut dominum non habuerunt, aut ſi habuerunt penitus ignoratur poſt diligentem inquiſitionem: vel etiam ſi agnoſcatur, ad illum tamen non pertinent, quia ea penitus dereliquit: vt accidit cùm quis in itinere reliquit aliqua, quæ ſecum ferre non poteſt ob infortunium aliquod, vel aliâ ex cauſſâ. Et hæc omnia ad Regium Fiſcum in Indiis pertinere, ex pluribus Regiis reſcriptis habetur, quæ adducit Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 25. *num.* 38. & in Politicâ *Lib.* 6. *Cap.* 6. Poſſe autem id jure fieri Auctores communiter dicunt, ex quibus videri poſſunt Couarruuias in *Regula Peccatum, Parte* 3. §. 1. *verſ. De legibus.* Petrus Nauarra *Lib.* 4. *Cap.* 2. *num.* 57. Bonacina *Tomo* 2. *Diſput.* 1. *de Reſtit. Quæſt.* 3. *Puncto* 4. *num.* 9. *&* *Puncto* 5. *num.* 22. P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 14. *n.* 3. *&* 45. P. Rebellus *Lib.* 2. *Quæſt.* 12. *in fine.* P. Gaſpar Hurtadus *Diſp.* 2. *de Iuſtitiâ & Iure Difficult.* 36. *in fine.* P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 263. §. *Chaſſanæus*: vbi alios adducit. Sed dubitari poteſt an in conſcientiâ obligent leges dictæ.

In Indijs ad Regem pertinere; & jure id fieri potuiſſe.

86 Circa quod ſunt qui negent dicentes eum, qui aliquid inuenit, teneri illud tradere Fiſco poſt condemnationem, ſed non antea. Sic Petrus Nauarra *ſuprà.* P. Sà *V. Theſaurus*: quod & videtur probare P. Hurtadus *loco citato* referens, nec contradicens. Cardinalis Lugo *Diſput.* 6. *de Iuſtitiâ num.* 152. affirmat multos eſſe qui dicant non eſſe vſu receptas cum obligatione. Et ipſe ait conſideranda eſſe verba & conſuetudinem. Vbi aliquis fortè addat etiam poſt condemnationem, ſi occultare poſſit, eò quòd leges tales juri gentium videantur derogare, juxta quod ad inuentorem pertinent, cùm nullius ſint aut facto aut jure. Alij obligare in conſcientiâ ſentiunt, quia bona iſta domino carent, & ita ad publicam poteſtatem ſpectat de illis diſponere: vnde qui per applicationem jus accipit, nequit ſine iniuria illis priuari; & ita neque Fiſcus, cui poſſunt propter vtilitatem publicam applicari. Sic plures, qui generaliter de legibus circa bona diſponentibus id affirmant, eò quòd dominia rerum maximè ex legum diſpoſitione proueniant, vt diximus *num.* 44. & in ſpeciali Bonacina, P. Rebellus, P. Fragoſus *ſuprà.* Aliter nonnulli, qui cenſent leges non eſſe æquitati conformes, quando ita applicant bona, vt domino eorum comparente, non ſint illi reſtituenda, niſi de illis ſint, quæ pro derelicto habentur. Ita Couarruuias §. illo, *De legibus.* Quod & colligitur ex eorum ſententiâ, qui dicunt, factâ compoſitione incertorum bonorum per Pontificem, ſemper remanere obligationem

Sententia negantium leges circa illa in conſcientiâ obligare.

Oppoſitum tenentes, & eorum fundamentum.

Aliquorũ ſentiendi modus.

Digitized by Google

nem reſtituendi domino comparenti; quia Pontifex nequit præiudicare juri priuatorum. Sic Corduba, P. Molina, P. Turrianus, Villalobos, & Emmanuel Rodriguez, quos adducit Cardinalis Lugo *Diſput.* 21. *num.* 97. Caietanus, Sotus, & Ludouicus Lopez apud Villalobos, quod & cum aliis tenet P. Dicaſtillus *Lib.* 2. *Tractat.* 2. *Diſput.* 9. *num.* 396. Cùm ergo Pontifex nequeat etiam circa opera pia, neque Principes laici id poſſe videntur, qui priuatorum juri præiudicare velle numquàm debent intelligi; cùm talis voluntas non ſit conformis æquitati.

Ex compoſitione per Bullam argumentum.

87 Dico Primò. Leges Indicæ non aliter obligant quoad forum conſcientiæ, quàm leges aliæ de rebus huiuſmodi ab Hiſpaniæ Regibus conditæ, & vſu comprobatæ. Id conſtat; quia non eſt vnde maior obligatio colligi queat, neque cur debeant Vaſalli in remotis hiſce regionibus degentes, fidelitatemque eximiam ſuis Regibus ſeruantes, ampliùs ceteris onerari. Quod quidem ex verbis primarii reſcripti, quod habetur *Tomo* 1. *pag.* 306. apertè conuincitur, ſic enim ibi: *Bien ſabeis como las coſas Moſtrencas, que acaece à ver con eſas Iſlas de que no ſe hallan à ellas dueños. Hechas las diligencias neceſſarias, que las leyes de nueſtros Reynos mandan, pertenecen à nueſtra Camara è Fiſco, è como tales, vos los nueſtros Oficiales las cobreis, è hareis cargo de ellas al nueſtro Teſorero. Por en de Yo vos mando &c.* Iuxta obligationem ergo, quâ in regnis Hiſpaniæ res iſta decurrit, Indicis eſt in partibus transfigenda.

Aſſertio 1. leges Indicas non plus obligare, quàm alia circa idem à Regibus Hiſpania condita.

Regij reſcripti verba, ex quibus probatio.

88 Hinc fit, ſatis probabile eſſe obligationem dictam ad animalia oberrantia ſolùm extendi, quæ perdiderunt domini, aut illum numquàm habuerunt, vt docent Nauarra, Salon, & P. Henriquez, quos adducit Dom. Solorzanus in Politicâ *pag.* 961. quod & videtur tenere P. Hurtadus *ſuprà*. Licèt autem P. Henriquez *Lib.* 7. *Cap.* 36. *num.* 5. ex quo eius citatur aſſertio, nihil apertè dicat, quod pro adductâ faciat poſitione, ſed tantùm aſſerat pecus perditum vocari Moſtrencum, de cuius applicatione per legem agit: Nauarra tamen *Lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 82. indubius affirmat leges prædictas apertè loqui non de inuento omni, ſed *de los Moſtrencos,* quæ ſunt animalia errantia & perdita, vt patet ex dictis legibus. Habet ergo ſententia dicta non leue fundamentum.

Probabile eſſe leges de animalibus tantùm errantibus loqui.

89 Dico ſecundò. Probabile eſt leges dictas in conſcientiâ non obligare. Probatur auctoritate ita ſentientium, & adductis adde Trullench *Tomo* 2. *lib.* 7. *cap.* 14. *dub.* 5. vbi & de Moſtrencis aſſerit, quidquid dicat Thomas Hurtadus *Tractat.* 8. *Reſolut.* 29. Deinde. Quia durum ſatis eſt, vt qui rem aliquam inuenit, & omnem moralem diligentiam adhibet ad dominum explorandum, in conſcientiâ debeat rem inuentam Fiſco tradere. Quæ regula pro aliis ſolet adhiberi: ergo ex eâ ſaltem elicitur probabilitas talis aſſertionis. Neque eſt idem de theſauris, & mineralibus, quod tamen & aliqui concedunt, vt vidimus; quia in illis magna pars inuentoribus tribuitur, quod in iis, de quibus agimus, ſecùs accidit.

Aſſertio 2. ſicut & in conſcientiâ non obligare.

§. II.

Quid circa obligationem diſtribuendi in opera pia.

90 Dico tertiò. Si quis dicta bona in Hiſpaniâ, & in Indiis diſtribuere velit pauperibus, tutâ id facere conſcientiâ poteſt. Sicut etſi in alia opera pia. Sic P. Henriquez *ſuprà*, & ſequitur ex *Aſſertione præcedenti*: id tamen expreſſiſſe iuuat, vt in hoc caſu maiorem probabilitatem, & conſcientiæ ſecuritatem adſtruamus.

Aſſertio 3. poſſe tutâ conſcientiâ in opera pia diſtribui.

Dices parùm emolumenti ex reſolutione poſitâ inuentori accreſcere, cùm obligatio ſit reſtituendi. Quid enim plus habet obligatio ad opera pia, quàm reſpectu Fiſci? Sed certè paruum diſcrimen non eſt; quia in ſubleuatione pauperum, & piis operibus exercendis, eximia voluptas eſt, cum auctario gratitudinis in beneficiariis, ſicut & ſpeciale meritum & ſuffragia pro domino rei deperditæ. Quod tamen reſpectu Fiſci non contingit, erga quem rarus erit qui piè afficiatur: vnde & formidabile eſt nomen confiſcationis.

Licèt ſit obligatio dicta, illam tamen inuentori eſſe proficuam.

91 Supponit autem reſponſio dicta, ſicut & & obiectio, receptiſſimam ſententiam de obligatione reſtituendi pauperibus res inuentas, aut in opera pia expendendi, de quâ P. Leſſius *Cap.* 4. *citato, Dub.* 7. apud quem alij. Bonacina *ſuprà, Puncto* 4. *num.* 4. plures adducens. Cardinalis Lugo *Diſput.* 6. *num.* 139. Licèt quadam vtatur diſtinctione, de quâ poſteà: & alij apud ipſum poſt D. Thomam 2.2. *quæſt.* 62. *art.* 5. *ad* 3. Sed certè licet valdè communis ſit, & P. Vaſquez *Tractatu de Reſtitutione cap.* 5. §. 4. *num.* 43. omnes pro eâ ſtare dicat Auctores, vno Soto excepto; plures alij ſunt cum Soto ſentientes, qui videri poſſunt apud citatum Cardinalem *ſuprà*, *num.* 138. vel qui ſaltem probabilem illius ſententiam arbitrentur: quam & ſequitur P. Hurtadus *ſuprà*, *Difficult.* 36. pro ſe aſſerens alios, in quibus ſunt P. Sà *V. Theſaurus.* P. Layman *Lib.* 2. *Tractat.* 1. *cap.* 5. Trullench *Tomo* 2. *lib.* 7. *cap.* 14. *dub.* 5. *num.* 3. Thomas Hurtadus *Tomo* 2. *Tractat.* 8. *Reſolut.* 28. vbi plures adducit. Videndus & Diana *Parte* 11. *Tractat.* 6. *Reſolut.* 48. vbi cum multis tenet debita incerta, ſi proueniant ex contractu juſto, aut ſi creditori ob diſtantiam nequeant reddi, poſſe retineri. Quod & circa inuenta proponit *Tractat.* 8. *Reſolut.* 12. vt probabile ex Patribus Dicaſtillo, & Mendo, quibus addendus P. Becanus *Quæſt.* 45. *de Reſtitutione.*

Eam adſtruit communis ſententia.

Sed ſunt qui negent non pauci; vel oppoſitâ cenſeant probabilē.

92 Cardinalis autem Lugo ſolitæ ſubtilitatis acumine duo diſtinguit rerum inuentarum genera: aliæ enim ſunt, quæ proculdubio dominum habent, vt veſtis, liber, gemma, &c. Et eum inueniri poſſibile eſt, quia varij eſſe caſus poſſunt, per quos ille innoteſcat. Et vt plurimùm talia ſunt quæ inueniuntur. Sicut autem in theſauris contingit, vt propter vetuſtatem dominum amiſerint, & ſic poſſint occupari ſine onere reſtitutionis pauperibus aut alteri faciendæ: ita & ratione circumſtantiarum accidere poteſt, vt res quædam dominum jam non habeant,

Card. Lugo ſpecialis dicendi modus de duobus generibus rerum inuentarū.

Digitized by Google

beant, ſi videlicet aliquid perdat quis ſibi tantùm notum, vt gemmam, vel auri glebam, & paulò poſt moriatur. Res ergo iſtæ inuenientis ſunt, & earum fit dominus ſine reſtituendi obligatione abſolutè loquendo: ſecùs priores illæ: vnde poſt adhibitam diligentiam, ſi non inueniatur dominus, expendendæ ſunt in eius ſpiritualem vtilitatem eo modo, quo credibile eſt ipſum voliturum. Sic *num.* 140. & 141.

Ex eo probabilis ſententia firmatur de non obligatione diſtributionis in opera pia.

93 Cùm ergo valdè probabile ſit, ſeclusâ obligatione legis bona talia applicantis, eſſe inuentoris, & aliunde leges, de quibus agimus, juxta probabilem ſententiam in conſcientiâ non obligent, quod idem eſt quantùm ad illud forum, acſi non extarent: ex eo habetur valdè probabile eſſe non teneri in conſcientiâ ad piam aliquam diſtributionem, ſed ea poſſe retinere, paratum reddere domino comparenti, niſi pauper ſit, & ſibi applicuerit: quo euentu ſunt qui dicant non teneri reddere, ſicut ſi in alios pauperes tranſtuliſſet. Pro quo P. Leſſius *ſuprà num.* 44. adducit Nauarram, & P. Henriquez. Sed cùm oppoſitum verius communiter repntetur, inde oritur difficultas quomodo apud duos ſtare rei eiuſdam dominium poſſit; apud dominum ſcilicet, & inuentorem. Ad quod dici poteſt dominium rerum ſtare apud eum, qui perdidit: apud inuentorem autem putatiuum, quod vero æquiualet, cùm poſſit de re plenè diſponere. Vel dominium vtile, quod cum directo non pugnat, licèt non tale, vt cum aliis, de quibus Doctores tractant, veniat penitus comparandum. Niſi plus placeat, eum qui rem perdidit, non habere jus in re poſtquàm alius inuenit; benè tamen jus ad rem, & poſſe appellari dominum, tum quia fuit, tum quia jus illud ad rem vero dominio ſuccedens, poteſt videri ſufficiens ad talem denominationem.

Sed nullius eſſe momenti ad rem moralem.

94 Diſtinctio autem Cardinalis Lugo in ordine ad rem moralem, de quâ agitur, nullum videtur habere momentum. Nam ſi impoſſibile eſt in domini venire notitiam, vt ex eo acquireretur dominium; hoc ipſum conſtare debet: aliàs quomodo poterit inuentor vt dominus operari? Vt autem ſciatur, illæ ſunt adhibendæ diligentiæ, quæ moraliter videantur ſufficientes. Atqui hoc etiam eſt in rebus aliis faciendum, quæ dominum habere dicuntur: ergo in ordine ad rem moralem ratio eſt eadem, & ita diſcrimen nullius momenti. Quoad Deum quidem poſſet ita contingere, qui impoſſibilitatem inueniendi cognoſcit; non ita quoad nos; & ita de omnibus videtur pariter philoſophandum.

Diſponendum juxta id, quod Dominus vellet, etſi dicant plures, non tamen vrget.

95 Quod autem dicitur de voluntate eius, qui rem perdidit, licèt aliorum etiam ſententia ſit, non videtur vrgere; quia quamuis veroſimile ſit vnumquemque velle rem ſuam in propriam ipſius vtilitatem conuerti, ea voluntas nequit tollere jus alterius. Habet autem inuentor jus ad rem inuentam, quando factâ diligentiâ dominus ignoratur: Id enim eſt de jure gentium. Sicut qui theſaurum recondit, ſimilem voluntatem habere poteſt; quâ non obſtante dominium plenum ex jure gentium comparant inuentores. Præterquàm quòd ſi ratio illa quidquam valeret, ex eâ fieret Principes non poſſe bona huiuſmodi ſibi aut aliis applicare; cùm tamen poſſint ipſo Auctore ſic fatente, vt vidimus *num.* 87. Nam voluntas illa, cùm ſit actus dominij, impedit dominium in alio: ergo & impedit reſpectu Principis, aut alterius, cui illud velit applicare. Patet conſequentia; quia contra voluntatem priuatorum in rerum ſuarum diſpoſitione nequeunt ire Principes, eorum juri præiudicantes, & dominia rerum auferentes.

§. III.

Circa bona inteſtatorum.

Aſſertio 4. Inteſtatorũ bona ad Regem ſpectare deficientibus cognatis intra decimũ gradum.

96 Dico quartò. Bona quæ ſpecialiter vacantia dicuntur, quando ſcilicet quis inteſtatus moritur, ad Regem ſpectant, ſecundùm valde receptam opinionem, ſi defunctus non habeat cognatos intra decimum gradum. Sic Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 41. & in Politicâ *Lib.* 5. *Cap.* 7. §. *Loquinto*, cum aliis, errorem eorum notans, qui ex ſummario legis malè deducto vltra quartum gradum admittendos negant. *Legis* inquam 12. *Titul.* 8. *Lib.* 10. *nouæ Compilationis*, in quâ talis gradus quartus non limitatur. Et licèt non exprimatur decimus, habetur tamen *Lib.* 6. *Titul.* 13. *Part.* 6. vbi Gregorius Lopez, & ita tradunt etiam Matienzus in *Lib.* 5. *Recopilat. Titul.* 8. *L.* 5. *Gloſſa* 1. *num.* 2. Couarruuias *Lib.* 3. *variarum Cap.* 5. *num.* 4. §. *Quintò hinc.* P. Thomas Sancius *Lib.* 4. *Conſiliorum Cap.* 1. *Dub.* 24. *num.* 4. vbi & alios adducit. P. Molina *Diſput.* 264. *num.* 11. Intelligitur autem de tranſuerſalibus; nam in lineâ aſcendentium, & deſcendentium non eſt terminus, ut ſpecialiter aduertit Matienzus *ſuprà*, & P. Sancius *num.* 3. Communiter autem id omittitur, quia juxta ſtatum, quem genus humanum habet, non eſt poſſibile vt qui ab inteſtato moritur ſupra ſe aut infrà plures habeat decem generationes.

Vt ſe præſtitæ reſolutioni opponat Eſcalona.

97 Cui reſolutioni ſe opponens D. Gaſpar de Eſcalona *in Gazophylacio Peruuiano Lib.* 2. *Parte* 2. *Cap.* 5. *num.* 1. ait ſucceſſionem inteſtati vltra quartum gradum non extendi: pro quo allegat citatam. *L.* 12. & *L.* 9. *Titul.* 10. *Lib.* 1. & *L.* 2. per errorem, tertia enim eſt. *Titul.* 9. *Lib. eodem.* Et Doctores ita ſentientes: additque vxorem præferendam Fiſco *ex L.* 1. & *toto Titulo. C. Vnde vir* & *L.* 6. *Titul.* 13. *Part.* 3. Pro quo & Matienzus circa *L.* 12. *citatam. Gloſſa* 2. *num.* 1. & Gutierrez *Practicarum, qq.* 113. Opponit etiam ſe P. Sancius *ſuprà, n.* 5. dicens ſucceſſionem ab inteſtato eſſe hodie correctam in Hiſpaniâ per *L.* 9. citatam in quâ ſic dicitur: *Mandamos que dexen à los Teſoreros de la Cruzada pedir y demandar los ab inteſtatos de los què no dexan herederos dentro del quarto grado.* Sic ibi. Cui ſimilis eſt *Lex.* 3. *Titul.* 9. *citata.* Ex quibus apparet rem eſſe dubiam, & oportere vt lex ſuper hoc expreſſior habeatur.

Et P. Sancius.

Verba Legis.

Vxorem & virum in eodem defectu ſuccedere, quomodo affirmant aliqui, alij negant.

98 Sicut & dubia eſt, quæ additur de vxoris ſucceſſione, in quâ idem dicendum de viro, vt Auctores notant videndi apud P. Sancium, *num.* 4. *citato*, quod ſcilicet deficientibus cognatis vltra quartum gradum, vxor debeat Fiſco præferri, ſicut iuxta leges iuris communis & Hiſpaniæ præferenda ſtatuitur quando vltra decimum gradum deficiunt. Et vt præferri non debeat arguit

Digitized by Google

P. Sancius *num.* 7. Nam ius commune & Partitarum admittebat vxorem poſt conſanguineos vſque ad decimum gradum: vnde vxor non habebat ius ad ſucceſſionem ab inteſtato ante conſanguineos vſque ad decimum gradum. Sed dicta lex. 9. ante dictos conſanguineos poſt quartum gradum admittit fiſcum, excludens alios conſanguineos: ergo à fortiori excluſa videtur vxor: nam ſi fiſcus vincit ſex gradus conſanguineorum vincentes vxorem, à fortiori vincet vxorem. Et ita tenent Tellius & Olanus, ab eodem adducti, & quidam docti Iuriſperiti, vt & ipſe teſtatur; addens ab eiſdem accepiſſe ſic ſæpè deciſum eſſe in Cancellariâ Valliſoletanâ. Quod quidem negari nequit quin magnum habere pondus pro hac parte videatur. Auctorum autem, qui pro contrariâ adducuntur, alia eſt mens: dicunt enim quando in legibus Compilationis nouæ ſtatuitur deficientibus heredibus ab inteſtato fiſcum ſuccedere, nullâ vxoris factâ mentione, non debere illam excludi, ne legum correctio fiat. At illi de heredum defectu loquuntur vltra decimum gradum, vnde non eſt mirum ita cenſuiſſe. At ſi ſucceſſio ad quartum gradum arctetur, alia eſt ratio, adducta ſcilicet: nam ſi ſex excluduntur cognati, poſt quos vxor vocabatur, non eſt credibile illam eiſdem à lege prælatam: quod, cùm adeò nouum, & contra ſanguinis prærogatiuam ſit, exprimi debuit: & cùm expreſſum non ſit, iuxta legiſlatoris mentem non fuiſſe venit ſentiendum. Nihilominus oppoſitum ſuâ probabilitate non caret: & quia viduarum cauſſa probabilitate non caret: & quia viduarum cauſſa pia eſt, neque iam cum conſanguineis quæſtio vertitur, qui ex eo quòd excludatur vxor, nihil ſunt amplius habituri: poterunt iudices in casûs contingentiâ iuxta illam iudicare; niſi aliter ferat praxis. Et ad rationem adductam dici poteſt, priuilegium eſſe vxoris vt deficientibus cognatis ad ſucceſſionem admittatur: quòd autem plures aut pauciores ſint, non obſtare vt à tali beneficio legum excludantur, cum earumdem correctione. Pro quo hæc ſatis.

Quid circa illud ſimilius vero.

Ratio contra vxores ſoluta.

§. IV.

Præſcriptio vt iuuare in præſenti poſſit.

99 Dico quintò. Circa bona omnia, de quibus dictum, dari poteſt præſcriptio, aut vſucapio: ſi videlicet bonâ fide ſpatio temporis per leges deſignato poſſideantur. Sic P. Leſſius *ſuprà num.* 45. qui pro ſe adducit Couarruuiam: qui tamen oppoſitum tenet §. citato *De legibus*: quia ad vſurpationem requiritur bona fides, quæ tamen in præſenti non datur; dum ſcilicet quis rem inuentam ſibi vſurpat, cùm ſciat non eſſe ſuam. Propter quam rationem etiam id tenet D. Gaſpar de Eſcalona. *Cap.* 5. *citato num.* 10. Sed eorum eſt profectò debile fundamentum: poteſt namque bona fides intercedere toto ſpatio temporis ad præſcriptionem requiſito: ſi quis videlicet rem inueniens, & diligentiam aliqualem faciens, quæ ſibi videatur ſufficiens pro domino inueniendo, ſine remorſu incipiat conſcientiæ poſſidere. Vel ſi inueniat, & ſtatim ad ſe pertinere exiſtimet: alia enim, quæ maiorem malitiam præſeferunt, ſolent homines ignorare. Vt ille, qui pullum gallinaceum in eius domunculam ingredientem apprehendit lætus, dicens: *Eſſe Dios dale.* Sic Neophyti loquuntur Æthiopes: *Deus dat mihi iſtum.* Videndus Diana *Parte* 11. *Tract.* 8. *Reſolut.* 12. vbi cum aliis Aſſertionem noſtram vt probabilem commendat.

Aſſertio 5. Circa bona omnia dicta poſſe dari præſcriptionem.

Quomodo eſſe bona fides poſſit.

100 Quia verò hic contra Fiſcum eſt præſcriptio, iuxta ea diſcurrendum, quæ Scriptores de ſpatio ad huiuſmodi poſſidendi modum neceſſario tradunt. Pro quo videri poteſt P. Molina *Diſput.* 73. & P. Gaſpar Hurtadus *Diſput.* 2. *Difficult.* 11. vt obuios alios omittam de Iuſtitiâ & Iure tractantes. Illud ſatis fauorabile, ad præſcriptionem, ſi adſit titulus, in rebus mobilibus triennium ſufficere inter præſentes. Dicuntur autem præſentes, qui in eadem Prouinciâ commorantur. *L. vlt. C. de longinqui temp. præſcript.* vide P. Molinam *Diſputat.* 69. Quæ autem inueniuntur, mobilia eſſe ſolent, & inter præſentes modo dicto. Sed numquid inuentio ipſa titulus eſt? Videtur negandum; quia titulus eſt verum fundamentum dominij, vt emptio, permutatio, donatio &c. quæ quantùm eſt ex ſe ad id ſufficiunt, niſi ex circumſtantiâ aliquâ impediantur; vt quando quod emitur, permutatur, aut donatur, eſt alienum. Atqui inuentio quantùm eſt ex ſe ad fundandum dominium non ſufficit; aliàs eo ipſo quòd res inuenirentur, eſſent inuenientis: quod tamen falſum eſſe conſtat; ſin minùs neque præſcriptione opus eſſet, quæ ſpatium temporis deſignatum lege requirit: ſicut emens aut permutans, vel aliquid per donationem accipiens, ſpatium temporis neceſſarium non habet ad dominium acquirendum; & ita quidem dicendum de inuentione, quam nulla eſt diligentia ſubſecuta, vt ratio facta conuincit: non verò ſi adhibita eſt, tunc enim verus eſt titulus; & ita triennij tempus ad præſcriptionem ſufficit.

Quod tempus ad præſcriptionem dictam neceſſarium.

Inuentionem non eſſe titulum, generaliter loquendo, ſed cum addita explicatione.

101 Sed obiicies. Nam ignorantia, ex quâ bona oritur fides, non eſt facti, ſed iuris, dum quis iudicat licere ſibi rem aſſumere, quia nullâ id lege prohibetur; cùm tamen lex prohibens ſit, iuxta communiorem ſententiam, de quâ *ſuprà*, aſſerentem inuentorem factâ diligentiâ non acquirere dominium rei inuentæ. Atqui ignorantia iuris non eſt ſatis ad præſcriptionem, ſed ſola ignorantia facti pro illa admittitur, vt ex profeſſo probat P. Molina *Diſput.* 64. pro quo & alij Auctores ſtant apud P. Gaſparem Hurtadum *Diſput.* 2. *Difficult.* 4. quos & ille ſequitur. Ex hoc autem videtur elidi reſolutio noſtra: ſolùm enim fundatur ex ignorantia iuris, de quâ eſt regula iuris in 6. quæ ait ignorantiam facti, non iuris excuſare.

Obiectio ex eo quòd ignorantia facti, & non iuris, ad præſcriptionem ſufficit.

102 Ad hoc tamen dici poteſt, Primò ſententiam oppoſitam eſſe probabilem, vt affirmat Cardinalis Lugo *Diſput.* 7. *num.* 32. quam tenet Ioannes de Medina *Codice de Reſtitutione Quæſt.* 17. & pro foro animæ Couarruuias *Lib.* 1. *variarum Cap.* 3. *num.* 10. & non eſſe improbabilem affirmat P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 6. *num.* 17. §. *Quartò, Mala*, & hoc ſufficere vt poſſit quis ſe illâ tueri. Secundò in præſcriptione triginta annorum, quę titulum non requirit, eſſe probabiliſſimam, vt oſtendit ipſe P. Leſſius *toto illo num.* 17. cum Couarruuia, & aliis. Tertiò, Plures Doctores fateri

Fit illi ſatis varijs modis, mixta veroſimiles doctrinæ.

Digitized by Google

teri ignorantiam iuris non obſtare præſcriptioni, quæ titulum requirit, in iis in quibus talis error toleratur, vt ita minore, ruſtico, milite, muliere, & ſimilibus; quia in illis non præſumitur mala fides, ſi aliquam diligentiam adhibuerunt. Cùm ergo qui ignorant, in caſu, de quo loquimur, id quod iure ſtatutum eſt, ad claſſem prodictam ſpectent, etiam illis præſcriptis ſuffragatur. Videatur P. Leſſius §. *citato.* & Cardinalis Lugo. Pro quo & facit ſententia eorum, quibuſcum ſentit P. Palaus *de Iuſtitiâ & Iure pag.* 74. §. 5. aſſerentium non eſſe neceſſarium verum titulum, ſed ignorantiam, aut præſumptum ſufficere. Iuxta hoc ergo, tranſacto tempore ad præſcriptionem ſufficienti, etiamſi compareat rei inuentæ prior dominus, non erit obligatio reſtituendi, quam communiter affirmant Doctores hoc titulo non extante. Quæ licet generaliter locum habeant, & non tantùm in Indiis; quia tamen pro illis leges ſpeciales habentur, abs re non fuerit de illis, communi adhibitâ doctrinâ, quæ prodeſſe alibi queat; diſſeruiſſe. Sic enim de Indiis agimus, vt prodeſſe omnibus cupiamus.

CAPVT XIII.

De Naufragantium bonis, & quæ Rex inde poſſit ſibi emolumenta vendicare.

LIcet ſpeciales leges quoad hoc pro Indiis non extent; quia tamen Regis auctoritate ſolent Indica hæc ſpolia conquiri, & acquiſitionis titulus videtur eſſe aliquando legitimus, ideò de illis hoc loco non nihil ad doctrinæ complementum adiiciendum.

Aſſertio 1. Principes nequeunt naufragantium bona ſibi per legem adſcribere.

103 Dico Primò. Naufragantium bona ſibi Principem per legem adſcribere, eſt iniquum. Sic Couarruuias *in Regula Peccatum. Parte 3. num.* 5. P. Leſſius *Lib. 2. Cap. 14. num.* 50. vbi ait intolerabilem eſſe conſuetudinem, quæ in quibuſdam locis dicitur eſſe, vt bona naufragantium in littus eiecta habeantur tamquàm adeſpota, & occupentur à Gubernatore loci: ſunt enim excommunicati per Bullam Cœnæ Domini. Idem autem eſſe in Principibus ſupremis manifeſtum eſt, vt agnoſcit Dom. Solorzanus in Politicâ *pag.* 964. tenentque prætereà Nauarrus *in Manuali Cap. 27. num.* 117. P. Azor *Tomo 2. Lib. 11. Cap. 11. §. Prætereà iniqua.* P. Fragoſus *Tomo 1. pag.* 260. §. *Inſuper, & alij.* Et præter excommunicationem dictam, conſtat ex iis, quæ de bonis inuentis diximus *Cap. præced.* non enim iſta peioris conditionis ſunt, ſed melioris, ob inhumanitatem, quæ in eo apparet, dum miſeris calamitas adaugetur, quibus oportebat de propriis bonis ritu Chriſtiano ſubueniſſe.

Excommunicati proptereà in Bulla Cœnæ.

Aſſertio 2. Non tamẽ ſi bona ſint ex prohibitis per legem.

104 Dico ſecundò. Eá, quæ contra leges conuehuntur, vt aurum & argentum ſine Regio ſignaculo, quod in ſolutione quinti ſolet apponi, vel ſine regiſtro aut aliter, ſi inueniantur poſt naufragium, poſſunt auctoritate Regiâ per Officiales eius apprehendi. Hoc conſtat: quia hæc applicata ſunt Fiſco quomodocumque inueniantur, licet quod ad regiſtrum attinet, ſoleat benigniùs attrectari: eſt autem valde per accidens, quòd hoc aut alio ſucceſſu detegantur. Sicut ergo quis poteſt ea reſumere, quæ propria agnoſcit, ita & Regia auctoritas. Et ita videmus fieri, neque circa hoc conſcientiæ remorſu laborari.

Aſſertio 3. Et generaliter, ſi non comparet dominus poſt factã diligentiã.

105 Dico tertiò. Princeps tutâ conſcientiâ poteſt retinere bona naufragio amiſſa, ſi factâ ſufficienti diligentiâ non appareat eorum dominus. Sic Dom. Solorzanus *pag. 964. citatâ*, vbi & Textus, & Auctores adducit: licet ſint qui reluctentur, exiſtimantes bonorum huiuſmodi diſtributionem poſt factam diligentiam ad Prælatos Eccleſiaſticos pertinere, ad quos ſunt deferenda. Sic Salon. 2. 2. *quæſt.* 66. *Cap. de bonis naufragantium:* & alij, quos ibidem adducit. Alij autem, licet obligationem deferendi ad Prælatos non exprimant, dicunt tamen, non obſtantibus legibus, diſtribuenda pauperibus. Sic P. Azor *ſuprà.* §. *Quod dicendum.* Qui tamen *Cap.* 4. §. *Ac proinde.* Regaliam iſtam agnoſcit. P. Fragoſus *ſuprà*, quatenus citato P. Azor, videtur eius ſententiam amplecti, ſicut & Nauarri, ac Couarruuiæ. Couarruuias autem licet ita abſolutè ſentiat; in fine tamen illius §. 1. ait ex rectitudine iuſtitiæ poſſe leges Regias defendi, & fortaſsè in iudicio animæ id poſſe ſtare, ſcilicet poſt factam diligentiam, & obligationem reſtituendi, ſi dominus comparebit. Sayrus etiam *Lib. 3 Cap. 8. §. Adeò autem*, nobiſcum ſentit: ſed ait de conſilio Epiſcopi id effici poſſe ad defenſionem. Ratio autem Aſſertionis eſt eadem, quæ pro inuentis adducta eſt: vnde non plus obligat, quàm lex circa illa. Et ita poſt factam diligentiam poſſe ab inueniente retineri, vt probabile ſuſtinet P. Mendus in Bullam Cruciatæ *Diſput. 24. num.* 182. Pontifex ergo excommunicationem contra vſurpatores bonorum dictorum fulminans, non ideò bona talia Eccleſiaſtici fori conſtituit, vt ad ipſum debeat eorum diſtributio pertinere: ſed inhumanos homines ab huiuſmodi crimine conatur auertere animaduerſione ſeuerâ: ſicut duelli crimen pariter excommunicatione caſtigat, nec proptereà crimen ipſum duelli à laico retrahit tribunali. Et ſic alia, pro quibus Sayrus *Lib. 3. cap. 35. num. 1. & 13.*

Quod negant aliqui dicentes ad Prælatos Eccleſiaſticos eorum diſtributionem pertinere.

Diripientes, & bona direpta ad forum laïcale ſpectant.

Aſſertio 4. Quæ pro derelicto habentur, occupari poſſe.

106 Dico quartò. Circa bona naufragorum, quæ pro derelictis habentur, faciliùs præmiſſa Poſitio procedit, quia in illis occupationem etiam concedunt, qui de aliis negant, vt videri poteſt apud Sayrum *ſuprà.* §. *Hæc autem, & ſeq.* vbi varias adducit coniecturas, vt res pro derelictis poſſint reputari. Vt ſi ſtatim perituræ, ceu ſaccarum vaſis incluſum; vel ſint remedio amittendæ vllo, vt metalla in medio mari proiecta, vel liber apertus: addit autem ſecus eſſe, ſi clauſus, aut pannis inuolutus, ex Gloſſa in *L. Falſus D. de furtis.* Sed hoc tunc videtur locum habere poſſe, quando aliqua eſt ſpes ob terræ propinquitatem; aliàs quis non videat librum breui periturum, aut reddendum inutilem. Item, ſi dominus rei poſt illam proiectam tacet, & neque per ſe, nec per alium illam quærit. Quod videtur ineptum. Quis enim in mare proiicit aliquid, vt quærat per ſe, aut per alium? Cur autem non taceat, qui nullam habet cauſſam vt loquatur? Niſi dicat rem ab alio proiectam, tacente illo, & non quærente. Sed certè in eo euentu

Vnde dignoſci conditio dicta queat.

Digitized by Google

tacere & non quærere, non eſt argumentum voluntariæ derelictionis, ſed impoſſibilitatis recuperandi rem, neque audentis violenti proiectoris ſe opponere voluntati. Eſt inſuper derelictionis indicium, quando extra tempeſtatem aliquid proiicitur. Sed quis ita inſaniat? Verùm & id poteſt contingere, ſi quis ex affectu aliquo, qui cum abſolutâ voluntate conſtet, quidquam proijciat. Et hæc iuxta Auctorem dictum, qui ea ex alijs adducit. Licet autem, cùm res ſtatim eſt peritura, aut in maris profundum abitura, nihil videatur ad morale negotium, de quo agimus, coniectura talis deſeruire: nihilominus conferre poteſt propter caſum aliquem rarò contingentem, in quo aut conſeruetur quod ſtatim periturum putabatur, aut ex profundo educatur à piſce aliquo ingentis magnitudinis, qui mortuus eiicitur in littus, & in eius ventre tandem inueniatur. Quamquam Couarrubias *citato* §. *De legibus*, nihil ita pro derelicto habendum exiſtimat, vt eius dominus non velit illud vtiliter pro eo expendi: quia ſi ipſe illud inueniret, eximiè gauderet: qui affectus oſtendit, dum poſſibilis eſt inuentio, dominium perſeuerare. Sed vt hoc in rebus perditio locum habere poſſit, negari tamen nequit quin aliqua pro derelictis habeantur: quia & Iura, & Doctores ita tradunt, & ipſa experientia perſuadet. Pro bonis autem nauigantium extat Honorij Secundi luculenta ſententia ſcribentis Epiſcopis ſuffraneis Metropolis Turonenſis: & eſt *Epiſtola 66.* inter alias S. Hildeberti, vbi ita ſcribit: *Piorum Imperatorum emanauit auctoritas, ut etiam earum rerum, quæ in tempeſtate maris, leuandæ nauis cauſsâ eiiciuntur, non amittatur dominium: non enim eas aliquis eo animo abiicit, quòd habere nolit, ſed quo periculum effugere poſſit, & qui res ipſas lucrandi animo abſtulerit, furtum committit.* Sic ille iuxta *L. Rhod. D. de iactu. Lib. 1.* §. *finali*, & alias.

Ad vero moralem quomodo conferre poſſit præfata doctrina.

Non eſſe obligationem expendendi pro vtilitate derelictoris.

Pro dominio retento circa naufragantium bona elegans Honorij 2. ſententia.

107 Dico quintò. Si nauis Regia Indicis theſauris onuſta naufragium patiatur; quæ tamen quæratur poſt tempus aliquod, & in eâ aurum & argentum ad priuatos ſpectans inueniatur, illis reddendum eſt, deductis expenſis. Sic factum in caſûs contingentiâ iudicio ſupremi Indiarum Senatus, vt teſtatur Dom. Solorzanus in Politicâ *pag.* 965. §. *Pero como.* Vbi tamen Regius Fiſcalis pro parte oppoſitâ nitebatur, contendens bona illa habenda pro derelictis. Sed certè contra hoc eſt ratio vrgens: nam ſi nauis eo in loco naufragium paſſa eſt vbi inueniri poſſet, domini priuati diuitiarum amiſerunt eas recuperandi ſpem, quia ius habent vt apud Regem agere poſſint pro conquiſitione: qui ſicut tenetur ad exportationem, quandoquidem pro illâ ſtipendia congrua reportat, ita & ad conquiſitionem.

Aſſertio 5. Teneri Regem naui naufragiū paſſæ ſuccurrere, vbi bona priuatorū, quæ ad eorum dominium ſpectant.

108 Si verò nauis priuati alicuius ſit, qui nequeat eam conquirere, neque alij, quorum bona in eadem portabantur: tunc, ſi Regiâ auctoritate quæratur & inueniatur, maius dubium eſſe poteſt. Nihilominus idem videtur dicendum: nam dum nauis inueniri poteſt, & diuitiæ extrahi, non eſt in earum dominis voluntas derelinquendi præſumenda: & in dubio ſemper in eorum fauorem præſumendum eſt, vt cum Nauarro, Couarrubia, P. Molina, & aliis docet P. Fragoſus *pag.* 259. §. *Nihilominus.* Rex item non ſolum ex charitate, ſed etiam ex iuſtitiâ tenetur damnis talibus adhibere remedium, vt communis adminiſtrator: cùm præſertim in eo ſuum negotium agat: ex diuitiis enim inuentis magnum ipſi emolumentum obueniet: nam deductis expenſis aliquid eſt prætereà pro conquiſitione & extractione non exiguum recepturus: cui & bona priuatorum proſunt, ex quibus commercio expoſitis iura non contemnenda ſoluuntur. Et quidem cùm damnum ab hoſtibus imminet, teneri Regem ſuis ſumptibus ſubditorum bona defendere ſuo in mari nauigantium, communiſſima ſcriptorum ſententia eſt, vt videri poteſt apud P. Fragoſum *Tomo* 1. *pag.* 39. *num.* 128. *&* 129. Eſt autem ratio eadem de damnis aliis, quibus poteſt obuiare. Quia verò extraordinarium videtur ſubſidium, non videtur damnandum ſi expenſæ requirantur in noſtro caſu. Adde & obligationem ſuccurrendi perſonis miſerabilibus, de quâ P. Azor. *Cap.* 7. *citato.* §. *Peccat item Rex.* Si item bonorum iſtorum domini in naui naufragium paſſâ reſediſſent, deberet abſque dubio Rex eiſdem ſuccurrere, vt à periculo immunes redderentur. Ergo & bonorum debet curam gerere, quia illius obligatio ad omnia ſe extendit. Iuxta quæ ſit bonorum talium dominium apud eoſdem conſeruari, cùm debeant merito de Regis prouidentiâ auxilium opportunum expectare.

Idem dicendum, etſi nauis non ſit Regis, ſed priuatorū.

Eiuſdem obligatio defendendi ſuis ſumptibus bona ſubditorum ſuo in mari nauigantium.

Et miſerabilium perſonarum.

CAPVT XIV.

De emolumentis Regiis ex bonis Eccleſiaſticis.

109 AGit de illis Dom. Solorzanus variis in locis, & quæ ad illa pertinent in ſummam redigit *Lib. 6. Politicæ Cap.* 7. & D. Gaſpar de Eſcalona in *Gazophylacio Lib.* 2. *Parte* 2. *Cap.* 32. Habet ergo Rex duos Nouenos ex decimarum groſſa, de quorum iuſtificatione egimus *Titulo* 2. *num.* 50. *& ſeqq.* Vt autem clarior appareat, ex reſcripto comprobanda eſt Philippi Secundi *die* 17. *Iulij Ann.* 1512. Peruuiano Proregi D. Franciſco à Toleto tranſmiſſo, in quo ſic ſcribit: *Y porque, como ſabeis, conforme à las Conceſiones de los Sumos Pontifices, y à nueſtro Patronazgo, nos pertenecen los dichos dos Nouenos de los diezmos de los Obiſpados de eſas partes &c.* Quod ergo Rex ita teſtatur, non poteſt ſine illius auctoritatis iniuriâ in dubium reuocari. Subdit autem Nouenos dictos à Regiis Officialibus exigendos, nolens circa eos à iuriſdictione Eccleſiaſticâ dependere; vnde & circa hoc in Regiis Audientiis Prouiſiones expediuntur, vt œconomi Eccleſiarum, qui laici eſſe debent, ad ſolutionem huiuſmodi compellantur. Quomodo autem cauſſa iſta, quæ ſpiritualis eſt, per iudices poſſit laicos agitari, dictum *citato Titulo num.* 66. Vbi cùm probabiliter in eo procedatur, non eſt negotium iſtud premendum nimis, ne nimis emungendo, ſanguis eliciatur, vtinam Reges ad omnia, quæ agunt, probabiles haberent opiniones, eas ſcilicet, quas Scriptores pij & docti ſine blandiendi ſtudio complectuntur. Officiales ergo Regij, de quibus nobis ſermo, circa hoc debēt eſſe ſoliciti ratione muneris, & quidquid eorum incuriâ

De iuſtificatione duorum Nouenorum.

Reſcriptum Regium pro illis.

Regiorum Officialiū circa illos obligatio.

Digitized by Google

incuria deperierit, ſoluendum ex integro. Deperire autem dicendum eſt; quod ab œconomo non exigitur ob reſpectum aliquem, licèt pius ipſis videatur. Cùm enim Rex fundatam intentionem habeat, nõ illis circa hoc arbitrium relinquitur, ſed nudum miniſterium demandatur.

Fructus vacantiũ Eccleſiarũ in earum debent vtilitatem expendi.

110 Habet prætereà Rex portionem decimalem, quæ Prælatis Eccleſiarum reſpondet, cùm illæ vacant. Et quod ad jus commune attinet, controuerſæ quæſtionis eſt ad quem fructus iſti pertineant, de quo multi multa, & præ aliis Dom. Solorzanus *Tomo 2. lib. 3. cap. 12. num. 19. & ſeqq.* & in Politicâ *pag. 596. & ſeqq.* vbi Auctores congerit de eodem differentes; & mihi quidem attentâ Iuris Canonici diſpoſitione ita videtur dicendum, vt redditus tales in Eccleſiæ debeant vtilitatem expendi: ſic enim accipiendum, quod dicitur in Cap. *Quia ſæpè, de electione in 6. Quæ in vtilitatem dictarum Eccleſiarum expendi, vel futuris debent ſucceſſoribus fideliter reſeruari.* Et Cap. *Præſenti, de officio Ordinarij.* Ibidem: *Quæ vel in vtilitatem Eccleſiæ, vel futuris debent ſucceſſoribus fideliter reſeruari.* Ex hoc enim habetur poſſe in vtilitatem Eccleſiarum expendi: ergo ſi nihil reſeruetur ſucceſſoribus, nulla illis irrogatur iniuria. Vnde planum habetur nullum ſucceſſoribus jus ad redditus iſtos conuenire. Cùm ergo decernitur poſſe illos ſucceſſoribus reſeruari, mens Pontificum eſt, id faciendum, vt ipſi, quod nòn eſt à reſeruantibus factum, ſtudeant adimplere. Cur enim illis detur id, ad quod non habent jus, & in vtilitatem potuit Eccleſiæ conferri, vt liberè poſſint diſtribuere, & in proprias conuertere ſubuentiones? Vnde nec congruit ſententia eorum, qui dicunt diuidenda illa bona inter Eccleſiam & Prælatum æquis partibus; juxtà Iura ſiquidem non loquuntur, licèt rationabili aliàs loquantur arbitrio.

Cap. Quia ſæpè. & Cap. Præſenti, explicata.

Quomodo ſint ſucceſſoribus integrè reſeruandos.

111 Erit autem illud magis Iuri conforme, ſi quis dicat redditus iſtos poſſe ſucceſſoribus reſeruari, non tantùm pro medietate, ſed etiam ex integro, vt pro arbitrio diſtribuant, dummodo id ſit in cauſſas pias intra diœceſim: quod enim ſic expenditur, dici poteſt aliquo modo in Eccleſiæ vtilitatem expendi, cuius membra viua ſunt fideles. Vel ſi genus aliud pij operis ſit, quod non ad ſubueniendum indigentibus, ſed ad Dei cultum ſpectet, vbicumque illud, dummodo intra diœceſim, vt dixi, ſatis apparet ad vtilitatem Eccleſiæ pertinere. Quod quidem juxta mentem ſacri Legiſlatoris eſſe, ex ipſius apparet verbis; citato in Cap. *Quia ſæpè*: ſic enim ibi: *Nos ipſorum auſus reprimere, & indemnitatibus Eccleſiarum præcauere volentes, &c.* Vbi non Prælatorum indemnitatibus, ſed Eccleſiarum tantùm attenditur: cùm tamen præmiſſum eſſet bona in Eccleſiarum vtilitatem expendenda, aut ſucceſſoribus reſeruanda: ergo quia ſucceſſores in Eccleſiarum debent vtilitatem expendere. Vnde cùm grauiſſimi & ſapientiſſimi viri cenſuerint non poſſe Regem noſtrum redditus vacantium in Indiis vt proprios vendicare, ſed in eorum applicatione debere Iuris Canonici diſpoſitionem amplecti, aliis oppoſitum opinantibus, de quo *inferiùs*: eorumque fuerit prælata ſententia; & juxta eam tertia pars vacanti Eccleſiæ deſignata; non ita Eccleſia in rigore ſumpta eſt, vt ad fabricam Ca-

Cap. Quia ſæpè.

Ex Regia diſpoſitione firmatum.

thedralis, aut ad alia eidem congrua, fuerit arctata deſignatio; vnde in vſus pios plerumque cedit, pro quibus rationes ſolent vrgentiores occurrere, quàm pro Cathedralium ſtatu promouendo. Pro quibus videri poteſt Dom. Solorzanus *ſuprà, num. 53. & ſeqq.* Qui in ſpecie poſitionis noſtræ, *num.* 32. arbitrium Regium prædictum juſtius futurum aſſerit cum eâ moderatione, vt primo loco neceſſitatibus Indorum & Indiarum ſubueniatur, ex quorum Prouinciis pecuniæ iſtæ redditusue procedunt, argumento *L. Præſes. C. de ſeruit. & aqua.* Indis ergo & Indiis ex decimis ſubuenire, juxta diſpoſitionem Iuris Canonici eſt, juxta quod debent in Eccleſiæ vtilitatem expendi. Et ita id etiam generaliter aſſerendum. Si qui autem Textus ſunt, videndi apud Dom. Solorzanus *Lib. 3. cap. 11. num. 5. & cap. 12. num. 19.* juxtà quos ad ſucceſſores videntur redditus iſti ſpectare, exponendi ſunt ita vt non aduerſentur adductis, ſed juxta datam explicationem: quòd ſcilicet reſeruentur in Eccleſiæ vtilitatem expendendi ſub prædictâ disjunctione. Nam Textus tales aut priores ſunt adductis ex Sexto, & ita per iſtos exponendi, quibus vt poſterioribus potiùs ſtandum. *L. Non eſt nouum 26. cum ſequenti. D. de legibus.* Vbi ſcribentes, aut poſteriores: & ſimiliter intelligendi juxta illos, ne legum correctio, quæ odioſa eſſe ſolet, admittatur. Vt eſt receptiſſima doctrina juxta *L. Præcipimus. C. de appellation.* Pro quâ, ſicut & pro priori, Auctores, præſertim Societatis, agentes de Legibus, & Pater Sancius *Lib. 2. de Matrimonio Diſp. 24. n. 6.*

Indis priùs ſubueniendum & Indijs.

112 Quidquid autem de hoc ſit, in Hiſpaniâ aliter ſe res habet, in quâ Pontifex redditus dictos, ſicut & ſpolia alia, ſuæ Cameræ applicatos per Collectores colligit; idque jure ſuo, quia illorum eſt dominus. In Indiis autem ad Regem ſpectant quantùm ad eorum adminiſtrationem; qui ex illis tres partes conficiens, vnam ſucceſſori tribuit pro ſumptibus in expeditione Bullarum, Pontificiis ornamentis, & itinere faciendis: aliam Eccleſiis pro neceſſariis ad diuinum cultum; tertiam in opera pia ſibi reſeruat. Vbi non pauci nec indocti contendunt redditus dictos, cùm decimales ſint, ad Regem pertinere: licèt enim decimas ſibi ab Apoſtolicâ Sede conceſſas, in Eccleſias retulerit; non videtur tamen relatio iſta ad vacantium redditus juxta eorum intentionem extendi; quia vt extendi intelligamus nullum eſt vrgens fundamentum; vt allegationes continent, quas adducit Dom. Solorzanus *Cap. 12. citato, num. 36. & ſeqq.* Quibus tamen non obſtantibus Rex noſter contrariam eſt, vt diximus, ſententiam amplexus, & diſtributio dicta per tertias partes obſeruanda vlteriùs eſt, juxta pium eius & religioſum imperium.

Specialis in Hiſpaniâ & Indijs diſpoſitio, Regia auctoritate.

113 Sed non videtur in tali diſpoſitione Iuris Canonici diſpoſitionibus plenè ſtari, juxta quod diſtributio dicta nullo modo ad laicos Principes ſpectat, ſed ad Eccleſiæ Prælatos. Pro quo ſpecialiter eſt *Cap. Relatum 2. de Teſtamentis*, & ex generali exemptione conſtat, juxta quam Eccleſiaſtica bona, ſicut & perſonæ, Eccleſiaſtici fori ſunt, & ita in eorum adminiſtratione nequit ſe laica poteſtas immiſcere. Pro quo prælertim eſt celebre. Cap. *Eccleſia ſanctæ* MARIÆ, de Conſtitu-

Vnde iuſtificari poſſit, cùm ad Eccleſiaſticos tantùm videatur Prælatis pertinere.

Cap. Eccleſiæ, S. MARIÆ.

ſtitutionibus. Vbi ſic dicitur: *Nos attendentes quòd laicis (etiam Religioſis) ſuper Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas, &c.* Vbi Eccleſiæ nomine bona ad Eccleſiam ſpectantia comprehendi conſtat ex Cap. *Cùm laicis*, de rebus Eccleſiæ non alienandis, vbi idem, & eiſdem ferè verbis ſtatuitur, illis inquam: *Cùm laicis (quamuis Religioſis) diſponendi de rebus Eccleſiæ nulla ſit attributa poteſtas: quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi.* Sic ibi.

Cap. Cùm laicis.

Neque priuilegium pro eo vllū ſpeciale.

114 Cùm ergo hæc ita ſe habeant, non videtur quomodo Rex noſter, Canonici iuris auctoritate reueritâ, & retentâ obſeruatione, adminiſtrationem dictam ſibi poſſit arrogare. Pro quo nec ſpeciale allegari poteſt priuilegium; quia circa hoc Pontifices minimè affecti comperiuntur; cùm ſæpiùs tentauerint Collectores in Indias mittere, quales in Hiſpaniâ habent. De quo Dom. Solorzanus *Cap. 11. citato, num. 26.* Et id ſanè oſtendit quàm alieni ſint à priuilegij huiuſmodi conceſſione. Dicendum ergo videtur circa adminiſtrationem dictam Reges noſtros Alexandri Sexti ſe conceſſione tueri, dum decimas illis donauit: & licèt eas Eccleſiis redonauerint, quoad illas tamen, de quibus agimus, in ipſarum vacatione aliquale jus retinendum cenſuiſſe: non vt quidquam ſibi acquirant; ſed vt securè, conuenienter, & opportunè diſtribuant. Iuris ergò Pontificij diſpoſitio quoad ſubſtantiam ſeruatur, quod, vt vidimus *num.* 111. præſertim intendit *Eccleſiarum indemnitatibus præcauere*: quod quidem egregiè præſtatur: non verò quoad modum. Licèt autem Pontifices Alexandri ſucceſſores nouum circa hoc priuilegium non inueniantur conceſſiſſe; immò & plures, vt vidimus, contrarium attentarint: quia tamen Alexandri priuilegiū non abrogarunt, eo Reges noſtri quoad hoc poſſunt veroſimili opinione gaudere. In quo quidem oſtendere volunt nullo ad talē agendi modum propriæ vtilitatis reſpectu moueri; ſed eo ipſo, quem Pontifices Iuris Canonici auctores in ſuis deciſionibus præſeferunt; quòd ſcilicet vacantis Eccleſiæ redditus contra multorum auſus, ex auaritiæ ſtimulatione conceptos, in bonum Eccleſiæ ſeruentur, & vtiliter expendantur. Et hæc quoad prædictam adminiſtrationem.

Ad Alexādri 6. conceſſionem reuocandū.

Ne Religioſi noua prædia acquirant vt Regijs ſchedulis caueatur.

115 Extant etiam plures Regiæ Schedulæ, quas in particulari commemorat D. Gaſpar de Eſcalona in *Gazophylacio Lib. 2. Parte 2. cap. 33.* §. 2. *num.* 9. quibus cauetur ne Religioſi noua acquirant prædia: non quidem circa hoc auctoritatiuè quidquam diſponendo; ſed jubendo vt ſupremi Magiſtratus induſtriè hoc & ſolerter impedire curent non vi, ſed induſtriâ: eò quòd nouorum prædiorum acquiſitione decimæ, & conſequenter Regij Noueni valde imminuti videantur. In quo quidem Rex noſter grauem eſt paſſus deceptionem. Decimæ namque, & conſequenter Noueni, in aliquibus Eccleſiis & in Limanâ omnium maximâ, his annis nimium quantùm excreuerunt. Quòd ſi alicubi imminutio eſt aliqua deprehenſa, non ex Religionum augmentis, ſed ex aliis cauſſis eſt accidiſſe compertum. *Ecce coram Deo, quia non mentior.* Quod cùm & Regiis Miniſtris conſtare poſſit, peccabunt equidem grauiter, ſi id quod Religioſis beneficio Iuris communis, Pontificiâ beneficentiâ, & Regum etiam noſtrorum Bullas Apoſtolicas in Regio Indiarum Conſilio Regiſtratas amplectentium auctoritate competit, ſtudeant modis quibuſlibet offuſcare. *Quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi.* Ex Cap. *Eccleſiæ.* & Cap. *Cùm laicis*, iam citatis: & ſanè expediret ampliùs, vt Reges noſtri ex redditibus Eccleſiarum vacantium, quos, vt vidimus, in Eccleſiæ vtilitatem expendunt, portionem aliquam Religioſis cœtibus graues patientibus neceſſitates, conſignarent. Hoc enim opus pium, & maximè pium eſt: vnde in Iure expreſſum, vt bona ad Eccleſiam ſpectantia Religioſis valeant applicari. Sic enim habetur in Cap. *Relatum* 2. iam citato, ibi: *Licèt autem mobilia per Eccleſiam acquiſita* (id eſt intuitu Eccleſiæ) *de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non poſſunt: conſuetudinis tamen non eſt improbandæ, vt de his, pauperibus & Religioſis locis, & illis, qui viuenti ſeruierunt, ſiue conſanguinei ſint ſiue alij, aliqua juxta ſeruitij meritum conferantur.* Sic Alexander Tertius. Diaboli autem fieri videtur inuidiâ, vt in huiuſmodi largitionibus Religioſæ domus in Indiis conſiſtentes prætereantur, vt ſic indigentiâ creſcente, Religioſa diſciplina marceſcat, ſintque Religioſi ad propagandam fidem, & exempli ædificatione rem Chriſtianam promouendam, minùs quàm eſſe oporteat efficaces.

Ingens in prædicta cautione deceptio.

Illis ex vacantibus aliqua [illegible] conſignanda.

Cap. Relatum 2.

CAPVT XV.

De Gabella, quæ dicitur Alcauala.

Alcauala quid, & vnde dicta.

116 Alcauala genus impoſitionis eſt pro iis, quæ venduntur: de cuius in Hiſpaniâ origine plures Auctores agunt, ſicut & de nominis originatione; & dum alij hoc, alij diuerſo modo circa illam philoſophantur, nihil eſſe certum eo ipſo proteſtantur. Videantur P. Molina *Diſput.* 665. vbi rem perſequitur eruditè. Et Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *lib.* 5. *num.* 48. & magis ex profeſſo in Politicâ *Lib.* 6. *cap.* 8. & fortaſsè non inueroſimili dici coniecturâ poſſet Alcaualam dictam iuxta Hiſpanam vocem, *Caual*, quæ idem ſonat ac iuſtum & æquale: *Al* autem idem eſt quod *Ad*; vt perinde ſit atque *Ad æqualitatem*. Siue quia gabella hæc ad æqualitatem cum neceſſitate, pro quâ cœpit exigi, eſſe debebat; ſiue ad æqualitatem rerum, quæ vendebantur, non omnimodam, ſed proportionatam. De quâ, & de rebus, ex quibus ſoluenda, longior poſſet inſtitui tractatio, quales apud Auctores occurrunt, & videri inter alios poſſunt P. Molina *Diſput. citatâ, & ſeqq.* P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſiliorum, cap.* 4. P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 383. *& ſeqq.* & breuior ſumma apud D. Gaſparem de Eſcalona in *Gazophylacio lib.* 2. *Parte* 2. *cap.* 2.

Qualiter in Hiſpaniâ, & in Indijs exigitur.

117 Et quod ad Indias attinet, moderatione maiori, quàm in Hiſpaniâ exigitur, in quâ decima pro centū ſoluitur; cùm tamē in illis quatuor pro centum exigantur: idque non rigidè proportione ſeruatâ, ſed incapitatione, determinatū aliquid ab iis, qui vendere ſolent, per modum annuę præſtationis exigendo: quod à Regiis miniſtris fieri nō ſolet, ne grauior inde reddatur exactio; ſed à mercatoribus ipſis, quorum gremium, ſeu Conſulatus

tus

Digitized by Google

An India cum onere dicto Coronæ accreuerint: dubia quæſtio.

tus in ſe ſuſcipit ſoluendi onus, determinatam ſcilicet annuam ſummam per modum locationis. An autem ex eo præciſè quòd Indiarum regna adiecta Regiæ Coronæ ſint, ad Alcaualam remanſerint obligata; niſi priuilegium circa hoc Reges per tempus aliquod conceſſiſſent, vt reipſà conceſſerunt: quæſtionis eſt jam parùm vtilis quoad rem moralem: quomodocumque enim res ſe habeat, conſtat priuilegium iam eſſe ſublatum, & obligationem extare ei ſimilem, quæ alibi; niſi quòd maior in Indiis appareat, quia maior videtur illius iuſtificatio, ob moderationem dictam. Et quidem Dom. Solorzanus *ſuprà*, affirmatiuam ſententiam amplectitur; quæ tamen difficultate non caret: cùm enim onera iſta regnis imponantur ob illorum neceſſitates, ſintque illis proportionata; non debent noua regna cum eo grauamine ad Coronam venire, vt priorum regnorum neceſſitates ſuppleant, quandoquidem ipſa ſuas ſunt etiam neceſſitates habitura. Iuxta has ergo onera imponenda ſunt, quæ eſſe multò minores poſſunt, vt in Indiis accidit: & ita per annos plurimos ab onere vectigalium exemptæ, magna aliàs emolumenta Regibus contulerunt.

Non eſſe iuſtam abſolutè qui cenſeant.

Cardinalis Toletus.

118 Sunt autem qui Alcaualam non penitus iuſtam exiſtiment, ex quibus Cardinalis Toletus *Lib. 5. cap. 74. num. 2.* ita ſcribit: *Tales gabellæ, quæ ex his, quæ ad ſuſtentationem propriam emuntur, exigi ſolent, magnam ſpeciem habent iniuſtitiæ, & vix poſſunt iuſtificari. Ex hac parte illa gabella, quæ apud Hiſpanos dicitur Alcauala, videtur iniuſta: quæ quidem exigitur tum è mercibus, tum ex ijs, quæ in proprios vſus emuntur. Nec ſolùm ex hac parte iniuſta videtur, ſed etiam quia jam ceſſauit finis, propter quem fuit impoſita; puta bellum Granatæ: & quamuis bellum eſſet, Reges illi ſunt adeò diuites facti & gabellæ etiam adeò pingues, vt poſſit prouideri ſufficienter abſque tanta exactione.* Sic ille. Quod & tenent alij apud P. Sancium *ſuprà, Dub. 13.* ex alio principio, ſcilicet quia duriſſimum tributum eſt, & eatenus iniuſtum, decem pro centum exigere: quod & affirmat ipſe Pater, dicens ſic tenuiſſe plures Magiſtros Salmanticenſes; vnde ait non teneri venditorem ſoluere decem pro centum, ſiue vnum pro decem, ſed pro triginta vel quadraginta vnum.

Eſſe tamen oſtenditur ex benigna imponentis voluntatis interpretatione.

119 Quæ quidem cùm apud graues ſcriptores extent, neque exteros illos, ſed Hiſpanos, & erga Reges ſuos piè affectos, non poſſunt vt leuia refutari. Sed ne Regum ipſorum pietatem & iuſtitiam videamur offendere, dum impoſitionem dictam iniuſtitiæ notâ traducimus: videtur dicendum aliud eſſe, quod verba ſonant; & aliud, quod iuxta ipſorum mentem æſtimandum venit. Verba quidem decimam ſonant, ſed decimam accipi non eſt Regiæ voluntatis. Quod quidem ex eo oſtendi poteſt, quod habet P. Sancius *ſuprà, Dub. 12. num. 18.* Vbi ait poſſe nos excuſare à reſtitutione Alcaualæ multos mercatores, quibus publicani non diſcooperiunt merces, nec cogunt ſub iuramento aperire veritatem, ſed ſimpliciter ſtant eorum dictis, & ij minùs quàm ſit, palàm faciunt. Cùm iſtis enim diſſimulare poſſumus, nec illos obligare ad reſtituendum illud, quod ex occultatis mercibus non ſoluerunt, ex voluntate tacitâ, immò ferè expreſſâ cuſtodum ſeu exactorum, notâ & approbatâ à ſuis dominis, qui conſultò, dataque operâ volunt, ac iubent his miniſtris, ne ſint oneroſi ac rigidi eis mercatoribus: ſed potiùs leniter ac ſuauiter ſe gerant cum illis, ſtentque eorum dictis: atque hoc faciunt ob proprium commodum & emolumentum, gaudent enim omnes talia loca frequentare animaduertentes commodum & vtilitatem, quam inde reportant. Sic dictus Auctor: cuius doctrina in Indiis manifeſtior habetur ex iis, quæ affert Dom. Solorzanus in Politicâ *pag. 975. §. Y ya en algunas, & ſeqq.* Et id quidem quando ad rationem duorum tantùm pro centum ſolui iubebantur. Quid ergo de illâ velint, quando decem pro centum exiguntur? Hinc eſt quod approbat P. Sancius *ſuprà, num. 2.* ex Ledeſmâ deſumptum, vix vmquam Regem percipere vigeſimam. Pro quo etiam facit id, quod ait P. Molina *Diſputat. 674. §. Quinta concluſio*: Quòd ſi tributa omnia integrè & fideliter ſoluerentur, Principes non imponerent tot, quot imponunt, quia pauciora impoſita ſufficerent; atque ſola alcauala integrè ſoluta, ad ingentem ſummam perueniret. Sic ille, & benè. Et quo fit neque trigeſimam, & fortè minùs multùm Reges præcipere. Præuidentes ergo in executione ipſâ ita futurum, partem adeò conſiderabilem deſignarunt, vt reipſa moderatum aliquid reportarent. Vt hîc etiam verum habeat illud, *Iniuſtum petas, vt iuſtum feras.*

Congrua pro eo P. Sancij doctrina, & notanda pro praxi.

In Indijs id manifeſtius.

Notanda & alia P. Molinæ.

In Indijs moderatâ videri.

120 Videtur autem iuxta dicta Alcaualam in Indiis eſſe iuſtam, quia moderata eſt, ad rationem videlicet quatuor pro centum, ſi in omnibus partibus eſt æqualis. Quamquàm & hoc erunt qui negent: cùm enim ſint qui dicant tunc tantùm eſſe iuſtam, quando ſoluitur vnum pro quadraginta, in quatuor pro centum exceſſus eſſe videtur, cùm ad rationem vnius pro quadraginta duo tantùm cum dimidio reſpondeant centum. Sed certè valdè moderata apparet, ſuppoſitâ benignitate, quæ iuſſa eſt circa exactionem adhiberi: ſic enim idem accidet, quod nuper circa decimam dicebamus: multò ſcilicet minus reipſa colligendum. Poſitâ autem tali moderatione an in conſcientiâ ſit ſoluendi obligatio, communis difficultas eſt, de quâ dictum aliàs. Eſſe autem aliquando ſpecialis in Peruuio, & Prouinciis adiacentibus poteſt, ex tributi huius nouitate in illis, de cuius introductione Hiſtorici Indici & adducti Solorzanus, & Eſcalona. Id autem accidit quando duo tantùm pro centum petebantur. Proximis autem annis ab Excellentiſſimo Comite de Chinchon Peruuiano Prorege duo addita: quia hoc conuenientius viſum eſt quàm ſummam quamdam annuatim pendendam expromere à Rege pro vnione armorum expetita: & id fuit à Rege confirmatum, vt apud citatum Eſcalonam videri poteſt, *num. 3. & 4.*

Ex nouitate impoſitionis vitanda turba.

Quoad duo addita minùs obligare; quia noua impoſitiones minùs iuſtæ cenſentur.

121 Quoad duo ergo addita ob prædictum finem impoſitio præfata nouior eſt, & ita minùs obligatoria, iuxta eorum doctrinam, qui gabellas nouiter impoſitas non obligare in conſcientiâ affirmant, eò quòd minùs iuſtæ cenſeantur: vt videri poteſt apud P. Sancium *ſuprà, dub. 6. num. 5.* & P. Molinam etiam *ſuprà, num. 7.* Vbi & addere aliquis poſſet, quandoquidem Indiarum regna ita ſunt Regiæ Coronæ Regum noſtrorum adiecta, vt onerari exactionibus poſſint ſicut & alia, conſe-

Digitized by Google

Cap. Eccleſiæ, S. MARIÆ.

Cap. Cùm laicis.

ſtitutionibus. Vbi ſic dicitur: *Nos attendentes quod laicis (etiam Religioſis) ſuper Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas, &c.* Vbi Eccleſiæ nomine bona ad Eccleſiam ſpectantia comprehendi conſtat ex Cap. *Cùm laicis*, de rebus Eccleſiæ non alienandis, vbi idem, & eiſdem ferè verbis ſtatuitur, illis inquam: *Cùm laicis (quamuis Religioſis) diſponendi de rebus Eccleſiæ nulla ſit attributa poteſtas: quos obſequendi manet neceſsitas, non auctoritas imperandi.* Sic ibi.

Neque priuilegium pro eo vllũ ſpeciale.

114 Cùm ergo hæc ita ſe habeant, non videtur quomodo Rex noſter, Canonici iuris auctoritate reueritâ, & retentâ obſeruatione, adminiſtrationem dictam ſibi poſſit arrogare. Pro quo nec ſpeciale allegari poteſt priuilegium; quia circa hoc Pontifices minimè affecti comperiuntur; cùm ſæpiùs tentauerint Collectores in Indias mittere, quales in Hiſpaniâ habent. De quo Dom. Solorzanus *Cap. 11. citato, num. 26.* Et id ſanè oſtendit quàm alieni ſint à priuilegij huiuſmodi conceſſione. Dicendum ergo videtur circa adminiſtrationem dictam Reges noſtros Alexandri Sexti ſe conceſſione tueri, dum decimas illis

Ad Alexãdri 6. conceſſionem reuocandũ.

donauit: & licèt eas Eccleſiis redonauerint, quoad illas tamen, de quibus agimus, in ipſarum vacatione aliquale jus retinendum cenſuiſſe: non vt quidquam ſibi acquirant; ſed vt ſecurè, conuenienter, & opportunè diſtribuant. Iuris ergo Pontificij diſpoſitio quoad ſubſtantiam ſeruatur, quod, vt vidimus *num.* 111. præſertim intendit *Eccleſiarum indemnitatibus præcauere*: quod quidem egregiè præſtatur: non verò quoad modum. Licèt autem Pontifices Alexandri ſucceſſores nouum circa hoc priuilegium non inueniantur conceſſiſſe; immò & plures, vt vidimus, contrarium attentarint: quia tamen Alexandri priuilegiũ non abrogarunt, eo Reges noſtri quoad hoc poſſunt veroſimili opinatione gaudere. In quo quidem oſtendere volunt nullo ad talẽ agendi modum propriæ vtilitatis reſpectu moueri; ſed eo ipſo, quem Pontifices Iuris Canonici auctores in ſuis deciſionibus præſeferunt; quòd ſcilicet vacantis Eccleſiæ redditus contra multorum auſus, ex auaritiæ ſtimulatione conceptos, in bonum Eccleſiæ ſeruentur, & vtiliter expendantur. Et hæc quoad prædictam adminiſtrationem.

Ne Religioſi noua prædia acquirant vt Regijs ſchedulis cauetur.

115 Extant etiam plures Regiæ Schedulæ, quas in particulari commemorat D. Gaſpar de Eſcalona in *Gazophylacio Lib. 2. Parte 2. cap. 33.* §. 2. *num.* 9. quibus cauetur ne Religioſi noua acquirant prædia: non quidem circa hoc auctoritatiuè quidquam diſponendo; ſed jubendo vt ſupremi Magiſtratus induſtriè hoc & ſolerter impedire curent non vi, ſed induſtriâ: eò quòd nouorum prædiorum acquiſitione decimæ, & conſequenter Regij Noueni valde imminuti videantur. In quo quidem Rex noſter grauem eſt paſſus deceptionem. Decimæ namque, & conſequenter Noueni, in aliquibus Eccleſiis & in Limanâ omnium maximâ, his annis nimium quantùm excreuerunt. Quòd ſi alicubi imminutio eſt aliqua deprehenſa, non ex Religionum augmentis, ſed ex aliis cauſſis eſt accidiſſe compertum. *Ecce coram Deo, quia non mentior.* Quod cùm & Regiis Miniſtris conſtare poſſit, peccabunt equidem grauiter, ſi id quod Religioſis beneficio Iuris communis, Pontificiâ beneficentiâ, & Regum etiam noſtrorum Bullas Apoſtolicas in Regio Indiarum Conſilio Regiſtratas amplectentium auctoritate competit, ſtudeant modis quibuſlibet offuſcare. *Quos obſequendi manet neceſsitas, non auctoritas imperandi.* Ex Cap. *Eccleſiæ.* & Cap. *Cùm laicis*, iam citatis: & ſanè expediret ampliùs, vt Reges noſtri ex redditibus Eccleſiarum vacantium, quos, vt vidimus, in Eccleſiæ vtilitatem expendunt, portionem aliquam Religioſis cœtibus graues patientibus neceſſitates, conſignarent. Hoc enim opus pium, & maximè pium eſt: vnde in Iure expreſſum, vt bona ad Eccleſiam ſpectantia Religioſis valeant applicari. Sic enim habetur in Cap. *Relatum 2.* iam citato, ibi: *Licèt autem mobilia per Eccleſiam acquiſita* (id eſt intuitu Eccleſiæ) *de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non poſſunt: conſuetudinis tamen non eſt improbandæ, vt de his, pauperibus & Religioſis locis, & illis, qui viuenti ſeruierunt, ſiue conſanguinei ſint ſiue alij, aliqua juxta ſeruitij meritum conferantur.* Sic Alexander Tertius. Diaboli autem fieri videtur inuidiâ, vt in huiuſmodi largitionibus Religioſæ domus in Indiis conſiſtentes prætereantur, vt ſic indigentiâ creſcente, Religioſa diſciplina marceſcat, ſintque Religioſi ad propagandam fidem, & exempli ædificatione rem Chriſtianam promouendam, minùs quàm eſſe oporteat efficaces.

Ingens in prædicta cautione deceptio.

Illis ex vacantibus aliqua minùs conſignanda.

Cap. Relatum 2.

CAPVT XV.

De Gabella, quæ dicitur Alcauala.

Alcauala quid, & vnde dicta.

116 ALcauala genus impoſitionis eſt pro iis, quæ venduntur: de cuius in Hiſpaniâ origine plures Auctores agunt, ſicut & de nominis originatione; & dum alij hoc, alij diuerſo modo circa illam philoſophantur, nihil eſſe certum eo ipſo proteſtantur. Videantur P. Molina *Diſput.* 665. vbi rem perſequitur eruditè. Et Dom. Solorzanus *Tomo 2. lib.* 5. *num.* 48. & magis ex profeſſo in Politicâ *Lib.* 6. *cap.* 8. & fortaſsè non inueroſimili dici coniecturâ poſſet Alcaualam dictam iuxta Hiſpanam vocem, *Caual*, quæ idem ſonat ac iuſtum & æquale: *Al* autem idem eſt quod *Ad*; vt perinde ſit atque *Ad æqualitatem.* Siue quia gabella hæc ad æqualitatem cum neceſſitate, pro quâ cœpit exigi, eſſe debebat; ſiue ad æqualitatem rerum, quæ vendebantur, non omnimodam, ſed proportionatam. De quâ, & de rebus, ex quibus ſoluenda, longior poſſet inſtitui tractatio, quales apud Auctores occurrunt, & videri inter alios poſſunt P. Molina *Diſput. citatâ, & ſeqq.* P. Thomas Sancius *Lib. 2. Conſiliorum, cap.* 4. P. Fragoſius *Tomo 1. pag.* 383. *& ſeqq.* & breuior ſumma apud D. Gaſparem de Eſcalona in *Gazophylacio lib. 2. Parte 2. cap. 2.*

Qualiter in Hiſpaniâ, & in Indijs exigitur.

117 Et quod ad Indias attinet, moderatione maiori, quàm in Hiſpaniâ exigitur, in quâ decima pro centũ ſoluitur; cùm tamẽ in illis quatuor pro centum exigantur: idque non rigidè proportione ſeruatâ, ſed incapitatione, determinatũ aliquid ab iis, qui vendere ſolent, per modum annuę præſtationis exigendo: quod à Regiis miniſtris fieri nõ ſolet, ne grauior inde reddatur exactio; ſed à mercatoribus ipſis, quorum gremium, ſeu Conſulatus

tus

An India cum onere dicto Coronæ accreuerint: dubia quæſtio.

tus in ſe ſuſcipit ſoluendi onus, determinatam ſcilicet annuam ſummam per modum locationis. An autem ex eo præcisè quòd Indiarum regna adiecta Regiæ Coronæ ſint, ad Alcaualam remanſerint obligata; niſi priuilegium circa hoc Reges per tempus aliquod conceſſiſſent, vt reipsâ conceſſerunt: quæſtionis eſt jam parùm vtilis quoad rem moralem: quomodocumque enim res ſe habeat, conſtat priuilegium iam eſſe ſublatum, & obligationem extare ei ſimilem, quæ alibi; niſi quòd maior in Indiis appareat, quia maior videtur illius iuſtificatio, ob moderationem dictam. Et quidem Dom. Solorzanus *ſuprà*, affirmatiuam ſententiam amplectitur; quæ tamen difficultate non caret: cùm enim onera iſta regnis imponantur ob illorum neceſſitates, ſintque illis proportionata; non debent noua regna cum eo grauamine ad Coronam venire, vt priorum regnorum neceſſitates ſuppleant, quandoquidem ipſa ſuas ſunt etiam neceſſitates habitura. Iuxta has ergo onera imponenda ſunt, quæ eſſe multò minores poſſunt; vt in Indiis accidit: & ita per annos plurimos ab onere vectigalium exemptæ, magna aliàs emolumenta Regibus contulerunt.

Non eſſe iuſtam abſolutè qui cenſeant.

Cardinalis Toletus.

118 Sunt autem qui Alcaualam non penitus iuſtam exiſtiment, ex quibus Cardinalis Toletus *Lib. 5. cap. 74. num. 2.* ita ſcribit: *Tales gabellæ, quæ ex his, quæ ad ſuſtentationem propriam emuntur, exigi ſolent, magnam ſpeciem habent iniuſtitiæ, & vix poſſunt iuſtificari. Ex hac parte illa gabella, quæ apud Hiſpanos dicitur Alcauala, videtur iniuſta: quæ quidem exigitur tum è mercibus, tum ex ijs, quæ in proprios vſus emuntur. Nec ſolum ex hac parte iniuſta videtur, ſed etiam quia jam ceſſauit finis, propter quem fuit impoſita; puta bellum Granatæ: & quamuis bellum eſſet, Reges illi ſunt adeò diuites facti & gabellæ etiam aliæ adeò pingues, vt poſſit prouideri ſufficienter abſque tanta exactione.* Sic ille. Quod & tenent alij apud P. Sancium *ſuprà, Dub. 13.* ex alio principio, ſcilicet quia duriſſimum tributum eſt, & eatenus iniuſtum, decem pro centum exigere: quod & affirmat ipſe Pater; dicens ſic tenuiſſe plures Magiſtros Salmanticenſes; vnde ait non teneri venditorem ſoluere decem pro centum, ſiue vnum pro decem, ſed pro triginta vel quadraginta vnum.

Eſſe tamen oſtenditur ex benigna imponentis voluntatis interpretatione.

119 Quæ quidem cùm apud graues ſcriptores extent, neque exteros illos, ſed Hiſpanos, & erga Reges ſuos piè affectos, non poſſunt vt leuia refutari. Sed ne Regum ipſorum pietatem & iuſtitiam videamur offendere, dum impoſitionem dictam iniuſtitiæ notâ traducimus: videtur dicendum aliud eſſe, quod verba ſonant; & aliud, quod iuxta ipſorum mentem æſtimandum venit. Verba quidem decimam ſonant, ſed decimam accipi non eſt Regiæ voluntatis. Quod quidem ex eo oſtendi poteſt, quod habet P. Sancius *ſuprà, Dub. 12. num. 18.* Vbi ait poſſe nos excuſare à reſtitutione Alcaualæ multos mercatores; quibus publicani non diſcooperiunt merces, nec cogunt ſub iuramento aperire veritatem, ſed ſimpliciter ſtant eorum dictis, & ij minùs quàm ſit, palàm faciunt. Cùm iſtis enim diſſimulare poſſumus, nec illos obligare ad reſtituendum illud, quod ex occultatis mercibus non ſoluerunt, ex voluntate tacitâ, immò ferè expreſſâ cuſtodum ſeu exactorum, notâ & approbatâ à ſuis dominis, qui conſultò, dataque operâ volunt, ac iubent his miniſtris, ne ſint oneroſi ac rigidi eis mercatoribus: ſed potiùs leniter ac ſuauiter ſe gerant cum illis, ſtentque eorum dictis: atque hoc faciunt ob proprium commodum & emolumentum, gaudent enim omnes talia loca frequentare animaduertentes commodum & vtilitatem, quam inde reportant. Sic dictus Auctor: cuius doctrina in Indiis manifeſtior habetur ex iis, quæ affert Dom. Solorzanus in Politicâ *pag. 975. §. Y ya en algunas, & ſeqq.* Et id quidem quando ad rationem duorum tantùm pro centum ſolui iubebantur. Quid ergo de illâ velint, quando decem pro centum exiguntur? Hinc eſt quod approbat P. Sancius *ſuprà, num. 2.* ex Ledeſmâ deſumptum, vix vnquam Regem percipere vigeſimam. Pro quo etiam facit id, quod ait P. Molina *Diſputat. 674. §. Quinta concluſio:* Quòd ſi tributa omnia integrè & fideliter ſoluerentur, Principes non imponerent tot, quot imponunt, quia pauciora impoſita ſufficerent; atque ſola alcauala integrè ſoluta, ad ingentem ſummam perueniret. Sic ille, & benè. Et quo fit neque trigeſimam, & fortè minùs multùm Reges præcipere. Præuidentes ergo in executione ipſâ ita futurum, partem adeò conſiderabilem deſignarunt, vt reipſa moderatum aliquid reportarent. Vt hic etiam verum habeat illud, *Iniuſtum petas, vt iuſtum feras.*

Congruens pro eo P. Sancij doctrina, & notanda pro praxi.

In Indijs id manifeſtius.

Notanda & alia P. Molinæ.

In Indijs moderata videri.

120 Videtur autem iuxta dicta Alcaualam in Indiis eſſe iuſtam, quia moderata eſt, ad rationem videlicet quatuor pro centum, ſi in omnibus partibus eſt æqualis. Quamquàm & hoc erunt qui negent: cùm enim ſint qui dicant tunc tantùm eſſe iuſtam, quando ſoluitur vnum pro quadraginta, in quatuor pro centum exceſſus eſſe videtur, cùm ad rationem vnius pro quadraginta duo tantùm cum dimidio reſpondeant centum. Sed certè valdè moderata apparet, ſuppoſitâ benignitate, quæ iuſſa eſt circa exactionem adhiberi: ſic enim idem accidet, quod nuper circa decimam dicebamus: multò ſcilicet minùs reipſa colligendum. Poſitâ autem tali moderatione an in conſcientiâ ſit ſoluendi obligatio, communis difficultas eſt, de quâ dictum aliàs. Eſſe autem aliquando ſpecialis in Peruuio, & Prouinciis adiacentibus poteſt, ex tributi huius nouitate in illis, de cuius introductione Hiſtorici Indici & adducti Solorzanus, & Eſcalona. Id autem accidit quando duo tantùm pro centum petebantur. Proximis autem annis ab Excellentiſſimo Comite de Chinchon Peruuiano Prorege duo addita: quia hoc conuenientius viſum eſt quàm ſummam quamdam annuatim pendendam expromere à Rege pro vnione armorum expetita: & id fuit à Rege confirmatum, vt apud citatum Eſcalonam videri poteſt, *num. 3. & 4.*

Ex nouitate impoſitionis vitanda turba.

Quoad duo addita minùs obligare; quia noua impoſitiones minùs iuſtæ cenſentur.

121 Quoad duo ergo addita ob prædictum finem impoſitio præfata nouior eſt, & ita minùs obligatoria, iuxta eorum doctrinam, qui gabellas nouiter impoſitas non obligare in conſcientiâ affirmant, eò quòd minùs iuſtæ cenſeantur: vt videri poteſt apud P. Sancium *ſuprà, dub. 6. num. 5.* & P. Molinam etiam *ſuprà, num. 7.* Vbi & addere aliquis poſſet, quandoquidem Indiarum regna ita ſunt Regiæ Coronæ Regum noſtrorum adiecta, vt onerari exactionibus poſſint ſicut & alia; conſe-

Digitized by Google

conſequenter etiam eorum commoda debere ſentire, iuxta notiſſimam *Regulam Iuris in 6.* quod qui ſentit onus, ſentire debet & commodum. In regnis autem Hiſpaniæ onera gabellaria imponi nequeunt, niſi Comitiis vocatis, Procuratores ciuitatum, & Tribuni plebis ea probent, vt benè aduertit P. Sancius *Dub. 2. num. 5.* & talis ſeruatus ſtylus in alcaualæ impoſitione, dum illa eſt vndecimo Alfonſo Regi conceſſa, vt citati Auctores referunt, & præſertim P. Molina *Diſputat. 665.* Atqui nihil tale in Indiis peractum, vt in illis alcauala ſtatueretur, & ſaltem quoad duo de nouo addita à præfato Prorege id videtur vrgere. Licet dici poſſit id, quod ex Dom. Solorzano adductum *num. 118.* Sed & quia illud ſuâ non caret difficultate, vt ibi demonſtratum, eo ſe tueri poſſunt, qui obligationem iſtam rigidam arbitrantur. De quo hæc ſatis; ſi tantùm addamus Indos ab onere alcaualæ exemptos per ea, quæ adducit Dom. Eſcalona *ſuprà pag. 151. num. 5.* vbi & videnda alia.

Quid pro Indiis attentione dignum

CAPVT XVI.

De vectigali maritimo, vulgò Almoxarifazgo.

Almoxarifazgo quid deſignet.

122 ALmoxarife, vnde *Almoxarifazgo*, vox eſt Maurica, & quidquid etymon illius ſonet, de quo non plenè conſtat, Præfectum maritimis vectigalibus colligendis ex iis ſcilicet, quæ aduehuntur, aut extrahuntur, deſignat; & ius ipſum exactionis *Almoxarifazgo* dictum. Pro quo videri poteſt Dom. Solorzanus *Tomo 2. Libr. 5. numer. 53.* & in Politicâ *Libr. 6. Cap. 9.* qui in Prouinciis Indiarum ait eſſe maioris quæſtûs ac ponderis circa Regios redditus; dictum generaliter Portorium, & magis in ſpeciali pro illis explicatur à D. Eſcalona in *Gazophylatio Peruuiano pag. 138. & 139.* & aliquando quidem, teſte Matienzo, quem Dom. Solorzanus adducit, ita erat vectigal iſtud conſtitutum, vt ex mercibus, quæ ad Indias vendendæ comportabantur, quindecim pro centum ſoluerentur, & ex vino viginti: ex quibus media pars ſoluebatur in Indiis, media in Hiſpaniâ: & eſt illud iuxta Schedulam Regiam *Anni 1566.* quæ extat *Tomo 3. pag. 449.* Quod ſanè nimis durum apparet: & ex eo tolerabile videri potuit, quia merces tunc magnis pretiis vendebantur. Sed mirum eſt quod addit idem Dom. Solorzanus poſt adducta Matienzi verba. *Lib. 5. citato num. 54.* Sic dicens: *Quod tamen quotidie augeri videmus, Regiis neceſſitatibus, & hoſtium, Piratarumque incurſibus ita deſiderantibus.* Sic ille, non obſcurè ſignificans onus prædictum maius indies fieri: quod tamen in vino dici in primis nequit antè in Peruuiam afferri ſolito; adeò enim iam illud ex vineis natiuis abundat, vt externo non egeat, nec ſit cur generoſius apud Europæos debeat exoptare. Circa merces autem alias ad minorem eſt ſummam exactio iſta redacta; ad rationem ſcilicet quinque pro centum, iuxta maiorem rei valorem, quem habet in eo Indiarum portu, pro quo regiſtrum eſt factum. Quomodo ergo ſtare poterit id, quod ait Dom. Solorzanus, ſupra ſummam ingentem illam quotidie vectigal iſtud augeri?

Idem quid Portorium.

Ingens aliquando.

Quomodo D. Solorzanus illud augeri quotidie dixerit.

123 Videtur quidem difficile, ſed certè re attentiùs expenſâ poteſt vtrumque componi. Nam in portu Terræ-firmæ quinque dicta ſoluuntur, iuxta medium pretium, quod ibidem habent. Rurſum cùm ad portũ Callaenſem perueniunt, alia quinque ſoluuntur: & deinceps cùm in portum Aricæ, aut ex Chilenſibus alium prouehuntur, alia quinque. Ecce iam quindecim, vt dictum poſſit Auctoris præfati conſtare, non attentis verbis Matienzi, quæ aliam profectò tunc vigentem diſpoſitionem inſinuant, ſed quod re ipſâ deprehenditur. Circa merces autem, quæ ex Indiis in Hiſpaniam aut Prouincias alias, ſeu portus intra eaſdem tranſuehuntur, ratio eſt exactionis alia: de quâ Dom. Eſcalona *pag. 139.* & eſt quidem non leuis, ſi præter alia illud perpendamus vectigal iſtud pro nauigationis ſecuritate ſolui conſueuiſſe, dum mare ab hoſtibus liberum nauigantibus exhibetur: quod tamen in in mari Auſtrali ſeu Pacifico, eſt de ſubiecto, vt dici ſolet, non ſupponente; cuius ſecuritatem non Regia claſſis, ſed marium conſtituit immenſitas, vt ſit ſanè rarum in illo hoſtile aliquid experiri quod ad vectigal pro mercibus ex Hiſpaniâ adductis referri poteſt, adeò accreſcens ex eiuſdem maris enauigatione, in quâ onerarias numquam pro ſecuritatis commodo naues Regiæ comitantur.

Eius dictum verum oſtenditur.

Quale pro iis, quæ ex Indiis exportantur.

124 Hinc oritur difficultas circa iuſtificationem vectigalis dicti ei ſimilis, de qua *Cap. præcedenti.* & qui illam in alcaualâ, ſi exactio ſit vt lege præſcribitur, non agnoſcunt, in eo pariter denegabunt. Sed videtur ſimiliter philoſophandum, vt ſcilicet ſumma exactionis exceſſiua ſit, ſed quæ numquàm penitus perſoluatur. Quod enim in alcauala euenit, in hoc etiam vectigalis genere deprehenditur; occultantur enim merces, neque rigidè cum mercatoribus agitur mercium inuolucra reſignando, quod eſſet ſanè incommodiſſimum; ſed eorum ſtatur dictis iuramento firmatis, aſſerentium merces tales eſſe eaſdem, quæ in regiſtro continentur: iuxta Regiam ſchedulam, quæ habetur *Tomo 3. pag. 474.* Quibus aliam addo rationem. Nam Reges noſtri, cùm ſint præcipuum Catholicæ Eccleſiæ propugnaculum, plures habent aduerſarios: ſicut enim contra illam portæ inferi præualere nituntur; ita & contra illos, eiuſdem inclytos defenſores. Ex quo aliquando euenit vt intra patrimonialia regna etiam turbationes emergant externorum hoſtium flatibus concitatæ: pro quibus negari nequit quin immenſi theſauri requirantur. Ne ergo frequentiores & nouæ exactiones moleſtæ vaſallis accidant, & in earum præſtatione nouæ difficultates oriantur: quædam præcipuè eliguntur, & augentur pro neceſſitatum incremento. Ex quibus vectigal, de quo agimus, vnum eſt; quod, vt dictum, maioris quæſtûs & ponderis comperitur.

An obligat in conſcientia. Vbi quid de alcauala reſolutum.

Ratio pro eo ſpecialis.

125 Circa obligationem autem Regiorum Officialium, qui in portibus ad tale miniſterium aſſiſtunt, dictum à nobis *num. 23. & ſeqq.* & quod ibi in eorum fauorem admiſſum & explicatum, ex eo firmari poteſt, quod in alcaualæ exactione Regia reſcripta diſponunt: quod ſcilicet benignè & vitatis moleſtiis exigantur, vt dictum *num. 120.*

Regiorum Officialium obligatio benignè declarata

Digitized by Google

num. 120. & circa vectigal etiam iſtud Regia eſt ſchedula *Tomo* 3. *pag.* 474. cuius mentionem faciunt Ioannes de Heuia *in Labyrintho Contractuum Cap.* 7. *num.* 20. & D. Eſcalona *ſuprà pag.* 139. *L. F.* in qua decernitur, vt, niſi denuntiator ſit, dictis mercatorum ſtetur, nec vaſa mercium aperiantur, dummodo iurent merces eas metipſas eſſe, quæ in regiſtro continentur. Quod iuramentum neſcio an vſu receptum, ſic ita vt ſemper exigatur, & ſatius certè eſſet talem obligationem auferri, cùm ex hoc periuriorum quamplurium occaſiones oriantur. Et Iura quidem ſtatuunt multorum teſtimonium non admittendum, etiam iuramento firmatum, qui ad eum, pro quo iurant, ſpecialem habeant affectionem ob cognationem, aut rationes ſimiles. Quis autem non videat erga propria bona homines, & præcipuè eos, qui mercimoniis viuunt, ſingulari affectione teneri? quomodo ergo eorum iuramentum non debeat haberi ſuſpectum? Et vt eos conſcientiæ ſuæ non exiſtimemus immemores: cùm opiniones ſibi fauentes habeant circa huiuſmodi obligationem, & aliunde etiam aliæ ſint, iuxta quas licitum eſt in iuramentis amphibologiâ vti; quando non leuis in eo vtilitas vertitur: qualis de eorum iuramento poteſt eſſe fiducia, aut æſtimanda ſecuritas? Præſtat ergo obligationem iurandi tolli, & illam miniſtrorum diligentiâ ſuppleri, moderatione adhibitâ, quam iuxta voluntatem Regis eſſe in rebus talibus, iam remanet demonſtratum.

Iuramentum mercatorum tolli valde futurum expediens.

CAPVT XVII.

De Vectigali alio maritimo, vulgo Aueria.

128 PRo præſidiariis claſſibus introductum illud, vt ſcilicet mercatores, & transfretantes alij ab hoſtibus ſecuri ſe & ſua poſſint mari committere, armis Regiis defendendi. Et in Peruuio quidem ob prædictam rationem initium habet, cùm Franciſcus Drachius Anglicus pirata nauim Regiam ſolito tranſmitti theſauro onuſtam, nec militari aliquo tutamento munitam, Auſtrali in pelago poſt Magallenicum enauigatum fretum, occupaſſet. De quo D. Eſcalona *in Gazophylacio Parte* 2. *pag.* 140. *num.* 3. Tunc enim Excellentiſſimus Prorex D. Martinus Henriquez claſſem inſtruendam ſtatuit, & ita pro expenſis in eâ faciendis dimidium pro centum reddendum eſſe decreuit, quod ad vnum excreuit poſteà, & tandem ad duo: ex argento ſcilicet, quod Regiis nauibus exportatur ex Callaenſi portu in Panamenſem. Et ita affirmat citatus Auctor; cùm tamen certum ſit ſolui etiam quando in onerariis ſine aliquo Regio præſidio argentum regiſtratur. Solent autem Proreges circa hoc cum mercatorum gremio compoſitione benignâ vti, & certâ quantitate acceptâ ad rationem regiſtri fieri ſoliti, circa alia à perſcrutatione penitus abſtinere, neque in pœnam commiſſi capere, quæ non multo negotio poſſent explorare.

Aueria quid, & quando impoſita & aucta.

129 Et de iuſtificatione indulgentiæ huius nullus moueri ſcrupulus ſolet, quia hoc modo vtiliter Regis negotium agitur, & communi etiam vtilitati conſulitur. In regiſtro enim grauiſſimum diſpendium mercatores experiuntur, & cōmodo aliquo circa hoc eiſdem denegato, pauciora ad regiſtrum adducent, & modis aliis indemnitati facultatum ſuarum prouidebunt. Et hoc quidem Regium Indiarum nequit latere Cōſilium; & cùm non damnet, vt damnare alia ſolet, non debet illicitum reputari. Quod enim de alcaualâ, & portorio dictum nuper, huic etiam exactioni poteſt attribui: vt ſcilicet nolit Rex amarè peragi, & Proregi ſuo non licere, quod Officialibus præfatis licitum eſſe pronuntiauit. Pro quo & iuuant quæ adducit D. Eſcalona *ſuprà pag.* 180. *num.* 16. & 17. & quem allegat Heuia: *L. F.* Nomine autem Officialium non veniunt nauales adminiſtri, qui ſe ad occultandas mercatorum gazas, & aliorum transfretantium offerunt, pretij non leuis obtentu: iis enim nihil tale licet, quandoquidem Regis ſtipendium ad tuenda ipſius iura recipiunt, vnde ex officio ad damna inde ſecuta tenentur, vt ſæpiùs dictum; & pro quo videri ſpecialiter poteſt Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 5. *num.* 75. & *ſeqq.* & in Politicâ *Lib.* 6. *Cap.* 9. *in fine*, vbi de Generalibus, Almirantis, Ducibus, Argenti-magiſtris, Contra-magiſtris, & militibus id affirmat. Sed quod ad duces attinet, diſtinguendum videtur: aut enim tales ſunt quibus cura nauis incumbat, & ij meritò alijs adnectuntur, qui ex officio tenentur non cooperari vt iura Regia defraudentur. Alij autem ſunt Infantarij, quibus præcipuè res militaris competit: & ij ratione officij nullam videntur ſpecialem obligationem ad prædictam cuſtodiam habere: & eodem modo de militibus aſſerendum, niſi quando ſpecialis cura cuſtodiæ illis committitur. Sicut & de Contra-magiſtris, quorum aliud eſt munus & multò potiùs de Nauarcho ſeu Piloto, ob eamdem rationem. Qui tamen ex alio generali principio obligari poſſunt, eo ſcilicet quòd cooperentur defraudationi Regiorum iurium, ſi ij, qui defraudant, ad manifeſtationem obligantur. Cùm tamen ij, quibus ex officio competit, ad reſtitutionem teneantur; quidquid de opinionibus ſit, quæ circa manifeſtationem eſſe poſſunt, de quo dictum aliàs.

Indulgentia Proregum circa illam defenditur.

Qui Officialium nomine intelligantur.

130 Et vt manifeſtatio talis in conſcientiâ obliget, præter dicta de alcauala & portorio, eſt Regium reſcriptum, quod habetur *Tomo* 3. *pag.* 474. in quo Philippus Secundus, clariſſimæ memoriæ Rex ita ſtatuit: *El que encubriere el Aueria, y no pagare, allende de auer perdido la mercaderia, ò coſa que lleuare por regiſtrar conforme à la Ordenança, aunque condonado ò executado en perdimiento de la coſa, toda via queda obligado à pagar el Aueria della. Y aunque no ſea denunciado, ni ſe ſepa, eſtà obligado à la pagar en el fuero de la conciencia. Y los que por deſcargo della vinieren reſtituyendo, no cumplen con reſtituir la à ninguna cauſa pia, ſino que ſean obligados à reſtituirla al Recetor, por ſi, ò por interpoſita perſona, por ante el Eſcribano de la Aueria.* &c. Vbi quidem Aueriæ tantùm reſtitutio in conſcientiæ foro præcipitur, non autem alterius contra legem occultati. Quod autem re occultatâ per ſententiam amiſſâ, obligatio in conſcientiæ foro ad Aueriæ ſolutionem remaneat, nimis eſſet durum, & ita reſcripto præfato id non videtur imperari; ſed

Aueria an in conſcientia obligat, pro quo pœna recenſentur.

Philipp. 2. reſcriptum obligationem talem ſtatuentis, & quid ex illo vt actum deducatur.

Digitized by Google

ſed tantummodò quando denuntiator non extat, nec de occultatione habetur notitia. Quando autem eſt denuntiator, & proptereà in commiſſum inciditur, reſque amittitur; tunc licet obligatio manere dicatur, de conſcientiæ tamen foro nihil pronuntiatur.

Si non petatur non debetur.

131 Hinc eſt, vt ſi contingat Aueriam non exigi, non reſtet obligatio reſtitutionis. Quod eſt juxta eorum doctrinam, qui dicunt obligationem talium legum eſſe diſiunctiuam, ſeu alternatiuam, quarum ſenſus eſt: *Ordinamus*, ſeu, *ſtatuimus, vt quilibet vectigalia ſoluat, alioqui merces amittat*. Quæ ita obligant, vt vnum è duobus debeat eligi; vel ſoluere vectigalia, vel pœnam ſubire poſt condemnationem, ſi res fuerit apprehenſa. Sic Nauarrus in *Manuali Cap.23.num.54.* non ergo debetur vtrumque. Quod & alij tradunt dicentes, quòd ſi culpâ Cuſtodis, qui tranſfretantes denuntiare omiſit, ſoluta vectigalia non fuerant, vtrumque Publicano, aut Principi non debetur; hoc eſt, tributum & res, in pœnam tributi non ſoluti: ſed illud lucrum, quod ex duobus maius eſt, pretium ſcilicet mercis, aut merces ipſa. Pro quo videri poteſt P. Rebellus *Parte 1. lib.2. de Reſtitutione, Quæſt.16. num.2.* & eſt etiam conforme aliorum doctrinæ dicentium Officiales, qui ſunt cauſſa damni in caſu dicto, debere in conſcientiâ illud reſarcire; in optione autem Fiſci, ſeu conductoris vectigalium Fiſcorum accipere vel quantitatem pœnæ, quæ de jure à judice parti accuſanti applicatur. Sic Ioannes de Medina *Codice de Reſtitutione, quæſt.22. dub. vlt. §. & ſic eſt vnus.* Et Sayrus *Lib.10. tract.2. cap.14. num. 19.* qui, ſicut & plures alij, ſupponit non eſſe obligationem in defraudante gabellas ad vtrumque; quia obligatio Officialium eſt in ſubſidium, quando ſcilicet illi non reſtituunt, qui ſunt cauſſa principalis, vt citati aduertunt, & præſertim Medina, & Sayrus, quibuſcum ſentit P. Fragoſus *Tomo 1. pag.521. n.89.*

Eſſe diſiunctiuam, & non obligare ad omiſſionem & pœnam.

Vt in conſcientiâ nō obligat, qua ſuccurrunt.

132 Ex eo autem quòd in reſcripto præfato dicatur obligationem eſſe in foro conſcientiæ, benè quidem intelligitur intentio Principis grauandi quantùm poteſt, iuxta ſatis receptam doctrinam. Per quod ſupponitur vectigal eſſe iuſtum, ſecundùm omnes circumſtantias, quæ ad iuſtificationem ſunt neceſſariæ, & ab Auctoribus præfatis, atque aliis explicantur. Hoc autem ita contingere in ſpecialis caſûs contingentiâ, eſt difficile iudicare. Vnde quidquid de illius intentione ſit, ſi aliàs de iuſtificatione non conſtat, maior illius obligatio non erit, quàm ſi modus ille obligandi expreſſus non fuiſſet. Quemadmodum etſi non exprimatur, ſi aliundè materia legis grauis eſt, & ſine graui obligatione redderetur inutilis, in foro conſcientiæ ligat, iuxta dicta *Titulo 2. num.3.* Expreſſio ergo nihil ſpeciale operatur ſuppoſitâ legis æquitate, & adductis rationibus, pro illius obligatione. Sed ſuppoſitio, vt diximus, eſt difficilis, & quam negant plurimi. Cuius ſatis validum argumentum eſt, vix aliquem repertum, qui fraudatam reſtituerit Aueriam, cùm tamen ſint innumeri, qui illam defraudarint. Nec credibile eſt illos animæ ſuæ ſalutem penitus neglexiſſe, cùm & Sacramenta ſuſcipiant, & Chriſtianorum ritu moriantur. Ipſi ergo, & ab ipſis conſulti conſcientiarum ductores, ſuppoſitionem dictam inficiati ſunt, aut de illâ dubitarunt. In caſu autem dubij vectigalia non obligare in conſcientiâ, & ea præſertim, de quorum initio conſtat, multorum ſententia eſt, pro quo videri poteſt P. Thomas Sancius *Lib. 2. Conſiliorum, Cap. 4. dub.6. num. 5.* vbi plures adducit, quos & ſequitur, ſicut & P. Leſſius *Lib. 2. cap.33. num. 63.* vbi plures etiam allegat obligationem conſcientiæ in nouis vectigalibus, aut veterum incrementis remouentes, quia de illorum iuſtitiâ ſatisfactio plena non habetur. P. Filliucius *Tract.28. cap.7. num.127.* P. Molina *Diſp.674. num.9. §. Quinta concluſio*, & alij. Reſcriptum ergo prædictum reuerenter accipiendum eſt, & capiti imponendum, quod & rationes probabiles juſtum poſſunt comprobare: de illius autem efficaciâ quoad conſcientiæ forum quis poſſit certum aliquid polliceri? Pro quo & facit, eo tempore, quo Schedulâ Regia tranſmiſſa, Aueriam ad rationem tantùm vnius pro centum perſolutam. Circa illud ergo potuit grauamen conſcientiæ conſtitui: cùm tamen poſteà fuerit geminatum, hoc extra obligationem præfatam manet, & quidquid in poſterùm adiiciatur.

In caſu dubij non obligare vectigalia.

Quid de reſcripto dicto.

133 Et tolerabilis quidem Aueria, quæ pro mari Pacifico ſoluitur, haberetur, ſi non alia quæſtuoſior ſuccederet, ad expenſas omnes Regiæ claſſis, quæ ex Hiſpaniâ in Indias mittitur: illæ enim pro rata ex aceruo diuitiarum, quæ ex Indiis comportantur, cuiuſcumque fuerint, Regiis demptis, extrahuntur. Ex quo fit vt ad rationem duodecim pro centum quam ſolui contingat, moderatiſſima habeatur, eſſe enim maior multò ſolet, & ad viginti, & ampliùs non numquàm peruenire. Ex eo enim quòd pro certo habeatur plurima ſine regiſtro reportari, juxta id, quod veroſimile apparet, vnuſquiſque grauatur. Habet autem hoc id commodum, vt ex tali penſione iuxta veroſimiles in dictâ coniecturas, perſcrutationis damnum euitetur, quæ fieri poſſet in Hiſpaniæ portubus, antequàm ſingulis educendi res ſuas facultas traderetur. In quo varia eſſe arbitria ſolent, dum Regij miniſtri, quibus viſitatio eſt claſſis Regiæ commiſſa, pro iuribus Regiis integrè colligendis ſatagunt, & diuitiarum domini Aueriæ grauamen, quod exceſſiuum reputant, & præſertim argenti ſui moleſtam & pernicioſam detentionem, conantur deſtinare. Et vt exactio iſta æqua non ſit, ſuadet in primis exceſſus dictus, iuxta Doctorum omnium in materia iſta ſententiam, de quâ dictum ſæpiùs. Deinde. In Regiâ claſſe non ſolæ priuatorum expectantur diuitiæ, ſed Regius etiam theſaurus: & ita exportationis illius expenſæ non debent ad priuatos pertinere. Præterea. Ex dubiis coniecturis non debent onera certa deduci, acſi id, quod coniecturæ indicant eſſet penitus exploratum: in dubio enim melior eſt conditio poſſidentis, vt eſt regula iuris notiſſima: ſi ergo aliquid ob coniecturarum veroſimilitudinem eliciendum eſt, ſit illud maximè moderatum, & ſponte potiùs datum quàm extortum: quod aliquando factum, vt non debeat benignitate Regiâ, cuius auctoritate res agitur, indignum reputari.

Aueria Oceani maris grauis, & qualiter exigatur.

Non eſſe iuſtam quæ oſtendere videntur.

134 Ad hæc, quæ videntur eſſe veriſſima, id dici tantùm poteſt, neceſſitates nimium quantùm vrgere, & ad iſta, ac duriora ſæpiùs, obligare. Et

Excuſatio neceſſitatis vt debeat tolerari.

Digitized by Google

Et id quidem ego ita eſſe arbitror: oportet tamen vt temporibus bello infeſtis, bellum in propria viſcera minimè conuertatur, & deſideratiſſimi Hiſpaniæ portus ipſis ſint maris tempeſtatibus, & hoſtilibus inſectationibus grauiores. Neque ego pro neceſſitate temporum doctrinam exhibeo, ſed generaliùs loquor, quia & extra neceſſitatis tempora, multa ex prædictis peraguntur: plurima tamen, vt creditur, citra Regis conſcientiam, cuius erga ſubditos benigniſſimi animi plura & eximia habentur argumenta. Et verò quod modò non habet ille ex diuitiis Indicis, habebit poſtmodùm; omnia enim quæ in Hiſpaniam deferuntur, ad negotiationes prodeunt in lucem ex nauium vteris, & ex negotiationibus emolumenta maxima Regi accreſcunt: vt meritò negotiantium quiuis dicere illi poſſit: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*

Aliud exactionis genus ob perſonalem deportationē, quomodo erga Eccleſiaſticos nō debeat tolerari.

135 In prædicto autem exactionis genere aliud interuenit, quod ſine aliquo conſcientiæ remorſu practicatur: eſtque perſonale ob calcatam, vt dicunt, nauim, & notabile profectò: perſonas ſcilicet Eccleſiaſticas more aliarum ad eamdem compelli: ſed certè cùm gabellæ genus ſit, à quarum illæ ſolutione exemptæ ſunt, non videtur quomodo id poſſit ita ſecurè tractari. Si enim dicatur Regem non teneri gratis Eccleſiaſticos ſuis in nauibus tranſportare, & ita quod ſoluitur, non gabellæ, ſed ſolutionis ob commoditatem præſtitam, rationem habere: eſt enim domus mobilis pro maritima habitatione, ſiue currus aquaticus, aut inanime iumentum pretio ab Eccleſiaſticis obtinendum. Si inquam hoc dicatur, poteſt redargui manifeſtè: nam commoditatem tranſuectionis gubernatoribus nauium Eccleſiaſtici ſoluunt, & quæſtuoſiſſimâ quidem ſolutione. Præter hoc autem Aueria imponitur, quæ abſque dubio gabellæ genus eſt ob dictos fines conſtituta: ergo ab illo debent Eccleſiaſtici eſſe prorſus immunes. Peccant ergo grauiter exigentes, & pœnas Eccleſiaſticæ libertatis violatorum incurrunt. Sin minùs oſtendant vnde in hac parte, quod exequuntur liceat: quod certè non poterunt, nuſquàm circa hoc Pontificiâ Sede quidquam indulgente. Ad regiſtrum teneri veroſimiliter dici poteſt, quia lex ciuilis eſt ob commune bonum lata; & tales ad Eccleſiaſticos extendi, ſic Pontificio Iure conniuente, multorum ſententia eſt, pro quâ Auctores congerit P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 141. *num.* 305. quos & ille ſequitur. Non ita ad Aueriæ ſolutionem; quia gabella eſt, cui omnis Pontificiæ Sedis reſiſtit auctoritas: Eccleſiaſtici enim ſoluentes ſuam redimunt vexationem, vt in aliis contingit.

Sicut nec Aueria, quia gabella propriè eſt: ſecùs regiſtrum.

CAPVT XVIII.

De Regiis aliis emolumentis ex pœnis Commiſſi prouenientibus.

Pœna commiſſi quid ſit.

AGunt de illis Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 5. *num.* 64. *& ſeqq.* & in Politicâ *Lib.* 6. *Cap.* 10. & Dom. Gaſpar de Eſcalona *in Gazophylacio lib.* 2. *Parte* 2. *cap.* 12. per aliquot §. §. & talia ſunt quæ ex amiſſione eorum habentur, quæ contra leges exportationem vetantes, aut modum illius ſpecialem, conuehuntur. Pro quibus ſit

§. I.

Duæ ſpeciales prohibitiones expenduntur.

Regiſtrandi obligatio etiam ad non vetita extenditur.

136 PRima eſt circa regiſtrum: quidquid enim ſine illo tranſuehitur, vbi faciendum præſcribitur, Fiſco addicitur, quia Regia iura eo pacto defraudantur. Cui tamen rationi videtur eſſe contrarium id, quod habet citatus de Eſcalona, §. 4. *num.* 8. vbi ait etiam ea, ex quibus non debentur iura, debere regiſtrari: ergo regiſtri alia eſt ratio magis generalis, quàm ille reddit, *num.* 1. Vnde triticum etiam cùm extra Prouinciam non exportatur, regiſtro ſubiiciendum eſt. Ratio ergo eſt; quia notitia eorum, quæ tranſuehuntur, neceſſaria eſt: ſic enim publicæ œconomię congruit, & defraudationis Regiorum iurium cura deponitur, dum quod exportatur, Regiis fit Officialibus manifeſtum. Poteſt etiam accidere, vt non expediat aliqua extrahi, quia ſunt pro eo loco neceſſaria, vt triticum, farina, legumina, & ſimilia ſi quæ ſint alia.

Si legaliter fiat, non incurri pœnam, etiam iuribus nō ſolutis, quid momenti habeat.

137 Aduertit autem citatus Auctor §. *citato, num.* 11. facto legaliter regiſtro non cadere in commiſſum, qui iura Regiā non ſoluunt, quia hoc per actionem ſpecialem & determinatam petitur: licèt pœna non ſoluendi ſiat per quadrupli ſolutionem. Quæ diſtinctio quoad ſubſtantiam nullius momenti eſt: ſi enim defraudatio iurium quadrupli ſolutione mulctatur, quid intereſt quòd hac aut illâ petatur actione? Addit *num. ſeqq.* quòd ſi res regiſtrata deficiat, non tamen dolo eius qui eam regiſtro ſubiecit, aut alterius, ad cuius curam pertinet, Fiſco perit, & ita non poteſt petere æſtimationem, eſt enim rei talis dominus. *Ex Ordinationibus Regiarum Capſarum. An.* 1573. Quod eſt ſanè difficile. Si enim dolus abfuit, vnde Fiſcus dominus? Si præterea illi perit, ad quid tale dominium pereuntis, quæ, ſi extaret, ad ſuum dominum pertineret? Rogo enim, quando res talis Fiſco acquiſita eſt? Non quidem cùm regiſtrata non eſt, quia dolus abfuit: nec ſequenti tempore, quia ratio eſt eadem: ergo dominium, ſi datur, ad tempus, in quo perit, referendum. Si dicatur rem non regiſtratam eo ipſo pertinere ad Fiſcum: ex eo autem quòd dolus abfuit, haberi illud commodum, vt æſtimatio non petatur, quia domino perit. Contrà eſt; quia ex eo Fiſcus fit dominus, quia in commiſſi pœnam inciditur, vnde & pœna ipſa abſolutè vocatur commiſſum. Atqui in caſu iſto nequit dari pœna, quia non datur culpa: ergo nec Fiſcus dominium acquirere. Qui diſcurſus videtur manifeſtus, & pro eo faciunt quæ citatus adducit *num.* 20. dicens ea quæ in portubus ob violentiam aliquam expoſita reperiuntur, non cadere in commiſſum, quia dolus abfuit. Quod & cum aliis tradit P. Fragoſus *Tom.* 1. *pag.* 401. *num.* 54. & habetur expreſsè, *L. vlt.* §. *Diui.* 2. *D. de Publican.* Quod autem addit citatus Eſcalona, in caſu dicto deberi portorium, pro quo & citat P. Fragoſum, duriſſimum ſanè eſt, & ita iure Cæſareo reprobatum. *L. Cæſar. & L. vlt.* §. *Si propter neceſſita-*

Doctrina quædam de re ſine dolo pereunte diſcutitur, & eius Auctor notatur.

Pro expoſitis per violentiam in portubus nō deberi portorium.

Digitized by Google

neceſsitatem. D. de Publican. Et ſpecialis per *L.* 1. *C. de naufrag. lib.* 11. vbi Bartholus & ſcribentes. Quod & tenet expreſsè P. Fragoſus *ſuprà*, §. *Neque refert.* malè à præfato Auctore citatus, §. 4. *num.* 25. Nam neque in eo §. talis eſt numerus, & *citato* à nobis *loco* contrarium apertè proteſtatur. Cuius obuia eſt ratio: infortunia ſcilicet aliena non eſſe ad lucra propria trahenda, & afflictis ſolatium, præſertim à Regibus, & non nouam afflictionem ingerendam. *Quod enim ius habet Fiſcus in aliena calamitate, vt de re tam luctuoſa compendium ſectetur? L.* 1. *C. de naufrag. Lib.* 11.

Pia Cæſaris ſtatuti ratio pro illo.

Fatore non regiſtrante an dominus incidat in commiſſū.

138 An autem pœnam Commiſſi incurrat rei non regiſtratæ Dominus, qui tamen Fatori ſuo iuſſit regiſtrare, quæſtio eſt, in quâ ſunt qui negent, affirmantibus aliis, vt videri poteſt apud citatum Eſcalonam *ſuprà, num.*25. Vbi ait pro Indiis legem extare, iuxta quam Fiſco quidquid eſt tale adjudicatur: Domino autem actio contra Fatorem competit, qui ſibi imputet prauam Fatoris electionem. Et certè oppoſitum fraudibus eſt expoſitum: poſſet enim quis in exteriori foro mandatum regiſtri proferre, vt ſe eo in quocumque euentu tueretur: & tamen ſecretò aliud in mandatis dare; quia id ſibi vtilius judicaret. Non eſt autem ſimile de eo, qui mercatori tradit cum obligatione regiſtri, cuius intereſt, vt nullo modo ſine regiſtro id, quod tradit, deferatur: vt paſſim euenit in iis, qui facultates ſuas Commendatariis, qui dicuntur, exhibent Commendæ nomine, de quibus inferiùs *Titulo* 9. *num.*212. & *ſeqq.* In illis enim nulla de iurium defraudatione poteſt eſſe ſuſcipio, nec praua electio imputari; cùm Commendatarij dicti communiter fideles reputentur. Nemo enim alterius odio debet prægrauari, vt eſt regula juris comperta: nec fidelis in ſoluendis iuribus Regiis mulctari quaſi infidelis. Sed cùm hoc à ſententiâ iudicum pendeat, qui nimis eſſe ſolent litteræ Textûs addicti; neſcio an audiendus ſit, qui iuſtitiam caſu in iſto poſtularit. Poteſt autem reſolutio fauorabilis pro foro conſcientiæ deſeruire, ſi quomodo poſſit compenſatione aliquâ damnum huiuſmodi reparari. Iuuat communis doctrina de excedente formam mandati, ex quo nulla eſt obligatio reſtitutionis in mandante. Pro quo P. Azor *Tomo* 3. *lib.*4. *cap.*10. *quæſt.* 4. Bonacina *Tomo* 2. *Diſput.* 1. *de Reſtitutione quæſt.* 2. *Puncto* 6. *numer.* 7. & alij.

In commiſſis non eſſe locum arbitrio iudicum.

139 In commiſſis non eſſe arbitrio locum in judicibus, communis ſententia eſt, & ita vt certum affirmant Dom. Solorzanus, & D. Eſcalona, Et hic *num.*30. conſuetudinem aliquando vigentem carpit, quia ex prauâ perſuaſione proceſſit edicti cuiuſdam Philippi Secundi, vulgò iactari ſoliti circa eos, qui res ſine regiſtro exportant: ait enim mitiùs agendum cum illis, quia ſunt rerum ſuarum fures. Neque enim de tali reſcripto conſtat, iuxta quod voluerit in facti contingentiâ iudicari: licèt veroſimile ſit in familiari conuerſatione tale aliquid ab eodem pronuntiatum. Quod & vti apothegma eiuſdem refert Dom. Solorzanus in Politicâ *pag.*979. §. *Y es para el meſmo.* Quidquid autem de hoc ſit, ſunt nouiores ſchedulæ, arbitrium circa hoc penitus prohibentes, vt videri poteſt apud eumdem *pag.*987. *Para loqual.* Et D. Eſcalonam, *num.* 33. & in margine *ll. QQ.* Et recentior alia annis proximis, in quâ Rex noſter aliter factum annullat, & carpit judices, qui ex Regiâ Gazâ ſe exhibent liberales. Onus ergo ſuum portent, qui cùm poſſent, regiſtro facto, ſibi conſulere, & de alieno capite periculum facere, ei ſe exponere maluerunt. Iudices equidem contrauenientes grauiter delinquent cum reſtitutionis obligatione, quia Rex circa hoc ſuam habet fundatam intentionem, & illi ex officio debent legum dictarum obſeruantiam vrgere, ex quarum violatione Regio Fiſco grauia diſpendia ſuboriuntur.

140 Secunda prohibitio, ex cuius violatione in Commiſſum impingitur, eſt circa merces de Contrauando, de quibus dictum *Titulo* 3. *cap.*3. & *Titulo* 4. *cap.* 10. Modò autem id ſpeciale occurrit, quod in Schedulâ *Ann.* 1620. præcipitur; ſcilicet vt nihil ex mercibus ſericis ex Sinâ in Peruuium adductis ibidem relinquatur; ſed remittantur in Hiſpaniam, etiamſi dicatur aliquid pro cultu diuino adductum, aut vtilibus aliis poſſe ornamentis applicari. Quæ diſpoſitio, quod ad cultum diuinum attinet, videtur ſanè duriſſima; quia ex eo quòd aliquid huiuſmodi ad diuinum cultum applicetur, nullum ſequitur inconueniens. Ratio quidem, propter quam in Peruuio prohibetur genus mercium tale relinqui, etiamſi in parua quantitate ſint, ea eſt, quam Dom. Solorzanus adducit in Politicâ *pag.* 985. *Col.* 1. quòd ſcilicet occaſione relictarum aliæ introduci poſſent, ex prioribus illis eſſe ſimulando. Hoc autem in iis, quæ diuino cultui deſeruiunt, locum non habere, omnino perſpicuum habetur.

Circa merces de Contrauando, an lex ad allata pro diuino cultu extendi queat: & pro negatiua parte arguitur.

Quia deficit ratio legis.

141 Deinde. Id non videtur ſine ſcrupulo ſtare poſſe violatæ Eccleſiaſticæ libertatis; quia impediri Eccleſia nequit, quo minùs ornatum hinc inde conquirat, quem ſibi commodiorem judicarit, quando ex eo nullum Regi aut Regno ſequitur detrimentum, vt hîc contingit. Quale enim detrimentum apparet ex eo quòd quatuor Caſulæ aut Frontalia ex Indico ſerico diuino applicentur obſequio, quod minori pretio emitur, & ita ad ornandas Eccleſias commodius habetur, quas videmus paſſim ob ſumma rerum iſtarum pretia minùs decenter ornatas? Et quidem communis doctrina eſt ſtatutum illud, quod de Eccleſiaſticis facit mentionem, contra libertatem Eccleſiaſticam militare, vt videri poteſt apud Dianam *Parte* 1. *Tractat.* 2. *Reſolut.* 59. vbi Auctores adducit, quod tamen hîc videmus contingere. Quando aliàs juxta communem etiam doctrinam, id contra illam eſſe cenſetur, quo ſtante non licet Clericis, quod eo ſublato licebat, de quo dictum *ſuprà, Titulo* 3. *num.* 109. & 110. Et pro quo videri citatus Auctor poteſt *Reſolut. citatâ*, & etiam 60. Quando ergo in præfatâ Schedulâ hoc videtur prohiberi, intelligendum eſt de quantitate aliquâ notabili, quæ vt defendi ab inuaſione Fiſci queat, talis prætextus adiicitur, non tamen cùm attentâ rei conditione ſufficienter conſtaret eam nomine Eccleſiæ emptam, & ad eius ornatum pertinere. Quoad Eccleſiaſticos autem veroſimiliùs dici poteſt prohiberi poſſe emere, ſicut alij; generali tamen prohibitione, quia eſt lex communi bono vtilis, & has Eccle-

Et quia videtur eſſe contra Eccleſiaſticā libertatem.

Quia facit de Eccleſiaſticis mentionem: & quia illis non licet quod anteà licebat,

Quomodo reſcriptum exponendū.

De Eccleſia, non de Eccleſiaſticis circa perſo-

Digitized by Google

na'em ornatum pro et Aſſertio.

Eccleſiaſticos ligare in illis, quæ cum eorum ſtatu non pugnant, communis reſolutio eſt, de quâ dictum *num.* 136. & pro qua etiam videri citatus Auctor poteſt ibidem *Reſolut.* 8. & *Tract.* 10. *Reſolut.* 12. & P. Palaus *Tomo* 1. *Tract.* 3. *Diſput.* 1. *Puncto* 24. §. 6. Diuerſa enim eſt ratio Eccleſiæ & perſonæ quoad hoc: expedit namque vt Eccleſiaſtici ratione ornatûs proprij non ſint communi commodo Reipublicæ pernicioſi, ſed ſe aliis conforment: in Eccleſiis autem ea eſt ratio ſpecialis, quam adduximus, & ex eâ nihil ſequitur communi vtilitati aduerſum. Quemadmodum ſi lex eſſet ne quis ſerico vteretur, deberent Eccleſiaſtici tali ſe conformare legi; cùm pro Eccleſia nullas haberet vires, eò quòd pro ornatu Eccleſiæ multa deceant; quæ poſſunt Eccleſiaſticis non decere.

§. II.

Circa tres alias prohibitiones.

Prohibitio non adducendi aurum & argentum in Indias vt liget, ſicut & armorum.

142 TErtia circa aurum & argentum, atque ex iis fabrefacta verſatur; ne ſcilicet ex Hiſpaniâ in Indias deferatur: quæ non videtur in conſcientiâ obligare, cùm ex tali delatione non ſequatur inconueniens conſiderabilis momenti: ſicut neque ex armorum, pro quibus alia etiam prohibitio eſt; niſi talia ſint, quæ aliàs prohibita legibus reperiantur. Rationes enim, quæ mouere ad hoc olim potuerunt, iam ceſſarunt, vt obſeruat Dom. Solorzanus *ſuprà pag.* 984. *Col.* 1. qui circa priorem prohibitionem videndus *pag.* 983. §. *En quanto.* Vbi pro eâ illam tantùm coniecturam adducit, non viſum conueniens diuitias in Hiſpaniam magnis & ſumptibus & periculis exportatas, in Indias reuehi, vbi illæ natæ, & vbi minùs neceſſariæ iudicantur. Quæ ratio cùm non videatur vrgere; neque ex illâ vrgendæ conſcientiæ: quia quod ad ſumptus & pericula attinet, ſponte quidem aſſumpta, in cauſſâ ſunt, quo minùs ingens auri & argenti copia in Belgium & Italiam tranſmittatur: cuius comparatione exiguum valde eſt quidquid in Indias poteſt inde eductum reuocari. Quod verò ad minorem neceſſitatem ſpectat, facilè confutari poteſt, ex eo quòd pretioſa monilia, & monetæ pulchriores, vtrobique applicari ad eoſdem vſus poſſunt. Et ſpecialis in eo videtur eſſe conuenientia, vt pretioſa aliqua ſingulari artificio elaborata Indiæ habeant, in quibus aurum & argentum, quibus totus inundatur Orbis, enaſcitur, prole ſuâ decorandæ. Cùm aliàs, ſi quid tale adducitur, vendendum & ſic in maiori pretio rediturum, adducatur.

Alia pro auro & argento in Nouam-Hiſpaniam non deferendis.

143 Quarta ad aurum etiam & argentum ſpectat, ne ſcilicet illud in Nouam-Hiſpaniam ex Peruuio transferatur. Quod quidem eâ de cauſſâ videtur diſpoſitum, ne Sinenſe foueatur inde commercium. Si ergo alio fine id fiat, non videtur currere prohibitio, aut conſcientias vrgere; quia quidquid ſta defertur, in Hiſpaniam tandem peruenit, & ſolum iter variatur. Quatenus verò illa ad merces alias extenditur, & neque vinum, aut quidquam aliud tranſuehi permittitur, non videtur item in foro conſcientiæ obligare. Quod efficaci ratiocinatione concluditur.

Sicut nec alia, in conſcientia non videtur obligare.

Nam commercium hoc aliquando fuit permiſſum, tum auri & argenti, licet in quantitate moderatâ, tum in rebus aliis, quæ ad pecuniam redactæ commercium iſtud incraſſabant. Prohibitum tamen illud, quia appoſiti limites non ſeruati, & ex eo grauia inconuenientia ſunt experimentis frequentibus comprobata. Atqui ex eo quòd ſemel aut iterùm commercium iſtud occultè ineatur, non peruenitur ad quantitatem illam, quæ ſi intra deſignatos contineretur limites, non habere inconueniens iudicata eſt: ergo ceſſat ratio prohibitionis, & ita etiam obligatio in foro animæ, ex communi doctrinâ de quâ dictum *ſuprà. Tit.* 1. *num.* 27.

Ex Nouâ Hiſpaniâ merces Hiſpanicæ quomodo afferri nequeant.

144 Quod autem commercij prohibitio ad merces ex Hiſpaniâ adductas ſpecialiter extenditur, ne ſcilicet ex Noua-Hiſpaniâ in Peruuium traducantur, ob eam ſcilicet rationem ne contractatio Terræ-firmæ, per quam ordinarius eſt tranſitus, minuatur, vt ait Dom. Solorzanus *pag.* 984. *citatâ* §. *De la qual.* Non plus videtur habere momenti, quia & ratio illa dubio valde fundamento innititur. Nam contractatio adductione mercium ex Noua-Hiſpaniâ non ſine magnis ſumptibus ſtare poſſet inſtitoribus, vnde frequens eſſe nequit; quòd autem nonnumquàm exerceantur, ad publicam conducit vtilitatem; id enim accidit quando in Peruuio raritas mercium pretium eorũ auget, vt his ipſis, quibus hæc ſcribo, diebus, de quo & dictum *ſuprà. Tit.* 3. *n.* 21. Nõ ergo ſequitur detrimentũ aliquod Terræ-firmæ, cùm ex infrequenti aliâ cõtractatione non maius ſit, quàm ex permiſſâ olim, ſi contractantes terminos ſibi præfixos tranſgreſſi non fuiſſent.

Neque mancipia ex Africa, & Æthiopia. Et qualis in eo conſcientia obligatio.

145 Quinta eſt circa mancipia ex Africâ, aut Æthiopiâ adducta, non enim ſine Regiâ facultate id fieri poteſt: ſi ſecus, tranſgreſſores eorumdem amiſſione multandi, & Africani in Indiis nullo modo paſſi conſiſtere: quoad Æthiopes autem prohibitio ceſſauit, dummodo in eorum commercio Regia præſcripta ſeruentur. Licet autem Barbariſcos penitus illa prohibeant, non ita ſcrupuloſè res agitur, vt ex illis aliquos non videamus ſine remorſu aliquo conſcientiæ toleratos. Non ergo videtur lex iſta cum obligationis rigore recepta, licèt ſatis conueniens ſit: non quidem ob rationem, quam adducit Dom. Solorzanus *pag.* 984. *citatâ* §. *Aſi miſmo.* ex periculo, quod talium copia in nouis poteſt terris creare; nam ea generalis non eſt, & in Æthiopibus deuorata. Et cùm pauci illi ſint, periculum reſtat nullum: ſed ex peſſimo illorum circa fidem Chriſtianam ingenio, quam raró ex corde ſuſcipiunt: vnde in terris, in quibus de propagandâ agitur fide, non ſine periculo impedimenti alicuius permittuntur. Indos enim poſſunt facilè peruertere, & quòd ædificant, demoliri. De Æthiopibus agendum *inferiùs*, vbi de Contractibus, *Titulo* ſcilicet 9. *à num.* 180. Quoad iura autem Regia eadem eſt ratio, quæ de aliis; & Regios miniſtros, qui defraudationi eorum cooperantur ob ſubornationem ex eiſdem factam, aut aliàs grauiter peccare, & ad reſtitutionem obligatos manere, ex dictis ſæpiùs conſtat. Et aliquando non tantùm ad compenſationem iurium, ſed ad mancipia ipſa reddenda tenebantur: quando ſcilicet ſine Regiâ facultate nauigium

Regios Officiales in hoc gë-

nere cum reſtitutionis obligatione peccare.

nauigium aliquod ad portum, mancipiis oneratum, appellit. Tunc enim omnia illa Regio debent fiſco addici: quæ ergo Regius miniſter titulo ſubornationis acquirit, Regis, ſaltem poſt ſententiam, ſunt, ad quam talis miniſter tenetur: & ita dum eam non pronuntiat, ad damnum ex eo ſecutum vrgetur: eſt autem damnum non in ſolâ iurium defraudatione, ſed in mancipiorum amiſſione, vnde illa Regio fiſco redhibenda. Quod tamen huculque fecit nullus. Et quis ſperet qui ſecus faciat, futurum, cùm ad aſſecurationem huiuſmodi conſcientiarum Theologi, & vtinam inempti, ſuccurrant.

CAPVT XIX.

De pœnis Regiæ Cameræ, & pro expenſis Iuſtitiæ.

Pœna Cameræ & Iuſtitiæ quid ſint, & de earum gemino diſcrimine inter ſe, & ab aliis.

146 AGit de illis Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 5. num.* 83. *&* 84. & copioſiùs in Politicâ *Lib. 6. Cap.* 11. locupletiùs autem D. Eſcalona *in Gazophylacio Lib. 2. Parte 2. Cap.* 13. vbi multa adducit ſcitu digna pro iis, qui circa hoc curam ſunt aliquam habituri. Sunt autem pœnæ huiuſmodi omnes illæ, quæ propter delicta diuerſa Regio fiſco in pecuniâ ſoluendæ conſignantur; in eo à præfatis de Commiſſo diuerſæ: nam iſtæ in rerum prohibitarum amiſſione conſiſtunt, non in pecuniæ quantitate. Neque diſcrimen hoc earum plenè conditionem exprimit: nam datur etiam pœna pecuniaria Cameræ applicata, quæ tamen Cameræ non dicitur: cùm ſcilicet à iudice imponitur ſecundùm illius arbitrium, & dicitur mulcta Cameralis. Vt ergo pœna Cameræ dicatur, debet eſſe à lege pro tali delicto deſignata. De quo diſcrimine agunt Peregrinus, & Richardus, quos adducit citatus Eſcalona *ſuprà pag.* 185. *l. X. marginali reſpondente num.* 18. A confiſcatione item differt, quia hæc eſt bonorum captura, quibus ſe delinquens fecit indignum. A pœnâ item pro expenſis iuſtitiæ, quia hæc non ſpectat ad fiſcum, ſed publici iuris eſt, per Regios adminiſtrata miniſtros: ſecus illa, vt nomen ipſum ſatis indicat. Eſt autem pro illis ſpecialis miniſter deputatus, qui Receptor dicitur, & officium pretio obtinet, atque ad rationem decem pro centum ex omnibus acquiſitis: quia in eorum collectione multum eſt laboris & induſtriæ ab eodem collocandum, habetque plures, & magni momenti leges, ad quarum teneri obſeruationem dubitari nequit: eritque tunc ſub mortali obligatio, quando ex violatione detrimentum aliquod Regio fiſco aut priuatis accidet iniuſtè vexatis. Negligentia etiam pariter culpabilis in illo eâ de cauſsâ, quando videlicet propter eam debita malæ conditionis fiunt, vt recuperari nequeant, aut non ſine magnis expenſis. Vnde cùm rationem reddet ſingulis annis, ſi quæ pœnæ ſolutæ non ſint, diligentias debet pro eo adhibitas comprobare: quod ſi non præſtet, illi imputatur defectus, vt ex Capitulis Inſtructionis conſtat, de quibus citatus Eſcalona *pag.* 190. *num.* 12. E. g. Si curauit vt incarceratus non exiret è carcere ante pœnæ ſolutionem, quod eſt legibus & reſcriptis cautum, quæ adducit Citatus *pag.* 184. *l. G. reſpondente num.* 6. Hac enim diligentiâ adhibitâ, ſi reus dimiſſus eſt, & ſic debitum peioratum, non Receptori, ſed Iudici damnum imputandum, ad cuius reparationem tenebitur, vt pœna ſcilicet integrè perſoluatur.

Receptoris pro illis officium & obligationes.

Prohibitis ne iudices Eccleſiaſtici pœnas pecuniarias laicis imponant, quo fieri iure poſſit.

147 Legibus & reſcriptis, de quibus citatus Eſcalona *pag.* 186. *L. L. O O. reſpondentibus num.* 31. prohibentur Eccleſiaſtici iudices pœnas pecuniarias laicis imponere, etiam Regiæ Cameræ applicandas. Vbi ſtatim occurrit difficultas quo id iure fieri poſſit, cùm ſtatuta laicorum contra libertatem Eccleſiaſticam vim nullam habeant, & qui ea condunt Eccleſiaſticis Cenſuris ſubiiciantur: de quo dictum *paullò ſuperiùs n.* 142. Vbi ad ius nequit naturale recurri, iuxta quod poſſunt Reges ſubditos tueri, ne grauamina iniuſta eiſdem inferantur: qualia timeri poſſunt, ſi Eccleſiaſticis iudicibus liceat pecuniarias pœnas laicis delinquentibus irrogare. Nam licet multoties non excedent, ſæpiùs tamen poteſt exceſſus timeri, cùm experientia doceat auaritiæ in multis vitium dominari. Non inquam recurri poteſt: nam hac ratione non liceret pœnas pecuniarias imponi ſoluendas ab Eccleſiaſticis: quod tamen eſt indubitatum, & Regiâ auctoritate munitum, dum ſtatuit, vt pœnæ pecuniariæ, quas iudices Eccleſiaſtici imponunt, pro medietate Sanctæ Cruciatæ ab eiſdem applicentur. Vt de Iure Canonico, Conciliis, Tridentino præſertim, non loquar, ex quibus hæc veritas manifeſtiſſimè demonſtratur. Cùm tamen in illis eadem iuris naturalis ratio ſit, quo & ſe Reges tuentur, vt recurſum per viam violentiæ vti iuſtificatum admittant. Deinde, in caſu, de quo loquimur, omnis auaritiæ ſuſpicio abeſt: cùm enim pœna Cameræ Regiæ applicetur, nullum ex eo iudici emolumentum accreſcit. Vt taceam id, quod de auaritiâ Eccleſiaſticorum dicitur, in laicis multò potiori ratione ſuſpicandum, minùs ad diuina attentis & maiorum obligationum ponderibus, vxoris, filiorum, & ſimilibus prægrauatis. Nec de Eccleſiaſticis tantùm locutus Propheta, cùm dixit: *A minore quippe vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent.* Vnde & ſequitur: *& à propheta vſque ad Sacerdotem omnes faciunt dolum. Ieremiæ 6. v.* 13.

Auaritiæ labes ab Eccleſiaſticis vti ſingularis propulſata.

Ierem. 6. v. 13.

Quomodo prohibitio dicta intelligenda, cum pœna Cameræ applicatur.

148 Quid ad hæc? Illud certè, legem iſtam ſano modo intelligendam, vt ſcilicet Eccleſiaſtici iudices admoneantur, eorum condemnationes à Regiâ Camerâ non admittendas, & ita fruſtrà eidem applicandas. In quo quidem non videtur libertas Eccleſiaſtica vllatenus violari: quare autem ita decretum à Catholicis Regibus, ea eſſe ratio potuit, quia non videtur conueniens vt Iudices Eccleſiaſtici more laicorum procedant per fiſcales condemnationes, & iuriſdictiones eo pacto confundantur, dum id, quod ab Eccleſiaſticâ poteſtate imponitur, per laicam executioni mandatur. Vnde quod ex Sedis Apoſtolicæ priuilegio ex pœnis ab Eccleſiaſticis impoſitis ad Regem ſpectat, Cruciatæ traditur, vt ab illâ executioni mandetur.

An imponi queant alteri applicanda.

149 Eſt autem dubium graue, an ſicut Eccleſiaſtici iudices nequeunt pœnas dictas imponere Regiæ Cameræ applicandas, ita nequeant generaliter

generaliter illas imponere laicis applicatione aliâ factâ, aut Cruciatæ ſcilicet pro medietate, vel ad pia opera, vt circumſtantiarum viſum fuerit conuenientiam poſtulare. In quo quidem negatiuam partem tenent aliqui, qui id ſpecialiter ſtatuunt reſpectu violatorum Eccleſiaſticæ immunitatis, dum confugientes ad Eccleſias extrahunt: licèt id jure liceret ex Cap. *Si quis contumax*. Cap. *Miror*. & Cap. *Quiſquis* 17. *Quæſt*. 4. id enim per conſuetudinem contrariam abrogatum, vt teſtatur Gloſſa in Cap. *Cùm multæ*. Verb. *Connubio* 15. *Quæſt. vlt.* quem ſequitur Iulius Clarus in *Practicâ*, §. *finali*, *Quæſt*. 30. *num*. 1. vbi citat Angelum de Caſtro inter Conſilia Pauli de Caſtro eius patris *Conſilio* 458. circa finem *Lib*. 2. Decianus in *Tractatu Criminali*, *lib*.6. *cap*.28.*el*.2. *num*.4. Ludouicus Pegguera in *Praxi criminali*, *Cap*. 16. *num*.5. Verſ. *Verumtamen*. Doctor D. Petrus de Meneſſes Fiſcalis Regius in Limano Prætorio, in quo & poſteà Regius Auditor *Allegationis ſpecialis*, *pag*.15. Qui pro hac ſententiâ acriter depugnat, contendens neque per Concilium Tridentinum, neque per Conſtitutionem Gregorij Deciniquarti talem conſuetudinem abrogatam, generalibus quibuſdam doctrinis de conſuetudinis vi, quando per legem contrariam ſpecialis non extat abrogatio, vt hîc contigit. Licèt enim Concilium *Seſſione* 25. *cap*.20. *de Reformatione*, & Gregorius XIV. pœnas à Iure contra prædictos ſtabilitas confirment & innouent; non plus tamen roboris habent, neque aliter intelligenda eorum deciſio, quàm Iuris ipſius decreta: & ita cum eiſdem limitationibus, ampliationibus, reſtrictionibus, & exceptionibus, quas illa patiuntur: cùm relatum in referente ſit cum omnibus qualitatibus. Cùm ergo circa pœnas pecuniarias contrarium induxerit conſuetudo, circa illam reſtrictio eſt pariter Concilij, & Conſtitutionis decretis adhibenda. Eorum autem ratio videtur generaliter procedere: aiunt enim ex eo quòd nequeat judex Eccleſiaſticus pœnam pecuniariam laicis imponere, non ab eo tolli juriſdictionis Eccleſiaſticæ defenſionem, cùm omnium maximam pœnam in ſuâ habeat poteſtate, excommunicationem inquam, quæ æquiparatur pœnæ mortis, Cap. *Per venerabilem*, *qui filij ſint legitimi*. Et arma propria Eccleſiæ ſint Cenſuræ. Cap. *Dilecto*, *de ſentent. excomm. in* 6. Ergo numquàm licet pœnis pecuniariis vti. Vbi & argui à maiori ad minùs poteſt; ſi enim in cauſſâ immunitatis, quæ adeò eſt grauis, & in quâ Eccleſię graue pręiudicium infertur, id non licet; neque in aliis equidem minoris momenti licebit.

Negantiū ſententia ob conſuetudinem, quę ius abrogauit.

Eorum ratio.

150 Verùm generaliter loquendo hoc nequit ſuſtineri, quia Ius Pontificium abſolutè probat huiuſmodi poteſtatem. Et in Concilio Trident. *Seſſione* 25. *citato*, *Cap*.3. expreſsè decernitur verbis illis: *Liceat eis, ſi expedire videbitur, in cauſſis ciuilibus ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, contra quoſcumque etiam laicos per mulctas pecuniarias, quæ locis pijs ibi exiſtentibus, eo ipſo quòd exactæ fuerint, applicentur, &c. cauſſas definire.* Sic Concilium. Hinc communis illa ſententia ſcriptorum aſſerentium Epiſcopum habere Fiſcum, qui videri poſſunt apud Barboſam *de poteſtate Epiſcopi Allegat*.107.*num*.16. & 17. ex quo ipſe cum plurimis, quos citat. *num*. 18. colligit Epiſcopum

Reiicitur ut Canonico iuri contraria.

Concilium Trident.

Epiſcopus habet Fiſcum.

poſſe pœnam pecuniariam indicere, eamque ſibi, & Cameræ ſuæ applicare. Quod quidem licebit quando admodum pauper eſt, non obſtante Concilij prohibitione: pro quo videndus idem *num*.19. Nec modo id diſcutere ad noſtrum ſpectat inſtitutum; dum conſtet pœnas pecuniarias à judicibus Eccleſiaſticis poſſe in cauſſis laicorum indici.

151 Quod autem ad ſpecialem materiam immunitatis ſpectat, doctrina illa de conſuetudine negari nequit quin ſit veroſimilis, ſuppoſitione conſtante, quòd ſcilicet talis conſuetudo ſit: quod tamen non videtur ita eſſe; nam conſuetudinem talem negant Cardinalis Tuſchus V. Eccleſia. Concluſ. 8. n.11. Farinacius in *Practicâ criminali lib*.1. *Quæſt*.28. *num*.5. in primâ editione. Et in *Tractatu poſthumo de immunitate Eccleſiæ*, ſeu *Appendice* ad dictam Quæſtionem *Cap*. 20. *n*.319. Bobadilla in Politicâ *Lib*. 2, *Cap*. 14. *num*. 8. & alij. Ex quorum auctoritate conuincitur conſuetudinem non eſſe conſtantem. Et licèt Gloſſa iam pridem de ſuo tempore teſtari potuerit, illud ad præſens minimè conducere poteſt, in quo res ſe aliter habere poteſt, & ad abrogationem conſuetudinis auctoritas Concilij Tridentini conferre, ante quod ſcripſit Gloſſa, & aliqui ex citatis Auctoribus. Et ex hoc elidi poteſt id, quod ex doctrinâ quorumdam forſitan quiſpiam obiecerit; ſcilicet credendum eſſe vni Doctori de conſuetudine teſtanti, præſertim (vt addunt aliqui) ſi præcellens ſit; vt videri poteſt apud P. Thomam Sancium Lib.7. de Matrimonio, *Diſput*.17. *num*. 8. Nam licèt demus ita eſſe; id intelligendum quando non eſt, qui contrarium aſſeueret; tali enim aſſeueratione res dubia redditur, etiam quando plures ſunt, qui de conſuetudine teſtantur: & ita ad firmandam illam conſenſus ſine contradictione requiritur; vt videri poteſt apud eumdem. Præterquàm quòd ſententiam dictam de fide vni adhibendâ Doctori, communiter ſcriptores reiiciunt, vt videri poteſt apud eumdem, & etiam apud Dianam *Parte* 6. *Tractat*. 5. *Reſolut*. 28. vbi & plures Rotæ Deciſiones adducit. Iuxta hæc ergo ſententia Gloſſæ non eam habet auctoritatem, quam citatus D. Meneſſes contendit: nec Vicarius Generalis Limani Archiepiſcopatus vacante Sede aliquid contra rationem egit, cùm pœnam duorum millium octiegalium Prouinciali S. Fraternitatis comminatus eſt, ſi ad executionem capitalis ſententiæ contra reum ab Eccleſiâ extractum proceſſiſſet. Quâ non obſtante comminatione furcæ eſt addictus homicida; ſic iudicantibus etiam Auditoribus criminum, & Prorege ipſo auxilium impartito. Nec tamen pœna ſoluta, quia Regium Prætorium Fiſcalis ſui allegationi ſubſcripſit, & Prouincialis eſt, eo ſic pronuntiante, iuxta ſtylum indemnis abſolutus. De quibus hæc ſatis: poſt quæ ſcripta viſus Diana *Parte* 10. *Tract*. 8. vbi ſententiam noſtram eruditè & robuſtè firmat per totum. Videatur.

Non eſſe conſuetudini in contrariū.

Vni Doctori de illâ teſtanti ut debeat credi.

In caſu contingētia quid actū Limæ.

152 Pœnæ pro expenſis iuſtitiæ, licèt ad Regium Fiſcum non pertineant, quia nihil ex illis collectum Regiis arcis infertur, ad Regem vt proprius illius prouentus deferendum: aliquomodo tamen dici poſſunt ad ipſum pertinere, quatenus ſcilicet ad defenſionem iuriſdictionis Regiæ deſeruiunt, delinquentium perſecutionem,

De pœnis iuſtitiæ in ſpeciali.

Peculiaris difficultas circa conſcientiæ obligationē.

nem, & effectus alios, pro quibus, ſi tales pœnæ non ſuppetant, ad pœnas eſt Cameræ recurrendum, licèt cum obligatione redintegrationis, vbi primùm tales pœnæ fuerint. Et dubitari poteſt an diſpoſitio talis in conſcientiâ obliget. Viderique alicui poſſet non obligare: nam ex eo quòd reſtitutio talis non fiat, nullū Regio Fiſco aduenit detrimentum: cùm enim expenſæ, pro quibus pœnæ tales deſtinatæ ſunt, ex pœnis Cameræ ſint faciendæ ipſis deficientibus, nihil refert quòd reſtituantur, iterùm educendæ. Et ordinariè non talis eſſe earum copia ſolet, vt ad neceſſarias expenſas penitus ſufficientes habeantur. Nihilominùs certius eſt in conſcientiæ foro obligare: quia pœnæ Cameræ propriè ad Regiam Gazam pertinent, non ita pœnæ aliæ: & cùm contractatio alieni inuito domino furtum ſit, pro tali huiuſmodi eſt habenda retentio, quando ab eo fit, qui non habet ad retentionem legitimam facultatem. Cùm aliàs, dum pœnæ iuſtitiæ ſuppetunt, aliqua ex illis fieri ſoleant, inuitante ſic copiâ, quæ non fierent, ſi pœnæ Cameræ ad illa eſſent extrahendæ. Ex quo fit Regio patrimonio ex tali retentione diſpendium generari. Videatur pro aliis D. Eſcalona *pag.* 193. *Cap.* 14.

CAPVT XX.

De Regiis emolumentis ex Confiſcationibus.

Confiſcationes quādo contingant, & quid Regi ex illis in Indijs obueniat.

153 QVando ſint illæ faciendæ, legibus eſt deciſum, & tunc præſertim accidunt, cùm crimen læſæ Maieſtatis diuinæ aut humanæ committitur: propter hæreſim ſcilicet & Regiæ Maieſtatis offenſam, qualem leges exprimunt, vt proditionis, aut machinationis in perſonam Principis, aut grauis illius iniuriæ. Circa quod variæ, ſed communes, agitari poſſent quæſtiones; cùm tamen nos circa Indias ſingularem operam affectemus. In quibus peculiare illud occurrit, ex hoc ſcilicet iuris Regij membro, nihil ferè commodi Fiſco illius prouenire. Pro læſâ enim humanâ Maieſtate quid habeat, quando læſio talis nulla occurrit, omnibus Regi ſuo in tantâ regionum diſtantiâ fidem ſeruantibus inconcuſſam, pro Diuinâ autem nihil ampliùs: nam licèt non ſemel acciderit prædi vites aliquos ex Iudæorum fæce ab Inquiſitione damnatos, quorum bona ſicut & aliorum huiuſmodi, conceſſione Sedis Apoſtolicæ Regio Fiſco adiudicantur: ea tamen Reges noſtri non leuant, ſed adminiſtrationi Receptoris Tribunalis ſancti relinquunt, vt ex illis expenſas poſſint neceſſarias, quæ neque paucæ neque exiguæ eſſe ſolent, integrare.

Circa confiſcationes in S. Inquiſitionis Tribunalis notata quædā, eò quòd ex illis nihil Regi obuenire de facto videatur.

154 In quo quidem Dom. Solorzanus *Politica pag.* 990. §. *En laſque*, probare nequit confiſcationes pingues, quales annis proximis acciderunt, ita Tribunali relinqui, & iis non obſtantibus ſalaria Inquiſitorum ex Regiâ Gazâ, acſi tales confiſcationes non extitiſſent, poſtulari. Et quidem ſi confiſcationes ad ſalaria & expenſas ſufficiant, non videntur poſſe tutâ conſcientiâ ſalaria ex Regiis arcis exigere, ſed ad eorum potiùs reſtitutionem obligari. Cùm enim confiſcata ad Regem pertineant, & ex iis ſoluat, quo iure poſſunt ſalaria aliunde ſoluenda peti? Quando aliàs Rex de excuſandis ſumptibus ex patrimonio Regio faciendis adeò videatur ſolicitus, vt diuerſis reſcriptis vrgeat, iubens quotannis ab Inquiſitoribus relationem iuratam exhiberi de confiſcationum quantitate & valore; & quòd ita non facientibus minimè ſalaria à Regiis Officialibus perſoluantur. Neque eſt cur admirationem moueat in Regibus Catholicis cura iſta, quaſi moleſti illis videantur ſumptus, qui circa Tribunal iſtud efficiuntur. Cùm enim illud fori Eccleſiaſtici ſit, eius alere Miniſtros, & quidquid ad ipſum ſpectat neceſſariâ expeditione fouere, non videtur ad laicam prouidentiam pertinere.

Quid poſſit pro parte D. D. Inquiſitorum veriſimiliter reſponderi.

155 Poteſt tamē retentionis ratio ex eo reddi, quòd licèt attento rerū præſentium ſtatu confiſcationes pro ſalariis & expēſis ſufficiant; debet tamē futuris euentibus prouideri. Si enim copia aliqua pro illis non ſuppetat, difficillimū erit neceſſitatibus occurrentibus ſubuenire: pro quo deſeruire poteſt id, quod ante annos paucos vidimus in Limana hac ciuitate, horrendo ſcilicet terræ motu Inquiſitionis domum ita concuſſam & quaſſatam, vt non potuerit ſine magnis ſumptibus reparari. Poſſunt enim vereri, ne ſi annis quibuſdam integra ſalaria non petant, quia confiſcationes ſuccurrunt, id pro lege vlteriùs habeatur, & confiſcationum deficiente ſubſidio, nihil ſint ampliùs accepturi. Qui prætextus neſcio quantum habere fundamentum queat; viderint ipſi, ad quos hæc videre ſpectat, & rem non leuis momenti nō leui conſideratione perpendant. Magno certè in Dei Eccleſiâ Domini Inquiſitores funguntur officio, quorum occultas & profundas diſpoſitiones oportet revereri: ſed homines ſunt, & vt de rebus ſacris nihil interim dicamus, in ciuilibus iſtis deerrare faciliùs diſpoſitio poteſt, & temporalibus commodis affectus aliqualiter adhærere. Ita ergo ſe Deo & Eccleſiæ decretis adſtrictos intelligant, vt & Regi, cui ſua non ſolùm non neganda, ſed ſponte & officioſè offerenda, & ſe etiam Dei & Eccleſiæ præceptis obnoxios arbitrentur. Et in hac quidem liberali & ingenuâ exhibitione Tribunalis ſancti honori conſulitur, cùm videant omnes quidquid ex confiſcationibus colligitur, Regio reddi Fiſco; vnde omnis auaritiæ ſuſpicio in condemnatione diuitum ſubmouetur. De quibus ex profeſſo *inferiùs Titulo* 20.

Quàm promptum debeant Regi præſtare obſequium.

Receptor Tribunalis dicti in quibus peccare contingat.

156 Pœnarum autem talium Receptor grauiter in prædictis peccare poteſt, ſi videlicet ſuo arbitrio retentionem eorum foueat, quæ erat Fiſco traditurus. Si aliqua non manifeſtet, ſed occulta habeat, non quidem animo ea ſibi vſurpandi, ſed vtendi ad propria commoda, quod apertè eſt contra domini voluntatem. Si cum eiſdem negotietur, aut mutuò tradat, vel domos ædificet. Si non exactè cuſtodiat, & ſic aliter, quod ipſi, vt reor, probè norunt, vnde in his rebus non ex ignorantiâ, ſed ex inordinario affectu peccatur, ſi contingat quandoque peccari. Peccabunt etiam grauiter Tribunalis iſtius iudices, ſi circa hoc non inuigilent, & Receptoris diligentiam non ſtudeant explorare. Sed de illis, vt dixi, fuſior alibi tractatio.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXI.

De agris, paſcuis, montibus, & fluminibus, ac Regio eorum in Indiis dominio, compendioque Fiſcali ex eiſdem.

Ius Regis circa agros, paſcua, &c.

157 DE hoc jure in Regibus Catholicis agunt Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 2. *Cap.* 28. *num.* 36. *& ſeqq.* & *Lib.* 5. *num.* 85. *& ſeqq.* Et latiùs in Politicâ *Lib.* 6. *cap.* 12. Antonius à Leone in *Tractatu de Conformationibus Regijs*, *Parte* 2. *cap.* 23. Doctor Carraſcus *ad leg. Recopilat. cap.* 3. §. 2. *num.* 11. Et D. Eſcalona in *Gazophylacio*, *Parte* 2. *lib.* 2. *cap.* 20. & 21. copioſiùs aliis, & locupletiſſimè *Lib.* 1. *Parte* 1. *Cap.* 25. *Caſu* 22. Circa quod pro fundamento adducenda Regis Schedula, cuius citati meminerunt: Philippi inquam Secundi ſic loquentis: *Por aueryo ſuccedi do enteramente en el Señorio, que tubieron en las Indias lor Señores dellas, es de mi patrimonio y Corona Real el Señorio de los valdios, ſuelo, è tierra dellas, que no eſtubiere con es dido por los Señores Reyes mis Predeceſſores, &c.* Sic ille, vt nequeat de hoc jure dubitari. Ex quo ſequitur terras huiuſmodi cum aquis, riuis, & omnibus attinentibus, poſſe ab illis donari aut vendi, ſiue in Emphytheuſim tradi: id enim ad plenum dominium ſpectat, nec materia repugnat. Si tamen Indos excipiamus: illis enim vendi nequit quod ad vitæ ſuſtentationem neceſſarium habent. Cùm enim eorum progenitores jus habitationis in regionibus iſtis habuerint, & terras, quas ad ſuſtentationem colerent; non potuerunt eorum poſteris talia denegari. Vnde & manu teneri in earum poſſeſſione jubetur quæ ex antecedenti diſtributione habeatur, & confirmationem gratis, ſi eam poſtulauerint, exhiberi, vt ex Inſtructione conſtat, de quâ Dom. Eſcalona *Cap.* 25. *citato*, *num.* 48. & *Parte* 2. *pag.* 208. *num.* 5. Eſt autem illa Proregis Marchionis de Cañeta, *el* 2. juxta Regis voluntatem, *num.* 2. & 6. Quod tunc præſertim faciendum, cùm aliqui ex illis volunt vltra neceſſarias terras à Regiâ prouidentiâ traditas, alias colere: tunc enim, ſi pecunioſi illi ſunt, vendi poſſunt, ſicut & aliis, ſed pretio moderato.

Philippi 2. verba pro illo.

Indis terræ vendi nequeunt neceſſariæ, ſed gratis concedi.

In diſtributione Commiſſariorũ crudelitas aliquorum omnino Regũ Catholicorum aduerſa voluntati.

158 In hoc autem id diligenter obſeruandum, vt Indis terræ frugiferæ relinquantur, quas commodè & vtiliter poſſint incolere, & non quæ ſteriles, & plus laboris quàm fructûs tribuentes. In quo quidem aliquorum eſt Regiorum miniſtrorum inhumanitas explorata, qui nihil Regum noſtrorum deſiderio, decretis, inſtructionibus, monitis, magis aduerſum diſponere potuerunt: vnde & illi iteratis Schedulis huic malo volentes occurrere, Regio Senatu ſuper hoc ſapienter & efficaciter conſulente, multa decreuerunt eorum pietate, & Catholico zelo digniſſima, pro quorum executione iſti mittuntur & illi; cùm tamen mittenti dicere aliquis Moyſes poſſit: *Obſecro, Domine, mitte quem miſſurus es. Exodi.* 4. *verſ.* 13. Qui ſcilicet rem hanc vt decet expediat, non propriæ vtilitatis intuitu, ſed pio erga Indos affectu, & erga Regium obſequium pariter officioſus. Cùm enim ex agris, quos colunt, debeant Indi tributa ſoluere, ad quæ non ſolùm in pecuniâ, ſed etiam in quibuſdam generibus ſoluere tenentur: terras certè habere congruas oportet, quæ & victui & tributo neceſſaria ſuppeditent: ſin minùs ſub onere miſelli iſti congemiſcent, & neque cum gemitu poterunt quæ ſui ſunt muneris adimplere. Et hoc Commiſſariorum malum iam olim experimentis notiſſimum, & ita à Cuiacio Iuriſconſultorum eruditiſſimo damnati *ad Nouellam* de mandatis Principum. Quàm autem grauiter peccent, ſatis perſpicuum habetur.

Exodi. 4. v. 13.

Agri fertiles cur debeant illis dari.

An expediat Religioſos diſtributioni terrarum Commiſſarios deſignari.

159 Vbi dubitari poteſt an expediat ad commiſſiones iſtas, ſiue pro depellendis Indorum iniuriis, ſiue ad compoſitionem generaliter faciendam, titulis poſſeſſorum inſpectis, & vſurpationes nõ legitimas depellendas, Religioſos eligi, quod praxis recentiſſima comprobauit exemplo fortè R. P. Mag. Ludouici Lopez de Solis Ordinis Diui Auguſtini & in eo Prouincialis, qui jam pridem ſatis laudabiliter functionem iſtam obiuit in Prouinciis Peruuianis quibuſdam Argyropolitanæ juriſdictionis. Et eam quidem, quam nondum Epiſcopus inchoauit, Epiſcopus eſt tandem Fluuij de la Phlata proſecutus; ex quâ dignitate ad Quitenſem promotus, & ex eâ ad Argyropolitanam, eâ non obtentâ deceſſit, magno ſui deſiderio ob egregiam probitatem, ſapientiam, & prudentiam, tempus adhoc vſque relicto. Sed certè ea cura illi demandata eſt, quando negotium iſtud minùs erat impeditum, & Hiſpani de reuerſione potiùs in patriam, quàm de terris acquirendis cogitabant. Cùm tamen hiſce temporibus aliter ſe res habeat, & commiſſio talis valdè contentioſa ſit: & vltra odium, quod præſefert, judicatura ſit penitus ſæcularis. Diuum ergo Paulum, Theologorum maximum, ſi circa caſum præſentem conſulamus, reſpondebit ſanè, quod jam pridem Timotheo ſcripſit, ita dicens: *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus: vt ei placeat, cui ſe probauit.* 2. *Timoth.* 2. *verſ.* 4. Quæ verba pro Eccleſiaſticis adducit Gelaſius Papa in Cap. *Conſequens* 88. *diſtinct.* & circa ea audiendus Diuus Hieronymus, vel quiſquis eſt auctor Commentariorum in Epiſtolas D. Pauli inter eius opera circumlatus, ſic enim loquitur: *Comparatione militantium vtitur, vt oſtendat multò magis nos à negotijs ſæcularibus liberos eſſe debere, vt Chriſto placeamus: cùm etiam ſæculi milites à reliquis actibus vacent, vt poſſint Imperatori ſuo placere perfectè.* Sic ille, vbi de ſe, & ſimilibus loquitur, de Religioſis inquam, quos ſæcularia iſthæc negotia magis dedecent, quàm militantem in ſæculo, & arma ſimul tractantem dedecerent.

Ex D. Pauli doctrina negatur.

2. Tim. 2. v. 4.

D. Hieronymus.

Ex militiâ profeſſis vrgetur reſolutio.

160 Pro quo & audiendus P. Cornelius, doctus & exactus Interpres, ſic locutus: q. d. *Miles non curat mercaturam, non opificium, non negotia ad domus, vrbis, aut regni regimen ſpectantia.* Sic ille. Ergo nec Religioſus curare debet menſuras agrorum, & odioſum illud judicandi iſta officium admittere, in quo præter continuatam diſtractionem, bona periclitatur opinio, & auaritia validas molitur inſidias, quas non fuerit facilè declinare. Dilemma hoc mihi euidens eſt, quod & credo tale cuiuis rectè ſentienti futurum. Aut Religioſi iſti Deo militant: & ita ab Apoſtolo occupatio

tio talis apertè ſemouetur. Aut non militant: & ſic ad munus dictum minimè inueniuntur idonei, cùm id deſit illis, propter quod ad munus, probitatem & integritatem requirens eximiam, eliguntur. Suis ergo reſidere ſinantur in domibus, vt ibi, non terrarum, ſed cœli immenſa ſpatia, quò eorum dirigendus eſt curſus, metiantur.

Hiſpanis quomodo terra diſtribuantur, & quod præſcriptione ſine titulis ſe tueri poſſint.

161 Iam quod ad Hiſpanos ſpectat quibus terræ diſtribuuntur, ſatis eſt prouida diſpoſitio, & nulli legitimos oſtendenti titulos moleſtia infertur, ſicut neque quadragenariam probanti poſſeſſionem, ſuffragante illi præſcriptione, vt DD. Solorzanus, & Eſcalona aduertunt; eſtque juxta Inſtructiones, quæ menſurarum iſtarum judicibus obſeruandæ proponuntur. Immò neque quadragenariam requiri, ſed longiſſimam ſufficere tradit ex citatis prior in Politicâ *pag.* 993. §. *Aunque ſin embargo:* juxta regulas præſcriptionis, & probabiles Doctorum ſententias, pro quibus videri poſſunt quotquot de iuſtitiâ & jure agunt, & præſertim Societatis Auctores, ex quibus P. Molina *Diſput.* 73. & 74. P. Leſſius *Lib.* 2. *cap.* 6. *Dub.* 8. P. Turrianus *Diſp.* 47. *Dub.* 7. & P. Gaſpar Hurtadus *Diſput.* 2. *Difficult.* 11. An autem qui titulos non habet nec præſcriptione ſe tueri poteſt, ſit tutus in conſcientiâ non vtens compoſitione, inquiri meritò poteſt: & videtur affirmandum; quia licèt per generales regulas iniquus poſſeſſor, qui ſcilicet alienum occupat, tutus in conſcientiâ non ſit; in caſu tamen præſenti ſpecialis eſt ratio ex Regiâ conniuentiâ: non enim Reges noſtri poſſeſſores tales vt apertè iniquos tractari permittunt, ſed vt benignè cum eis agatur ſeriò admonent, vti qui ſpoliari eos nolint, ſed honeſtâ compoſitione ſeruire. Dum ergo illi parati ſint ad compoſitionem huiuſmodi, non ſunt vt grauis peccati rei condemnandi, atque ad reſtitutionem nimis oneroſam arctandi. Pro quo etiam facit tales agricultores terras ſuo labore conditionis melioris reddere, & ita domino pretioſiores, vt non penitus inuiti cenſeri debeant, quandoquidem eorum negotium vtiliter agitur: & ſi labor huiuſmodi non fuiſſet, terræ ſic poſſeſſæ prorſus inutiles extitiſſent.

Etiam ſine illis ſtare poſſeſſionem poſſe tutâ conſcientiâ

Ne terra diſtributæ Eccleſiæ vendantur quomodo ſtatui potuerit.

162 Illud tamen difficile occurrit, quod in Schedulâ *Ann.* 1535. habetur *Tomo* 1. *pag.* 65. & 66. Sic enim poſt commẽdatam terrarum diſtributionem additur: *Conque lo que aſſi ſe les repartiere, no lo puedan vender à Igleſia, ſopena que lo ayan perdido y pierdan, y ſe pue da repartir à otros.* Videtur namque illud manifeſtè contrarium Eccleſiaſticæ immunitati. Quod tamen conantur defendere D. Solorzanus *ſuprà, pag.* 994. *in principio.* & Dom. Eſcalona *Parte* 1. *Lib.* 1. *pag.* 98. *num.* 31. vbi ait quòd licet prædicta Schedula in Nouam-Hiſpaniam fuerit directa, juxta illam etiam eſt in Peruuio judicandum; quia iſta duo regna eiſdem legibus gubernantur, & eadem eſt in illis ratio. Putatque rationem deciſionis fuiſſe, ne decimæ, & conſequenter Noueni Regij minuantur. Sed certè cùm odioſa & pœnalis talis diſpoſitio ſit, non debet vltra terminum, ad quem eſt directa, protendi, vt eſt communis ſententia, quam tenent Nauarrus, Caſtrus, Gloſſa, Emmanuel Rodericus, P. Suarez, P. Salas, P. Molina, P. Thomas Sancius, quos adducit & ſequitur P. Palaus *Tomo* 1. *Tractat.* 3. *Diſput.* 5. *Puncto* 3. §. 4. *num.* 3. iunctis iis quæ habet, *num. præcedentibus.* Diana *Parte* 1. *Tractat.* 10. *Reſolut.* 26. vbi alios refert. Deinde in Peruuio talis diſpoſitio in vſu non fuit, & ita ab illarum regionum Eccleſiis, & Religioſis compoſitiones admiſſæ, non ſolùm quando tertij poſſeſſores, ſed cùm primi. Ex quo Regij Noueni nullatenùs imminuti in eâ quantitate, quæ per eorum labores non ampliùs compenſetur. Dum enim terras colunt, fructus habent quos vendant, & emptores cum venditionem repetunt, ex eâ jura Regia magis accreſcunt, quàm ex portione tenui additâ Nouenis accreſceret. Quin etiam quòd hac ratione laicorum bona copioſiora ſunt, dum pro eleemoſynis non vrgentur, cùm habeant Religioſi vnde ſuſtentari commodiùs poſſint: ex maiori autem bonorum in priuatis copiâ, in Regem ſua etiam emolumenta redundant. Schedula ergo dicta, & quia immunitati Eccleſiæ iuxta receptiſſimam ſententiam aduerſa, & illis expedita temporibus, quibus res iſtæ non ita attentè, accuratè, juridicè, & religioſè proſpiciebantur, non multùm videtur vrgere, quę & aliàs per non vſum longiſſimi temporis meritò abrogata poteſt judicari.

Non extendi diſpoſitionem vltra Nouã-Hiſpaniam quia odioſa: neque in vſu apud Peruuianos.

Regius Nouenus indè non minuit.

Aqua eius ſunt, cuius & terra.

163 Id autem quod de terris dictum eſt, ad aquas etiam referendum; & fontes quidem ac ſcaturigines eius ſunt, cuius & terræ, in quibus ſuam habent originem, vel quaſi partes vel quaſi fructus, & ita cum terris pariter conceduntur. Poteſt ergo quis eorum aquis pro libitu vti. Quod autem ex irrigationibus extra terras proprias fluit, impediri nequit quò minùs indigenti proficiat: vbi enim efluxerunt, jam domini prioris eſſe deſierunt. Vnde qui vt vicino incommodent ac aliò diuertant vbi vtiles illi eſſe nequeunt, inhumanè agit, & grauiter contra charitatem peccat. Credo autem & contra juſtitiam peccare, quia Rex, qui terras donauit aut vendidit, nullo modo voluit eas ſic transferre, vt aquæ ipſarum, quæ vicinis vtiles eſſe poſſent, inutiles redderentur. Et quidem ſi Rex ita vellet, contra charitatem peccaret: ergo credendum non eſt inhumanum illum abuſum voluiſſe. Ex quo fit ſic tradidiſſe illas, vt earum dominos ad non diuertendas inutiliter cum vicinorum incommodis obligarit. Quia verò prætextus aliqui ad diuertionem dictam afferri ſolent, & vtilitates affirmari; ſic facientes conſcientias ſuas conſulant, & Deo judice intentionis arcanum recognoſcant.

Difficultas ſpecialis de aquis poſt irrigationẽ effluentibus, an inutiliter poſſint diuerti.

Flumina eſſe communia.

Inſtit. de rerum diuiſione.

164 De fluminibus autem maior videtur eſſe difficultas, quia illa communia ſunt, vt habetur *Inſtit. de rerum diuiſione.* §. 2. vbi ſic dicitur: *Flumina autem omnia, & portus publica ſunt; ideóque ius piſcandi omnibus commune eſt in portubus fluminibuſque.* Sic ibi. Quod ſi ita eſt, licebit omnibus, qui prædia in Indiis habent, pro libito aquas educere ad irrigationem neceſſarias. Quod tamen ita non accidit: prohibentur enim tales ſic agere, & pro irrigatione ſuæ ſunt menſuræ & tempora conſtituta, vt omnibus prædiis aqua ſuppetat, pro quâ ſolet vſque ad ſanguinem decertari. Fluminum ergo aquas Rex diſtribuit vt dominus, vt jam non publica eſſe videantur. Ad quod quidem cum diſtinctione mihi videtur reſpondendum. Sunt quidem flumina publici

&

Quomodo cum eo ſtat aquas eorum diſtribui, vt ad Regium dominium pertinentes.

& communis vſus; quando ſic perſonalis eſt, domeſticus pro ordinariis miniſteriis: vnde & bibere quis gratis ex flumine quouis poteſt, & ad domeſticas neceſſitates quantum voluerit deportare. Hinc eſt illorum ſententia, qui dicunt aquatores non debere alcaualam, quia aqua venalis non eſt. *L. Mela.* 5. *finali D. de alimentis & cibariis legatis*. Pro quo videri poteſt P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 400. *num.* 51. Non tamen licet vſus, ex quo detrimentum aliis prouenire poſſit: vt ſi quis velit partem fluminis in proprium commodum deriuare, ex quo alij damnum patiantur: cuius ſunt generis deriuationes ad irriganda prædia; quæ ſi cuique liceant pro arbitrio, multis ad irrigationem neceſſaria copia deficiet, & ita detrimentum erit ſegetum manifeſtum. Oportet ergo vt ſuper hoc ſuperior adſit prouidentia, per quam vnicuique aqua ſufficiens tribuatur, inter prædia irriguā proportione ſeruatā. Tunc ergo aquæ ſibi ſpecialiter attributæ vnuſquiſque eſt dominus, vt eam poſſit prout voluerit agrorum ſuorum plantis & ſementibus applicare. Ex quo ſequitur & fluminis eſſe dominium poſſe: ſicut enim aquæ pro ſuo prædio attributæ dominus eſt: ita & qui agrorum omnium eſſet dominus, in quibus prædia exiſtunt, poſſet totum flumen ad irrigationes ſibi commodas applicare: vnde & illius etiam eſt dominus æſtimandus. Poſſe enim flumina ſub dominium cadere, communis ſententia eſt, vt videri poteſt apud P. Leſſium *Lib.* 2. *Cap.* 4. *num.* 52. id tamquam certum ſtatuentem. Et hoc pacto rectè intelligitur quomodo Reges noſtri in Indiis fluuiorum domini dici poſſint, quatenus ſcilicet agros ſuo poſſent colere nomine, & fluuium integrum ad irrigationes eorum deriuare. Quando ergo agros cum aquā neceſſariā ad irrigationes tradunt, quod ſuum eſt tribuunt, & dominij actum exercent; niſi circa hoc velimus de nomine litigare.

Fluuios cadere ſub dominium poſſe, & in Indijs eſſe Regum.

Non peccari mortaliter eò quod plus aquæ, quā deſignata fuerit, aſſumatur.

165 Videtur autem ex prædictis ſequi neminem poſſe plus aquæ vſurpare ſibi, quàm ei ſic Regiā impartione permiſſum; vnuſquiſque enim ſuæ eſt dominus portionis, vnde eam auferens iuſtitiam conuincitur violare. Et ita quidem generaliter aſſerendum eſt, vt ratio adducta demonſtrat. Non tamen propterea videtur de mortali peccato damnandus, & cum reſtitutionis onere, qui ex communi alueo plus aliquid ſumat, quàm ſit illi per publicam poteſtatem aſſignatum. Neque enim res iſta cum eā videtur obligatione diſpoſita, neque neceſſitates terrarum ad vnguem dignoſci poſſunt, aut propter vſurpationem huiuſmodi notabile aliis detrimentum generari. Vnde & in hoc quotidianæ compenſationes fiunt, dum quiſque pluſquàm illi impartitum ſit conatur attraxiſſe. Sunt etiam damna alia vicinorum communia, quæ compenſari hoc pacto poſſint, cùm de eorum non conſtet qualitate. Quin etiam quod aqua ex ſe res communiſſima eſt pluſquàm terra, vt diximus: & licet ad dominium pertinere poſſit quæ fluminum eſt, non tamen cum eo rigore quo alia: & ita illius diſtributio non eſt ſub mortalis peccati reatu ſcrupuloſis limitibus obſeruanda. Si tamen quis aquam iam in agrum alterius immiſſam, & intra illum fluentem, inde ad ſuum deduceret, alueo,

Limitatio notatu digna.

per quem decurrat, aperto, non videtur à reatu dicto excuſabilis & reſtitutionis obligatione; quia aqua illa ſpecialiſſimè erat ſub dominio prædiarij illius, & ſumptibus propriis inducta, & ita furtum in eo manifeſtè committitur, cuius & damnum ob irrigationis defectum pariter æſtimandum.

Ex probabilibus ſententiis præcedens doctrina roboratur.

166 Pro prædictis autem iuuant doctrinæ probabiles grauium Scriptorum loquentium in ſimili. Si quis contra prohibitionem in loco publico communitatis paſcat aut ligna cædat, non peccat mortaliter, neque ad reſtitutionem tenetur, quidquid de peccato veniali ſit. Ita Dom. Sotus *de Iuſtitia & Iure Lib.* 4. *Quæſt.* 6. *Art.* 4 & alij, ex quibus P. Leſſius *ſuprà Cap.* 5. *num.* 55. Quorum ratio eſt, quia in rebus his communibus non cenſetur notabilis iniuria committi per eos, qui aliàs ius habent, niſi fortè enorme damnum inferatur. Idem eſt de incolis duorum oppidorum aut pagorum habentium loca compaſcua, vel ſyluas cæduas; ſi alij in aliorum paſcuis paſtionem exerceant, aut hinc inde lignentur, Sic P. Leſſius *ibidem* & Bonacina *Diſput.* 1. *de Reſtitutione Quæſt.* 3. *Puncto* 7. *num.* 26. vbi alios adducit. Quorum ea eſt ratio: quia licet ius ad talia abſolutè deſit: tamen quia paſſim ſcitur contrarium ab vtraque parte fieri, cenſentur communitates viciſſim condonare quod ſublatum fuerit, contentæ mulctā, ſi qui in furto capiuntur. Ergo & licebit quod de aquā diximus propter ſimiles rationes. Vbi & ſine ſcrupulo à ſeruis vicini prædij aqua petitur, nonnihil pecuniæ datō. Cùm autem illi peccare ſe in hoc grauiter exiſtiment, eā certè ratione non licet, niſi illis id eſſe licitum quis perſuaſerit. Quod erit quidem frequenter, eo quòd miſeri iſti alimenta labori congrua non accipiant, vnde & poſſunt ſibi conſulere de bonis dominorum, & ita aquæ venditione. In villicis autem non ſic accidit, qui ex officio damnis tenentur occurrere; vnde & ad reſtitutionem obligantur. Vide P. Gaſparem Hurtadum *Diſput.* 1. *de Iure, Difficult.* 32. §. *Obſeruandum.* Niſi fortè villicus videat, ſine detrimento prædij, cui præeſt, id ſtare poſſe, & ſatis ſit circa rem iſtam inſtructus, quales non pauci inueniuntur.

Circa ſeruos & villicos notanda doctrina.

CAPVT XXII.

De Officiis vendibilibus, & prouentibus ex iiſdem Regio patrimonio adiectis.

SVnt illa quamplura in Indiis, ſicut & in Hiſpaniā: vnde quæ communia vtrobique ſunt, non eſt cur laxo calamo perſequamur. Poſſe illa vendi iam vidimus *Titulo* 1. *Cap.* 16. Sed inquirendum circa hoc § 5. *ſeqq.* quod diſcuſſione aliquā videtur indigere. Et ita ſit

Digitized by Google

§. I.

An tranſactâ venditione poſſit Rex contra illam reclamare, & læſionem opponere, eò quòd minori valde pretio fuerit celebrata.

Imprudens emptorum emptio.

167 ID quidem ita fieri videmus: vnde & non eſt audacter improbandum, licet querelæ graues emptorum imprudentium audiantur; Imprudentium quidem: quia euentum talem quando ad emptionem proſilierunt, veroſimiliter futurum minimè præcauerunt. Et modò quidem de officiis non ago vendi ſolitis: in illis enim nullus eſſe diſtractus ſolet; venduntur enim iuxta diſpoſitionem legitimam à Regio Indiarum Conſilio tranſmiſſam, à Gubernatoribus, attentis omnibus circumſtantiis, vnde vix locus eſſe pœnitentię poteſt ex parte vēdentis: ſed de Officiis aliis, quæ vendi non erat in vſu, aut nouiter introductis, cum ſalariis pinguibus. Eo enim ipſo quòd ſalaria adeò pinguia ſint, & quod pro officiis datur, illis improportionatum, potuerunt ementes pœnitentiam vendentis ob læſionem enormem, aut ſaltem magnam, coniectare. Quando enim enormis eſt, quia citra dimidium iuſti pretij, eodem Rex vti iure, quo alij, poteſt. Si verò aliàs, poteſt ſimiliter priuilegio frui, quo & multi alij, ſcilicet reſtitutionis in integrum: hanc enim Principi competere non recognoſcenti ſuperiorem circa bona Coronæ, & quæ Reipublicæ ſunt, teſtatiſſima eſt Scriptorum doctrina, vt videri poteſt apud P. Molinam *Diſput. 574. §. Reſpublica*, Bonacina *Diſput. 3. de Contractibus Quæſt. 1. Puncto vlt. num. 25.* qui plures citat P. Oñate *Tomo 1. Diſput. 22. num. 60.*

Duo genera vendibilium officiorum, & in quo diſtractus non ſit locus.

Rex ob læſionem magnam reſcindere contractum poteſt.

Reſolutio affirmatiua.

168. Atque ex hoc propoſita difficultas videtur expedita: poteſt enim Rex ſuo iure vti, & ita reſtitutionem ipſe exequi, cùm Superiorem non habeat, à quo eam poſſit poſtulare. Videtur tamen inſtari poſſe ex doctrinâ communi circa reſtitutionem. Non enim ob læſionem quamlibet peti illa poteſt, ſed quando contractus inconſultè, temerè, ac imprudenter eſt factus. Si enim quis ſciens & prudens in eo proceſſerit, non videtur locum habere. Neque enim captus, circumuentus, aut facilitate operans dici poteſt, quod Iura ad reſtitutionem requirunt, vt videri poteſt apud P. Oñate *ſuprà Sect. 2.* vbi plures Textus & Auctores adducit. Fiunt autem huiuſmodi venditiones poſt attentam diſcuſſionem in Regio Indiarum Conſilio, vbi viri attenti, maturi, & ſapientes aſſiſtunt. Sed hæc non obſtant: quomodocumque enim læſio accidat, reſtitutionis remedium ſuffragatur: Textus enim adducti ab Auctore citato de Minoribus procedunt, in quibus captio, circumuentio & facilitas ſolet accidere, propter quæ illis remedio reſtitutionis ex legum beneficio ſuccurritur. Quo non obſtante etiam illo potiuntur, quando non ipſi, ſed parentes, aut tutores, vel alij adminiſtrationem bonorum habentes, aliquid per contractum, vel quaſi contractum egerint, ex quo illis læſio notabilis oriatur *L. Tutor vergentibus D. de Minoribus. Et Cap. Conſtitutus, de in integrum reſtitutione.* Pro quo videri poteſt P. Molina *Diſput. 573. §. etiam ſi tutor.* Ex quo ſoluendum id, de quo ſtatim.

Fit ſatis inſtantia ex ſciente & prudente venditore.

§. II.

An ob non ſeruatam contractûs fidem poſſit eſſe locus compenſationi.

Non eſſe locum compenſationis abſolutè loquendo.

169 QVando ſcilicet plus petitur pro Officio ab eo, qui emerat; vel ſi dare renuat, alteri plus offerenti tradatur. Plus ergo det qui iam in poſſeſſione erat; ratione huius compenſatione vti poterit? Si V. g. per plures dies à Tribunali abfuit, cùm eſſet Rationalis maior, aut Regius officialis, ratione cuius abſentiæ ad reſtitutionem tenetur. Dicendum enim eſt abſolutè loquendo non eſſe locum compenſationi, quia fiſcus iure ſuo vtitur, & qui emit, nihil ſupra iuſtum pretium tribuit, quandoquidem alij ſunt ſupra id, quod ille dederat, offerentes. Si autem aliunde incommodum aliquod patiatur pretio æſtimabile, cuius non accipiat ſatisfactionem, vti poterit compenſatione modo dicto, aut alio. E. g. Si ipſe officium in Hiſpaniâ emit ibi dato pretio, pro quo tranſuehendo magnas fecit expenſas, vnde plus æſtimatur pecunia in Hiſpaniâ, quàm in Indiis. Vel ſi in Indiis ſoluit, ſed ſuo periculo conducendam & expenſis. Id quod videtur manifeſtum: nam reſtitutio talis fit reſtituto pretio ab emptore dato ſecundùm illius æſtimationem: cùm ergo ita non fiat in caſu, de quo loquimur, non eſt exacta ſolutio, ac proptereà damnum poterit compenſatione ſarciri. Neque enim minor eſt ratio in Rege cum priuatis contrahente, quàm inter priuatos ipſos. Pecuniam autem plus in vno loco, quàm in alio æſtimari, citra dubitationem eſt: quod & in Iure habetur expreſſum *L. 2. §. finali D. de eo quod certo loco.* Ex quo P. Leſſius *Lib. 2. Cap. 23. n. 36.* id infert, quod communiter alij recipiunt, eum qui dat centum aureos Antuerpiæ, vt recipiat Hiſpali, debere Hiſpali pluſquàm centum accipere, quia Antuerpiæ habent maiorem æſtimationem legalem: plus enim eſt Antuerpiæ habere centum aureos, quàm Hiſpali: vnde vt fiat æqualitas, debet Hiſpali plus recipere quàm centum. Quòd ſi det Hiſpali vt recipiat Antuerpiæ, non poterit Antuerpiæ accipere tantùmdem pecuniæ, ſed minùs, ſepoſito pretio traiectionis, & carentiæ ſuæ pecuniæ: quia alioquin non eſſet dati & accepti æqualitas in æſtimatione, quę in omni contractu eſt ſeruanda. Pro quo & videri poteſt P. Oñate *ſuprà Diſput. 17. num. 19.* & poteſt caſui noſtro pariformiter adaptari.

Limitationes quædam.

Pecuniam plus in vno loco, quàm in alio æſtimari.

§. III.

Cùm Rex præcipiat vt in venditione officiorum idonei & benemeriti præferantur, & minori pretio illa habeant, an hoc decretum in conſcientiâ obliget ex iuſtitia cùm onere reſtitutionis.

Decretum de prælatione bene-

170 DEcreti prædicti meminit D. Eſcalona *§. 2. num. 7.* de Senatoribus vrbicis ſpecialiter argentis: pro quo & videndus Dom.

Solorzanus

Digitized by Google

meritorum ex iuſtitia obligare.

Solorzanus in Politicâ *Pag.* 1001. *Col.* 1. Ad quod videtur dicendum obligationem quidem iuſtitiæ eſſe. Inprimis diſtributiuæ, iuxta quam bona Reipublicæ ſunt aptioribus conferenda. Deinde commutatiuæ: quia ratione officij, pro quo gubernator ſtipendium accipit, tenetur diſpoſitioni legum ſtare; in iis præſertim, quæ ius tertij concernunt; vnde ad reſtitutionem ſalarij tenetur, iuxta quod omiſſioni functionis iſtius poteſt reſpondere: quæ licet exiguum ſpatium temporis contingat exigere, rem tamen non exigui momenti contingit. Cui reſolutioni non obſtat quod tradit P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſiliorum, Cap.* 1. *Dub.* 45. *num.* 10. vbi ait conferentem officium digno, omiſſo digniore, non peccare contra officium, & ſic ad reſtitutionem non teneri: quia propriè ex officio tantùm obligatur prouidere bono publico, præficiendo ei miniſtros dignos, ſed tantùm peccare contra fidelitatem officij. Non inquam obſtat, quia loquitur attentâ tantùm ratione officij, & non ſecundùm ſpecialem obligationem, quam contrahit, dum ſalarium accipit pro illius rectâ adminiſtratione. Item, in eo caſu talis doctrina procedit, in quo non ſit ſpeciale decretum circa perſonas aliquas, ſed generalis illa obligatio præferendi meliores, quam officium ſecum affert. Quando autem ſpeciale decretum extat, alia eſt ratio: vt ſi decretum ſit conferendi officia nobilibus, indigenis, &c. & ita accidit in caſu noſtro.

Id videtur negare P. Sancius.

Sed non loqui in caſu noſtro monſtratur.

Onus reſtitutionis probabiliter negatur.

171 De reſtitutione autem reſpectu eius, qui eſt defraudatus officio, maior eſt difficultas. Et quòd obligatio talis non ſit, quæ onus reſtitutionis inducat, eſt ſatis probabile ex doctrinâ multorum, quos adducit & ſequitur P. Sancius *ſuprà, num.* 15. dicentium ex omiſſione dignioris ad officia publica, præferendo dignum, non oriri obligationem reſtitutionis. Vbi quæſtio videtur eſſe de nomine, an peccatum ſit contra diſtributiuam iuſtitiam, vel commutatiuam. Diſtributiua enim communiter dicitur, cùm dici etiam commutatiua poſſit, quæ ius alterius reſpicit ex pacto cum Republicâ aut Gubernatore illius nomine. Sed quia ius illius non eſt in re, neque ad rem, ita vt iuri in re æquiualeat, ſed imperfectum; ideò non oriri obligationem reſtitutionis. Quidquid autem de hoc ſit, in caſu noſtro ratio eſt eadem, quia in eo de prælatione dignioris agitur: idoneus enim non ita accipiendus eſt, vt incapaci penitus opponatur, ſed minùs capaci: de indignis enim ob incapacitatem ex ſe conſtabat admittendos non eſſe, & ita non erat opus id cauere: cùm aliàs idonei & capaces in fundamentali Regiâ Schedulâ requirantur, de quâ Dom. Solorzanus in Politicâ *Pag.* 996. Pro quo & eſt alia, de quâ *num. ſequenti.* Benemeriti etiam qualitas ad maiorem ſpectat dignitatem: qui enim benemeriti ſunt, iunctâ idoneitate, clarum eſt pro officio eſſe aptiores, quia magis circa Rempublicam affecti, & ita maius ex ipſis illius commodum ſperari poteſt, iuxta dicta *Titulo* 1. *num.* 63. Nec obſtat prælationem minùs digni non fieri à Rege ipſo, ſed ab inferiori Magiſtratu, cui à Rege oppoſitum imperatur. Nam id quidem arguit ſic facientem grauiter peccare, non autem ad reſtitutionem teneri: quia ex eo præcisè quòd contra legem faciat is, qui publica bona diſtribuit, quæ non ſunt primariò in ciuium vtilitatem inſtituta, non magis peccat contra iuſtitiam, quàm ſi lex talis non eſſet; quia lex nouam obligationem non imponit, ſed naturalem declarat, vt dictum *Titulo* 1. *num.* 71. cum bonis Auctoribus: & ita non aliter quàm Princeps, qui ſuas circa hoc vices commiſit, & ſtipendium quidem vterque accipit, vnde ex ea parte obligatio eſt eadem. Accedit, contra legem facientem in caſu noſtro, ad ſummum obligari in defectum præcipui debitoris, Regis inquam, qui maius commodum venditionis accepit: ad eum ergo, qui eſt prætermiſſus, recurrat: talis enim recurſus admittendus, iuxta ea quæ adducit Dom. Solorzanus *Pag.* 1001. §. *Y eſto es.* Quòd ſi repulſam patiatur, indicium erit probatæ venditionis ab ipſo, & ita ceſſabit in inferiore Magiſtratu reſtitutionis obligatio.

Circa idoneitatem notanda doctrina.

Non obſtare à Rege ipſo non fieri venditionem.

172 Nihilominùs oppoſitum ſolidis valde fundamentis nititur, & defenditur à multis & probatiſſimis Scriptoribus, vt videri poteſt apud P. Sancium *ſuprà, num.* 12. & in caſu noſtro eſt id quod adduximus, *num.* 70. de officiis, pro quibus ſunt peculiaria perſonarum genera deſignata, vt nobiles, indigenæ, determinatæ familiæ, &c. tunc enim transgreſſio onus reſtitutionis inducit. Cùm ergo in officiorum, de quibus loquimur, diſtributione idonei, & benemeriti præferendi deſignentur, conſimilis eſſe obligatio videtur. Pro quo & facit Schedula *Ann.* 1607. in quâ Rex noſter Philippus Tertius profitetur ſe in horum officiorum venditione bonum Reipublicæ idoneitate præficiendorum plus quàm proprium intereſſe deſiderare: vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *ſuprà, pag.* 1001. *col.* 1. vbi & alia in caſu ſpeciali. Quia verò vix erit qui de reſtitutione cogitet, probabilitate oppoſitæ opinionis extante; ideò illam conati ſumus explicatione adhibitâ communire, vt minùs ſit, circa quod conſcientiæ poſſint Gubernatorum impingere. Qui in eâ quidem grauiter peccabunt, in quo eis nihil indulgere volumus: ſed reſtitutionis grauamem moleſtiſſimum & periculoſiſſimum remouemus.

Obligationem reſtitutionis extare certiùs magis.

§. IV.

An leges renuntiationis ſint juſtæ, & obligent in conſcientiâ.

173 VIdetur ſanè in illis difficile quòd ſi renuntians non ſuperuiuat dies viginti poſt renuntiationem, officium amittat: cùm poſſit contingere vt poſt emptionẽ tali renuntiationi locus non fuerit, ſuperueniente morte. Item, quia cùm talis diſpoſitio ob vitandas fraudes ſit, quæ ſolent ſub mortem in renuntiationibus talibus accidere, vt omnes agnoſcunt, & conſtat ex Schedulâ *Ann.* 1622. apud Dom. Solorzanum *ſuprà, Pag.* 1005. §. *Y porque:* multoties illæ non ſunt, quod conſtare facilè poteſt ex loco, tempore, aliiſque circumſtantiis: vel quia renuntiatio facta eſt in perſonâ filij, aut vnici aut maioris. Quibus euentibus inhumanum apparet officium deperdi, & hæredes nullum poſſe ex eo emolumentum reportare. Sed hæc non obſtant, quò minùs

Difficultas circa dies 20. poſt renuntiationem.

Obligari legem in illo.

Digitized by Google

minùs leges renuntiationis juſtæ debeant judicari. Contractus enim ex conuentione legem accipere dignoſcuntur, vt eſt ex Iuris atteſtatione certiſſimum. Quando ergo Rex & emens ira contrahunt, vt lege ſtatutum eſt, videat qui emit quid ſibi expediat, non enim ad contrahendum adigitur: & quandoquidem ſub illis conditionibus ſibi expedire reputat emptionem, non eſt cur debeat in contractu aut ipſe aut alius iniuſtitiam reclamare. Quamuis ergo fraudes deſint, ius ad officium amittitur reſpectu renuntiatarij, ac hæredum, quia ſic conuentum eſt, licèt fraudibus eo pacto ſit intentum obuiari, quæ meliùs tali modo diſpoſitionis vitantur, ſi videlicet prædicto modo feratur; quæ dicitur præſumptio iuris & de iure, iuxta ſatis vulgarem doctrinam: quamuis oppoſitum non videatur improbabile. Vnde ſi quis falſo inſtrumento renuntiationem in ſuâ perſonâ factam probaret tempore requiſito per legem; licèt grauiter in eo peccaret, in confectione ſcilicet inſtrumenti & illius vſu; officio tamen obtento, poſſet illud in conſcientiâ retinere, ob communem ſententiam de legibus in præſumptione fundatis.

Oppoſitum non improbabile.

174 In caſu autem priore, quando videlicet quis non ſuperuiuit viginti dies, non videtur locus eſſe diſpoſitioni legis, & ita immeritò hæredes emolumentis officij priuarentur. Quando enim adimpletio conditionis ſtare nequit, non nocet ei, per quem non ſtat defectus implementi. *Imputari non debet ei, per quam non ſtat, ſi non fecerat, quod per eum fuerat faciendum.* Regula 41. Iuris *in* 6. vbi caſus plures apponit Gloſſa. Poteſt autem in euentu dicto contingere, vt quis renuntiauerit: & tunc quæſtio oritur an valitura renuntiatio reſpectu illius, vel officium ſit hæredum cum obligatione medietatis pretij perſoluendæ. Ad quod dicendum videtur non eſſe obligationem ſtandi renuntiationi, niſi renuntiatarius ſit etiam hæres: quia non eſt vnde obligatio oriri poſſit. Licèt ex eo quòd non fuerit locus diſpoſitioni legis, id beneficij habeatur, vt non debeat officium amitti: ex eo tamen quòd non ſtante ſpatio ad renuntiationem ſtatuto, illa valida futura ſit, tale quid non ſequitur: deficiunt enim quæ pro valore renuntiationis, vt illius forma, ſtatuta ſunt. Sed certè caſus eſt dubius, & ad forum iudiciale deducendus, ac pro renuntiatario ſua etiam ſunt fundamenta: vnde iudices poterunt quod ſibi veroſimilius videbitur, iudicare. Et ita circa hoc, grauamen conſcientiæ nullum, pro quo inueſtigando nos præſertim laboramus.

Caſus excipitur, vita breuiori poſt emptionem.

Quid pro praxi.

§. V.

An liceat renuntiatio facta in fauorem filiorum in eâ ætate, in quâ illi ſeruire nequeunt, dummodò per ſubſtitutum id præſtare queant.

175 ALiqui negatiuè reſpondent, & iuxta hunc ſentiendi modum latam ſæpiùs in Limano Prætorio ſententiam affirmat Dom. Solorzanus *ſuprà, pag.* 1002. §. *Pero ſin embargo.* Et hoc quidem ante huius cauſſæ deciſionem, quæ iam extat quoad omnes, ſiue filios ſiue conſanguineos, aut extraneos; vt videri apud eumdem poteſt *Pag.* 1003. *in fine. & Tomo* 2. *Lib.* 5. *num.* 112. Dom. Eſcalonam §. 1. *num.* 9. & Antonium de Leon. *Tractatu de Confirmationibus Regiis, Parte* 2. *cap.* 22. *num.* 22. Videtur autem deciſio talis non penitus iuſtificata; quia leges Regni quoad Hiſpaniam contrarium ſtatuunt, vt videri poteſt *L.* 41. *&* 42. *Titul.* 20. *Lib.* 2. *& in Pragmaticâ, Ann.* 1590. *die* 13. *Iunij.* Non patitur autem æquitas vt pro Indiis ſecùs ſtatuatur, cùm non appareat ratio, quæ pro eo videatur vrgere: cùm præſertim in venditione officiorum profiteatur Rex velle ſe publico bono conſulere, nec proprium intereſſe circa illam ampliare, ſed arctare potiùs: vnde prohibet quædam erga eamdem fieri, quæ in Hiſpaniâ ſunt vſu recepta, & ad maius intereſſe patrimonij Regij conducunt: vt videri poteſt apud D. Solorzanum *Pag.* 1001. *Col.* 1. & D. Eſcalonam §. 2. *num.* 5.

Circa renuntiationem in filijs ſeruire impotentibus, qui validã negant.

Schedulã circa hoc non iuſtificatam videri.

176 Deinde, hoc quod Schedula recentior ſtatuit, iam erat per aliam ſtatutum *An.* 1581. de quâ Dom. Solorzanus *Pag.* 996. *in principio.* Et tamen, eo non obſtante, plures aliter cenſuerunt, ob grauia fundamenta, quæ idem adducit *Pag.* 1002. §. *En quanto, & ſeqq.* Et tenuit expreſsè doctus & eruditus Antonius de Leon *ſuprà, cap.* 8. Non videtur autem plus vrgere nouior deciſio. Prætereà, inconuenientia omnia, quæ ex renuntiatione tali timeri poterant, in venditione officiorum deuorantur: vendi enim poſſunt Minoribus, qui per ſubſtitutos ſeruiant, etiam in Indiis; cùm enim caſus exceptus non inueniatur, Iuri communi ſtatur, per leges paullò *ſuperius* citatas. Ex quo videtur fieri non eſſe illas magni momenti: ſi enim talia eſſent, non apparet credibile à Regiis Conſiliariis permittenda. Vbi ergo eſt eadem ratio, eadem debet eſſe Iuris diſpoſitio. Tandem, deciſio præfata in Indiis ægrè recepta eſt, & pro eâ inſtanter ſupplicatum, vt teſtatur Dom. Solorzanus *Pap.* 1004. §. *De la qual.* Quando autem leges tales ſunt, non videntur ſecundùm omnem rigorem obligare, quia inuitis imponuntur: cùm tamen in omni lege publicâ populi conſenſus requiratur: non enim inuiti poſſunt opprimi homines liberi & ingenui, qui occidi non poſſunt, vt loquitur Caramuel in Theologia morali, *numer.* 185. quod & tenent plures Doctores apud Dianam *Parte* 1. *Tractat.* 10. *Reſolut.* 1. *&* 2. quos & ille ſequitur, vt videri poteſt *Reſolut.* 2. §. *Sed quidquid.*

Ex aliorũ ſententia, alia pro eodem extante Schedulâ, robur adauctum, rationibusq; alijs.

Leges vt reluctantibus imponi nequeãt.

177 Propter hæc videri alicui poſſet ſententiam iſtam poſſe veroſimiliter defenſari. Sed certè, licèt veroſimilis ſit, in praxi nulli eſſe adminiculo poteſt. Cùm enim res iſta ad forum exterius ſpectet, & à Regiis ſit iudicibus agitanda: illi proculdubio in fauorem Fiſci iudicabunt. Quid ergo Minori renuntiatario veroſimile illud poterit ſuffragari? Item, cùm lex hæc neminem grauet, niſi volentem grauamen tale ſpontaneè ſubire, dum contrahit non debet amarè conqueri, & ſe iniuſtè grauatum proclamare. Vt *num.* 173. dicebamus. Et per hoc ſoluitur quidquid pro aduersâ ſententiâ eſt adductum, & adduci poteſt. In Hiſpaniâ quidem contractum vult Rex currere aliter quàm in Indiis; ſuo iure vtitur, vt priuatus poſſet, ſi vtrobique contractum cele-

Sententiam fauorabilẽ pro praxi nihil iuuare.

Contraria fundamenta diſſoluta.

Digitized by Google

celebraret; cùm aliàs pro diſcrimine prudentes poſſint occurrere rationes. Quòd ſi æquitas vniformitatem ſuadet, id eſt vbi de contractibus agitur, contrarias pro diuerſitate locorum non habentibus qualitates; cùm aliunde ſint illi voluntarij, & neminem niſi volentem, & in re quidem maximè ſpontaneâ, grauent. Sicut autem contra æquitatem non cenſetur, quòd priuilegia aliqua emptoribus Indicis concedantur, quæ tamen in Hiſpaniâ non admittuntur, quia in vnaquaque terrâ ſuus vſus, vt notiſſimo prouerbio circumfertur: ita ſimiliter in caſu, de quo loquimur, æſtimandum.

Non eſſe idẽ inconuenienĩs in renuntiatione, ac in venditione.

178 Inconuenientia autem, quæ ſimilia in venditione & renuntiatione videntur, admitti quidem poſſunt: ſed vt non deuorentur in renuntiatione, & in venditione admittantur, ea eſſe ratio poteſt: quia ſi qua illa ſunt, patrimonij Regij incrementis compenſantur; quod inuenitur in venditione, & non in renuntiatione: in hac enim nihil plus Rex habet, quàm ſi in beneficium cuiuſlibet alterius fuiſſet renuntiatum: cùm tamen in illâ, ex eo quòd fiat in fauorem Minoris, plus debeat accipere, quàm ſi in perſonam capacem fieret. Et vt demus nullum maius intereſſe fore; non vult Rex multiplicari inconuenientia, quæ in vno permitti ratio non incongrua compellit. Et hæc inſuper lex inuitis non ponitur, vt ex dictis conſtat; cùm nullus ad contrahendum niſi valdè ſpontaneus accedat. Vt taceam Caramuelis doctrinam ab aliis improbari: inuitis enim leges imponi poſſunt, quando ad id iuſtæ cauſſæ concurrunt, vt conſtat in omnibus legibus, quæ de gabellis, ac nonnullis aliis populo iniucundis feruntur. Pro quo videri poteſt Diana *Parte* 9. *Tractat.* 5. *Reſolut.* 18. vbi cum multis affirmat poſſe leges inuitis imponi. Quod & quamplures ac grauiſſimi ſcriptores tenent apud eumdem *Reſol.* 1. *citatâ.* Quibus adde P. Palaum *Tomo* 1. *Tractat.* 3. *Diſput.* 1. *Puncto* 13. Non eſt ergo cur debeat lex prædicta vt iniuſta condemnari.

Inuitis poſſe leges imponi.

§. VI.

An qui officium emit, allegare poſſit enormiſſimam læſionem.

Læſionem quamlibet non poſſe ab emente allegari, quæ probent.

179 ALiquando illam contingere dubitari nequit; non quidem dolo vendentium, ſed ignorantiâ facti, in officiis præſertim nouis, vt in officio Cancellarij Limanæ Audientiæ compertum: quod magno emptum pretio, exiguum emptori emolumentum præſtitit. Circa quod negatiuè reſoluit D. Eſcalona §. 2. *num.* 8. cum aliis, quos citat in margine. *Lit. L.* & eſt quidem ita decretum per Schedulam *Ann.* 1609. & aliam 1617. apud eumdem. Quod iuſtificari ex eo poteſt, nã reſpectu Regis idem ſtatuitur, & ita allegare nequit quantumuis enormem læſionem. Quod quidem intelligendum eſt de officiis vendi ſolitis, de quibus leges loquuntur, non de aliis, de quibus *num.* 167. ne leges praxi contrariæ videantur. Nihilominùs Dom. Solorzanus *Pag.* 1006. §. *Peroſin embergo*, affirmat in Limanâ Audientiâ huiuſmodi expoſtulationes admiſſas, & in fauorem expoſtulantium judicatum, nihil contrarium Regio Conſilio reſpondente: juxta doctrinam grauium ſcriptorum aſſerentium, propter dolum, qui in huiuſmodi contractibus præſumitur, non poſſe allegationem læſionis dictæ, etiam per Principis reſcriptum excludi. Sed certè, cùm non ſemper dolus ſit, vt vidimus, ad aliud eſt ſolidius fundamentum recurrendum, quod ex ipsâ læſione deſumitur adeò exorbitante: non enim juſtitiæ conforme, vt ea non reparetur à Principe, in quo ſupremum emicat exemplar æquitatis. Nec videtur ex eo juſtificari, quòd Rex parem conditionem ſubeat, & ſe ad non opponendam læſionem adſtringat: nam quid tandem ſit ille facturus ignoramus: & prætereà conditio non eſt æqualis. Nam licèt patiatur ille læſionem, ius tamen ipſi ad recuperationem officij reſtat, quod per varios caſus poteſt ad ipſum redire: quod ſecùs accidit in emptore. Item, Regi reparatio læſionis in vno vel altero exigui momenti eſt, adeò amplum patrimonium poſſidenti: priuato autem magni eſt profectò momenti, qui in emptionem officij totam ſolet ſubſtantiam impendere, aut eximiam certè portionem. Notaſſe autem iuuat in prædicto Audientiæ judicio non attentam Regij Concilij deciſionem, vbi & ratio & commune ius contrarium videntur perſuadere: vt hinc ad alia argumentum fieri queat, in quibus tamen hærere iudices ſolent, mulctam, aut increpationem eiuſdem Conſilij formidantes.

Contrariũ praxi & ratione fũdatum.

Par conditio ex parte Regis ad iuſtificandum contractum nõ ſufficit.

§. VII.

An officium renuntiari poſſit in fauorem Eccleſiæ, aut Religionis.

Non poſſe officium in Eccleſiam aut Religionem renuntiari, qui & quæ probent.

180 CIrca hoc Dom. Solorzanus *Pag.* 1004. §. *Y de loque, & Tomo* 2. *lib.* 5. *num.* 114. affirmat reſolutionem iuxta dicta de Minoribus conformandam, propter rationem non ſolùm ſimilem, ſed vrgentiorem. Excluduntur enim qui ſeruire per ſe non poſſunt de præſenti; cùm tamen proceſſu temporis apti eſſe poſſint: quod tamen in Eccleſiâ, & Religione locum habere non poteſt. Præterquàm quòd ius ad officia manet in fiſco radicatum, vt ſi vacauerint, ad ipſum regrediantur: quod tamen ſtare nequit, ſi in eos, qui mori nequeunt, renuntientur. Præter repugnantiam, quæ inter officium tale, & ſtatum ſacrum apparet, ac diuerſitatem fori, quæ non poteſt non Regiis eſſe judicibus permoleſta, quia litibus obnoxia: vnde non videtur credibile renuntiationem talem iuxta Regis eſſe voluntatem.

Contrariũ placere aliis, & quæ eorũ fundamenta.

181 Nihilominùs ſunt qui contrarium cenſeant, quia caſus iſte non inuenitur exceptus, neque à ſimili argui poteſt in hoc genere, ſicut non arguitur ex venditione ad renuntiationem in fauorem Minoris. Intercedit etiam hic Religionis fauor, propter quam ſolent etiam quæ ſtricti iuris ſunt, vt priuilegia, de perſonâ ad perſonam extendi; quia ſumma eſt ratio, quæ pro Religione militat. *L. Sunt perſonæ. D. de Religio. & ſumpti. funer.* Videatur P. Sancius *Lib.* 8. *de Matrimonio, Diſput.* 1. *num.* 13. vt euidentius ſit odia non ampliandа

pliãda circa illam, iuxta notiſſimam Iuris regulam, quòd odia reſtringi, fauores conuenit ampliari. Et quod alter non debet alterius odio prægrauari 15. & 22. *in 6.* Pro quo ipſe Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 1. Cap. 14. num. 70.* Ceterùm hæc omnia parùm prodeſunt, quandoquidem res iſta ad tribunalia eſt Regia deducenda, in quibus contra Eccleſias, & Religioſos ſententia proferenda. Vnde expediet non armis iuſtitiæ certare, ſed benignitatem Regiam implorare. Neque enim inſolitum eſt officia talia Religioſæ alicui familiæ concedi, per ſubſtitutos adminiſtranda. Adducta autem in contrarium non vrgent: ſimilitudo namque rationis in venditione deficit, vt vidimus. Quòd non moriatur poſſeſſor, fauore Religionis poteſt admitti: cùm poſſit etiam accidere, vt officium alicui venditum numquàm ſit ad Regium patrimonium reuerſurum. Cùm etiam per ſubſtitutum adminiſtrandum ſit, nihil ſequitur Religioſæ quieti, aut Eccleſiæ ſtatui diſconueniens. Quod autem ad diuerſitatem fori attinet, minimè eſt impedimenti, ſiquidem cum ſubſtituto agendum, qui ad laicum forum penitus pertinebit. Faciat ergo Rex vt libuerit: cùm enim liberè vendat, emptorem poterit, quem maluerit, admittere, & non ſibi benè viſum reprobare; conditioneſque apponere congruentes, etiam Eccleſiaſticis excluſis, vt in legibus, quæ de fideiuſſoribus agunt, & Eccleſiaſticos non eſſe admittendos edicunt, ſed laicos, quos vulgò dicimus *Abonados*, id eſt, bonis præditos. Similiter etiam Rex Mineras auri & argenti Eccleſiaſticis vendere prohibet: & iis, quibus tradit, ſub eâ conditione concedit, vt ad eos non perueniant, & ſic alia, quæ in odium Eccleſiaſticorum non fiunt; ſed ſecuritati propriæ conſulendo. Vt ſi quis nolit Clerico domum locare, eò quòd ipſos difficiles in ſoluendo ſit expertus. Videatur P. Sancius *Lib. 2. Conſiliorum Cap. 4. Dub. 57. num. 7. 8. & 9.*

Reſoluitur cum Rege circa hoc non contentioſè agendum.

Pro negatiua adducta reſpondetur.

Conditionem non transferendi in Eccleſiam vt queat Rex apponere.

§. VIII.

An vindicato per retractum Regio Officio, à Regio Fiſcali, quod renuntiatarius volebat ſibi, ſed iuxta minorem æſtimationem, quàm reuera haberet, ad id teſtibus falſis inductis: ſi poſteà pluris vendatur, debeat renuntiatario id, quod ipſi debetur, reddi ſecundùm æſtimationem, quam prætendebat ipſe, aut ſecundùm eam, quam venditio ipſa maiorem oſtendit.

Caſus appoſiti deciſio iuxta Regium reſcriptum ſtatuenda.

182 E. G. Volebat renuntiatarius valere duodecim mille, vnde ipſi danda ſex, ſi primus ſit, aut octo, ſi ſecundus. Venditum eſt autem officium viginti quatuor, an danda duodecim, aut ſexdecim? Et in fauorem renuntiatarij iudicatum in Quitenſi Prætorio, affirmat Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 5. n. 118.* & in Politicâ *pag. 1006. in principio.* Contrarium tamen pro lege ſtatutum in Regio Conſilio teſtatur *ibidem.* Quod & tenet D. Eſcalona §. 5. *num. 4.* & iure quidem optimo, tum ex iis, quæ prior ex citatis adducit: quia ſcilicet nulla renuntiatario infertur iniuria, ſi eidem detur, quod ipſe fiſco dandum contendebat. Licet ad hoc reſponderi poſſit, illum quidem ita contendiſſe, ſed cùm ipſi fuerit fruſtratum intentum, ſtandum vero officij pretio, quia ob prætenſionem ſuam officium valorem proprium non amiſit. Ideò euidenti aliâ agendum ratione, ex eo ſcilicet quòd per retractum fiſcus dominium acquirit officij, & ita vendit vt poteſt, nec tenetur ex ſuo dare alteri, qui ius nullum erga officium habet: dominij enim tranſlatione ius omne amiſit, ſicut amitteret, ſi priuatus quiuis illud pretio obtinuiſſet. Iuuat Cap. *Ex eo*, de regulis iuris in 6. vbi ſic dicitur: *Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus eſt impugnare.* Et in pœnam quidem delicti priuari penitus omni emolumento potuit, vt non ſit mirum ſi cum eo ita agatur, vt aliquid de pretio recipiat, in cuius poteſtate quantum eſſet illud valiturum officium ignoratur.

Illius fundamenta.

§. IX.

De obligatione petendæ confirmationis.

Pro confirmatione habendâ quid iuxta leges faciendum.

183 DEbet qui emit confirmationem à Rege intra quadriennium petere, licet pro aliquibus remotiſſimis Prouinciis quinquennium, aut ſexennium indultum inueniatur. Intra ſeptuaginta autem dies (aliàs ſexaginta, vt apud Dom. Solorzanum *citato Lib. 5. num. 105.*) ſe debet renuntiatarius Proregi præſentare aut Gubernatori, ſecundùm quod in Regia ſchedula iam citatâ contentum. Id ſi non fecerit, officium amittet, & de illo Regis nomine diſponetur, duabus tertiis partibus eidem datis, & alia Regio fiſco adiudicata. Vbi quidem renuntiatario onus tantùm præſentationis intra dictum terminum conſtituitur, non verò primo poſſeſſori. Cuius ratio eſſe poteſt: nam in renuntiatione fraus aliqua præſumi poteſt ob dilationem, non verò in primo poſſeſſore, qui officium eſt auctoritate Regiâ conſecutus.

Primi poſſeſſoris, & aliorum diſcrimen.

In amiſſione officij cuius temporis habenda ratio in ordine ad pretium.

184 Vterque autem confirmationem Regiam debet poſtulare. Circa quod dubitari poteſt, an ſi officium propter moram imputabilem amittatur, & ſic Regio vendatur nomine, pluriſque quàm emptum ſit, habenda ſit ratio valoris præſentis ad reddendas partes dictas, an eius, in quo eſt prior emptio celebrata, aut renuntiatio facta. Et videtur vti certum aſſerendum habendam præſentis temporis rationem: quia aut officium eſt ſub dominio eius, qui amittit, & ſic pretium ad eum ſpectat, vti rei propriæ, pœnâ conuentionali deductâ. Aut dominium tranſlatum eſt in fiſcum; & ita etiam eum ſuo valore tranſit, neque eſt cur debeat prior poſſeſſor eo defraudari. Si enim pœnam meretur, iam eam ſoluit tertiæ partis, & officij etiam amiſſione. Quòd ſi mora imputabilis non fuerit, quia ſcilicet ſubmerſa nauis, in quâ Acta ferebantur, aut aliud impedimentum minimè voluntarium ſuperuenit: manifeſtum eſt amiſſionis pœnam nõ incurri; mora enim non nocet impeditis, quibus nec tempus currit. Sic in Cap. *Non eſt*, de regulis iuris in 6. vbi ſic dicitur: *Non eſt in mora,*

Cap. Non eſt.
Cap. Imputari.

qui

Digitized by Google

qui poteſt exceptione legitimâ ſe tueri. Et Cap. *Imputari*, ibidem. Et Cap. *Cùm non ſtat.* &

Regiorum Officialiũ circa præſtãda obligationes.

185 Et quia de Regiis Officialibus titulus iſte procedit, adnotare oportet illos grauiter peccare, ſi quadriennio exacto ad confirmationem impetrandam, & præſentandam conceſſo, illam non exigant, quia illâ deficiente, officium amittitur. Vnde & ad reſtitutionem tenentur damni inde Regio Fiſco ſuperuenientis, juxta ſæpiùs dicta. Si tamen poſt quadriennium Confirmatio præſentata fuerit, non eſt admittenda: ſed neque officium vendendum: quia Regium Conſilium ſolet circa hoc benignè ſe gerere, & indultum impartiri. Sic enim accipiendum quod dicitur in ſchedulâ *Ann.* 1627. non debere admitti, niſi priùs Regium Indiarum Conſilium de re totâ certioretur. Non ergo vendi officia debent: alioqui inutilis eſſet certioratio. De quibus hæc ſatis.

Notandum pro venditione deficiente confirmatione.

CAPVT XXIII.

De Regiis Commendis, & magnis inde prouentibus.

Commenda quid.

186 COmmenda dicitur ius ad tributum Indorum: ratione ſiquidem illorum talia tributa recipientibus commendati manent, vt ipſorum defenſioni, inſtructioni, & temporali ac ſpirituali profectui curam debeant ſolicitam adhibere. Commenda ergo vt ad Regem ſpectat, & ipſius eſt incorporata Coronæ, ius ad tributa importat; de quibus dictum *Titulo* 1. *Cap.* 16. Nonnulla autem hoc loco adijcienda, ex quibus illud quæſtionem pulſat, an ſit ſtandum Indici Prætoris informationi coràm Notario Prouinciæ, Indorum Parocho, atque ipſorum Regulo ſeu Gubernatore, juxta præſcriptam formam, ex quâ conſtat tot & non plures eſſe Indos tributarios; vel tutâ conſcientiâ poſſit tributum numeri maioris exigi, ſecundùm retaxam vltimam: ſic enim in vſu eſſe conſueuit. Et videtur manifeſtum ſtandum eidem, quia authentica eſt, & fidem faceret in quocumque alio negotio: ergo & in iſto; ex cuius oppoſito plures iniuſtitiæ ſequuntur, dum alij pro aliis coguntur ſoluere: cùm vix ad deſignatam vnicuique taxam ſufficientes habeantur. Et quidem retaxatio, ſeu reuiſitatio, juxta quam exigi tributa ſolent, à Prætoribus facienda decernitur in Regiâ epiſtolâ *Anni* 1571. ex quo conſtat de eorum rectâ agendi ratione plenam fiduciam haberi: ergo & credendum illis in prædictâ informatione, quæ vim habet retaxationis. Quòd ſi dicatur retaxationem ſeu reuiſitationem debere fieri cum citatione Regij Fiſcalis, & Regiorum Officialium, qui deſignaturi aliquem ſunt, retaxationis actis adfuturum, vt conſtat ex adductis à D. Eſcalona *Cap.* 15. *num.* 3. & ita, dum hoc non fit, Prætoris informationem non ſubſiſtere ad effectum remittendi tributa non ſoluta. Id certè non videtur obſtare: nam citatio talis, & deſignatio intereſſentis actis, ad plenam & ſolemnem rei talis conſtitutionem pertinet, & vt eâ poſitâ non poſſit vlterior inquiſitio fieri ad taxæ complementum, quæ priùs fuerat conſtituta. Ex quo non ſequitur ſufficientem fidem non facere inſtrumentum Prætoris, ad non vexandum illum, & præſertim Indorum Regulos; cùm tamen vlterior fieri inquiſitio poſſit, vt tributarij, qui deſunt, inueniantur. Et Indos quidem ſua oppida paſſim deſerere nec facilè à Regulis deprehendi poſſe, verius eſt quàm vt indigeat probatione. Vnde iniuſtè vexantur illi, vel quia non quærunt, vel quia abſentiæ cauſſâ præſumuntur, dum ſuis eos commodis ſeruire faciunt, in cuſtodiendis ſcilicet gregibus, aut nundinationibus exercendis: quod non raro euenit; ſed informatione præfatâ, ſuſpicio remouetur.

Circa numerum tributariorum ſtandum eſſe informationi à lege præſcripta, & non retaxæ vltimæ.

Obiectio ex Fiſcalis citatione diluta.

Species poſſe exigi modò in eadem, qua olim quãtitate, licet mutatum valor.

187 Illud etiam quæſtionis eſt, an ſpecies, quæ præter pecuniam vt partes tributi penduntur, iuſtè exigantur modò in eadem quantitate, quâ olim, cùm modò pretioſiores habeantur. Videtur namque illud minùs æquitati conforme, vt ſcilicet onus maius ſit, cùm perſonæ non habeant mutationem. Sed dicendum id fieri tutâ conſcientiâ poſſe: quia cùm rerum pretia paſſim mutentur, moleſtiſſimum eſſet & ferè impoſſibile tributa ad quotam prioris valoris reſecare. Præterquam quod ſi ſpecies pretioſiores ſunt, etiam eâ ex parte ſubſtantia Indorum augetur, cùm maiori pretio poſſint fructus & textilia ſua vendere, exemplo decimarum, quæ conſtantes ſunt quidquid circa earum valorem diuerſitatis obtingat: Decimæ enim & tributa comparari ſolent, ex adductis à Dom. Solorzano *Tomo* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 21. *num.* 1.

Nouem præconia ad earum venditionem non ſemper neceſſaria.

188 Quæri item poteſt an ad vendendas ſpecies nouem præconia ita neceſſaria ſint, vt ea omittere graue peccatum ſit, obligationem reſtitutionis inducens, nam totidem lege conſtituta ſunt. Vbi certum eſt, ſi ex omiſſione detrimentum aliquod Regio patrimonio ſuperueniat, obligationem reſtitutionis incumbere, iuxta ſæpiùs dicta. Si autem attentis circumſtantiis non indicentur neceſſaria, & ſolùm occupationem Regiis pariant Officialibus, nulla ſuberit obligatio. Quo euentu ſine infidelitate aut mendacio teſtari Tabellio poterit neceſſaria præconia præceſſiſſe juxta legem: quia licet nouem non fuerint, juxta legis mentem pauciora ſufficiunt, quando ex pluribus nihil ſperari maioris intereſſe poſſit. Immò etſi dicat nouem, non videtur grauiter peccare, quia mendacium in re nullius momenti accidit: & vt videtur, etiam veniale, intelligi poſſunt nouem non numero, ſed virtute aut æquiualentiâ: non obſtantibus quæ adducit P. Oñate *Tomo* 1. *Diſput.* 46. *n.* 102. & 103. quia nec iuramento, nec legibus, aut fidei publicæ id videtur contraire. Iuramentum enim grauem obligationem ſupponit: & vbi illa non eſt, nouam non addit, vt dictum aliàs, & præſertim *Titulo* 6. *num.* 4. Leges autem non vrgent, vt vidimus; nec præſidium publicæ fidei vacillat, quia in eo non læditur, cùm damnum ex prædictâ atteſtatione ſequatur, in quâ & veritas iuxta æquiualentiam dictam reperitur. Ampliora *loco citato initio Capitis* dicta, & dicenda plura cùm de Commendatariis *inferiùs* diſſeremus, *Titulo* inquam 7.

Tabellio vt fidem facere poſſit, Notanda doctrina

CAPVT XXIV.

De monopolio niuis, & Regio inde compendio.

Monopoliū niuis rectè poſſe conſtitui.

189 QVomodo illud Limæ fuerit conſtitutum refert D. Eſcalona *Lib.* 2 *Parte* 2. *Cap.* 22. & potuiſſe à Rege id fieri, quæſtuoſâ ex eo acceptâ penſione, ex multorum doctrina circa huiuſmodi rerum genera poteſt comprobari. Et videri poteſt P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 21. *num.* 148. vbi ad propoſitum noſtrum ait tunc licitum monopolium futurum, quando aliter rem, circa quam verſatur, nemo ſufficienti copiâ vellet inuehere ob ſumptus, quos non facilè poterit recuperare. Id enim in caſu noſtro accidit: ingens enim niuis copia neceſſaria eſt ad ſatisfaciendum ciuium deſiderio, temporibus æſtu infenſis, de quâ non poſſet haberi ſecuritas, niſi monopolio auctoritate Regiâ conſtituto: cùm videamus, eo etiam extante, defectus aliquos accidere, quos moleſtiſſimos ciues experiuntur; non obſtante amiſſione grandis lucri, & non leuis pœnæ conuentionalis incurſu.

Difficultas ſpecialis ex defectu neceſſitatis, cui illa eſt penſio conſignata.

190 Videtur autem circa hoc ſpecialis emergere difficultas ex eo quòd, licet ad monopolium inducendum congrua ratio ſit, quam adduximus, de copiâ ſic meliùs prouiſâ Reipublicæ: emolumentum tamen in eiuſdem Reipublicæ vtilitatem conuertendum videtur, quando ex eo Rex nulli ſpeciali neceſſitati comperitur occurrere: pro quâ penſionem poſſe tantum exigere, cùm monopolia concedit, Doctores indicant, vt videri poteſt apud P. Leſſium *loco citato.* Circa quod & P. Molina apertiùs loquitur *Diſput.* 345. §. *Dixi monopolia*, vbi illa eiuſdem verba: *Regem quippe tunc à peccato excuſat publica neceſſitas, in quâ eſt.* Similiter P. Rebellus *Parte* 2. *Lib.* 9. *quæſt.* 7. *num.* 3. Pater Azor *Tomo* 3. *Lib.* 5. *Cap.* 23. §. *Tertiò quæritur.* Ioannes de Medina *Cod. de Reſtitutione quæſt.* 30. §. *Penultimo* Bonacina *Diſput.* 3. *de Contractibus quæſt.* 2. *Puncto* 6. *num.* 9. & alij. Vt enim teſtatur D. Eſcalona *ſuprà*, emolumentum hoc ad ſumptus pro nouo palatio *Boni Succeſſus* conſignatum eſt, cuius certè nulla videbatur eſſe neceſſitas, vt voce publicâ circumlatum: iis præſertim temporibus, quibus opus eſt ad ſacra extorquenda conſurgere, vt negotium Regni & Religionis Princeps optimus proſequatur. Cùm aliàs grauis obligatio ſit ſupremis adnata Principibus ad ſumptus inutiles, aut certè non neceſſarios reſecandos, vt omnes clamant Scriptores, quorum aliquos congerit P. Oñate *Tomo* 2. *Diſput.* 46. *Sect.* 2. *in fine*; junctis iis, quæ habet. *num.* 62. Pro quo & videri poſſunt P. Molina *Diſputat.* 667. *num.* 5. P. Thomas Sancius *Libr.* 2. *Conſiliorum Cap.* 4. *Dub.* 2. *num.* 8. P. Azor *Tomo* 2. *Tib.* 11. *Cap.* 7. §. *Eſt quoque.* P. Fagundez *Tomo* 1. *in Decalogum Libr.* 4. *Cap.* 15. *num.* 5. & alij. Qui ergo potuit monopolij niualis pretium ad ſumptus dictos deſtinari? Illud namque è ciuium bonis extractum, in eorum debuit vtilitatem dirigi, cùm aliud neceſſitas non videatur poſtulare. Per quod quidem grauamen Siſæ, quod iam diu premit, poſſet imminui, & ita tolerabilius redderetur.

P. Molina.

Principes ſumptus non neceſſarios tenentur ſub mortali reſecare.

Ædificiâ magnificâ Reges decere.

191 Ad quæ reſponderi poteſt ædificia magnifica Reges decere, & ad commune bonum quodammodo ſpectare, vt Regius ſplendor hoc pacto creſcat, & apud nationes exteras in maiori æſtimatione per Legatos videntes, & audientes habeantur. Pro quo ſic Caſſiodorus *Lib.* 7. 5. Regis nomine locutus: *Hæc noſtra ſunt oblectamenta, potentiæ imperij decora facies, teſtimonium prætoniale regnorum; hæc legatis ſub adminiſtratione monſtrantur, & primâ fronte talis dominus eſſe creditur, quale eius habitaculum comprobatur. Et ideò magna voluptas eſt prudentiſſimæ mentis, pulcherrimâ iugiter habitatione gaudere, & inter publicas curas animum feſſum reficere dulcedine fabricarum.* Sic ille. Etſi autem pro huiuſmodi fabricis grauari non debeat populus, quando aliæ decentes ſunt; ſi tamen moderatum aliquid hinc inde corradatur, quod non ægrè toleretur, non debet vt injuſtum & penitus damnabile notari. In caſu autem noſtro ſic contingit: vnus enim eſt, qui pretium monopolij ſoluit, & hic grauamen non ſubit, ſed lucratur: illis autem, qui niuem aſportare poterant, & quæſtum ex eo feciſſe commercio, ſi quid moleſtum accidit, minimæ conſiderationis eſt, quia ad lucrum aliunde, fortè ſecuriùs, quærendum poſſunt animum applicare. Ciuibus inſuper nihil infertur injurium, cùm niuem moderato pretio accipiant, & cum majori ſecuritate, vt diximus.

Caſſiodorus.

Pro illis quomodo penſio aliqualis imponi queat. Quodcaſui præſenti applicatur.

Reſpublicas poſſe collectare juxta multorum ſententiam.

192 Quòd verò emolumentum dictum in bonum Reipublicæ poſſet conuenienter expendi, veriſſimum quidem eſt, ſed ad id Rex non tenetur, quia ad ſumptus publicos propria habet bona, & ſi illa non ſufficiant, jus collectandi, quod Rebus publicis competit, eò quòd gabellæ, aut vectigalis nomine non veniat compellandum. Vnde illud in ipſis complures Doctores admittunt: vt videri poteſt apud P. Fragoſum *Tomo* 1. *Diſput.* 7. *num.* 68. & *Tomo* 2. *Diſput.* 3. §. 5. *numer.* 122. vbi plures adducit. Quod cum multis tenet P. Palaus *Tomo* 6. *Diſput.* 3. *Puncto* 6. *n.* 3. Licet ſint qui contrarium cenſeant: accedente autem licentiâ Regis, quæ obtinetur facilè, ſcrupulus omnis abſcedit. Quæ quidem ad iuſtificandam conſignationē prædictā videntur ſufficere: cùm præſertim palatium dictum perfectum jam ſit, pro cuius conſeruatione, ſi faciendi ſumptus, vt videtur neceſſarium, jam neceſſitas intercedit, ex quâ ſolent exactiones licitæ reddi: ſi autem minùs neceſſarium ſit, quàm id, quod defertur, tot aliæ neceſſitates pullulant, vt ad eas ſubleuandas poſſit prouentus talis applicari. Cùm inſuper minoris illud jam quantitatis ſit, quia & minoris lucri monopolis, non ita vrgentibus caloribus, & ſic rariore ad hydromelim concurſu, ac moderatione circa hoc ſuccedente, eò quòd multis incommodis nimius infrigidatæ aquæ potus obnoxius comperiatur.

Rationes aliæ pro iuſtificatione monopolij niuis.

CAPVT

CAPVT XXV.

De tabernarum peculiari deſignatione ad incrementa Regij patrimonij.

Tabernarū Regiarum inuentum non ita probatum, & quid praxis circa illas.

193 NOuum eſt hoc ad pecuniæ collectionem inuentum, quod aliquibus minùs decorum eſt viſum, vt ſcilicet in tabernis communium cibariorum Regia collocentur inſignia, & Maieſtas tanta viliſſimis iſtis miſceatur. Quod quidem credo numquàm in mentem omnium Regum maximi veniſſet (ſi & hucuſque venit) niſi aliquorum, qui hac viâ ſuis compendiis ſtudent, adinuentionum iſtarum auctores, ſordidior induſtria ad hæc deſcendere generalem prouidentiam impuliſſet. Et certè ſatiùs foret emolumenta iſta oppidis relinquere, & ad propria condonare, æquiualenti quantitate aliunde corrogatâ, ſi neceſſitas ita poſtulauit. Verùm ſi ita placet, placeat quidem, & rerum iſtarum Auctores in ſuo ſenſu abundent. Res ergo ita diſpoſita eſt, vt cuique oppido neceſſarijs tabernis aſſignatis, quæ ad curam vrbicorum Senatorum ſpectant, ſi quis vltrà velit tabernariam exercere, compoſitione id pecuniariâ obtineat, inæquali quidem iuxta diuerſitatem Prouinciarum à triginta octi-regalium annuâ præſtatione vſque ad quadraginta: in quibus Senatores vrbici nullam iuriſdictionem exerceant, ſed quidquid ad eas ſpectat per miniſtros Regios diſponatur.

Non eſſe iuſtificatam diſpoſitionē quæ videantur oſtēdere.

194 Circa quam ordinationem dubitari poteſt an quidquam contineat, propter quod minùs iuſtificata in conſcientiâ videatur. Et occurrit ſanè illud in primis, vrbicis Conciliis iuriſdictionem & emolumenta diminui, quod non apparet iuſtitiæ conforme, cùm Conciliares officia emerint, attentis eorum commodis: debet autem Rex conuentis ſtare; aliàs conſcientia periclitabitur: in contrahendo enim velut priuatus cenſetur, vt Doctores tradunt, quos adducit, & ſequitur P. Fragoſus *Tomo 1. pag.* 38. *num.* 104. *&* 105. Pro quo & videri poteſt P. Molina *Diſput.* 261. *ad finem.* Deinde: non videtur conueniens diſpoſitio: ſi enim oppidis neceſſariæ tabernæ deſignantur, quomodo aliæ permittūtur, quæ erūt ſanè plurimę, abundantioris compoſitionis gratiâ. Hoc autem inconuenientibus obnoxium non obſcurè dignoſcitur: ſic enim vinum ad tertium quemque paſſum occurret, & ebrietatis occaſiones Indos, Æthiopes, & viliores alios è plebe ad eam, & damna eidem adnexa, prouocabunt. Quâ conſideratione Excellentiſſimus Comes de Chinchon Peruuianus Prorex in Prouiſione, quâ modum in hoc negotio obſeruandum præſcribit, iubet vt in ſuburbijs, in quibus habitationes eſſe Indorum ſolent, tabernæ non admittantur, compoſitione circa hoc prohibitâ.

Sed defenditur illa, vt conſcientiæ conformis.

195 Sed his non obſtantibus Regium ſtatutum iuſtificari poteſt ex illius motiuo, quod in fundamentali Schedulâ ſatis exprimitur, in quâ dicitur contributionem talem eſſe diſpoſitam ob crebras hoſtium incurſiones in mare Auſtrale, quæ & timeri deinceps poſſunt, vt opus ſit militare præſidium in portu Callaico ſemper ſuſtentare: & generaliter ob ingentes ſumptus in Vaſallis tum Indicis, tum Hiſpanis defendendis factos. Quo nihil eſſe magis iuſtificatum poteſt, iuxta generalem doctrinam ſcriptorum de exactionibus agentium. Deinde. Quod de conuentione cum Conciliaribus Vrbicis factâ dicitur, non videtur vrgere: quia Rex abſolutè conuentis ſtat: numquàm enim ſe ad conſeruandas res omnes ſtatu in eodem obligauit, ſi res ipſæ variationem aliquam poſtularent: vt in caſu præſenti contingit, & contingere etiam poteſt in contractibus priuatorum. Qui enim tenetur rem tradere, aut pretium ſoluere ſtatuto tempore, ex accidenti poteſt aliquid minus commodum contrahenti peragere, ſubſtantiâ contractûs obſeruatâ, vt videmus paſſim. Vnde contractus habet implicitam clauſulam, *Rebus ſic ſtantibus*; per Textus & Doctores, quos adducit Marius Antonius *Lib.* 2. *Reſolut.* 55. *num.*29. *& ſeqq.* Item, ex æquitate aliquâ in contractibus bonæ fidei poteſt iudex arbitrari vt non penitus conuenta ſeruentur ſecundùm rigorem legis: vt habetur in §. *Actionum, Inſtit. de actionibus*, & explicant omnes de contractibus agentes, præſertim ex Societate, quorum aliquos adducit Bonacina *Tomo* 2. *Diſp.* 3. *de Contractibus, quæſt.*2. *Puncto* 1. *num.*21. Cùm ergo Rex, etiamſi vt priuatus contrahat, perſonam ſupremi iudicis gerat; poteſt in contractibus ſuis, & in hoc præſertim, de quo agimus, qui bonæ fidei eſt, cùm ſit emptionis & venditionis, ex æquo iudicare. Cùm inſuper id, in quo diſpendium ſe pati poſſunt conqueri contrahentes, parui momenti ſit, in quo & labore exonerantur ad complures tabernas propagando, non ſine grauibus conſcientiæ periculis, ſiue ob incuriam, ſiue ob iniuſtam extorſionem.

Clauſula in contractibus ſubintellecta.

Qui bonæ fidei ſunt, iudicis arbitrium admittunt.

Inconuenientibus vt poſſit occurri.

196 Quod autem vlteriùs opponebatur, ſolui ex eo valet, quòd Rex iuſtè poteſt prohibere, vt præter ſufficientes tabernas aliæ non ſint, niſi quas ipſe ob rationes ſibi benè viſas cenſuerit permittendas. Sunt autem benè viſæ rationes, quas eius litteræ manifeſtant. Vt autem ex illis grauia inconuenientia non emergant, ad illius per Miniſtros ſuos prouidentiam ſpectat: & ita vidimus à citato Prorege, viro prudentiæ & probitatis eximiæ diſpoſitum. Et quidem Rege nihil circa hoc ſtatuente, & rebus in priſtino ſtatu relictis, nullus inconuenientia iſta in tabernarum multitudine vt ſpecialia in Indiis proclamabat: nam quod ad Indos attinet, id ſanè ſtatutum, quod ſi ſeruaretur, in magnum eorum commodum redundaret. Et ſi tabernæ iſtæ non eſſent, in multorum domibus vini, quod ex eorum vineis prouenit, copia venderetur: Cur ergo modò ij, qui inconuenientia non deprehendebant in ſtatu priori, ex eo quòd Regia diſpoſitio ſuperuenerit, inconuenientium aceruum deprehendunt? In quo quidem Regis piiſſimi atteſtationi credendum, qui in citatâ Schedulâ medium hoc ad leuamen aliquale occurrentium neceſſitatum licitum verbis illis appellat: *Portodos los medios poſibles y licitos.* Vbi doctiſſimi & antiquiſſimi inter omnes occidui iſtius tractûs Prælati verba iuuat in comprobationem prædictæ atteſtationis adduxiſſe. Qui cùm à Rege noſtro fuiſſet reprehenſus, eò quòd Epiſcopum quem-

Atteſtationi Regis in penſionis impoſitione credendū.

dam ſine Bullis Pontificiis, & Regiis Executorialibus conſecraſſet, ſic de vtroque agens eſt locutus in epiſtolâ, quam apud me habui: *Conſecraui quidem; & benè me feciſſe tunc credidi, cùm & Theologi eſſent rem probantes, & alia pro remouendo ſcrupulo adminicula concurriſſent. Sed Rex meus erraſſe me aſſerit, & ita me erraſſe confiteor, cùm meliores ille apud ſe Theologos habeat, quàm ego, &c.* Quod ergo ad conſcientiam attinet, nullus videtur remorſus excitandus; quod autem ad conuenientiam, iam præfatus.

Tucumanenſis Epiſcopi pro eo verba.

CAPVT XXVI.

De prouentu Vinearum Indicarum.

Plantatio vetita vinearum, ſed fruſtrà, & quid propterea tributi additum.

197 PLantatio vinearum in Indiis iam pridem vetita pluribus reſcriptis Regiis, de quibus Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 1. cap. 7. num.* 41. & D. Eſcalona *Parte 2. Lib. 2. Cap.* 28. *num.* 2. Quibus non obſtantibus inualuit illa, & adeò copioſo prouentu, vt iam *ſuperiùs* expreſſimus *num.* 123. & cùm tot ſint, ad multò plures fertilis gleba ſuccurrit. Quia ergo ſine Regiâ facultate plantatæ, viſum eſt poſt longius tempus, aliquod inde quæſiſſe compendium: & ita Regio ſtatuto decretum, vt duo pro centum vaſa vinaria, in quibus vinum tranſuehitur, ſoluerentur. In quo quidem grauari ſe iniuſtè vinearum domini conqueſti ſunt, & res ad controuerſiam juridicam reuocata. Poſtquam tamen reſcriptum eſt à Rege & executio decreti inſtanter iniuncta, quæ tamen alicubi adhuc retardata. Fuit autem hoc hominis cuiuſdam arbitrium annis proximis Regio Conſilio ad amplificationem Regij patrimonij & odij communis, oblatum: cùm iam pridem vinearum domini in pacificâ eſſent poſſeſſione, & qui de nouo plantare vellent, nullum iuris aut facti obſtaculum inuenirent. Compoſitione enim Regiâ titulos terrarum habentes, licere ſibi plantare quidquid videretur vtile, crediderunt. Neque enim in compoſitione, de non plantandis vineis quidquam actum: immò multoties compoſitio facta quando iam in terris, circa quas componebatur, vineæ aut adultæ aut nouellæ videbantur.

De illius conſtitutione querela, ſed fructu nullo.

Prohibitionem vſu receptā non fuiſſe, & legem vſu non receptā obligatoriā non eſſe.

198 Fuerit ergo licet circa hoc iterata prohibitio, ſicut & circa olíueta, pro quibus tamen exactio nulla conſtituta hucuſque, nihil obſtare potuit, quia vſu non recepta, ſcientibus Gubernatoribus, & Regio non ignorante Conſilio, cùm notiſſimum eſſet vinum ex Hiſpaniâ in regiones iſtas non aſportari. Nihil autem manifeſtius quàm legem vſu non receptam, neutiquam vrgere, nec poſſe illius inobſeruantiam caſtigari. Pro quo P. Suarius *Lib. 4. de Legibus, cap.* 16. P. Azor *Tomo 1. lib. 5. cap. 4. quæſt.* 7. P. Salas *de Legibus, diſput.* 13. *Sect. 2. num.* 11. P. Palaus *Tomo 1. Tractat. 3. Diſput. 1. Puncto* 13. *num.* 9. cum aliis ab eiſdem citatis. Solet autem ab aliquibus ad hoc vt lex vſu non recepta obligari deſinat, conſenſus ſaltem tacitus legiſlatoris requiri, vt videri apud citatos poteſt. Et talem in caſu noſtro repertum iam vidimus; immò & plus quàm tacitum. Cùm tamen Doctores etiam ſint, qui aſſerant, etiam cum omnimodâ legiſlatoris ignorantiâ, obligationem legis ceſſare. Et hoc certum arbitratur P. Palaus *ſuprà*; & non tantùm probabilius cum Doctoribus, quos adducit: non ergo multùm roboris habere videtur id, quod in Regiâ Schedulâ Proregi Peruuiano iniungitur; quòd ſcilicet vinearum Dominis inculcetur, ita vt capaces reddantur, non potuiſſe illos ſine licentiâ Regis plantare vineas, & licentiam à Proregibus conceſſam quibuſdam, fuiſſe nullam; quia licet verè talis lex fuerit, & à præfatis id vt veriſſimum admittatur; habent illi, eo non obſtante, quod apertè ſuffragetur. Cùm aliàs inueniantur reſcripta, de quibus Dom. Solorzanus *ſuprà*, *num.* 43. in quibus ſupponitur plantatas vineas, Indos tamen pro illarum culturâ diſtribui prohibetur: licèt poſteà prohibitio etiam fuerit intimata, ſed à Proregibus executio ſuſpenſa, vt quæ magnis inconuenientibus ſubiaceret.

Quid circa conſenſum Principis Auctores diuerſi ſentiant.

Schedula Regia dominis vinearū quomodo ſcrupulum inducendum ſtatuat.

Pro iuſtificatione prohibitionis Regia arguitur, & oppoſita diluuntur.

199 Nihilominùs Regia prætenſio penitus condemnanda non eſt, quia prohibitio bonis fundamentis innititur, ſaltem probabilibus: & cùm terræ ex compoſitione habeantur, ſub eâ conditione iuſtè potuerunt tradi, vt vinearum in ipſis plantatio non liceret. Quamuis autem hoc in compoſitione ipſâ expreſſum non fuerit, ineſt tamen conditio, quia lege habetur generaliter poſita, vnde non fuit opus declarari. Quandò enim tacitum expreſſo ineſt, pro expreſſo habetur: vt cum Baldo, & Tiraquello obſeruat Marius Antoninus *Lib. 2. Reſolut.* 57. *num.* 72. & quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet in ſpecie veroſimiliter conceſſurus, vt habetur Cap. *In generali* de regulis juris *in* 6. non eſt autem veroſimile In generali conceſſione venire id, quod eſt aliàs lege prohibitum, cùm generalis conceſſio priuilegium non ſit, ſed contractus ab eo independens, quod cum re, circa quam verſatur, nullam habet connexionem. Et ita interpretatio facienda, vt correctio juris communioris euitetur, juxta receptam Doctorum obſeruationem, de quâ dictum alibi *Tit.* 4. *n.* 73. & pro quâ videri poteſt citatus Auctor *Lib. 1. Reſol.* 103. *num.* 18. Quibus addi poteſt ſemper Reges noſtros plantationi vinearum obſtitiſſe; vnde contra factum nequit ſcientiæ & patientiæ eorumdem imputari.

Cap. In generali.

Rationem illius non ſubſiſtere, de ſufficientia vini ex Hiſpaniâ adducta Regia Schedula.

200 Benè tamen verum eſt rationem, quæ pro iuſtificandâ prohibitione redditur, non penitus ſubſiſtere, vt patet ex verbis illis Schedulæ *Ann.* 1595. quam *ſuprà* Dom. Solorzanus adducit: *Por muchas cauſas de gran conſideracion, y principalmente, porque auiendo allà prouiſion baſtante de eſtas coſas, no ſe enflaquezieſſe el trato y comercio con eſtos Reynos.* Eſt enim impoſſibile vt ex Hiſpaniâ vinum omne neceſſarium pro regionibus iſtis aſferatur, quod & cariſſimè conſtabit & multotiès eius defectus moleſtiſſimi ſentientur. Quod ex præſenti poteſt tempore euidenter comprobari, quando in ditione Noui-Regni Granatenſis vna vini botiſia, ſeu quadrantalis menſura, ſexaginta octi-regalibus vix habetur, cùm tamen Prouinciæ illæ ex proximioribus Hiſpaniæ ſint. Quid ergo in remotiſſimis accideret, vbi marium & terrarum tractus longiſſimi percurrendi? Quibus addi poteſt, licèt commercium circa vinum attenuatum ſit, circa alia tamen mirè auctum: vnde ex hoc capite, attenuati ſcilicet commercij,

quod

Digitized by Google

quod quaſi præcipuum ad prohibitionem adducitur, illius corruit fundamentum: & ita aliarum rationum non eſt curanda, quæ innuitur, multitudo: deficiente præcipuâ, quæ finem, & cauſſam motiuam diſpoſitioni tribuit, iuxta receptam doctrinam. Non enim eſt credibile propter rationes parui momenti legem adeò rerum naturæ repugnantem, quæ aptas plantis terras exhibet, & hominum natiuæ inclinationi, ſubditis benignâ Principis officia pro meritis poneretur. Ceſſante ex parte cauſſâ legis, ceſſat illa, quando magis eſt inutilis & nociua, quàm vtilis & proficua, etiamſi cauſſa præcipua non ſit, vt videri poteſt apud P. Suarium *ſuprà, Lib.6.Cap.9. in fine.* Multò ergo potiùs quando præcipua cauſſa, vt in caſu noſtro: & licet aliæ vtilem reddent, magis tamen incipit eſſe nociua ob rationem dictam; quia ſcilicet neceſſaria copia ex Hiſpaniâ nequit opportunè deferri, & eſſet ſanè moleſtiſſimæ penuriæ periculum.

Ceſſante cauſſâ legē ceſſare.

Quando etiamſi præcipua non ſit.

Indi ad vindemias non conducendi.

An etiam ſpontanei admittẽdi.

201 Id tamen curandum, ne Indi ad vindemias conducantur, niſi ipſi ſponte liberâ ſe offerant: experientiâ enim compertiſſimum habetur plurimos eo in labore perire & quia cælum ipſis inſalubre, & quia multùm inconſideratè hauriunt, vnde lethales ipſis morbi generantur. Immò & dubitari meritò poteſt an ſponte ſe offerentes ſint admittendi: & negari veroſimiliter, quia admiſſio talis eſt cooperatio ad damna dicta, & charitas obligat ad ſubueniendum etiam in damnum ſponte euntibus, materiam, ſi poſſumus, ſubtrahendo. Hinc enim & correctio fraterna obligat; cùm tamen certum ſit peccatum non niſi ſponte committi. Poterit autem admittens excuſari ex eo quòd repulſus à ſe plures inueniet alios, non ſolùm admittentes, ſed rogantes, neque enim ille à locatione ſuarum deſiſtet operarum, iuxta probabilem aliquorum doctrinam: de quâ dictum *Titulo* 1. *n.*146. *& ſeqq.* Licèt hic non omnino accommodari poſſit, vbi de peccato ſe locantis non agitur, quod fortè in multis non eſt mortale ob eorum incapacitatem, aut inaduertentiam: ſed de damno eorum corporali: ratio autem facta eadem eſt.

CAPVT XXVII.

De papyri ſignatæ quæſtuoſa nundinatione.

Signata papyri motiuum, & forma in eo ſeruata.

202 Recens eſt hoc in Hiſpaniâ ad vitandas, vt dicitur, falſitates in publicis inſtrumentis, arbitrium: ſignatur enim papyrus Regio ſigno quadruplici differentiâ, anni currentis notâ adiectâ, & ita ſignata ſolùm Regio nomine venditur, pretio ab eodem deſignato. Quod cùm in Indiis non ita quæſtuoſum futurum crederetur, vt ex tranſmiſſâ quantitate conſtat; ſupra votum excreuit, & ampliore aliâ ibidem frabricatâ, iuxta inſtructionẽ, expenſa. Circa quod diſcutienda nonnulla, iis omiſſis, quæ quoad totius rei expeditionem congerit Dom. Gaſpar de Eſcalona *Lib.* 2. *Gazophylacij*, *Parte* 2. *Cap.*29. & factum potiùs, quàm ius continent, ſanctionem inquam, inſtructionem, declarationem.

Difficultas circa illam ob cauſſam non ſubſiſtentem.

203 In primis an grauamen hoc licitè poſſit imponi, quia illius cauſſa in ipsâ Pragmaticâ ſanctione contenta, non videtur ſolidò veritatis præſidio roborata. Dicitur enim ita diſpoſitum vt falſitates euitentur, quandoquidem in qualibet ſignatâ papyro annus apponitur, pro quo tantùm ſeruire poteſt. Quod ergo in eâ ſcriptum fuerit falſitatem eam habere nequit, quæ accidere multoties ſolet, cùm inſtrumenta conficiuntur annorum præteritorum numero conſignato, quod ad multas & grauiſſimas poteſt iniuſtitias deſeruire. Atqui per hoc damnis aliis non occurritur, quæ præter adductum, ſunt ſanè innumera: in papyro enim ſignatâ poſſunt falſitates immenſæ conſcribi: quod & experientia multiplex comprobauit. Immò & damnum illud de falſitate retro acti temporis non videtur penitus cautelatum: nam papyri anni præſentis poſſunt plures chartæ emi, & pro futuris euentibus aſſeruari. Propter quod incommodum vitandum videtur diſpoſitum, vt quidquid huius generis tranſacto anno, pro quo ſeruire poteſt, & biennio in Indiis, ſuperfuerit, vndique collectum in locum, in quo ſunt Regia ſigna, deferatur: licèt in inſtructione dicatur hoc fieri, vt reſignari poſſit, & annis ſequentibus deſeruire. Sed cùm non ſemper reſignetur, quia copia illius eſt, neque comburatur, vt de Bullis Cruciatæ inuenitur diſpoſitum, nec tamen vſu generali firmatum, facilè poteſt à falſariis charta multiplex comparari, ſcribentium miniſterio, & prætextu commoditatis alicuius, vt in præſenti euenit, quando papyri communis eſt caritas, ob raritatem, & papyrus ſignata emitur ad epiſtolas, & familiares alias functiones, cùm multò minori pretio conſtet.

Falſitatibus non occurri.

Ex pretij exceſſu difficultas augetur.

204 Deinde. Pretium videtur exceſſiuum, vt enim habetur in Pragmaticâ, & videri poteſt apud citatum Eſcalonam §.1.*n.*12. *& ſeqq.* Pro papyro primi ſigni viginti quatuor regales ſoluẽdi: pro ſecundi regales ſex: pro tertij, regalis vnus: pro quarti, regalis quarta pars. Atqui vt conſtat ex eadem apud citatum *num.*21. chartæ cuiuſlibet quæſtus ſeu ſumptus in eâ factus, dimidium regalem nõ excedit. Licèt ergo in papyro quarti ſigni benignitas Regia præluceat, quæ pauperes, & Indos minimùm grauari deſiderans, nullum ex illis emolumentum admittit, vt videri poteſt *num.*8. verbis illis: *Por quanto la intencion de ſu Mageſtad, y ſu voluntad, ſiempre haſido, y es, aliuiarles* (Indos ſcilicet) *de qualquiera carga y grauamen.* Quod ad Religiones Mendicantes extenſum, vt videri poteſt apud eumdem §. 3. *num. vlt.* Licèt inquam hoc ita ſit; in aliis tamen trium ſignorum chartis manifeſtus apparet exceſſus, præſertim in duobus prioribus. Cùm ergo in hoc genere contractus emptionis & venditionis ſit, pretium non debet immoderatum apponi; aliàs iniuſtitia ſuberit & obligatio reſtitutionis. Nec videtur ſatisfieri ex eo quòd dicitur in Pragmaticâ citatâ, ad Regem ſpectare pretia rebus imponere, & ita circa hoc modo prædicto ſtatuere potuiſſe. Nam licèt hoc ita ſit; pretium tamen debet eſſe moderatum, quod generale eſt, à quocumque ponatur; vnde & Rex id debet attendere, & circumſtantias conſiderare, ex quibus rerum pendet æſtimatio; vt vide-

Pragmatica verba, circa Indorum leuamen.

Pretium à Rege etiam poſitum, moderatũ eſſe debet.

Digitized by Google

quod mutatis circumſtantiis non attenditur.

vt videri poteſt apud P. Leſſium *Lib. 2. Cap. 15. Dub. 2.* & eſt apud alios obuium: vnde mutatis circumſtantiis, ſolet pretium à Rege præſcriptum non attendi: vt apud eumdem videri poteſt *n.* 14. & tenent Mercadus, Ioannes, & Bartholomæus de Medina, & P. Filliucius apud Bonacinam *Tomo 2. Diſput. 3. de Contractibus. Quæſt. 2. Puncto 4. num. 7.* P. Hurtadus *Diſput. 2. de Contractibus Difficult. 1. in fine.* Et alij communiter.

Ex pauperum inde damnis argumentum.

205 Præterea. Aliunde videtur incongrua talis diſpoſitio, quia cùm diuitibus nihil officiat, pauperibus eſt nociua: illis enim papyri emptio parùm curabitur, vt lites promoueant: iſti autem ab eis deſiſtent, ne euentus dubij multiplici papyri emptione grauentur: vnde & aſſequendi quod ſuum eſt, ſubſidio carebunt. Vbi dici nequit damnum hoc communis boni vtilitate compenſari, dum falſitatibus inſtrumentorum occurritur. Nam circa falſitates iam dictum; & dubitari præterea poteſt quod damnum maius cenſeri debeat, aliqua inſtrumenta falſa confici, an pauperes ſuis bonis per iniuriam ſpoliari. Et licet pauperibus Regiâ ſit benignitate prouiſum, vt vidimus; id tamen non de omnibus pauperibus accipiendum, ſed de illis, qui de ſolemnitate dicuntur, qui rarò litigant; cùm tamen alij opus habeant frequentiſſimè litigare.

Et ex eo quia ſit gabelli prætextu boni communis.

206 Item. Grauamen hoc gabellæ cuiuſdam genus continet, vnde iubetur vt circa Eccleſiaſticos & Religioſos nihil contra eorum agatur voluntatem; ne ſcilicet Eccleſiaſtica immunitas violetur. Videtur autem inconueniens vt prætextu publicæ vtilitatis fiſci negotium agitetur, & quòd, cùm vtilitas fiſci præcipuum motiuum ſit, vtilitas communis vt vnicum in Pragmaticæ exordio proponatur. Et quidem ſi communis vtilitas tantùm attenderetur, detractis expenſis, de quibus iam dictum, nihil eſſet vltrà requirendum: ſicut neque à pauperibus Indis, ac Religioſis exigitur, & ab aliis Eccleſiaſticis detrectantibus conſtitutum pretium ſoluere, vt videri apud citatum Eſcalonam poteſt §. 3. *num.* 12. Impoſitio autem cùm propter publicam neceſſitatem eſſe debeat, iuxta dicta *num.* 190. non videtur iuſta, nullâ neceſſitatis redditâ ratione, vnde nec videtur in conſcientiâ obligare.

Defenditur vt iuſta, & oppoſitis reſpondetur.

207 Nihilominus non debet vt iniqua talis Pragmatica condemnari, in quâ probabiles rationes occurrunt, vt poſſit ſuſtineri. Falſitatibus enim, vt poteſt, per eamdem occurritur: & ſi non omnia, aliqua publici ſtatûs damna ſaltem euitantur. Et pretium quidem maius eſt quàm eſſe deberet, expenſarum habitâ ratione: quod tamen iuſtificari manifeſtiùs poteſt quoad papyrum primi ſigni: quia cùm illa pro gratiis & muneribus Regiis, aut eius auctoritate impartitis deſeruiat, poteſt illis Rex grauamen illud, leuiſſimum ſanè donatariis, imponere: vt ſcilicet in talis pretij papyro tituli ſint, & non aliàs, accepturi: quemadmodum onus mediæ annatæ imponit, quod nequit iniuſtum reputari. Quoad papyrum autem ſigni quarti, dictum iam *n.* 204. Quoad tertij, exceſſus non eſt notabilis, & ita ob auctoritatem Regij ſigni poteſt illo digna duci, quando etiam ſtipendium eſt iis tribuendum, qui in eius diſtributione, venditione, & curis aliis circa eamdem occupantur. Et ex multorum auctoritate etiam conſtat ex Regio ſigno monetæ valorem augeri, vt videri poteſt per citatos à Diana *Parte 6. Tract. 8. Reſolut. 1. §. Ad ſecundum*, quod & ipſe admittit quando exceſſus eſt modicus. Eſt autem eadem in papyro ratio. Reſtat ergo ſolùm papyrus ſecundi ſigni, ſex inquam regalium. Et hæc cùm ad res momenti maioris adhibeatur, & rarior illius vſus ſit, maiori pretio venit æſtimanda, quia minus eſt hac ratione in illo grauamen, eſtque biſolium, & ita quaſi duæ chartæ, & duo ſigna, quorum auctoritas exigit, vt non vili pretio diuendantur. Sic ergo apparet pretio non eſſe exceſſum talem, vt manifeſta in eo iniuſtitia, re attentiùs expenſâ, valeat deprehendi. Quod verò de pauperibus dicebatur ſolui ex eo poteſt, quòd licet aliquale in eo iniuſtitiæ videatur eſſe periculum, non eſt generaliter præſumendum; cùm in litibus incerta iuſtitia ſit; & etiam ſi facilis ſuccurrat litigandi modus, potentiores armis validioribus certant, vt frequentiùs debeant infeliciorem litis exitum ſibi pauperes ominari. Quod malum remedio caret. Quæ autem circa inſtrumentorum fidem verſatur falſitas, pernicioſiſſimum malum eſt, cùm ex eorum fide totus ferè Reipublicæ ſtatus pendeat. Pro quo videri poteſt P. Fragoſus *Tomo 1. pag.* 728. *n.* 295.

Valor pecunia ex Regio creſcit ſignaculo.

Gabellam in papyri diſpoſitione non eſſe.

208 Iam quod ad vltimum ſpectat, negatur in hac diſpoſitione genus aliquod gabellæ intercedere, quod ex dictis videtur ſequi; cùm tantùm ſit determinatio quædam pretij circa rem bono publico conuenientem. Neque oppoſitum ſequitur ex eo quòd nolit Rex Eccleſiaſticos ad vſum compelli; quia etiamſi gabella non ſit, eſt tamen lex minùs congrua Eccleſiaſticæ libertati, vt quæ onus imponat: ad has tamen Clerici non tenentur, vnde nec imponi illis potuit: vt videri poteſt apud Bonacinam *Tomo 2. Diſput. 1. quæſt. 1. Puncto 6. num.* 29. Dianam *Parte 1. Tract. 10. Reſolut. 12. & Parte 6. Tract. 8. Reſolut. 1. §. Reſtat modò.* P. Palaum *Tomo 1. Tract. 3. Diſput. 1. Puncto 24. §. 6. num. 6.* & alios, qui licet fateantur Eccleſiaſticos ligari legibus ciuilibus, exceptionem addunt oneris & præiudicij, quo libertas Eccleſiaſtica minuatur. Cùm autem gabella non ſit; neque etiam fuit opus neceſſitatem exprimi, quæ ad illam imponendam impuliſſet.

Neque ad Eccleſiaſticos extendi.

Neque oppoſitum ex verbis Pragmaticæ deducitur.

209 Ex dictis autem videtur ceſſare, quod ad factum attinet, quæſtio illa, An Pragmatica iſta ſit contra Eccleſiaſticam libertatem, ſi videlicet ad Eccleſiaſticos extendatur. Cùm enim eos Rex compelli vetet, quæſtio in facto ceſſat. Si dicatur Regem ſuos admonere Proreges, vt opportunâ vtentes induſtriâ curent papyrum ſignatam in ſtatum Eccleſiaſticum introducere, vt videri poteſt apud citatum Eſcalonam §. 3. *n.* 12. ex quo videtur ſequi legem ex intentione eius ad prædictos extendi; nolle tamen circa eos rigore vti. Reſponderi poteſt id non ſequi, ſed onus iſtud ad laicos tantùm dirigi, & neque indirectè Eccleſiaſticos comprehendere, qui ſponte illud ſubire poſſunt: non vt ſponte obligationem ſubeant, ſed vt ſemper illis integrum ſit à voluntarij oneris ſupportatione deſiſtere: eſt enim quaſi donatiuum, quod Eccleſiaſticis omnino licet: vnde & in gabellis idem contingere poſſet,

Digitized by Google

poſſet, niſi periculum eſſet in eo quòd voluntaria præſtatio in obligatoriam verteretur.

Nec poſſe ad eos expreſſi dirigi, pro quo Auctores, & rationes.

210 Si autem onus tale ita imponatur, vt ad Eccleſiaſticos etiam extendi Regis voluntas ſit, & ne aliter in eorum negotiis procedatur, libertati Eccleſiaſticæ, iuxta nuper dicta, repugnaret: quod ex eorum doctrinâ colligitur, quos dudum adduximus, & aliorum apud ipſos: & ita in propriis terminis de papyro ſignatâ loquentes tenent Illuſtriſſimus Arauſo in 2.2. *D. Thomæ. Quæſt.* 95. *Diſput.* 3. *Sect.* 5. & Diana *Reſolut.* 1. *citata.* in quâ multa adducit; quæ eò tendunt, vt oſtendat eſſe gabellam: quo conſtante, illatio eſt manifeſta, cùm conſtet Eccleſiaſticos ab illis eſſe prorſus eximios. Quia verò ex dictis reſponderi poteſt gabellam non eſſe; ideò ad fundamentum aliud recurrendum; quòd ſcilicet onus ſit, & quidem non leue, ad quod nequeant Eccleſiaſtici compelli, vt citati tradunt, & apud eos alij, ac complures inſuper apud Dianam *Parte* 6. *Tract.* 3. *Reſolut.* 6. aſſerentes ſtatuta laicorum non ligare Eccleſiaſticos, quæ circa alienationem bonorum, contractus, & alia verſantur, in quibus illis onus ſeu grauamen imponitur, quod minimè gabellæ rationem habet. Pro quo & videnda multa apud eumdem toto Tractatu illo, ſeu Apologeticâ diſceptatione. Vnde ſi ponamus papyrum ſignatam eodem pretio, quo communis, Clericis tradi; ſi tamen ita compellantur eâ vti, vt non adhibitâ, nequeant in lite procedere, grauamen erit contra illorum libertatem; quia ad id, quod aliàs ipſis erat licitum, compelluntur, iuxta dicta à nobis alibi: Vide *Tit.* 3. *num.* 109. & 110. & *Tit. iſto n.* 142. & pro quo plures Auctores adducit Diana *Reſolut.* 1. *citata* 5. *Sed hic minimè.* Eſt ergo ratio oneris à ratione gabellæ diuerſa.

Ex obligatione ſeruandi commune pretium à Rege impoſitum, non benè argui.

211 Si dicas Eccleſiaſticos teneri ad obſeruandum rerum pretium à lege taxatum, vt eſt communis Scriptorum doctrina, de quâ citati. *num.* 204. & ita etiam obligandos ad papyri ſignatæ pretium. Reſponſio eſt facilis: Nam aliud eſt teneri ad pretium, ſi re aliquâ vti velint, aliud ad ipſius vſum obligari, quando aliunde haberi poteſt pretio viliori; in illo enim, vt communis legis ſeruatur æquitas, in hoc Eccleſiaſtica violatur libertas. Itaque ſi Clericus emat triticum ex communi horreo, taxatum debet pretium reddere per publicam poteſtatem: ſed non tenetur abſolutè emere, ſi aliunde poſſit ſibi prouidere, & ſic de aliis. In noſtro autem caſu idem accidit: nam ſi Eccleſiaſticus velit papyro ſignatâ vti, debet pretium pro ſe taxatum offerre: ſed ad talem vſum nequit obligari, cùm poſſit communi vti papyro, vt poterat ante Pragmaticam ſignaturæ. Quòd ſi aliquando monopolium rerum quarumdam fiat, pretio earum deſignato per publicam poteſtatem, vt de niue diximus *Cap.* 24. illud certè onus non eſt, ſed commodum, vt ibidem oſtenſum. Si verò contingat monopolium non eam commoditatem reſpectu Eccleſiaſticorum habere, ſicut neque reſpectu aliorum, ſed ſolùm fiſci, vt in chartulis pictis; onus etiam reputari non debet, quia non verſatur circa res ad communes vſus neceſſarias, ſed quæ omnino ſponte aſſumuntur, & ab Eccleſiaſticis ſatiùs eſſet non aſſumi. Quod Diana cum aliis benè aduertit *ſuprà* 5. *Ad tertium.* Si autem ex neceſſariis ſint, alia eſt ratio, vt videri apud eumdem poteſt: quamuis ſi neceſſitas cogat, nec poſſit in venditione diſcrimen Eccleſiaſticorum & laicorum commodè obſeruari, probabile ſit in eo lædi Eccleſiaſticam libertatem, vt ex mente multorum dictum *Titulo* 3. *numer.* 112. Quæ cùm ad Indias ſpecialiter non ſpectent, à nobis delibata ſufficiant, qui nonnulla alia minutiora prætereunda iudicamus, de quibus videri poteſt ſæpiùs citatus Eſcalona, vt vno tandem ſatis quæſtuoſo Regij ærarij compendio rem iſtam terminemus, pro quo ſit

Quomodo illud Eccleſiaſticos obliget explicatur.

Quid cum quorumdam rerũ monopolium conſtituitur, deſignato pretio.

CAPVT XXVIII.

De Conceſſione Bullæ Cruciatæ & emolumentis Indicis, ſecundùm ſpecialia pro Indiis.

SVnt ſanè in Indiis emolumenta Bullæ Cruciatæ permagna, cùm eorum quantitas ad octingentorum millium ducatorum collectionem aſcendat, vt teſtatur Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 25. *num.* 20. & in Politica *pag.* 717. *Col.* 1. qui multa de illa, ſicut & D. Eſcalona *in Gazophylacio Lib.* 2. *Parte* 2. *Cap.* 34. Nos hic peculiaria quædam diluemus, ex quibus ſit

Bullæ cruciatæ prouentus qualis.

Primum, an tranſacto biennio, pro quo Bulla conceditur, ſi noua publicatio non fiat, præcedens valeat, aut poſſint quæ ſuperfuerunt Bullæ ex publicatione præcedenti concedi.

212 CAſus accidit annis proximioribus: elapſum eſt enim bienium, & nouæ Bullæ deſideratæ, de quarum certa tranſuectione notitia nulla ſuccurrens, magnam peperit negotio in tanto confuſionem. Pro deliberatione ergo conſultatio habita, & Archiepiſcopi Limani ſententia requiſita; & nonnulli quidem Bullam præcedentem valere cenſuerunt, ſicut & in caſu ſimili ante annos plures tenuerunt multi, vt teſtatur Dom. Solorzanus *ſuprà Cap.* 25. *num.* 24. P. Henriquij, Emmanuelis Roderici, & Antonij Gomecij ſententiam ſecuti. Sed quia hoc aliis viſum difficile, nouam Bullarum diſtributionem neceſſariam cenſuerunt; dixeruntque poſſe eas, quæ ex præcedenti publicatione ſuperfuerant, impartiri; licet illæ ad biennium tantùm fuerant deſtinatæ: ſic enim de piâ poteſt mente præſumi Pontificis, ne fideles in regionibus adeò diſtantibus theſauro gratiarum adeò ſingulari priuentur. Quod & de Commiſſarij intentione pariter coniectandum, quæ Pontificiæ debet eſſe conformis, ſicut & Regiæ. Cùm enim negotium hoc tanti momenti ſit, & adeò abundans Regium intereſſe, illiuſque tanta neceſſitas duris hiſce temporibus; non eſt credendum vacationem iſtam ſine fructu tranſire vllatenus volituros. Pro quo ſunt vulgares doctrinæ de epicheiâ, coniecturis, præſumptionibus, ratihabitione, de quibus pleni tractatus Doctorum habentur. Præualuit tamen negantium abſolutè conſilium, qui

Caſus ſpecialis de elapſo biennio, nec Bullis adductis.

Valere acceptas qui cenſeant.

Quæ ſuperfuerunt, poſſe diſtribui alterũ iudicium.

Negantiũ maior pars.

Digitized by Google

numero & auctoritate præcellebant, in quibus & Illuſtriſſimus fuit Archiepiſcopus, teſtatus planè, ſi de procuratione ante nouarum Bullarum aduentum ageretur, illam ſe in Metropolitanâ ſuâ Eccleſiâ minimè permiſſurum. Quod & Archiepiſcopum Mexicanum pariter cenſuiſſe relatione accepimus, & pro eo acriter decertatum. Nihilominùs in deſignato diſtributionis loco eam continuatam ſine publicatione à teſtibus oculatis accepi. Et ego quidem cum poſtremis hiſce perſenſi, ratus contrarium ſolido fundamento deſtitutum.

Priorum de valore Bullæ ante Biennium accepta ſententia refellitur.

213 Et quod ad ſententiam eorum attinet, qui valere elapſi biennij Bullam aſſerebant, minimè eorum eſt probanda doctrina, quæ auctoritate Doctorum innititur, ex quibus contrarium potiùs deducendum. Licet enim dicant illi poſſe quem gratiis Bullæ frui elapſo tempore; ad fruitionem talem diſignato; tempus tamen huiuſmodi modicum eſſe debere affirmant, vt videri poteſt apud P. Henriquez *Lib. 7. de Indulgentiis Cap.* 20. *num.* 2. verbis illis*: Si elapſo anno & paucis diebus, non promulgetur ſecunda Bulla, quam conſtat paullo poſt promulgandam.* Pro quo in *Gloſſa L.* N. alios adducit. Emmanuel Rodericus à D. Solorzano etiam adductus oppoſitum omnino ſentit, aitque ſe non audere P. Henriquez ſententiam amplecti. Vnde mirum eſt à præfato Scriptore pro contrariâ ſententiâ citari. Neque Antonius Gomez aliter accipiendus, citatus etiam ab Scriptore præfato, ſi quidquam indulgeret: ſed certè nihil apud ipſum tale, ſed oppoſitum non obſcurè, dum ait, gratias Bullæ anno elapſo ceſſare, nec ſufficere intentionem illam ſumendi. Videatur *Cap.* 5. *circa* 5. *quæſtionem n.* 2. *& circa quintam & ſextam clauſulam num.* 1. *&* 2. Cùm Emmanuele autem ſentit P. Mendus *in Bullam Cruciatæ Diſput.* 2. *num.* 7. & cum Patre Henriquez Ioannes Sancius *in Selectis Diſput.* 55. *num.* 2. Villalobos *Tract.* 27. *Clauſula* 4. *num.* 8. Trullench *Lib.* 1. *Expoſitionis* §. 1. *Dub.* 11. Ludouicus à Cruce in *eadem Diſput.* 1. P. Eſcobar in *Theologia morali Examine* 17. *Cap.* 1. *in fine.* Qui tamen *Tomo* 1. *Problematicarum Diſquiſitionum Lib.* 7. *num.* 49. abſolutè aſſerit anno elapſo expirare. Diana *Parte* 1. *Tract.* 11. *Reſolut.* 91. & alij, qui generaliter paruam diſtantiam tantùm admittunt, ita vt parùm pro nihilo reputetur. Atqui in noſtro caſu diſtantia erat magna, vt non poſſit illi doctrina de anno Eccleſiaſtico pro obligatione Confeſſionis adaptari. Et P. Bardi in explicatione Bullæ *Parte* 1. *Tract.* 2. *Cap.* 6. *Sect.* 2. *num.* 32. rem exquiſitiùs diſcutiens affirmat annum publicationis non poſſe prorogari ſupra annum ſolarem vltra dies triginta quinque: major enim annus Eccleſiaſticus eum habet exceſſum, cùm minor ille ſit, in quo Paſcha incidat die vigeſimâ ſecundâ Martij: maior, in quo die 25. Aprilis. Quem dicendi modum impugnat P. Mendus in *Tractatu Miſcellan. Appendice Cap.* 14. Sed vt id demus, etiam protenſio illa in caſu, de quo loquimur, ſuffragari nequit: quia maior fuit, & multò maior crederetur futura fuiſſetq; reipſa, niſi nauigium vnum aleæ periculoſæ expoſitum, fortunatum curſum habuiſſet.

Tempus modicum eſſe debere, iuxta Auctores, qui id admittant.

P. Henriq

Ex anno Eccleſiaſtico nihil præſidij.

Sicut generaliter ex quibuſ.

214 Nullum ergo in Auctoribus de Bullâ tractantibus pro illâ eſt ſententiâ præſidium: Nam vel annum Solarem eſſe exiſtimant, aut Eccleſiaſticum, vel ſaltem duos treſue dies extendi poſſe dicunt poſt nouam publicationem, vt videri poteſt apud P. Eſcobar *ſuprà* loco priori: ex quibus nihil poteſt caſui, de quo diſſerimus, adæquari. Vnde ergo ita ſentientes ſententiam probant? Recurrendum ſanè iis eſt ad communes illas doctrinas de coniecturis, & ratihabitione, & ita idem eſt illorum, atque aliorum fundamentum, & ſic pariter refellendi. Quod ergo ad coniecturas attinet, epicheiam aut præſumptionem, ſatis infirmum eſt: nam ſtante formâ diſpoſitâ ad gratiæ alicuius conſecutionem, illi ſtandum eſt, & contra eam nulla valet coniectura, aut interpretatio, niſi de concedentis conſtet voluntate. Voluntas enim per formæ appoſitionem oſtenditur, vnde non poteſt niſi omnino veroſimili contrariæ voluntatis ſignificatione contra illam iudicari. Quod in grauibus negotiis præſertim obſeruandum: per ea quæ adducit Marius Antoninus *Lib.* 1. *Variarum Reſolut.* 11. *numer.* 4. *& ſeqq.* vbi quòd in dubio forma cenſetur ſubſtantialis. In caſu autem noſtro Bulla conceditur expreſſâ formâ conceſſionis, quòd per annum durare debeat, & in Indiis per biennium: ergo eâ non ſeruatâ actus corruit. Iuxta quam regulam in aliis ad Bullam ſpectantibus proceditur, vt in eleemoſynæ quantitate, in qualitate accipientium, in approbatione Confeſſarij, in viſitatione altarium, ac ſimilium: verbis enim conceſſionis inſiſtitur, & aliter factum iudicatur nullum ex prædicto fundamento; quod benè in caſu ſpeciali, de quo agimus, exornat & roborat Antonius Gomez *ſuprà*.

uis ſentiendi modis apud Auctores.

Epicheiam locum non habere, aut præſumptionem, contra formam præſcriptam.

215 Deinde. Forma conceſſionis quòd per biennium duret, aliquomodo verificanda eſt, ita vt duratio ad biennium tantùm extendatur. Rogo ergo quomodo in caſu noſtro verificari poſſit? Non quidem anni ſolaris computatione, neque Eccleſiaſtici, vt iam oſtenſum: ergo nullo modo. Quod autem verificatio requiratur, extra dubium eſt, quia vbi non conueniunt verba, nec conuenit diſpoſitio *l.* 4. §. *Toties. D. de damno infecto.* Pro quo Nauarrus *Lib.* 3. *Conſilio* 34. & Matthæus de Afflictis *Deciſione* 355. *n.* 8. Si dicatur menti potiùs quàm verbis ſtandum: ſic dicentes oſtendere debent vnde illis ſit mens explorata Pontificis, qui nuſquàm eam diſpoſitioni ſuæ contrariam indicauit, vt ſæpè accidit, & in Iure eſt obuium, in quo ſtatuuntur multa, & ſtatim adiiciuntur exceptiones per particulam *Niſi.* Vt videri poteſt in Cap. *omnis vtriuſque ſexus,* de pœnitentiis & remiſſionibus, vbi verba illa poſt generalem diſpoſitionem: *Niſi fortè de proprij Sacerdotis &c.* ſimiliter *Cap. Si verò* de ſententia excommunicat. ibi: *Niſi fortè eumdem Clericum* &c. & alibi paſſim. Licet ergo pietas Pontificia magna ſit, quia tamen certis eſt adſtricta limitibus, non eſt ad ampliora pertrahenda. Et quidem licet pietas magna præſumi debeat; Bullam tamen Cruciatæ niſi ad Regum noſtrorum inſtantiam minimè conceſſiſſent: quo euentu fideles in Indiis theſauro gratiarum iſtarum eſſent penitus deſtituti. Quando ergo illum concedit Pontifex, non iuxta generalem pietatem facienda eſt interpretatio, ſed iuxta eam, quæ certis

Vrgetur ex eo quòd biennij duratio nullo modo verificetur.

Ad Pontificis mentem vanũ eſſe perfugium.

Sicut ad illius pietatem.

Digitized by Google

certis eſt limitationibus coarctata. Cùm aliàs conſtet Pontifices in conceſſione Bullæ difficiles ſe exhibere, & eam negaſſe nonnullos, exiſtimantes id, quod ex eadem colligitur, in iis rebus, pro quibus conceditur, non expendi. Neque Commiſſarij voluntas alia debet præſumi, qui eo ipſo quòd Commiſſarius ſic ei, qui commiſit, conformem ſe debet exhibere. Neque aliter de Catholico Rege iudicandũ, cuius voluntas nihil poteſt voluntati Pontificis contrarium operari, qui eſt primum mobile in hoc genere, ab omnibus aliis inſpiciendum.

Contrà cuius voluntatè arbitrari Commiſſarius nequit, neque etiam Par.

Neque ex ratihabitione argui poſſe.

216 Iam quod ad ratihabitionem attinet, ex prædictis videtur ſufficienter improbatum: ſed eſt præterea contra illud inſtantia validiſſima. Nam ratihabitio hæc non eſt de præſenti, cùm in Pontifice nullum appareat de præſenti talis diſpoſitionis indicium; de futuro autem nihil iuuat, quia illa eſt in quo per Bullam conceditur facultas eligendi Confeſſarium, qui ab omnibus poſſit peccatis abſoluere (exceptâ hæreſi.) Ad iuriſdictionem autem in foro pœnitentiæ non ſufficit ratihabitio de futuro, vt communiter tradunt Doctores, qui videri poſſunt apud Bonacinam *Tomo* 1. *Diſput*. 5. *Quæſt*. 7. *Puncto* 4. §. 1. *num*. 13. & 14. Dianam *Parte* 3. *Tract*. 4. *Reſolut*. 68. & P. Gaſparem Hurtadum *Diſput*. 10. *de Pœnitentiâ, Difficult*. 5. Licèt autem ſint qui exiſtiment ratihabitionem de futuro ſufficere, qui videri poſſunt apud P. Filliucium *Tractat*. 7. *cap*. 9. *num*. 240. qui *num*. 242. affirmat eorum ſententiam non carere probabilitate; licet ipſe contrariam teneat *num. eodem*. Licèt inquam ſint, & ſententia eorum aliquomodo probabilis; contraria tamen eſt probabiliſſima, & certiſſimam eam aſſerit P. Thomas Sancius *Lib*. 3. *de Matrimonio, Diſput*. 35. *num*. 17. multos pro eadem adducens. Contra quam irrefragabili ratione, & grauiſſimorum ſcriptorum auctoritate munitam, vt vix iam ſit contrarium tenens, non debet in grauiſſimo S. Cruciatæ Tribunali iudicari.

Quæ de futuro ad cõfeſſiones nõ ſufficit.

Illius certitudo.

Bullas quæ ſuperfuerunt, non poſſe diſtribui.

217 Reſtat ergo vt illorum iudicium, qui diſtributionem bullarum ex iis, quæ ſuperfuerunt fieri poſſe & debere exiſtimarunt, efficaciter improbemus: eſtque id facilè. Nam bullæ dictæ biennio tantum valituræ deſtinantur, vt in ipſis exprimitur. Quâ ergo veritate diſtribui poſſunt, vt illæ quæ pro ſequenti biennio tranſmittuntur? Falſitas certè in re valdè ſacrâ, & momenti ſummi committitur. Item, quâ auctoritate id præſtat Commiſſarius? Illi quidem commiſſa non eſt; recurrendum eſt ergo ad coniecturas & ratihabitionem, & ita in fundamentum deuoluitur iam à nobis infirmatum. Demus autem id eſſe probabile, ſicut & priùs: res certè dubia relinquitur. Quâ ergo ratione ſuſtineri poteſt, vt populo tamquàm res certa & indubitata tradatur cum onere contributionis id, quod valdè dubium eſt, & minimè ab eo admittendum, ſi dubium illi eſſe conſtitiſſet? In rebus ſanè quæ vendi & emi ſolent, nequit pro vero tradi id, quod an ſit tale dubitatur: vnde & obligatio reſtitutionis eſt, aut diſſoluendi contractum. Eſt enim vitium rei ſecundum hominum æſtimationem, & illud debere detegi omnium ſententia eſt: pro quâ videri poteſt Bonacina *Tomo* 2. *Diſputat*. 1. *de Contractibus, quæſt*. 2. *Puncto* 6. vbi de hoc ſpecialiter agentes adducit: & pro eodem extant alij complures. Præterquàm quòd contractus eſt nullus, quia inuoluntarius ob ignorantiam emptoris. Quod vt manifeſtiùs appareat, rogo ſic diſtribuentes Bullas, an pecuniam, de quâ dubitaretur an eſſet legitima, ab accipientibus Bullas admitterent? Quis de hoc valeat vel leuiter ſuſpicari? Ergo & quod tradunt exploratæ fidei ſit oportet, aliàs contractus claudicabit: neque enim rationi congruit aut conuenit æquitati, alium Deum velle ſibi, alium alteri, vt vulgaris habet loquendi vſus.

Rei dubiæ pretium nõ debet eſſe idem: & quæ tunc obligatio.

Euidens inſtantia.

Aliter in Tribunali ſupremo videtur iudicatum.

218 Et hæc cùm mihi certa ſint, audio à Tribunali ſupremo S. Cruciatæ reſcriptum, poſſe in caſibus talibus Bullas diſtribui, quæ ex dudum elapſo biennio ſuperfuerunt: eâ redditâ ratione, quòd valde materialiter ſe habeat ad gratiæ conſecutionem diſtributio Bullarum, quandoquidem ſine illâ ſtare poſſet, vt in Iubileis, & Indulgentiis contingit, quæ ſine traditione aliquâ inſtrumenti cuiuſquam obtinentur. Quod quidem, ſi ita eſt, reuerenter accipiendum: & ex eo ſaltem conſtat ſententiam eorum, qui volebant Bullam poſſe vltra biennium protendi, nequaquam admittendam. Pro quo vlteriùs addo expreſſam clauſulam Bullæ, in quâ Pontifex ita loquitur: *Expirante anno omnes prædictæ facultates, & gratiæ, & indulta expirent: tantumque poterunt cauſſæ pendentes ad finem perduci*. Sic Paulus V. Vrbanus VIII. & Innocentius X. quibus nihil dici clarius potuit. Quod autem de diſtributione, quæ fieri ex Bullis reſiduis poſſit, declaratum dicitur, valde videtur difficile: neque enim materiale quid cenſeri poteſt, quod à Pontifice non eſt arbitrio Commiſſarij remiſſum, ſed expreſsè decretum inuenitur: ſic enim in citatâ Bullâ habetur: *Item mandatur vt ſummarium hoc per omnes Chriſti fideles, ad prædictum bellum contribuentes, qui huiuſmodi gratiarum participes eſſe voluerint, recipiatur, & retineatur: ne circa ſibi conceſſas gratias errare, neùe alij illas ſibi vſurpare poſſint, & vnuſquiſque qua facultate eiſdem gratijs & facultatibus vtatur, docere valeat*. Sic ibi. Vbi ſi dicatur ad notitiam gratiarum & reddendam rationem, ſufficere Bullam, quæ traditur etiamſi ad annum præteritum ſpectet. Contrà eſt: nam eâ ratione non erit neceſſarium illam dari habenti eam, quam pro biennio elapſo recepit: quod tamen non admittitur, neque admitti poteſt: nam ex eo fieret pro omnibus conceſſionibus, ſaltem eiuſdem Pontificis, non eſſe neceſſarium niſi vnicam Bullam accipere, & eam ſeruare ad effectum per Pontificem deſignatum, quandoquidem in omnibus idem tenor gratiarum continetur. Quod cùm admitti nequeat, ex eo clarè apparet ſumptionem diſtincti Summarij non ſe habere materialiter: vnde in eadem Bullâ ſic etiam ſubditur: *At vti idem omnes Chriſti fideles, non tantùm ſemel, ſed bis ſingulo quoque anno, quo idem ſummarium ſumpſerint, tam per ſe, quàm per modum ſuffragij, &c.* Vbi ſummarij acceptionem, tamquam rem ad ſubſtantiam conceſſionis omnino neceſſariam, Pontifex præſupponit.

Ex quo ſaltem habetur publicationis tẽpus nõ poſſe extendi, pro quo & Bullæ iteratus tenor.

Difficultas magna circa declarationem, eò quòd acceptio non ſe habeat materialiter.

Quæ augetur ex publicatione facienda Bullis aduenientibus.

219 His accedit, diſtributione factâ modo dicto, & aduenientibus poſteà Bullis, publicationem faciendam. Ex quo ſequitur eos, qui acceperant, non futuros in ſuâ conſcientiâ quietos,

tos, cùm videant nouas Bullas publicari, & quas ipſi acceperant, ad elapſum biennium pertinere. Nec facilè eos tranquillare poterunt diſtributionis miniſtri, aut alij, qui cauſſam Tribunalis conentur defenſare. Meritò ergo poſtulabunt vt ſibi nouæ tradantur Bullæ, ad quod & qui diſtribuunt tenebuntur, nullâ nouâ acceptâ pecuniâ. Quod quidem à ſinceritate & ingenuitate, quâ tractari res iſtæ debent, valde videtur alienum. Si autem dicatur non faciendam publicationem poſt Bullarum aduentum, ſed poſt elapſum biennium ad diſtributionem earum, quæ ſuperfuerunt, & conſequenter aliarum, quæ poſteà aduenient; id certè non videtur poſſe ſuſtineri. Nam à die publicationis currit biennium, ſicut annus alibi: & vnuſquiſque jus habet vt poſſit integro biennio frui. Atqui multi non ſument Bullam elapſi biennij ob illius incertitudinem: neque enim tenentur cuilibet declarationi ſtare, cùm ſint viri docti oppoſitum ſentientes. Si autem ſumant nouam poſt aliquos menſes adductarum, biennium illis à publicatione integrum non relinquitur. Præterquàm quòd publicari non poſſunt Bullæ, de quibus non conſtat an ſint peruenturæ, vt eſt valde contingens, ſubmerſâ, in quâ exportantur, naui, ſiue ab hoſtibus occupatâ. Publicatio ergo certam materiam requirit, vt ipſum nomen oſtendit; id enim publicatur, quod occultum priùs erat, non quod poſſibile eſt vt ſit; cùm poſſit etiam non eſſe, etiam moraliter loquendo. Quæ quidem docti & attenti negotij huius adminiſtri ſolerter aduertent, & viam hanc ita exhibebunt planam, vt nullum in eâ offendiculum fidelibus relinquatur. De quo cùm ſatis hæc ſint, ſit iam

Non poſſe illam omitti.

Secundum, an Prorex inhibere poſſit Commiſſarium, quando ille commiſſionis limites videtur tranſilire.

Prohibitione Audientia de cauſſis Cruciata cognoſcant.

220 RESpectu iudicum aliorum expreſſa eſt prohibitio apud Dom. Solorzanum, qui tenorem erectionis Tribunalis in Indiis refert, pro cauſſis ad Bullam ſpectantibus cum plenitudine poteſtatis expediendis: ſic enim in eâ dicitur: *Sin que por via de fuerza, ni por otro algun modo, ſe puedan llebar, ni lleben las dichas cauſas à las dichas Audiencias Reales, ni introducir ſe, ni ſe introduzgan en ellas por manera alguna.* Sic ibi. Sed durum ſatis apparet, vt ſi Commiſſarius velit aliquem iniuſtè vexare, nullus remaneat illi recurſus, ſed onus ſit quantumuis importabile ſubiturus. Et tale aliquid viſum aliquando, cùm Religionis cuiuſdam ſupremus Prælatus ad reuocationem Religioſi à ſe extra vrbem abire juſſi ob cauſſas ſibi benè viſas, per cenſuras cogeretur. In quo quidem Commiſſarius iuxta communem æſtimationem affectu quàm ratione potiùs ducebatur. Vbi ſi dicatur nullum eſſe inconueniens in eo quòd ſic coactus obtemperet, cùm poſſit Concilium S. Cruciatæ de re totâ certum reddere, à quo dubio procul remedium adhibendum. Id ſanè nullius conſolationis eſt violentiam patienti: remedium enim tale ſerò veniet, ſi tamen veniet, aduerſantium informatione apud iudices remotiſſimos præualente.

Dura ſi generalis, videtur.

221 Propterea dicendum videtur Proregem poſſe in caſu tali, & ſimilibus, ſuam auctoritatem interponere violentias manifeſtas remouendo: non quidem iudiciali indagine, ſed de facto, monitoriis in primis vtendo; iis autem non procedentibus, ad impediendum efficacem potentiam adhibendo. Pro quo facit in prohibitione præfatâ Proregis non fieri mentionem, & ita illius prouidentiam non excluſam, qui, vt ait P. Oñate *Tomo 2. Diſputat. 46. num. 60. in Indiis Tribunali Cruciata præſidet, & imperitat.* & Dom. Eſcalona *Lib. 2. Cap. 34. num. 9.* ita in ſpecie ſcribit: *En caſos extraordinarios, y de gobierno ſuperior, por razon de la quietad publica en competencias de Tribunales en contrados, ſe puede interpones el virrey, vſando para remediar las de los poderes que tiene, como qui en repreſenta la Real perſona.* Sic ille. Debebit ergo tunc Commiſſarius cedere, & à cenſuris abſtinere; & ſi abſolutione opus ſit, eam impendere, honeſto colore quæſito: ad quod directo Proregis mandato non vrgendus, ſed rei ipſius conuenientiâ, cùm iam contumacia non ſit, quandoquidem Proregalis auctoritatis interuentu obedientia prohibetur. Non enim contumax dici poteſt, qui, vt non obediat in re ſibi permoleſtâ, adiutorium licitum & vſitatum implorat; præſertim quando iuriſdictionis exceſſus comperitur: *Cùm non leuis ſit culpa tantam imponere pœnam inſonti*: vt habetur in Cap. *Sacro*, de ſententiâ excommunicat. vbi & illa extat Pontificis admonitio: *Caueat etiam diligenter ne ad excommunicationem cuiuſquam abſque manifeſtâ & rationabili cauſſâ procedat.* Sic Clemens Tertius. Vbi ergo neque rationabilis, neque manifeſta eſt, quòd ſi grauatus auxilium opportuni fautoris exquirat? Adeundus ſanè Eccleſiaſticus Patronus; ſed non adeſt: is ergo aditur, qui auxiliari poteſt, & Dei officio perfungi, cuius eſt violentiam paſſis ſubuenire.

Ad Proreges non extendi in caſibus extraordinarijs, quia & circa Cruciata Tribunal eius extenditur prouidentia.

D. Eſcalon.

Quomodo id ritè præſtandum.

Excommunicatio ſolù pro manifeſta & rationabili cauſſa.

Cap. Sacro de ſent. excommun.

Tertium, circa taxam pecuniæ ab accipientibus Bullam tribuendæ.

222 EST illa in Indiis diuerſa ab eâ, quæ in Hiſpaniâ, & regnis aliis Coronæ ſeruatur, in quibus ſolita publicari. Et habetur in ſpeciali Inſtructione apud Alfonſum Perez de Lara in *Libro trium gratiarum, Fol. 254.* ex quo illam adducit Trullench *Lib. 1. §. 3. dub. 1.* & ex hoc P. Mendus *Diſput. 1. num. 11.* Qui tamen in eo decepti, quòd pro Indis, quibus Religioſi, pauperes, & Æthiopes exequantur, duos regales Caſtellanos aſſignatos affirment; cùm tamen ſint duo tomini, qui tres regales cum quartello conſtituunt. Tominus enim duodecim habet grana. Niſi fortè nomine Caſtellani eum intelligendum velint, quam nos *En ſa yado* dicimus, ſic enim idem eſt quòd Tominus. Talis ergo taxa pro prædictis omnibus aſſignata. Et circa eam inquiri poteſt an valeat conſuetudo, quæ eſſe dicitur, vt milites eadem perfruantur. In quo, ſi reuerâ ita eſt, & ſciente Commiſſario ſubdelegato id fit, non videtur notitiam talem Commiſſario generali defuiſſe, & ita eo ſciente & annuente, licèt tacitè, poteſt conſuetudo præfata ſuſtineri. Quâ ratione vtuntur docti ſcriptores ad probandum annum publicationis Bullæ eſſe Eccleſiaſticum, & non ſolarem, quia vſus ſic habet, ſciente &

Taxa contributionis pro Indijs, & ſpecialiter pro Indis, ſeruis, &c.

An milites eadem vti poſſint.

Conſuetudo circa hoc poteſt præualere.

Digitized by Google

& patiente Commiſſario, vt videri poteſt apud P. Mendum *Diſput.2.num.7.*

Eamdem eſſe taxam pro Indis mendicis, quæ pro alijs.

223 Poteſt vlteriùs quæri an Indis mendicis pro minori pecuniæ ſummâ poſſit Bulla concedi. Nam inter Hiſpanos variæ claſſes ſunt, iuxta diuerſas eorum facultates: ergo & inter Indos aliquid huiuſmodi ſtatuendum eſt, cùm inter eos ſui etiam diuerſi ſtatus ſint, & ita Caciquij pondus argenti inſaiati debent contribuere. Verùm ratio iſta conuenientiam quidem diſpoſitionis oſtendit; vnde & ſtatui poſſet exiguum aliquid pro Indis mendicantibus, regalis inquam: de facto autem nequit admitti; quia nulla minor taxa extat, quàm prædicta: & in hoc arbitrari non licet ſubdelegatis Commiſſariis; aliàs poſſent etiam circa Hiſpanos taxam variare; quia non videtur conſonum, vt idem à mendicante, ac ſeruiente actualiter exigatur; qui enim ſeruit, plus dare poteſt, cùm ſeruitij mercedem accipiat, & multoties copioſam. Præterquàm quod in Bullæ conceſſione non tam attenditur ſpirituale fidelium bonum eam accipientium, quàm ſubſidium pro bello contra infideles; ad quod nihili penditur id, quod ab Indis mendicantibus tribui poteſt. Et talis illi ingenij ſunt, ac peculioli ſui adeò tenaces, vt rarus futurus ſit ſuâ ſponte Bullam accepturus. Id autem in xenodochiis opportunè prouiſum, vt morituris Bullæ, ſi eas non obtinuerint, tribuantur.

Circa ſeruientes difficultas, qui nam intelligendi.

224 Circa eos, qui ſeruiunt, inquiri etiam poteſt, an ij ſolùm intelligendi ſint, qui famulitio aſſiſtunt, quos vulgò vocamus *Moços*, & communibus miniſteriis deſtinantur. An verò etiam qui ſuperius aliquod miniſterium tractant, vt famulorum Præfecti, vel qui in prædiis villicis agunt: ſeruiunt namque omnes, & iuxta voluntatem Dominorum res ſibi iniunctas exequuntur. Ad quod negatiuè mihi videtur reſpondendum, attento modo loquendi Commiſſarij; ait enim: *Y los hombres y mugeres de ſeruicio.* Iuxta vſitatum autem modum loquendi noſtrum nomine *gentis de ſeruitio* ij tantùm veniunt, qui in domeſticis miniſteriis ſeruiſſent, aut quaſi ſeruilem operam præſtant, &, vt dixi, vocantur *Moços*, in quibus & qui anteambulones equeſtres, & qui *Pages* dicuntur, adoleſcentes inquam poſttergales. Alij autem nominati non dicuntur tales: & licèt voluntati dominorum obſequantur, altius miniſterium tractant.

Verba vt accipienda, in quibus ampla eſſe ſignificatio poteſt.

Quod quidem receptæ eſt ſcriptorum doctrinæ conforme, aſſerentium verba ſumenda eſſe ſecundùm vulgarem acceptionem, & non in omni earum amplitudine, quando de illâ non conſtat loquentem intelligi voluiſſe. Quod benè explicat & exornat Cardin. Mantica *Deciſione 59. num.8.*

Qui nomine mendicantiũ veniant: vbi verecundantes venire oſtenditur.

225 Pro mendicantibus occurrit item dubitatio, an ſoli illi intelligendi ſint, qui oſtiatim petunt eleëmoſynam; hoc enim eſt propriè mendicare: an poſſit etiam ad alios extendi, verè inopes, licèt oſtiatim ob verecundiam non mendicent. In quo dicendum videtur, omnes, qui ex eleëmoſynis viuunt; tam viros quàm fœminas, quas non eſt decens ita mendicare, mendicantium nomine comprehendi, quia in omnibus eadem eſt ratio; immò & maior in iis, qui ob verecundiam oſtiatim non mendicant: iſti enim abundantiùs ſibi conſulunt, vnde diebus iſtis deprehenſi ſunt aliqui pecunioſiſſimi: licèt autem à paritate rationis non ſemper vrgeat argumentum, cùm de priuilegiis agitur aut diſpenſationibus, per notiſſimam regulam juris in 6. *Quæ à jure communi exorbitant, minimè ſunt ad conſequentiam trahenda.*

A paritate rationis quomodo argumentum.

Pro pro videri poteſt P. Thomas Sanchius *Lib. 8. de Matrimonio, Diſput. 1. num. 32.* vbi agmen ſcriptorum adducit. Hîc tamen non in ſolâ paritate nitimur, ſed quia nomine mendicantium verè comprehenduntur ex eleëmoſynis viuentes, cùm ad januam aliorum per ſe, aut per alios accurrunt, vt poſſint viuere, immò etiamſi non accurrant, ſed alij ad ſubueniendum ipſis ſponte moueantur, mendicantes dici poſſunt, non actu, ſed habitu: ſicut Religioſi Mendicantes dicuntur; etiamſi reipsâ non mendicent; quia eorum ſtatus ad mendicandum eſt diſpoſitus, ad differentiam Monachorum.

In fauorabilibus valet extenſio.

Præterquàm quod in fauorabilibus extenſio fieri poteſt ob rationis paritatem, vt videri poteſt apud P. Sancium *ſuprà, num.33.* vbi alios congerit. Et P. Henriquez *Lib. 7. de Indulgentijs, Cap.30. num.3.* vbi ait ex prædictâ ratione conceſſionem ouorum extendi ad ilac & caſeum. Et pro ſimilibus caſibus ſunt Auctores alij, vt videri apud eumdem P. Sancium poteſt *num.38.* ſicut & doctrinæ aliæ ſuffragantur apud ipſum *num.34. & ſeqq.*

Quartum, circa vſum ouorum, lacticiniorum, lardi, & butyri ſuilli.

Vſum ouorum &c. in Indijs nõ videri licitum ſine Bullâ.

226 AN ſcilicet in Indiis eorum liceat vſus ſine Bullâ. Commiſſarius enim generalis non licere contendit, & priuilegium Pij Quarti circa hoc vires iam non habere, cùm temporale fuerit, & illius ratio ceſſauerit. Propter quam rationem nouæ Bullæ circa hoc pro Prælatis, Præbendariis, ac Presbyteris aliis nuper expeditæ, quibus per communem Bullam Quadrageſimæ tempore vſus prædictorum non licebat: licèt illæ de ouis tantùm & lacticiniis loquantur; & de ſuillâ pinguedine nihil in ſpeciali conceſſum reperiatur. Quia verò vix erat, qui ad hunc effectum Bullam ſumeret, ſubdelegatus Commiſſarius publico edicto tranſgreſſionem peccatum eſſe mortale declarauit, ſub excommunicationis pœnâ Confeſſariis iniungens, vt id pœnitentibus aperirent. Videtur ergo judicio Commiſſarij ſtandum ob illius ſummam in negotio iſto auctoritatem. Immò circa illud videtur eſſe non obſcura Pontificum mens, cùm Bullas circa prædicta concedunt, & ſolam hebdomadam Sanctam excipiunt. Supponunt ergo vſum talem minimè ſine Bullæ acceptione licere: quod & ij pro certo habent, qui conceſſionem talem vt rem magni momenti, & in æſtimatione ſpeciali habendam, poſtularunt.

In Peruuio contrariã conſuetudinem prævalere.

227 Nihilominùs in Peruuio (& idem fortè in aliis Prouinciis accidit) vſus prædictorum licitus, & omni ſcrupulo vacans, abſque Bullæ receptione putatur: & apud religioſos ac viros doctos, ac conſcientiæ ſuæ ſtudioſos viget, etiam poſt præfatas declarationes: eo fundamento, quòd conſuetudo circa hoc inueterata præualuit ſiue ratione alicuius priuilegij originem habuerit, ſiue aliàs. Conſuetudinem autem poſſe legem

Digitized by Google

legem ieiunij aliquatenus abrogare, indubitatum eſt, & ita videmus in Hiſpaniâ vſum extremitatum carnalium & inteſtinorum Sabbatis introductum: & quod generalius eſt, ſerotinam refectionem vbique gentium, & notabilem Cœnæ anticipationem. Circa quæ ſine vllo conſcientiæ remorſu proceditur, & in caſu quidem noſtro Prælati non ſolùm vident, nec contradicunt, ſed etiam vſum eumdem amplectuntur: cùm ſint illi & docti & pij. Quòd cùm accidit communis doctrina eſt conſuetudinem eſſe rationabilem. Pro quo videri poteſt Diana *Parte 6. Tractatu 5. Reſolut. 5.* & ſpecialiter *Parte 1. Tract. 9. Reſolut. 21.* vbi de conſuetudine agit contra legem ieiunij. Cùm ergo hoc certum ſit, videndum an ex adductis fundamentis tali ſit cōſuetudini derogatum.

Vnde robur in illa.

Neque Commiſſarius eam poteſt improbare.

228 Et in primis declaratio Commiſſarij non videtur obſtare, quia illa conſuetudinis titulum non improbat, quem nec improbare poteſt, cùm ex diſpoſitione Iuris communis habeatur vt lex Canonicâ conſuetudine poſſit abrogari. Vt conſtat ex Cap. *finali*, *de Conſuetudine*, & omnes Doctores admittunt. Solùm ergo aſſerit priuilegium iam ceſſaſſe. Atqui vſus dictus priuilegio non innititur, cuius nec memoria occurrit iam ab annis plurimis, & eà ratio inualuit quòd piſces in copia ſufficienti non inueniantur, niſi in maritimis, & cibaria alia exigui vigoris ſint, regioneſque iſtæ homines languidos rèddant. Quæ vltima ratio iuuat pro regionibus etiam maritimis: ſicut etiam quòd cum ita remotis, atque Europæ commodis deſtitutis, non ita eſt ſeuerè agendum, vt nihil de legè Eccleſiaſtici ieiunij fuerit remittendum: cùm ſciamus in regionibus aliis, indulgentias aliquas circa illam tolerari. Sic in Belgio, diebus paucis exceptis, conſuetudo permittit lacticinia etiam in Quadrageſimâ, vt teſtatur Diana *Reſolut. 21. citata.* Et in Indiis noſtris ex ſolâ conſuetudine Sabbatis eſt licitus Indis carnis vſus. Quid ergo ſi Hiſpanis vſus præfatus liceat? Nec maius habere pondus poteſt ſubdelegati edictum, de quo *ſuprà*.

Quibus fundamentis introducta.

Ex Bullis ſpecialibus nihil quod vrgeat, haberi.

229 Quod verò ad conceſſionem Bullarum ſpecialium attinet, reſponderi poteſt ex illis nihil peculiare haberi quod vrgeat. Sicut enim non habetur ex eo quòd in Bullis communibus concedatur facultas ad vſum prædictum, vt oſtendimus; ita neque in aliis pro Clero conceſſis, quia illæ non ſunt ſpecialiter pro Indiis poſtulatæ, ſed pro regnis etiam aliis Hiſpanæ Coronæ, in quibus eſt Bullæ vſus introductus, & ita, ſicut & aliæ ad Indias remiſſæ, contendente Commiſſario poſſe in illis effectum habere, ex motiuo dicto. Nec ſupponit Pontifex communem ieiunij obligationem, quæ in omnibus vigeat Hiſpanæ Coronæ regnis, ſed quæ iuxta legem eſt Eccleſiaſticam, quidquid de conſuetudine regnorum quorumdam ſit, quam non tenetur ſcire vt diſpoſitio eius curret. Conſuetudo enim non eſt aliquid iuris, ſed facti, quod legiſlator ſcire non tenetur: cùm id ſolùm, quod eſt communis iuris, debeat in ſcrinio pectoris retinere. Pro quo eſt *Cap. Licet Romanus*, de Conſtitutionibus *in 6.* vbi ſic loquitur Bonifacius Octauus: *Licet Romanus Pontifex (qui iura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere) Conſtitutionem condendo poſteriorem, priorem, quamuis de ipſâ mentionem non faciat, reuocare noſcatur: quia tamen locorum ſpecialium, & perſonarum ſingularium conſuetudines & ſtatuta (cùm ſint facti, & in facto conſiſtant) poſſit probabiliter ignorare; ipſis, dum tamen ſint rationabilia, per Conſtitutionem à ſe nouiter editam (niſi expreſſè caueatur ipſa) non intelligitur in aliquo derogare.* Sic ille. Iuxta hæc ergo, ſi Rex noſter conſuetudinem abrogari velit, Pontificis imploret auxilium, qui id facere poterit de plenitudine poteſtatis. Sed an expediat, alterius eſt conſiderationis; &, vt ego autumo, difficilè poterit ſtabiliri.

Leges Pontificiae conſuetudines non abrogare.

Cap. Licet Romanus.

230 Et quod ad butyrum ſuillum, ſagimen, ſeu lardum attinet, non eſt ſingularis, & ſine exemplo Indica conſuetudo, cùm ſit eadem in Siciliâ, teſte Dianâ *Reſolut. 21. citata* & multis aliis in locis, eodem teſte *loco inferiùs allegando*: apud quem etiam ſunt Doctores aliqui aſſerentes, ſtante licito ouorum & lacticiniorum vſu, etiam licitum eſſe ſaginimis: quod diuerſimodè probant graues Societatis Auctores: alij, quia pinguedo non eſt caro, ſed quid naturali augmento ſuperueniens, ex Ariſtotele *Lib. 2. de generatione*: alij autem, quia minus eſt, & maiori conceſſo in conſequentiam venit, iuxta multorum doctrinam apud P. Sancium *Diſput. 1. citatâ n. 37. & ſeqq.* Vtrumque autem eſt difficile, & ideò iudico ſagimen non licere, etiamſi oua & lacticinia liceant, & ita virtute Bullæ non eſſe licitum illius vſum: quod tenet Diana *Parte 10. Tract. 16. Reſolut. 77.* mutans, vt ille ait, re meliùs conſideratâ, ſententiam, quam docuerat *Reſolut. 21. citata.* Si ergo alicubi licet, ad conſuetudinem eſt præſcriptam recurrendum. Sanguinem autem licere diebus, quibus præfata licent, & ſi non defuerit, qui ita ſit atteſtatus, abſurdiſſima mihi aſſertio eſt, neque Hoſtienſi attribuenda, in *Summa, de obſeruantia ieiuniorum* §. *Quando n. 8.* de ſagimine enim, & non de ſanguine locutus. Vult autem Diana *citatâ Reſolut. 77.* non *ſagimine*, ſed *ſanguine* legendum, & P. Azorium *Lib. 7. Cap. 10. Quæſt. 8.* malè ſagimen pro ſanguine tranſcripſiſſe. Sed certè non erat cur errantem tranſcriptionem Auctori tanto bonus etiam Auctor adſcriberet: nam Hoſtienſis pro aſſertione ſuâ citat *Cap. Presbyter 82. diſt.* in quo non ſanguis, ſed ſagimen habetur. Nam cùm ibi de pœnitentiâ, quam acturus erat Presbyter fornicarius, agatur, pro diebus remiſſionis ieiunij ita dicitur: *Tantùm autem diebus Dominicis, & præcipuis Feſtis, modico vino, & piſciculis, atque leguminibus recreetur; ſine carne & ſagimine, ouis & caſeo vtatur.* Sic ibi Iuxta quæ non eſt eadem ratio de ouis & ſagimine, cùm vnum, permiſſis alijs, conſtet prohiberi: & ſagimen quaſi quod ad carnem ſpectans, eidem ſocietur. Quòd ſi inferiùs ſagimen, oua, & caſus permittuntur; ideò eſt, quia plus aliquid poſt diuturniorem pœnitentiam indulgetur. Vnde non benè Gloſſa ibi argumento id eſſe ait vt liceat comedere de ſagimine illis diebus, quibus oua & caſeum licet: pro quo adducit *Cap. Denique 4. diſt.* vbi tamen de ſaginine nec verbum; ſed lacte, caſeo, & ouis vti prohibentur illi, quos Eccleſiaſticus gradus exornet, in Dominicis à Quinquageſimâ, iuxta veterem conſuetudinem. Si quid autem ex eo licet colligere, id certè eſt, cùm

De butyro ſuillo, & ſagimine. Et quid ſine ſpeciali conceſſione non liceat, quidquid nonnulli cenſeant.

Sicut neque ſanguinem, quod non benè Hoſtienſi tribuitur.

Cap. Presbyter.

Gloſſa ſententia reprobata.

Cap. Denique.

Digitized by Google

cùm prædicta prohibentur, etiam ſagimen; propter rationem ibidem adductam prohiberi: quia ſcilicet ſementinam trahunt originem carnis: neque expreſſum ſagimen, quia de illo non videbatur poſſe dubitari.

Quintum, circa Bullam Compoſitionis. Vbi ſpecialis difficultas, cùm quantitas eſt ingens, & ſupra communem compoſitionis modum.

Compoſitio vt currat in Indiis in qualibet quantitate.

231 POteſt quis in Indiis compoſitione vti, duodecim regalibus pro triginta ducatis, quæ dominis debentur incertis, erogatis: quòd ſi debitum maius ſit, plures Bullas ſumere, eadem pro ſingulis quantitate redditâ, vſque ad ſummam nongentorum ducatorum. Quòd ſi debitum amplius ſit, quàm vt Bullis acceptis ſatis fieri eidem poſſit, adeundus Commiſſarius, qui ad hoc ſpecialem inſtructionem habet, in quâ continetur vt compoſitio fiat ad rationem decem pro centum, conſideratione habitâ & maioris culpæ, quæ in vſurpatione exceſſiuæ adeò quantitatis interuenire ſolet, & etiam quia ex illâ æquum apparet, vt maius emolumentum pro opere momenti tanti, quale Cruciata concernit, accreſcat; cùm & hoc non frequenter eueniat, minuſque videatur difficile, quandoquidem exceſſiua quantitas relinquitur debitori. Non eſt autem neceſſarium vt tota illa quantitas debita ad rationem decem pro centum componatur, ſed compoſitione per Bullas factâ vſque ad ſummam dictam nongentorum ducatorum, inde alius compoſitionis modus aſſumendus.

Specialis difficultas.

232 Sed quid ſi compoſitione factâ per Bullas hoc biennio prædicationis, compoſitio pro ſummâ reliquâ in biennium aliud differatur? Poteritne tunc per Bullas multiplicatas fieri, vel vtendum neceſſariò compoſitione ad rationem decem pro centum, ſicut præſtandum fuerat elapſo biennio? Et dilatio quidem poteſt eſſe licita, ac etiam illicita: ſi enim ſatisfactio fieri hoc biennio poſſit, ad ſequens differri nequit: immò nec ad breuius ſpatium; quia reſtitutio ſtatim facienda eſt, iuxta regulas, quas Doctores pro ea tradunt; ſi autem non poſſit, clarum eſt in eo non eſſe peccatum. Poteſt tamen eſſe dubium, an qui hoc biennio, vel hoc anno, vt in Hiſpaniâ, reſtituere nequit eo modo, quo incerta reſtituenda ſunt, poterit tamen ſequentibus, teneatur ad compoſitionem de præſenti. Et dicendum non teneri, quia compoſitio loco reſtitutionis ſuccedit: cùm ergo illa non obliget in præſenti, neque etiam compoſitio: hæc enim rationem habet gratiæ ac priuilegij, & priuilegiis vtimur cùm volumus. Quod eſt P. Mendi doctrinæ conforme *Diſput.* 32. *num.* 51. quamuis oppoſitum probabile alicui videri poſſet ex illorum ſententia, qui dicunt teneri ad audiendam Miſſam, qui priuilegium habet ad audiendam illam in Oratorio tempore Interdicti; eſt ſiquidem ſublatum impedimentum adimplendi præceptum. Sed certè ſimilitudo non videtur penitus congruere: nam aliud eſt habere priuilegium, & eo teneri vti; aliud autem priuilegium teneri quærere ad ſatisfaciendum obligationi; hoc enim poſterius admittendum non eſt, & ita non tenetur quis priuilegium Oratorij quærere ad ſatisfaciendum obligationi Miſſæ audiendæ: & ita nec priuilegium Compoſitionis. Quamquàm & contra hoc poſſit vrgeri: nam priuilegium iam quis habet, ex eo quòd Bulla Compoſitionis publicetur: Compoſitio autem ipſa eſt vſus talis priuilegij; & ita per priuilegium tollitur impedimentum ſatisfaciendi præcepto reſtitutionis, curritque doctrina de Miſſa, & aliis ſimilibus.

Priuilegiū aliquando obligat, ſed non eſt obligatio quærendi illud.

Proſequitur reſolutio, cum notanda doctrina.

233 Si ergo dilatio licita fuit, multiplicatis Bullis poteſt fieri compoſitio. Quòd ſi ſecundâ compoſitione factâ ſit vlterior quantitas, ad quam nequeunt Bullæ pertingere, eadem conſideratio habenda eſt, an ſcilicet eo anno vrgeat ſatisfactio, an non. Si autem fuit illicita, maius eſt dubium; & ex doctrinâ P. Mendi dici poteſt locum eſſe compoſitioni; licet in caſu noſtro non loquatur in praxi, quam allegat, ſed quando compoſitio culpatè differtur. Nihilominùs iunctis iis, quæ præceſſerant, huius videtur eſſe ſententiæ; cuius eſſe fundamentum poteſt, quia talis eſt Pontificis mens per Commiſſarium declarata, dum ad compoſitionem admittitur quicumque reſtitutionem diu deprehenditur diſtuliſſe. Sed quidem Inſtructionis forma contrarium videtur perſuadere, in quâ dicitur vt compoſitio per Bullas vſque ad ſummam dictam fiat, & ſi vlterior ſit, Commiſſarius adeatur, qui modum compoſitionis attendet, & eſt is, quem diximus, ad rationem decem pro centum. Hoc ergo biennio fieri aliter compoſitio nequit: ergo nec ſequenti. Illationem oſtendo: nam Inſtructio generalis eſt, & non pro hoc tantùm anno: nihil enim tale exprimit, & ita vt iacet eſt intelligenda. Item. Sic differens grauiter peccat contra iuſtitiam; ergo nequit illi prauitas ſua eſſe proficua, vt ſcilicet minori adeò contributione ſatisfaciat exceſſiuæ obligationi. Nemo enim ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt. *L. Nemo* 134. *Inſtit. de regulis iuris.*

Quomodo ſine Bullis compoſitio fieri queat, quæ à Pōtifice vt neceſſaria proponuntur.

234 Eſt inſuper circa hoc difficultas, quomodo compoſitio hæc fieri ſine Bullis poſſit, quas tamen neceſſarias eſſe Commiſſarij verba ſignificant, dum ſic ait: *Y mandamos preciſamente, que recibais en vos eſta ſanta Bulla, porque aſi lo quiere y manda ſu Santidad, y que de otra manera no goceis de compoſicion, que por ella ſeos concede.* Ad quod reſponderi poteſt prædicta verba intelligenda de compoſitione ordinariâ, & iuxta determinatam quantitatem: de extraordinariâ verò aliam eſſe rationem, ad quam Commiſſarium facultatem habere non eſt æquum dubitare; licet in eius Inſtructione non extet mentio Apoſtolicæ conceſſionis, niſi ad compoſitionem per Bullarum acceptionem: quandoquidem ipſe teſtatur ſic faciendam à Pontifice conſtitutum. Et quidem compoſitionem, quæcumque illa ſit, vt Commiſſarius Pontificis facit ad conſcientiarum exonerationem: ergo debet extare commiſſio ab eodem Pontifice facta. Et talis eſt, quam verba illa in Bullâ conceſſionis indicant. *Item conceditur facultas eidem Commiſſario, vt dictam ſubuerſionis quantitatem à fidelibus, vt prædicitur; pro viuis & defunctis erogandam iuxta perſonarum qualitatem, & bonorum quantitatem arbitrari poſſit.* Quam facultatem ad Bullam etiam Compoſitionis ſpectare

Conceſſionis tenor.

ſtare ſentit Trullench in illius expoſitione *Dub. 3. in fine.* Quod tamen ita compertum non eſt, vt ex eo ſequatur poſſe compoſitionem facere ſine Bullæ exhibitione.

Certior compoſitio, quæ ſine Bullis fit, contra Trullench.

235 Sic autem fieri poſſe vt certum admittunt Scriptores; immò P. Henriquez *Lib. 7. de Indulgentiis Cap.* 34. hunc compoſitionis modum reputat tutiorem, quia cùm pro maiori ſummâ fiat, plus in illo apparet ſatisfactionis; minor enim reſtat ſumma ſoluenda, ſi compoſitio non ſubueniret; ſicut in Indulgentiis ea certior, cuius maior eſt cauſſa, vt communiter Doctores obſeruant. Sed Trullench *Dub. citato num.* 4. æquè tutum vtrumque exiſtimat, quia modus vterque eſt licitus, & à Commiſſario Papæ auctoritate diſpoſitus, & qui per Bullæ traditionem facilior pro maiori ſummâ in belli ſubſidium comparandâ.

P. Henriquez veroſimilius loquitur.

Sed certè P. Henriquez pro ſe habet multos; qui videri poſſunt circa *num. 4. in Gloſſa. L. Y. & Z.* valde enim dubitant illi de compoſitione, quando minimum eſt id, quod datur, & hac ratione varietas notabilis circa compoſitionem accidit: nam cùm annis præteritis per quamlibet Bullam componerentur quinquies mille merauedini, modò tantùm bis mille componuntur. Erat ergo compoſitio prior minùs conueniens, & animaduerſa doctrina grauium Scriptorum circa hoc aut dubitantium aut apertè loquentium, potuit ſumma compoſitionis augeri: licet adhuc eâ poſitâ, prædictorum Auctorum aſſertioni non ſit plenè ſatisfactum. Poteſt ergo conuenienter dici compoſitionem ſine Bullâ eſſe tutiorem, quia ob maiorem ſummam fit. Quamuis autem modus alius ſit minùs tutus, cùm tamen probabilibus nitatur principiis, ſufficiens eſt ad conſcientias tranquillandas.

Pro Commiſſario generali qualiter præſumendum.

Debet enim pro Pontifice in dubio facti præſumi, vt etiam admonet Cardinalis Lugo *Diſput. 6. de Iuſtitia num.* 150. & *Diſput. 21. num.* 95. Sed cùm compoſitionis taxa non à Pontifice, ſed à Commiſſario fit, non eſt ſimilis obligatio ad præſumendum pro illo, licet eius auctoritas validam fundet coniecturam in re tantâ cum conſilio doctiſſimorum hominum procedentis. Vbi doctrina citati Cardinalis *Diſput. 21. num.* 94. opportunè cadit:

Taxam à Pontifice non ignorari.

ait enim quòd licet taxa Bullæ non fiat à Pontifice, ſed illa Commiſſario remittatur; non eſt credibile illum eamdem ignorare, & eorum aliquem ſaltem errorem Miniſtri ſui minimè tolerabilem in re tanti momenti neutiquam correxiſſe. Quæ coniectura veroſimilis eſt, ſed quæ certitudinem non inducat: cùm ſit aliàs ſententia eiuſdem Cardinalis *num. 95. citato §. Diſtinguendum*, Pontificem non poſſe compoſitionem concedere pro omnibus debitis incertis ſine ſufficienti cauſſa, quæ ſi reipſa non ſit talis,

Sufficiens cauſſa pro compoſitione neceſſaria.

compoſitio erit nulla: pro quo & alios adducit *§. præcedenti.* Ad ſufficientiam autem cauſſæ etiam quantitas compoſitionis conducit, vt eſt clarum: quod totum in facto conſiſtit, in quo nequit eſſe omnimoda certitudo. Quidquid de hoc ſit

In caſu non frequenti an Subdelegatus compoſitionem concedere poſſit in minori quantitate, quàm taxa habeat.

236 Vlteriùs inquiro an Commiſſarius ſubdelegatus poſſit facere compoſitionẽ ſine Bullâ, quando quantitas numerũ Bullarum excedit in minori quantitate quàm ſit Decima pro centũ à Generali Commiſſario deſignata. Et communiter quidem nequit, quia aliàs taxa eſſet inutilis, quod dici nequit, cùm ab eo deſignata ſit, qui circa hoc ſupremam habet poteſtatem à Pôtifice delegatam. Difficultas ergo eſt pro caſibus rarò contingentibus, vt ille, in quo ego interuentor extiti, cuius opera quantitas ſexaginta milliũ octi-regalium compoſitionis eſt beneficio temperata. Inſtabat debitor in caſu tali debere ſibi decimæ rigorem emolliri, non vſuro aliàs compoſitionis remedio, ſed aliud ad conſcientiæ tranquillitatem quæſituro. Sex ergo pro centum offerebat, & vt poſſent admitti, rationes iſtæ ſuccurrebant.

Prima ratio pro parte affirmatiua, ex præſumpta Commiſſarij voluntate.

Prima, hoc non eſſe contra diſpoſitionem aliquam Pontificum; ſed ſolùm deuiare ab inſtructione Commiſſarij, qui ſicut deſignauit decem, potuit ſex, aut minus aliquid aſſignare. De Commiſſarij autem voluntate veroſimiliter poſſe præſumi, quia ille in ſuæ commiſſionis exercitio id præcipuum attendit, vt ad Regios ſumptus contra infideles maximam pecuniæ copiam per licitas compoſitiones exhibeat: atqui hoc compoſitione tali conuenienter aſſequitur, quæ ſi non fiat, maximum Rex noſter emolumentum amittet: ergo meritò poteſt de illius voluntate præſumi. Vbi communis illa & frequenter vſurpata Scriptorum doctrina quadrat, ſi quando aliàs, de præſumptione, ratihabitione, coniecturis: pro quo videri poſſunt Doctores, quos adducit P. Thomas Sancius *Lib. 3. de Matrimonio Diſput. 35. num.* 15. & Gloſſa in Cap. *Ratihabitionem*, de regulis iuris. Hìc enim Regium intereſſe vertitur ſine damno tertij, quod ſummum habet pondus, vt nihil videatur poſſe in contrarium, quod momenti ſit alicuius, adduci.

Secunda ex temporis circumſtantiâ.

237 Alia ex temporis circumſtantiâ deſumpta. Cùm enim Rex noſter calamitoſis temporibus magnâ indigeat pecuniæ copiâ vt bella poſſit ingruentia vndique ſuſtinere, incredibile eſt compoſitionem iſtam, quæ abſolutè fieri poteſt, ſibi gratam non futuram, & conſequenter Commiſſario, qui, vt diximus, in hanc maximè curam incumbit. Vnde quod de ratihabitione dictum, plus hac additâ circumſtantiâ vrget. Et licet plures ſint, qui ratihabitionem de futuro conſenſu ſufficientem non eſſe dicant, vt vidimus *n.* 216.

Ratihabitio de futuro quando valeat.

id tamen eſt in materiâ Sacramentorum, quando ex conſenſu alterius valor eorum pendet, vt in Confeſſione, & Matrimonio, non verò in aliis, quorum valor ſtare poteſt independenter ab omni aliâ voluntate præter voluntatem conferentis: vt videri poteſt apud P. Sancium *ſuprà num.* 17. & 24. Præterquam quòd ratihabitio in caſu iſto poteſt non tantùm de futuro, ſed etiam de præſenti cenſeri: quia Commiſſarius in eâ eſt ſemper moraliter voluntate, vt Regiis commodis ſuo ſeruiat officio, & nihil contrarium velit. Et vt demus in actuali voluntate non eſſe, de præteritâ eſt valde veroſimilis coniectura, ſaltem cùm officium auſpicatus eſt, & Dei, ac Regis ſeruitio ſuam induſtriam dedicauit.

De præterito item.

Ratihabitionem autem de præterito ad ſimilia ſufficere, communis reſolutio eſt: & in ordine ad audiendas Confeſſiones, in quo omnium maxima difficultas eſt, ſufficientem eſſe docent plures, quos adducit & ſequitur P. Sancius *ſuprà num* 21. & iuxta hunc explicandi modum veroſimilior dicenda eſt ſententia

Digitized by Google

De futuro notanda explicatio.

tentia eorum, qui affirmant abſolutè ratihabitionem etiam de futuro in Confeſſario ſufficere, vt non velint illam eſſe de futuro, licèt de futuro videantur exponere, ſed de præſenti, aut præterito; quia ſemper miniſter huius Sacramenti ordinarius in eâ fuit voluntate, vt omni rationabiliter de ſuâ voluntate præſumenti licentiam velit concedere; quæ voluntas moraliter perſeuerat, quia non eſt credendum velle illum tot ſacrilegia fieri, & oues ſuas adeò grauia animarum ſubire diſpendia. Cuius indicium eſt expreſſa ratihabitio, quando factum agnoſcit, vt non tunc valere actus incipiat, ſed valor illius præteritis comprobetur.

Tertia ratio ex caſus raritate, de quibus leges non tractant.

238 His ratio tertia iungebatur, ex eo quòd caſus eſſet extraordinarius, & de quo non ſit arbitrandi facultas denegata. Vix enim tale aliquid vnquam accidit, vt ſcilicet ingens adeò ſumma in compoſitionem venerit. Quando autem caſus extraordinarius eſt, non ſolent de illo communes leges procedere, ſed aliquod iudicibus arbitrium reſeruatum. Legiſlator enim non potuit omnes caſuum contingentias præuenire, & ſi vellet legem ad omnes extendi, damnoſa eſſet multoties diſpoſitio: quod tamen non eſt admittendum in eo, qui de communi bono ſpecialem ſolicitudinem gerit; qui etſi ſecùs vellet, minimè in eo eſſet audiendus, cùm lex ad præiudicialia nequeat extendi. Pro quo videndus P. Suarez *Lib. 6. de Legibus Cap. 7. num. 3. 11. & 13.* & P. Palaus *Tomo 1. Tractat. 3. Diſput. 1. Puncto 3. §. 2.* Et circa huiuſmodi caſus verſatur Epikeia, quæ correctio legis dicitur, quia iuxta Ariſtotelem *Lib. 3. Ethicorum, cap. 10.* legem emendat in eo, in quo illa peccat. Quod ita intelligendum eſt, non vt lex peccare poſſit omnem actum contingentem comprehendens, verè enim non comprehendit, niſi rationabiles, & communi bono congruentes; ſed quia ſupplet id, quod lege caueri non potuit, quia non potuit ad omnes actus deſcendere: vnde generalitatem illam, ſecundùm quam loquitur, limitat, & ita quaſi emendat. Quod benè citati Doctores explicant, & alij apud ipſos, atque ante omnes Diuus Thomas *1. 2. quæſt. 96. art. 6.* alibi datus, ſed hic etiam audiendus, dum ſic in Corpore loquitur: *Quia legiſlator non poteſt omnes ſingulares caſus intueri, proponit legem ſecundùm ea, quæ in pluribus accidunt, ferens intentionem ſuam ad communem vtilitatem. Vnde ſi emergat caſus, in quo obſeruatio talis legis ſit damnoſa communi ſaluti, non eſt obſeruanda, &c.* Luculentiùs autem *2. 2. quæſt. 120.* quæ eſt de Epikeia, in cuius *Articul. 1.* ſic loquitur: *Legiſlatores attendunt ad id, quod in pluribus accidit, ſecundùm hoc legem ferentes: quam tamen in aliquibus caſibus ſeruare eſt contra æqualitatem iuſtitiæ, & contra commune bonum quod lex intendit, &c.*

Et pro quibus Epikeia, cuius explicata conditio.

D.Thom.

Quarta ex probabilitate, rationum & auctoritate ita ſentientium.

239 Addebatur & quarta: nam dubitari nequit pro parte hac probabilem rationem extare, cui probabilitati auctoritas ſic iudicantium maius pondus conciliabat: hoc autem ſufficiens eſt ad diſpenſationem legis in iudice inferiori, vt tradunt P. Azor *Lib. 7. cap. 29. Quæſt. 6.* P. Thomas Sancius *Lib. 8. de Matrimonio, Diſput. 17. num. 8.* Diana *Parte 1. Tractat. 10. Reſolut. 33.* & alij. Quia non eſt credendum aliam eſſe Pontificis intentionem circa ſuas leges, ac Dei circa ſuas, in quibus permittitur inferiori diſpenſare. Quæ ſunt verba P. Sancij. Quod autem de Pontifice dicitur, de inferioribus aliis iudicibus etiam accipiendum, in quibus eadem ratio militat, vt ſcilicet leges ſuas non prorſus indiſpenſabiles eſſe velint & diuinis in hoc illas anteferre. Videndus etiam P. Suarius *Lib. 6. citato, cap. 8.* & P. Palaus *ſuprà num. 4.*

Vltima ex occaſione vlteriorum compoſitionum.

240 Tandem ex eo pars iſta firmabatur, quia benigno hoc compoſitionis modo moueri alij poſſent ad eamdem poſtulandam. Quod quidem non oberat quominùs caſus iſte deberet raro contingens iudicari; quia vt aliquot compoſitiones tales fierent, ſpecialis concurſus circumſtantiarum inerat, nuſquàm aliàs viſus, & vtinam nec videndus. Hinc ergo maius commodum compoſitionis eam magis veroſimilem efficiebat; immò & neceſſariam, quia magna vtilitas pro neceſſitate computatur: vt eſt communis ſcriptorum doctrina, & amiſſio lucri pro damno habetur: vnde & ratione illius benigna eſt interpretatio legis facienda, vt docent P. Suarez *ſuprà, num. 14.* & P. Palaus *num. 3.* In noſtro autem caſu non vnius tantùm lucri iactura erat, ſed plurium, vnde Commiſſarij lex potuit benignè interpretari.

Iuxta dicta eſt facta compoſitio.

241 Propter quæ à Commiſſario Prouinciæ de los Charcas, qui Commiſſario Generali immediatè ſubeſt, licèt in nonnullis obſequi Limano debeat, cum Regij Auditoris, & Quæſtoris eiuſdem Tribunalis Conſilio, compoſitio modo dicto facta eſt, ad rationem ſcilicet, ſex pro centum. De quo cùm ad Limanum Tribunal fuiſſet ſcriptum, Regius Auditor in eo adſtans, omnibus ſcilicet antiquior, prorſus abnuit, & ita cum facti improbatione reſcriptum: eò quòd forma in talibus compoſitionibus à Generali Commiſſario propoſita, non fuerit obſeruata; & ita nec ſecuritati conſcientiæ ſe componentis conſultum: ſicut neque ſaluti corporis infirmi conſuleret, qui decretum à medico pharmacum commutaret, & quid pro quo, vt vulgò dicitur, impartiret. Nihilominùs quod factum cùm fundamentis adductis fuerat, non potuit penitus infirmari. Vnde quod improbatum tunc, ſimilis compoſitionis opportunitate ſuccedente, ab ipſo Limano Tribunali factâ compoſitione probatum, re ſcilicet meliùs ponderatâ. Nec ſcio id à Generali Commiſſario reprehenſum, qui fortè neque de hoc certior factus, quia vbi dubium non eſt, ſed probabili ratione proceditur, non eſt neceſſarium ad ſuperiorem recurrere, & illius iudicium explorare: licèt conueniens eſſe poſſit ad modum procedendi ſecuriorem. Quod eſt P. Suarij doctrinæ conforme *ſuprà num. 4. & 6.* vbi enim ex veroſimilibus Theologiæ aut Iuris principiis agitur, recurſus ad ſuperiorem non eſt neceſſarius, ſi præſertim de illius poteſtate agatur. De quo hæc ſatis.

Sextum, circa Bullam defunctorum.

Taxa diuerſitas in Indiis pro diuerſitate perſonarum.

242 ILlud ſpeciale in Indiis circa illam occurrit, quod ad differentiam taxæ, & perſonarum ſpectat, pro quibus applicatio facienda: & pro quo ſic ſtatutum. *Y la Limoſna de las Bullas de Difuntos Eſpañoles, à quatro reales, ò ſu valor,* por

Digitized by Google

por el alma de qualquiera perſona, hombre, ò muger Eſpañol. Y los Indios, y Morenos, y Eſpañoles pobres, y los que ſiruen à otros, Frayles, y Monjas, dos reales por cada perſona diſunta. Demanera que en las dichas Bullas de Diſuntos no ha de auer mas que las dichas dos taſas, y diferencias. Vbi quidem non prorſus expreſſum an Hiſpanus ſumens Bullam pro Indi animâ aut Æthiopis, eleēmoſynam eamdem tribuere debeat, quam pro animâ Hiſpani debet: ſolùm enim dicitur debere quatuor regales tribuere pro animâ Hiſpani defuncti. Verùm licèt non exprimatur, ex eo videtur non obſcurè deduci; quandoquidem pro animâ Hiſpani tantùm illa maior taxa conſtituitur. Et ita aduertit P. Mendus *Diſput.* 36. *num.* 6. Potuit autem hoc ita diſponi, quia cùm pro Indiis illa ſit taxa conſtituta, Indorum bono eſt tali aſſignatione conſultum: vt ſcilicet Hiſpani in benefaciendo Indis reddantur promptiores. Vbi & dubitari poteſt an Hiſpanorum nomine illi tantùm veniant, qui verè tales ſunt, & ad quos tantùm beneficium dirigatur: ſic enim neque Italis, neque Belgis Bulla prodeſſe poterit; vel ſi poteſt prodeſſe, an ſit ſatis pro ipſis minorem taxam erogare.

Indorum in eâ bono cõſultum.

Nõ Hiſpanis defunctis an prodeſſe poſſit.

Reſolutio affirmatiua.

243 Ad quod mihi videtur vti certum reſpondendum. Hiſpanorum nomen non eſſe poſitum taxatiuè, ſed per contrapoſitionem ad Indos: quod eſt iuxta Indorum ipſorum loquendi morem, qui Europæos omnes, albos ſcilicet homines, & ex iis progenitos, Hiſpanos vocant, & communi nomine *Viracochas*. Et verò Bulla Defunctorum extra Indias ad Hiſpanorum animas non arctatur, quia id ex nullâ ipſius clauſulâ colligi poteſt: ergo neque illa, quæ pro Indiis conceditur, quæ minùs ampla non eſt, & ita quemadmodum qui in Hiſpaniâ aut Siciliâ degit, poteſt illam pro anima eius, qui in Indiis defunctus eſt, ſumere, ita è conuerſo. Nec moueat quemquam id, quod habet P. Mendus *ſupra*, *num.* 5. poſſe ſcilicet hanc Bullam ſumere eos qui pro ſe poſſunt Bullam viuorum accipere, & pro eorum animabus, qui viuentes Indulgentiis fungi valerent. Cùm enim exteri non poſſint pro ſe Bullam ſumere, non videtur iuxta prædictam doctrinam pro eiſdem poſſe Bullas ſumi, vt defunctis proſint. Non inquam moueat, quia Auctoris dicti alia eſt valde diuerſa mens: cùm enim ſe referat ad ea, quæ dixerat *Diſp* 4. de iis, qui Bullæ indulgentiis frui poſſunt, ex illis tantùm colligitur non poſſe ſumi pro Catechumenis: ſic enim ipſe tenet, aliis contrarium ſentientibus; ſicut nec pro aliis Bullam, quæ viuorum eſt, ad effectum aliquem poſt ipſorum mortem. Hoc ille vult, & non aliud; vnde ineptè ad caſum præſentem aduocatur. Quòd verò minor taxa poſſit pro exterorum animabus tribui, nullo modo poteſt admitti: quia aliàs Bulla defunctorum fauorabilior eſſet reſpectu exterorum, quàm Hiſpanorum; cùm tamen contrarium eſſet potiùs aſſerendum: quia cùm ipſi viuẽtes vtantur Bullâ, & ſuas pro eâ facultates impendãt, æquiſſimũ eſt vt defuncti, ſi aliqua futura eſt inæqualitas, maius beneficium aſſequantur.

P. Mendũ contrariũ non docere.

Pro Catechumenis an ſumi queat.

Indorum nomine an veniant mixtim geniti.

244 Circa Indos autem, pro quibus ab Hiſpanis minor taxa requiritur, dubitari poteſt quinam veniant eo nomine: vbi quæſtio eadem coincidit, an Hiſpanorum nomine illi intelligendi ſint, qui ex Europæis, & Indis mixtim ſunt progeniti, an verò Indorum nomine cenſeantur. Circa quod in primis dico natum ex Europæo & Indâ, aut ex Indo & Europæâ, quoad hunc effectum non eſſe Hiſpanum cenſendum (vt hoc nomine Europæos omnes complectamur.) Sic P. Quintanadueñas *de Præceptis Eccleſiæ, Tractat.* 6. *Singulari* 6, generaliter ſtatuens ſic genitos omnibus Indorum priuilegiis gaudere, vnde & eo, de quo loquimur: & ante eum Ludouicus Miranda in Manuali *Tomo* 1. *quæſt.* 43. *articul.* 2. §. *Prater.* & in ſpecie noſtri caſûs P. Mendus *ſuprà*, *num.* 8. qui ex eo probant: nam ex Indo genitus, Indus eſt; quia filij patris ſequuntur originem. *L. Aſſumptio.* 6. §. *Filius. D. Ad municipal.* & alibi vbi ſcribentes. Si autem mater Inda ſit, inde etiam computatur origo, vt eſt compertiſſimum. Vnde & conſanguinitas pariter ex lineâ maternâ ac ex paternâ ducitur: & ſimilia ex vtraque impedimenta oriuntur. Sed certè fundamentum hoc videtur claudicare, & dum vnum probat, aliud deſtruit. Qui ex Indo genitus, Indus cenſeri debet: ergo qui ex Hiſpano, debet haberi Hiſpanus: atqui Hiſpanus abſolutè talis, priuilegiis Indorum non fruitur: ergo neque mixtim genitus, ſi abſolutè talis eſt. Nec ſatisfacit P. Quintana dum tantùm probat genitum ex matre Indâ eſſe mixti ſanguinis verè & propriè. Quis enim de hoc dubitat? cùm ſit ſubiectum quæſtionis. Quòd autem fœminæ ad genus ſpectent, & conſanguinitatem fundent, etiam eſt indubitatum. Aſt hoc non obſtante, ex Indo genitus & matre Hiſpanâ Indus abſolutè dicitur: ergo & Hiſpanus ex parte Hiſpano & Inda matre progenitus.

Qui affirmant, & nonnullorũ fundamentum.

Quod claudicare oſtenditur.

Melior ratio ex mixtione, ex qua fit, vt mixtũ abſolutè ſimplex non ſit, ex quo cõſtat.

145 Ideò meliùs probari poteſt; quia ex Hiſpano patre genitus, & multò magis ex Hiſpanâ matre abſolutè Hiſpanus non eſt, ſi ex matre Indâ aut Indo patre veniat origo: ergo cùm tantùm pro Hiſpanis maior taxa Bullæ exigatur, non debent eo nomine comprehenſi judicari. Antecedens oſtendo: nam mixtum non eſt abſolutè ſimplex, ex quo æqualiter eſt compoſitum, neque eius nomine abſolutè gaudet, vt eſt penitus exploratum, præſertim in viuentibus: genitus enim ex aſino & equâ, non eſt aſinus, neque equus, ſed mulus; ex ſue & apro, neque ſus, neque aper eſt, ſed hybrida: ex pardo & leæna, non pardus, nec leo, ſed Leo-pardus. Et ſic in aliis: ergo ſimiliter in caſu, de quo loquimur. Quæ certiſſima perſuaſio apud Indiarum incolas in cauſſâ fuit, vt pro ſic natis ſpecialem gratiam à Sede Apoſtolicâ eorum ſalutis ſoliciti curatores expoſcerent, vt Indorum poſſent priuilegiis quoad iucunda matrimonia frui. Vbi nequit dici vulgarem illum fuiſſe ſenſum, de quo non curandum, iuxta ea, quæ adducit P. Quintana *ſuprà ſingulari* 7. *num.* 7. Quia ſic exiſtimantes & petentes, non vulgares homines, ſed valde ſapientes & experti fuerunt. Nec reſponderi vlteriùs poteſt priuilegia iſta ad tollendos ſcrupulos poſtulata: nam ſi eâ ratione id tantùm factum fuiſſet; ante poſtulationem fuiſſet vtique practicatum virorum ſapientium Conſilio, vt in aliis accidit: & ſpecialiter comprobari poteſt in Priuilegio Pij V. ad recitandum diuinum Officium totum manè ratione itineris, occupationis, aut

Reſponſiones aliquæ confutatæ.

maioris

maioris deuotionis, & Matutinum ante ſolis occaſum, de quo in Priuilegiis Societatis. *V. Horæ Canonicæ.* De hoc autem inferiùs ex profeſſo agendum, vbi de Indorum priuilegiis: ad inſtitutum enim præſens ratio adducta ſufficit; quæ eſt penitus manifeſta.

De Æthiopibus idem quod de Indis.

246 Quod autem de mixtâ Hiſpanorum & Indorum generatione eſt dictum, ſimiliter eſt de generatione mixtâ Æthiopum aſſerendum propter eamdem rationem: natus enim ex Hiſpano patre & matre Æthiopiſſa, neque Hiſpanus neque Æthiops eſt; neque reipsâ neque communi æſtimatione. Nec ad caſum, in quo ſumus, neceſſaria eſt quæſtionis illius non ita expedita diſcuſſio, an ſcilicet Æthiopes priuilegiis Indorum gaudeant, de quâ, Deo dante; *inferiùs Titulo 12. n.129.* cùm modò ſit ſatis ſcire illos non eſſe Hiſpanos abſolutè, & ita pro defunctorũ animabus quæ ſumitur Bulla, minori eſt taxâ regulanda: ſicut & de quacumque aliâ mixturâ dicendum.

Difficultas peculiaris de Quarteronibus.

247 Illud profectò difficilius, an ex Hiſpano patre, & mixtim genita matre, ſiue Indicus, ſiue Æthiopicus, aut quilibet alius ſanguis ſit, natus filius Hiſpanus cenſendus ſit; & ita priuilegio dicto nequeat frui? vel etiamſi Hiſpanus dicatur propter mixtionem dictam, idem ſit illi concedendum. *Affirmantium quorumdam fundamenta.* Circa quod aliqui affirmatiuè prorſus reſpondent, quatenus de omnibus priuilegiis loquuntur: & id probabilitate non carere exiſtimat P. Quintana *Singulari 7. citato*, pro eoque aliqua fundamenta adducit. *Primum.* Primum ex eo quòd iſti verè Indorum filij ſunt, eâ receptiſſimâ loquendi formâ, quâ & aui & proaui vocantur parentes: ſic enim & Abrahami & Dauidis filius dicitur in Euangelio Chriſtus. *Secundum.* Secundum; quia in iſtis eſt ratio eadem, quæ in Meſtiziis, Indicus ſcilicet ſanguis, ad quem Pontifices attenderunt, cùm gaudere illos priuilegiis Indorum in matrimoniis indulſerunt. *Tertium.* Tertium; quia Pontifices in priuilegiis ſolùm requirunt vt ſint mixtim progeniti, quod de prædictis verificatur, & licet Meſtizios vocent, id non eſt taxatiuè intelligendum, ſed demonſtratiuè, & exempli gratiâ; exempla autem non arctant regulam, iuxta communem doctrinam, de quâ *ſuprà*. *Quartum.* Quartum; quia licèt Pontifices tantùm ad poſtulata reſpondere ſoleant, & ſic ad poſtulationem pro Meſtiziis Paulus V. & alij fauorabilem præſtiterint reſponſionem; cùm tamen illi ad priuilegij fruitionem ſolùm exigant quòd ſint mixtim progeniti; huic eſt regulæ potiùs attendendum. *Quintum.* Quintum; quia vulgaris opinio, quæ pro Indis eos non habet, non eſt curanda, quia frequenter erronea. Ex quibus non ſolùm prædictos, qui ſcilicet tres partes Hiſpani ſanguinis habent, ſed etiam qui tales dicuntur ob quartam additam portionem, quia ex matre Quarteronâ, ſimiliter priuilegiis gaudere eiſdem *ibidem* arbitratur; licèt cum formidine, & ita rem doctioribus expendendam & judicandam relinquit, addens in fine communiſſimam doctrinam de priuilegijs Principum latiſſimè interpretandis.

Negatiua ſententia ſtatuitur.

248 Sed certè adducta momenti ſunt perexigui ad nimiam iſtam, & plus nimio latam extenſionem. De priuilegiis quidem circa matrimonia pro Meſtiziis conceſſis ad alia Indis propria extenſionem fieri non patiuntur viri doctiſſimi, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *Tomo 2. lib.2. cap.28. num.52.* & tenet etiam Cardinal. Lugo *in Reſponſis moral. lib.6. dub.5. num.3. & 4.* Quid illi de extenſione ad Quartarones dicerent? Et tamen hac non contenti, neſcio qui fauorum amplificatores eximij ad Quarteronum filios extenſionem trahunt, ex quo fit vt ad Quarteronum filios, nepotes, & pronepotes, non ſint qui extendant defuturi. *Primi fundamenti conuulſio.* Et hæc ratio contra illos facit: nam Chriſtus Dominus (vt ſuo eos vrgeamus exẽplo) filius dicitur Dauidis & Abrahæ, & tamen quamplures generationes præceſſerunt: ergo ſimiliter in caſu noſtro. Quòd ſi hoc non admittitur, primum ex adductis fundamentis infirmum eſſe conuincitur. *Secundum conuulſum.* Sicut & ſecundum, ſcilicet conſanguinitas, propter quam hæreditates ad valde remotos tranſire ſolent, & in Maioralibus eſt notiſſimum: cùm ergo ea ratio nimiùm probet, nihil probare concluditur. *Tertium corruere.* Tertium item fundamentum corruit, ſi Pontificum intentio mixtionem ſanguinis tantùm reſpicit, & Meſtiziorum nomen exempli tantùm gratiâ in eorum eſt Bullis expreſſum. *Quartum infirmatũ.* Similiter & quartum, quod ad præcedentia reducitur, de reſpectu ſanguinis mixti, & intentione Pontificum, quæ pro regulâ habenda, quidquid poſtulatio contineat, cui reſpondere ſolet Pontificia deciſio: ratio enim mixtionis huiuſmodi in multis aliis reperitur. *Sicut & quintum.* Quintum inſuper; quia licet vulgus remotiores in gradu pro Indis non habeat, errare in hoc, ſicut in aliis, exiſtimandum eſt, & magno illo argumento mixti ſanguinis corrigendum.

Ex eo quòd ſuperet ſanguis in mixtione, denominatio abſolutè deſummitur in ordine ad priuilegia.

249 Iuxta hæc ergo videtur neceſſariò dicendum non quamcumque mixtionem ſufficere ad hoc vt ex Indico veniens ſanguine nequeat Hiſpani nomine abſolutè gaudere. Si enim ſanguis Hiſpanus ſuperet, talis abſolutè reputatur, vt in filio Hiſpani & Meſtiziæ, & ſic in mixturis aliis. Quemadmodum vinum modicè lymphatum abſolutè dicitur vinum, ſecùs ſi tantumdem ſit aquæ ac vini. Quâ ratione docti Theologi affirmant vinum in calice cum aquâ modicâ conſecrationi diſpoſitum, in Chriſti ſanguinem immediatè cum aquâ ſimul conuerti; quia totum illud abſolutè dici poteſt vinum ſecundùm receptiſſimum loquendi morem. Pro quo P. Ægidius *de Sacramentis, quæſt.74. in Dubio circa Articulum* 8. & alij, quos adducit P. Martin. *Tomo 4. Diſputat. 29. num.56.* Et licet hoc non admittat Auctor iſte cum aliis multis: nihilominus ex illius doctrinâ præſens poſitio firmatur: ait enim *num.61.* formam conſecrationis Calicis, cùm dicitur, *Hic eſt*, non totum contentum, ſed vinum tantùm deſignare ex inſtitutione Chriſti, quia in illo vinum præcipuum eſt, ex quo denominatio ſumitur. Idem ergo eſt in caſu noſtro dicendum: quod ſcilicet denominatio ſit à præcipuo deſumenda. Sic & aqua abſolutè calida dicitur, in quâ calor excellit, licèt non ſit ſummus, & ita cum admixtione frigiditatis; ſicut & frigida, cùm frigus eſt maius: & idem eſt in temperamento aliarum qualitatum, ſicut & in rebus aliis, quorum obuia exempla ſuccurrunt.

Priuilegia juxta propriam vocum ſignificationem.

250 Non ergo ita fauores in priuilegiis ampliandi, vt voces extra propriam & abſolutam ſignificationem abducantur. Priuilegij enim verba ſunt attendenda. Cap. *Porrò*, & Cap. *Recepi-*

ſicationem exponenda.

mus, de priuilegiis. Et quæcumque illa ſint, ſtrictè interpretanda, habetur in *Cap.* 1. cum ſequenti, de filiis Presbyterorum. Cap. *Ex tuarum* de vſu Pallij. Cap. *Quamuis*, de reſcriptis. Pro quo videri poteſt Marius Antoninus *Lib.* 1. *Variarum Reſolut.* 11. *numer.* 6. Verba Capitis *Porrò* non prætermittenda: ſic enim ibi Pontifex: *Quod totum ex inſpectione priuilegiorum pleniùs aduertere potes, & ſecundùm quod inueneris, ita obſerues. Sic enim eos volumus priuilegiorum ſuorum ſeruare tenorem, quòd eorum metas transgredi minimè videantur.* Sic ibi. Item, Beneficium Principis latè interpretandum eſt, vt plures Textus & Doctores firmant: id tamen intelligendum quando eſt præter ius, non verò ſi contra illud: tunc enim ſtrictè interpretandum eſſe communiſſima ſententia tenet; quam ſequitur P. Thomas Sancius *Lib.* 8. *de Matrimonio Diſputat.* 1. *num.* 4. vbi complures adducit, & mirum valde eſt P. Quintanam *Singulari.* 7. *citato. num.* 8. ad fundandam ſententiam illam, pro quâ militat vt probabilem euincat, P. Sancium afferre *loco citato*; quaſi abſolutè ſtatuat beneficium Principis non eſſe ſtrictè interpretandum. Licet ibi id aſſerat de beneficio præter ius; oppoſitum tamen affirmans & probans de beneficio contra ius. Nam in caſu noſtro priuilegium non eſt præter ius, ſed contra illud, vt eſt manifeſtum, quandoquidem iuxta ius commune eſt obſeruantia Feſtorum & ieiuniorum, Matrimonij impedimenta, & alia, de quibus *inferiùs.*

Cap. Porrò, de priuilegijs.

Priuilegia contra ius non eſſe latè interpretanda

Bulla pro Quarterone eadem qua pro Hiſpano.

251 Vt ergo quod ad præſentem cauſſam ſpectat concludamus, pro Quarterone, & vltrà, Bullam ſumens, eleëmoſynam pro Hiſpanis deſignatam debet contribuere, quia abſolutè Hiſpani ſunt, vt benè obſeruat Card. Lugo *ſupra. n.* 5. vnde ad munia omnia & officia admittuntur, quę conferri Hiſpanis conſueuerunt: quod eſt aliud pro ſententiâ nuper poſitâ argumentum. Quòd ſi aliquis probabilem iudicans oppoſitam, taxam minorem offerat, periculo ſe fruſtrandi piam contributionem exponit. Vbi dubitari poteſt an talis Bulla ſaltem dimidiatè proficiat, E. g. Sit anima per menſem in Purgatorio futura, iuxta id, quod eius peccata merentur; ſi offeratur ſuffragium Bullæ, pro quâ taxa eleëmoſynę deſignata, integrè reddita eſt, ſtatim inde emergens ad Sedes beatas aſcẽdet. Si ergo ex falſâ opinione taxa minor offeratur, exibitne poſt dimidiũ menſem, an verò Bulla nihil ei ad remiſſionem pœnæ deſeruiet? Et quòd dimidiatus Bullæ fructus eſſe poſſit, ex doctrinâ colligitur, quam habet P. Mendus *ſuprà. Cap.* 1. *num.* 2. vbi ait poſſe Bullam ſumi pro pluribus, vel pro omnibus animabus, vt inter eas fructus Indulgentiæ, qui ad vnam liberandã ſufficeret, diuidatur. Sed contrariũ videtur certius: quia fructus diuidi poteſt quãdo pro Bullâ exhibita eſt eleëmoſyna deſignata: quãdo autem non exhibetur, deficit conditio omnino requiſita ſine vllâ limitatione. Quemadmodum in Bullâ pro viuis, ſi quis tribuat eleëmoſynam pro pauperibus aſſignatam, cùm tamen pauper non ſit, nullum poteſt ex eâ fructum reportare, neque dimidiatum, neque partialem, quia conditio requiſita deficit.

Specialis difficultas de dimidiato fructu Bullæ.

Negatur ille in caſu, de quo agitur.

Dubium aliud de duplici dimidiam eleëmoſynã integrante vnam.

252 Sed quid ſi ex falſâ opinione duplex Bulla pro eodem defuncto ſumatur, iuxta conceſſionem Gregorij XIII. cùm anteà vna tantùm ſumi quotannis poſſet: an duplex illa pro vnâ ſufficiet, cùm ex vtraque taxa maior integretur? Reſpondeo idem prorſus dicendum, quia Bullæ illæ non ſumuntur per modum vnius, ſed vt duæ, & pro qualibet taxâ debet deſignata conferri, quod tamen non fit. Melius ergo faciet, qui vnam tantùm Bullam ſumet, taxam maiorem tribuens, in quo dubium eſſe poteſt nullum, quàm duas; opinionem minimè tutam amplexus. Quam etiamſi valdè probabilem dicamus, dubia tamen eſt; & ſi falſa, ſuffragij multiplicati fructus erit nullus, niſi communis eleëmoſynæ, ſi fortè habeat rationem talis.

Aliud circa filium Mulatæ ſeruæ.

253 Sed circa præcipuam reſolutionem videtur eſſe difficultas in prole ancillæ. Nam ſicut Quartero ex Hiſpano & Meſtiziâ Hiſpanus eſt, ita & ex Hiſpano & Mulatâ Hiſpani & Æthiopiſſæ filia. Si autem talis Mulata ſerua ſit, quia ſeruæ filia, illius filius ſimiliter erit ſeruus, quia partus ſequitur ventrem. Ex quo fiet Hiſpanum eſſe Hiſpani ſeruum; quod videtur abſurdum, & à communi loquendi vſu penitus abhorrere. Si autem hic Hiſpanus non eſt, corruit fundamentum de exceſſu in mixtione, de quo. *num.* 249. & idem argumentum fieri poteſt de filio Hiſpani, & Meſtiziæ captiuæ, quæ ſcilicet filia ſit captiuæ Indæ, quales Chilenæ ſunt bello captæ. Ad quam difficultatem dici poteſt, Primò ratione ſtatûs ſeruilis filium prædictum non reputari Hiſpanum, ſed inter gregem illum infimum numerari, quia communis exiſtimatio ita habet. Neque id mirum, cùm iuxta ius commune ſerui habeantur pro nullis *L. Quod attinet, Inſtit. de regulis iuris.* vbi ſic dicitur: *quod attinet ad ius ciuile, ſerui pro nullis habentur: non tamen ex iure naturali: quia quod ad ius naturale attinet, omnes homines æquales ſunt.* Sic ibi. *& L. Seruitutem. Inſtit. eadem* ſic dicitur: *Seruitutem mortalitati ferè comparamus.* Secundò dici poteſt ſeruum dici poſſe Hiſpanum abſolutè, quod neceſſariò fatendum eſt in quartâ, quintâ, & vlterioribus generationibus, ſi quis ſeruæ filius reperiatur, vt reperiri poteſt. Neque eſt vlla repugnantia in eo quòd Hiſpanus ſit ſeruus ratione mixturæ alicuius, cuius oppoſitum minimè probatur: quidquid de iure ciuili dictum ſit: cùm iuxta illud in generationibus ius naturale etiam attendatur, & ita ratio etiam debet attendi mixturæ, licet quoad iura & actiones ſerui pro nullis reputentur. Pro quo hæc ſufficiat delibaſſe.

L. Quod attinet. Inſt. de reg. iuris.

L. Seruitutem. ibid.

Hiſpanus quomodo eſſe Hiſpani ſeruus queat.

APPENDIX.

An Religioſis liceat vſus Bullæ Cruciatæ.

Vbi præſertim de electione Confeſſarij.

§. I.

Vſum eſſe quoad aliqua licitum. Et qualis debeat modus in eleëmoſynæ contributione ſeruari.

Religioſis licere vſum Bullæ.

254 PRimum ex propoſitis eſt indubitatum, nam in Bullâ ipſâ id habetur expreſſum, dum

Digitized by Google

etiamſi ex bonis ſuis non contribuant.

dum Regulares datâ eleëmoſynâ ad illius participationem admittuntur. Videtur autem circa hoc aliqualis eſſe difficultas ex tenore ipſius Bullæ: dicitur enim in illâ eleëmoſynam debere tribui ex propriis bonis, *De bonis ſuis*. Vnde Scriptores communiter obſeruant ex bonis furtiuis non poſſe fieri, quia propria non ſunt. Atqui Religioſi propria non habent bona: non ergo videntur gratiâ iſtâ poſſe frui. Verùm hoc obſtare nequit, quandoquidem de Pontificis mente conſtat. Et ita cùm dicitur *de bonis ſuis*, ita exponendum eſt, vt bona malè acquiſita tantùm excludantur, vel quæ aliena ſint ſine liberi vſûs facultate: id quod magis explicatur in eadem Bullâ, dum dicitur *Ex bonis ſibi à Deo collatis*. Quod enim Religioſo confertur à potente conferri, & Religioſè admittitur, à Deo collatum dici debet.

Circa meretrices quid certius.

Quod tamen dici nequit de bonis meretricum, & aliorum per turpem quæſtum habitorum, & ideò ex illis non poſſe Bullam ſumi tenent Acoſta, Vega, & Nugnus apud P. Mendum *Diſputat.* 4. *num.* 4. licet ipſe contrarium cenſeat ibidem cum Emmanuele Roderico *in Additionibus ad* §. 1. *circa num.* 15. Quod & tuentur Cardinalis Lugo *de Pœnitentia Diſput.* 27. *num.* 87. §. *Vnde obiter.* Diana *Parte* 1. *Tract.* 11. *Reſolut.* 101. Trullench *Lib.* 1. §. 3. *Dub.* 1. *num.* 10. & alij communiter: quod mihi non videtur abſolutè iuxta mentem Pontificum ob prædicta verba. Si enim illa ſpecialem aliquem reſpectum ad turpem acquiſitionem non haberent, quid neceſsè erat nouo eo vti loquendi modo, cùm in præcedentibus vſus verborum illorum extet, *De ſuis bonis*? & ex ſe certè indecentiam videtur habere, vt meretrix in ſtatu eo infami exiſtens, propter quem in Dei & hominum oculis abominabilis eſt, ex turpi quæſtu ab Eccleſiâ beneficium accipiat circa relaxationem ieiunij: vnde & pro aliis ſimiliter pronuntiandum.

Omnino veroſimilis reſolutio

Poteſt autem id veroſimiliter admitti, quando meretrix ex cœnoſo illo ſtatu conatur emergere, & ſic commodis ſpiritualibus Bullæ frui: ex tunc enim bona meretricio acquiſita commercio poſſunt dici à Deo donari vt media reparationis eius, cùm velit eiſdem vti piè & Chriſtianè: & ſicut poſſet eleëmoſynam præbere pro ſatisfactione peccatorum, ita & pro Cruciatæ fine, vt ſic ſatisfactionem pleniorem aſſequatur. Sed ſeriò de vitæ emendatione agenti expediet viam tutiorem ſequi, & ex bonis ritè acquiſitis Bullam ſumere, quod valde facile eſſe poterit, cùm adeò ſit contributio moderata. Vnde magis inueroſimile eſt, quod aliqui dicunt apud D. Machadum *Tomo* 1. *pag.* 19. *col.* 1. ex furtiuis poſſe Bullam ſumi.

255 Sed illud quæſtionem pulſat, quid à Religioſis faciendum vt eleëmoſyna pro Bullæ conſecutione validè & licitè fieri poſſit: an ſcilicet Prælati licentia neceſſaria ſit, an ſufficiat petita, & non obtenta, vel vtroque deficiente valida receptio ſit; non quidem furtiuè aliquid ex bonis conuentus accipiendo, ſed ab amico, aut alio liberaliter tribuente.

Religioſi nec licita nec valida Bulla ſumptio ſine Prælati licentiâ.

Ad quod reſpondeo neque licitam, neque validam eſſe ſuſceptionem Bullæ contra Prælati expreſſam aut tacitam voluntatem, niſi ille iniuſtè neget. Sic Auctores, quos adducit P. Mendus *ſuprà num.* 17. quos & ipſe ſequitur *num. ſeq.* quidquid dicat Trullench *ſuprà num.* 11. validam receptionem affirmans ſibique contrarius quoad hoc vltimum: cùm §. 1. *Dub.* 7. *num.* 3. dicat poſſe ſine licentiâ eam ſumi, & in hoc conuenire Doctores, quia in Bullâ ipſâ conceditur: quod eſt à veritate alienum. Vnde nec audiendus Iuniparus à Drepano 1. *parte Secundæ Diſputationis*, *Quæſt.* 5. *Cap.* 3. *num.* 3. idem tenens.

Pontificis mens vnde conſtet.

Et ratio eſt: quia Pontifex non intendit ſubordinationem debitam in Religioſis imminui, quam tantopere inuiolabilem deſiderat, vt ex variis decretis circa reformationem elucet: ex nullâ enim Bullæ clauſulâ id poteſt colligi, ſed potiùs oppoſitum: nam de Religioſis ad exercitum pro exercendis Eccleſiaſticis miniſteriis, ituris, ait debere id fieri cum licentiâ Prælatorum: ergo cùm eadem ratio paupertatis ſit, quæ & obedientiæ, id etiam circa eleëmoſynam affirmandum. Et quemadmodum qui contra voluntatem Prælati in exercitum iret, non gauderet beneficio Bullæ, ita & qui eam ſine licentiâ Prælati ſumit. Præterea, ad finem Bullæ non eſt neceſſarium ſine licentiâ Prælatorum procedi: ergo incredibile eſt eamdem abrogatam. Antecedens conſtat: nam Prælatus nequit licentiam negare, niſi ob iuſtam cauſſam: ſi verò cauſſa talis ſit, non eſt iuxta Pontificis mentem talis beneficij conceſſio: pro quo citati. Vix autem apparet ratio, propter quam Prælatus illam negare ſine graui peccato poſſit: quod & citati agnoſcunt, & Iuniparus. *Quæſt.* 1. *num.* 5.

Quæ cauſa eſſe iuſta poſſit negandi illam.

Nihilominus eſſe illa poteſt, ſi quis à Prælato licentiam petat, & pariter pecuniam ex bonis Monaſterij, ſitque illud valde egens, vt vix ad victum neceſſaria ſuppetant: tunc enim iuſtè negare poteſt; ſed non abſolutè, vt ſcilicet à nullo petere poſſit aut oblatam accipere: hoc enim eſt contra Pontificis mentem. Cùm enim velit Religioſos Bullâ frui, ſciatque eos in particulari bona propria non habere; eo ipſo voluntatis ſuæ eſſe oſtendit, vt ſeruatâ regulari diſciplinâ modis conuenientibus eleëmoſynam pro illâ erogandam exquirant.

Quid ſi iuſtè negetur.

Si autem Monaſterium abundans ſit, vnde & Prælati externis frequentes eleëmoſynas largiuntur, videntur peccare grauiter, ſi ſubdito petenti eleëmoſynam pro Bullâ negant: quia in eleëmoſynis Religioſi ipſi ſunt externis præferendi, & iſta ſatis exigua eſt; cùm alias in ordine ab bonum ſpirituale magni momenti ſit. Negatur ergo iniuſtè, & ſic pro conceſſâ habenda: vnde poterit Religioſus clam id ſibi ex pecuniâ aut bonis aliis domus aſſumere, ex quo Bullam conſequatur.

Caſus licentia negationis proponitur, pro quo reſolutio notanda.

256 Poteſt etiam caſus alius occurrere, propter quem videri poſſit licentiam concedere non teneri Prælatum, ſi videlicet intelligat Bullæ vſum apud ſuos vigere in ordine ad electionem Confeſſarij pro reſeruatis. Cùm enim Pontifices talem vſum illicitum proteſtentur, de quo poſteà, videtur rectè etiam poſſe à Prælatis remoueri: & ita etiam id fieri, quod ad prædictum remotionis finem pro tempore neceſſarium iudicarint. Et hoc quidem ego abſolutè loquendo certum iudico, quia id non eſt vſum, ſed abuſum Bullæ tollere, iuxta Pontificum voluntatem. Eſt autem difficilis executio, quia notitia abuſûs iſtius non poteſt haberi niſi ex Confeſſione: quâ tamen notitiâ vti Prælatus nequit, non ſolùm quando ipſe Confeſſionem audiuit, ſed quomo-

quomodocumque ad eum deuenerit, eò quòd generaliter prohibeatur. Deinde. Negatio nullius effectûs erit: licentia enim iniuſtè negata cenſebitur, & ita ad Bullæ ſumptionem procedetur. Præterquam quod in Communitate Religioſa plures ſunt, qui Religioſè viuant, & reſeruata non committant;vel ſi quidquam huiuſmodi humanitus acciderit, ad certa remedia confugiunt. Hi autem propter paucorum abuſum, qui, ſi Bullam ſibi prodeſſe non poſſe exiſtiment, alias exonerandæ conſcientiæ vias inquirent, non debent Bullæ beneficio priuari; cùm eorum conditio non debeat eſſe peior, quàm ſæcularium potentium illo gaudere, nec ſit æquũ aliorum odio prægrauari, vt eſt regula ſatis nota iuris *in 6.* Circa tacitam autem licentiam, aut illius negationes, communes regulæ obſeruandæ ſunt, quas Doctores tradunt de votis obedientiæ & paupertatis agentes, & de Miniſtro Confeſſionis, aliiſque, & res tota ex circumſtantiis pendet prudenter expendendis.

De quodã priuilegio ad eleemoſynam pecuniariam cum Orationibus commutãdam, & Miſſis.

257 Eſſet autem magnum in hoc genere leuamen Religioſorum, ſi priuilegium illud in viridi obſervantiâ verſaretur, quod Corduba in Annotatione ad Compendium. *v. Cruciatâ* §. 5. Patribus Minoribus conceſſum refert, & ex eo Villalobos *Tract.* 27. *Clauſula.* 12. *num.* 30. & ante eum meminit eiuſdem Emmanuel Rodericus *Tomo* 1. *qq. regul. quæſt.* 21. *artic.* 10. à ſe viſum atteſtatus; vt ſcilicet poſſint omnibus frui gratiis ſpiritualibus & corporalibus, quæ ab *Anno.* 1533. conceduntur in quibuſdam Bullis S. Cruciatæ: dummodò pro Bullâ loco eleẽmoſynæ Sacerdotes celebrent duas Miſſas: laici verò dicant ducentos *Pater noſter*, & Ducentas *Aue MARIA*, ſecundùm Pontificis intentionem. Circa quod Trullench *ſuprà. num.* 11. ait ſe haud credere in viridi obſeruantia eſſe, eò quòd videret Religioſos etiam Minores diligenter curare accipere Bullam. Et videtur id certum, tum ex dictorum Religioſorum praxi, tum etiam aliorum, qui priuilegio eodem per communicationem gauderent: nec poterat latere eos, cùm in dicto Compendio extet. Præterquam quòd cùm hoc priuilegium videatur Cruciatæ intentioni contrarium, quatenus ratione illius minor fit pecuniarum collectio, videtur conceſſione ipſâ Bullæ reuocatum, dum Regularibus abſolutè onus contribuendi eleemoſynam à Commiſſario taxatam imponitur, qui eam pro omnibus taxat, etiam pauperrimis, iuxta Pontificis mentem, volentis omnes opus iſtud adeò vtile ad Dei gloriam promouere. Nec latere poterat priuilegium hoc, & communicatio ferè omnium Religionum in illo, ex quo conceſſio Bullæ pro Regularibus in ordine ad intentum dictum ferè inutilis redderetur. Pontifices enim in conceſſione Bullæ Regularium commoda præcipuè non ſpectant; aliàs illam pro omnibus Chriſtiani orbis regionibus conceſſiſſent; cùm tamen conſtet ad pauciores illam pertinere. Si prætereà addamus fuiſſe hoc viuæ vocis oraculum Pauli Tertij, & ita iam reuocatum. Licet P. Quintana *Tomo* 1. *in Appendice Tractatus* 4. *Diſt.* 12. *num.* 8. dicat quoad Indulgentias vim ſuam habere, quæ per reuocationem generalem non cenſentur reuocatæ. Quod quidem eſt ſatis incertum: & licet ob titulum Oraculi reuocata non ſit talis conceſſio; quatenus tamen Indulgentia eſt, à Paulo V. reuocatam non videtur poſſe dubitari, dum Indulgentias Religioſorum ad paucas reduxit, de quo etiam *inferiùs.*

Non habere iam vim multipliciter oſtenditur.

Indulgentia an reuocata reuocatione Oraculorum.

Nouitios licentiâ non egere, & taxâ profeſſorum frui poſſe.

258 Circa Nouitios communis reſolutio eſt poſſe illos vti Bullâ, etiam renitente Prælato, pro quâ aliquos adducit P. Mendus *ſuprà n.* 21. & Trullench *Lib.* 1. §. 1. *Dub.* 7. *num.* 1. eoſdem ſecuti, ex communi doctrinâ, circa quam Nouitij gaudent Religionis priuilegiis, vt adducti ponderant. Sed certè doctrina illa neceſſaria non eſt abſolute loquendo, quia ad gaudendum priuilegio illius non eſt neceſſarium priuilegium nouum, gratia, aut communicatio in illâ, cùm tale beneficium ſit commune omnibus fidelibus in regnis, pro quibus Bulla conceditur. Poteſt autem prædicta deſeruire doctrina in ordine ad taxam eleẽmoſynæ; non enim tenentur maiorem tribuere, quàm à Religioſis communiter poſtulatur. Quoad receptionem autem renitente Prælato, doctrina alia communis ſuffragatur; iuxta quam Nouitij non tenentur ad onera, cenſuras, præcepta & alia, quæ odioſa reputatur: quod & adducti expendunt in propoſito: & eorum plures in ordine ad electionem Confeſſarij pro reſeruatis licentiam non eſſe neceſſariam affirmant, quia onus eſt, & quidem grauiſſimum Religionis. Sed de hoc *inferiùs.* Videtur autem eſſe aliqua difficultas in eo quòd Nouitius gaudeat fauore Religionis in ordine ad Eleẽmoſynam, & non debeat onus licentiæ petendæ ſentire; vbi de abſolutione à reſeruatis non loquimur: nam vt eſt regula 55. iuris in 6. *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum. Et è contrà.* Verùm hæc regula in Nouitiis fallit, ſicut in aliis, de quibus Gloſſa ibi ſcilicet ratione ætatis, perſonæ, & naturæ contractuum, quorum explicationem & exempla ibidem videnda. Dicendum item Nouitium, etſi ſentiat commodum, non eſſe ab oneribus immunem, cùm pondus obſeruantiæ Religioſæ ſuſtineat: quòd autem onera quædam non ſentiat, id non debet eſſe mirum, quia etiam commodis aliis caret, quibus Profeſſi potiuntur, in habitu, tractatione, honoribus, liberiori agendi ratione, aliiſque.

Inſtantia vt ſit licentia neceſſaria ſit ſatis.

§. II.

Quoad Ieiunia quid Religioſis liceat per Bullam.

Sexagenarios poſſe veſci carnibus in diebus ieiunij, qui & qua probent,

259 ID tantùm licet, vt ſexagenarij poſſint ouis & lacticiniis vti. Vbi primò inquiri poteſt an ad hoc ſit opus Bullâ? Et videtur non eſſe: nam ſexagenariis eſt licitus carnis vſus, vt ex Peromato adducit Benedictus Remigius in Practica Parochorum & Confeſſariorum *pag.* 220. qui & *pag.* 221. id non omnino improbabile putat, ex ratione ipſius Peromati, quia ſcilicet ſunt malè ſanis viciniores: & viro in ſuâ arte doctiſſimo credendum eſt. Quod & roborare ex eo poſſumus, quia annus ſexageſimus tertius eſt climactericus, & in quo frequentiùs ſolet vita periclitari: ergo ſexagenarij ſunt viciniores malè ſanis, ſiue proximi periculo amittendæ ſalutis, & ita carnibus vti

Digitized by Google

vti poſſunt, ſicut alij, qui ſimili periculo obnoxij comperiuntur. Præterea, communis opinio ſexagenarios ab onere ieiunij releuat; atqui eadem ratio ſubeſſe videtur ad releuandum eoſdem ab obligatione abſtinentiæ à carnibus: nam propterea prior illa obligatio ceſſat, quia natura in ſtatu debilitatis exiſtit, & ita opus habet per frequentem cibi ſumptionem roborari: cùm ergo caro ad effectum huiuſmodi accommodatior ſit; & ad infirmitatum propulſationem opportunior, videtur clarè conuinci eamdem pro illâ rationem ſuffragari. Item: quidquid præter carnem ſexagenarij comedere poſſunt, alimentum pro illis conueniens non eſt, vt facilè oſtendi poteſt. Legumina debilioris virtutis ſunt: piſces phlegmaticum humorem nutriunt, quo ſenes abundant: lacticinia conditionis ſunt non ſanæ, & ita infirmis prohibentur: oua, etſi recentia congruum alimentum ſint, non recentia tamen ſatis incongruum: eſt autem difficile recentia ſemper præ manibus habere: quòd ſi alicui obuium, ex eo non debet argumentum ſumi, ſed ex eo quod frequentiùs accidit. *L. Nam ad ea. D. de Legibus*: carnes autem ſatis obuiæ ſunt. Quòd ſi illarum vſus ſexagenarijs licitus eſt, etiam ouorum erit & lacticiniorũ, vt communiter Doctores obſeruant, quia multò id minus eſt, & cui licet plus, licet & quod minus eſt, vt eſt regula iuris *in 6.* ſcilicet in eodem genere, vt dictum aliàs.

Qua alimenta ſenibus incongrua.

Probatio alia ex quorumdam ſententia de anno 55. in quo ceſſat ieiunij obligatio.

260 Aliunde etiam id probari poteſt, ex quorumdam ſcilicet ſententia aſſerentium poſt annum quinquageſimum quintum legem ieiunij non obligare, vt teſtatur Victorellus ad *Caput 4. Lib. 6.* ſummæ Cardinalis Toleti *§. Senes.* Et apud Angelum *v. Ieiunium, num. 15.* Iuxta quam doctrinam, quæ non videtur probabilitate carere, eò quòd iam natura in eâ ætate non parum debilitatis contraxerit, cui oporteat per aliquot cibi non exiguas portiones ſubueniri. Iuxta illam inquam ſexagenariis plus eſt aliquid concedendum maiore debilitate laborantibus, & inualetudinis periculo admodùm vicinis, vt paullò ſuperiùs dicebamus. Cùm ergo carnes illis concedendæ non ſint, videtur conſequens vt oua & lacticinia concedantur: non ergo pro eorum vſu neceſſaria erit Bulla.

Sexagenarijs vſum carnium licere non admittenda ſententia.

261 Verùm quod ad ſententiam Doctoris Peromati ſpectat, illa non videtur admittenda, quia contra omnes Doctores militat, & citatus Remigius dum eam non omnino improbabilem reputat, aliquómodo improbabilem eſſe eo ipſo profitetur, qui & nimis laxam eam vocat, & ita addit non eſſe à communi Doctorum ſententiâ recedendum. Licèt ergo Peromatus in ſuâ arte peritiſſimus fuerit, & medicis in arte peritis credendum ſit, vt habetur in Cap. *Significaſti, 2. de homicidio*, & Doctores generaliter notant in aliarum artium peritiâ, pro quo videri poteſt Barboſa in *Collectaneis ad citatum Caput*: non ſpectat tamen ad illos de obligatione, aut obligationis ceſſatione definitiuam ſententiam pronuntiare, quia res hæc ſacra eſt, & ad ſuperiùs tribunal ſpectat: vnde quidquid illi dixerint, ſi Theologorum iudicium ex aduerſo ſtet obligationem legis agnoſcentium, non eſt ab illâ recedendum. Pro quo videri poteſt P. Azor *Tomo 1. lib. 7. cap. 18. §. Quartò quæritur.* Eccleſia enim præcipere aliquid poteſt cum aliquali valetudinis detrimento, vt conſtat ex ieiunio quadrageſimæ. Quis enim dubitet illud tale non eſſe, in quo caro per abſtinentiam atteritur: id quod Eccleſia ipſa, quæ tale præceptum imponit, in diuinis officiis recognoſcit, vt cùm loco quodam ait: *Vt qui per abſtinentiam macerantur in corpore.* Et alibi: *Quæ ſe carnis maceratione caſtigat.* Vnde eſt communis reſolutio Doctorum non quamlibet debilitatem & fatigationem corporis ab obligatione ieiunij excuſare. Pro quo videndus P. Thomas Sancius *Lib. 5. Conciliorum, Cap. 1. dub. 14. num. 1.* Vbi ſic ex omnium ſententia ſcribit: *Non quæcumque infirmitas, aut quicumque dolor capitis excuſat, ſed ſtandum eſt arbitrio boni viri, vel medici.* Sic ille; cùm ergo non quodlibet valetudinis detrimentum à lege ieiunij excuſet, poterit Eccleſia ſexagenarios obligare, etſi ea ſequantur incommoda, quæ *ſuperiùs* ſumus proſecuti, quidquid circa illa Medici iudicarint. Vt autem non ſolùm poſſit, ſed etiam reipſa ita velit, argumentum validiſſimum ex Doctorum omnium atteſtatione deſumitur, contra quos temerarium fuerit opinari, vt eſt communis Theologorum vox.

Peritis in ſuâ arte vt credendum.

Non obſtãte inualetudine aliqua ieiunium ab Eccleſia poſſe præſcribi.

Nõ quamlibet infirmitatẽ excuſare.

P. Thomas Sancius.

Quãmodo leuis cauſſa ſexagenarijs ad eſum carnium ſufficiat.

262 Addit Remigius ſufficere ſexagenario aliqualem cauſſam habere, ad concedendum illi carnium eſum: ſicut timorati omnes, & bonæ conſcientiæ viri hactenus cenſuêre. Et hoc quidem ille abſolutè profert, etiamſi talis Bullam non ſumat. Ex quo habenti Bullam cauſſam leuiorem ſufficere; aliàs illa nihil concedet. Et quidem cum in aliis eximios quoſdam fauores Bulla contineat; non eſt credendum circa hoc, ſpeciale nihil indulgere. Pro iis autem qui in Indiis degunt, minor adhuc cauſſa eſt ſufficiens, quia alimenta debiliora ſunt, & conſequenter natura debilior, vnde faciliùs cum talibus poteſt diſpenſari. Et diſpenſatio quidem ad Prælatum non ſpectat, ſed ad Confeſſarium poſt conſultationem Medici: ſic enim Bulla præſcribit. Sufficiet autem Medicum damnum imminens atteſtari: quod ſi graue ſit, certum eſt diſpenſatione opus non eſſe: poterit autem eſſe neceſſitas Prælatum adeundi, vt ſciat quid Medicus dixerit, ne, ſi eo inſcio fiat, contra ſubditum ſic operantem indignetur. Si autem damnum leue eſſe dicat, & ſuo iudicio non ſufficiens ad eſum carnium, nihilominùs Confeſſarius diſpenſare poterit, quia ad talem diſpenſationem leuis, vt diximus, cauſſa ſufficit, quæ ſcilicet aliàs ſufficiens non eſſet: vnde ſeruatur quod Pontifex iubet; Medici inquam corporalis & ſpiritualis Concilium adhiberi.

Diſpenſationem ad Confeſſarium, & nõ ad Prælatum pertinere.

Sententiâ de habentibus 55. annos reprobata, generaliter loquendo.

263 Iuxta quæ conſtat ſexagenarios non eſſe ob præfatum titulum à lege prohibente ouorum & lacticiniorum vſum exemptos. Idem autem eſſe non obſtante fundamento alio de exemptione ob ætatem 55. annorum, ex dictis etiam colligi poteſt; quia nullus Doctor eos propter ſenectutem etiam procedentem vſque ad ſexageſimum excuſat, & Eccleſia poteſt eos, niſi ſpecialem aliquam debilitatem ſentiant, ad abſtinentiam dictam obligare, ſicut circa eſum carnium. Opinio autem de excuſatione quinquagenarij cum auctario quinque annorum, abſolutè loquendo non eſt admittenda, quia eam Doctores communiter reprobant, & qui plus fauent, non parùm ſe præ-

Digitized by Google

In multis admittitur etiam minoris ætatis, quia ætas ſenectutis non eſt determinata.

ſe præſtitiſſe exiſtimant, ſi ſexagenarios eſſe excuſandos euincant, quod negant plurimi. Eſt autem valde probabile in multis ex quinquagenariis dictis obligationem ceſſare ieiunij, quia ſenectus feſtinauit in illis, debilitate virium, & incommodis aliis ſenum propriis depreheuſâ. Quod obſeruat P. Sancius *ſuprà Dub.* 4. *num.* 3. idque ex multorum Doctorum, quos *num.* 2. adduxerat, doctrinâ deducit, aſſerentium ab Eccleſiâ non eſſe determinatum tempus ſenectutis, in quo ceſſet obligatio ieiunij; ſicut neque ex naturâ rei eſt determinata ſenectutis ætas. Pro quo & Thomas à Iesv in *Expoſitione Regulæ Carmelitarum, Parte* 3. *cap.* 8. *dub.* 4. Ex quo fit non ſolùm quinquagenarios cum additamento quinquennij, ſed & minoris ætatis, ab obligatione dictâ immunes habendos, quia in illis adproperauit ſenectus, cuius indicia, præter debilitatem, ſunt nimia canities, dentium ac molarium defectus, in ſomnia pituitæ copia, quòd lumen oculorum eorum & ipſum non ſit cum eis, vt dolebat Vates, &c.

Illius ſigna.

Annũ ſexageſimum ſufficere eſſe inchoatũ.

264 Stante ergo obligatione dictâ abſolutè loquendo, inquiri ſecundò poteſt an ad gaudendum priuilegio Bullæ in eſu ouorum & lacticiniorum debeant anni ſexaginta eſſe completi, vel ſufficiat eſſe inchoatos. Et videtur ſatis probabile inchoatos ſufficere; quia cùm lex numerum annorum in fauorabilibus præſcribit, ſufficit vltimum eſſe inchoatum. *L. Quâ ætate. D. de teſtamentis*, niſi contrarium exprimat, vt exprimit Concilium Tridentinum, cùm de profeſſione Religioſa loquitur *Seſſione* 25. *de Regularibus, cap.* 15. non tamen in ætate ad Ordines ſacros, vnde vſu receptum eſt vt annus vltimus inchoatus ſufficiat. Pro quo Doctores, quos adducit Barboſa circa *Cap.* 12. *Seſſionis* 23. Cùm etiam ſexagenarius non eum tantùm ſignificet, qui ſexaginta annos habet, ſed qui ſexageſimum ingreſſus eſt. Currens enim annus cum omni proprietate ſexageſimus dicitur, ſicut & alij currentes; aliàs non eſſet conueniens ille ſignificandi modus, cùm nequeant numero anni præcedentis deſignari. Et ſicut annus, ante quem alius non eſt, primus dicitur, etiamſi completus non ſit, vnde Pontifices dicunt, *Pontificatûs noſtri anno primo*; ita eſt de ſequentibus dicendum. Sicut ergo annus ſexageſimus dicitur, ita & ab eo ſexagenarius poteſt quis appellari. Vnde ſapienter Caietanus. *V. Ieiunium*, ait. excuſari ſexagenarium, ſeu ſexaginta annorum. Vbi ſexagenarium vocat eum, qui ſexageſimum agit: ſexaginta autem annorum illum, qui compleuit. Et eſt iuxta regulam aliquorum, quos adducit Silueſter. *V. Ætas. num.* 4. dicentium, cùm annus explicatur per genitiuum, illius complementum deſignari: & ita tenet P. Mendus *Diſput.* 18. *num.* 10. Eſt autem hoc priuilegium ab eo independens, quod in ſexagenariis quamplurium ſententia Doctorum agnoſcit, vt non teneantur ieiunare; quam robuſtè confirmat P. Sancius *Lib.* 7. *de Matrimonio Diſput.* 32. *num.* 17. *& dubio* 4. *citato, num.* 6. vbi & pro eadem Doctores adducit. Pro quâ etiam aliis citatis militat Diana *Parte* 1. *Tractat.* 9. *Reſolut.* 20. Trullench *Lib.* 1. §. 4. *dub.* 4. *num.* 4. adducens Nauarrum, & P. Leſſium *Lib.* 4. *Cap.* 2. *num.* 41. Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 60. aliis adductis. Remigius *Pag.* 217. *num.* 1. Baſſæus *V. Ieiunium* 2. *num.* 6. §. *Proinde*, tamquàm pro maximè probabili, ſicut & alij apud ipſum. Eſt inquam independens, quia licet ſententia dicta vera non ſit, & quis contrariam teneat, poteſt priuilegio Bullæ vti, non quidem lege ieiunij ſolutus, ſed illud eſu ouorum ac lacticiniorum peragens.

Nomen ſexagenarij inchoatum deſignare.

Sexagenarios à lege ieiunij excuſatos, cũ quo ſtat Bullæ conceſſio.

Moniales quinquagenariæ ſimili priuilegio gaudent.

P. Sancius.

265 Moniales etiam eodem beneficio gaudent: ſed quia eſt opinio, iuxta quam illæ, ſi quinquagenariæ ſint, à ieiunij obligatione eximuntur, quam tenet P. Sancius *Dub.* 4. *citato num.* 6. vbi ſic abſolutè pronuntiat: *Et ideò fœminæ quinquagenariæ deobligantur à ieiunio*: licèt *citatâ Diſput.* 32. *in fine*, eam non eſſe in praxi tutam affirmet. Naldus *V. Ieiunium num.* 2. Narbona, Zoëſius, Machadus, & P. Pellizarius, quos adducit Diana *Parte* 9. *Tractat.* 7. *Reſolut.* 73. qui ait ſe eam non audere tamquam improbabilem damnare, quam & non improbabilem affirmat Trullench *ſuprà*. Quia inquam talis opinio probabilis extat, vnde eam vt talem ex Dianâ proponit P. Buſenbaum in *Medulla Theologiæ moralis, lib.* 3. *tractat.* 6. *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 2. Dubitari poteſt an in eâ ætate Bullæ beneficio gaudeant, ſicut viri in ſexagennali. Et videtur ſanè probabile; probarique poteſt ex eo quod plures ex citatis Doctoribus adducunt, ad probandum ſexagenarios lege ieiunij non teneri, priuilegium Bullæ pro ipſis in ordine ad oua & lacticinia: *Quaſi conſentaneum naturæ ſit, vt in eâ ætate defectui naturæ conſulant*, vt poſt alios loquitur Diana *Reſolut.* 20. *citatâ*. Ergo cùm in eâ conceſſione Moniales etiam comprehendantur, vt eſt innegabile, & ratio eadem militet in illis, ſi quinquagenariæ ſint, videtur ſatis veroſimile ad illas tale beneficium extendi. Item, iuxta dicta *num.* 250. beneficium Principis latè interpretandum eſt, quando non eſt contra ius: atqui in præſenti ita accidere oſtendi ex eo poteſt, quia licet priuilegium edendi oua & lacticinia contra ius ſit, in eo tamen quòd quinquagenariæ fœminæ viri ſexagenariis exequentur propter rationem eamdem in ipſis repertam, & fortaſſis in illis maiorem, ob conditionem ſexùs notabiliter debiliorem, nihil ſpeciale contra ius ſit, ſicut nihil ſpeciale ſit in viris præter communem diſpenſationem. Ex quo fundamento exiſtimare aliquis poſſet eos, qui ante annum ſexageſimum ſeneſcunt, iuxta dicta *num.* 263. priuilegio Bullæ gaudere, quia ſexagenarij ſunt, non formaliter ſed æquiualenter: & ſexagennalis annorum numerus valde materialiter ſe habet in ordine ad Pontificum intentionem, qui naturæ intendunt debilitati conſulere in eâ ætate frequentiùs occurrente. Sufficere autem in fœminis quinquageſimum annum inceptum affirmat Narbona apud Dianam *Reſol.* 73. *citatâ*. Sicut & alij de ſexagenariis apud eumdem, & etiam apud P. Buſenbaum *ſuprà*. Et non ſolùm obligationem Eccleſiaſtici ieiunij ceſſare, ſed etiam Religioſi ex præcepto, atque etiam ex voto, niſi poſt eam ætatem facto, aut cum expreſſâ illam comprehendendi voluntate emiſſo, tenet P. Pellizarius *Tractatu de Monialibus, cap.* 6. *num.* 25. & ante illum P. Sancius *Lib.* 4. *operis moralis, cap.* 11. *num.* 54. & 55. Licèt autem ex beneficio Bullæ id tantùm liceat quod diximus, illud priuilegia alia non excludit, quale eſt Religioni equeſtri

Diana.

Seneſcentes ante 60. gaudere aliorum priuilegio.

In fœminis 50. inchoatos ſufficere.

Etiam in ieiunijs ex voto, aut præcepto ſimiliter philoſophandum.

Digitized by Google

Priuilegiũ aliud ſimile Ordini S. Iacobi conceſſum. equeſtri D.Iacobi à Leone X. conceſſum, & nuper impreſſum Matriti iuſſu Ordinis eiuſdem, vt ſcilicet *en los dias quadrageſimales, y otros del año, en que ſe prohibe comer carne, manteca, ſueuos, y lacticinios, por derecho, ò coſtumbre, ò por regla, ò eſtatuto de la dicha Orden, ò en otra qualquiera manera, podais libre y licitamente comer dicha manteca, ſueuos, y lacticinios, y carne, con conſulta de ambos Medicos, temporal y eſpiritual.* Cuius cõmunicatio latiſſimè patet, ſicut & alia *ibidem*, iuxta quã Confeſſarij *podran commutar en otras obras de piedad, los votos, ayunos, y quales quiera otros preceptos*: quinque tamen ordinariò excipiuntur. Non videtur autem certum prædictam Bullam modò vim ſuam retinere, quia ex eo fieret Religioſis non eſſe Cruciatam neceſſariam; quia omnia ferè in illâ conceſſa, vigore dictæ Bullæ licent, etiam quoad electionem Confeſſarij, qui abſoluat à reſeruatis etiam Sedi Apoſtolicæ, nonnullis demptis. Communicatio enim ad omnes ferè Religiones extenditur. Vnde & Bulla Cruciata de Equeſtribus Ordinibus mentionem ſpecialem facit. Videantur dicta *num.* 257. & clauſula illa Bullæ eiuſdem: *Excepto las concedidas à los ſuperiores de las Ordines Mendicantes para con ſus Frayles*, de quâ etiam *num.* 274. præter illas gratiæ aliæ omnes reuocantur; quia verò probabile eſt idem eſſe de Ordinibus dicendum, qui priuilegium communicationis cum Mendicantibus habent, videant Iacobitæ an ex illis ſint, & tunc ſuâ Bullâ, niſi S. Cruciatæ Tribunal obſtiterit, perfruantur. Vide *num.* 286. *& ſeqq.*

De illius vigore præſenti dubitatur.

§. III.

An vſus Bullæ quoad jeiunia, & alia poſſit à Prælatis limitari.

Aſſertio 1. ſuperiores non poſſe vſum Cruciatæ limitare.

266 DIco primò. Generaliter loquendo id fieri nequit; quia ſi par in parem non habet poteſtatem, multò id potiùs de inferiore dicendum, vt eſt omnium comperta doctrina vnde ſi Commiſſarius etiam ſubdelegatus tale quid nouerit, Prælatum huiuſmodi poterit dignâ animaduerſione ferire. De quo P. Mendus *Diſp.* 4. *n.* 21. Quidquid cum Villalobos dicat Diana *Parte* 1. *tract.* 11. *Reſol.* 99.

Aſſertio 2. poſſe ex priuilegio.

Dico ſecundò. Ratione alicuius priuilegij poteſt facultas prohibitionis haberi. Id clarum; quia cùm totum Cruciatæ negotium à Pontificis voluntate dependeat, poteſt illud pro libitu diſpenſare.

Aſſertio 3. neque tale priuilegiũ dari poſſe, ex ſuppoſitione conceſſionis Cruciatæ.

267 Dico tertiò. Nulla extare in Prælatis poteſtas poteſt, ratione cuius valeat Bullæ vſus impediri, neque à Pontifice concedi ſuppoſitâ facultate illam accipiendi, vt modò conceditur. Quod probo: nam aliàs Pontifex ſibi eſſet contrarius, dum quod vnâ concedit viâ, aliâ impediri permittit. Eſſet etiam contractus claudicans ex parte illius, dum eleẽmoſynam petit & accipit ab eo, qui ſub ſpe conceſſionis attribuit; & eam quam promittit gratiam, non plenè largitur, quandoquidem ad eam impediendam aliunde tribuit facultatem. Si dicas promittere, ſed cum ſubordinatione conuenienti erga Prælatos, quod ipſi recipientes agnoſcunt, & ita iniuriam illis non fieri, quæ ſcienti & volenti non fit, vt eſt vulgaris iuris regula. Contrà eſt; quia id nequit admitti: accipientes enim Bullam non ita intelligunt, ſed potiùs oppoſitum, & in Bullâ limitatio talis non eſt: neque eſſet qui illam ſumeret, ſi tale ſibi quidquam perſuaderet.

Aſſertio 4. ſine graui peccato limitari non poſſe, etiam poſito priuilegio.

268 Dico quartò. Si à Pontifice concedatur facultas limitandi gratias Bullæ, peccabit grauiter Prælatus, qui id ſine graui cauſſâ faciet: Probatur; quia valde irrationabile eſt vt beneficio Principis defraudetur quis, pro quo præſertim pactum præceſſit, ex inordinatâ inferioris cuiuſlibet voluntate. Id quod reſpectu Pontificis maximè locum habet, negotium agentis ſalutis animarum. Vnde circa hoc dicendum, quod circa Bullæ ſumptionem diximus *num.* 255. vſum ſcilicet eſſe licitum, non obſtante prohibitione, quia nullius illa roboris eſt.

Aſſertio 5. In quibus ratio eſſe congrua limitationis nequeat.

Dico quintò. Aliqua ſunt, circa quæ non poteſt rationabilis cauſſa prohibitionis inueniri. Hoc patet in Indulgentiis per Bullam conceſſis. Quæ enim ratio adduci queat ad eas prohibendas, ex quibus eximium adeò lucrum animarum reſultat, & ex quibus nihil ſequi poteſt, quod aliquatenus poſſit Regulari obſeruantiæ contraire? Et ex hac regula ſunt alia menſuranda: ſi enim Regulari diſciplinę non aduerſentur, eorum nequit vſus prohiberi.

Aſſertio 6. quæ obligatio Prælatis ſit, circa cibos ſexagenarijs prouidẽdos, quando illos vllo modo nequeãt prohibere.

269 Dico ſextò. Circa ouorum & lacticiniorum priuilegium poteſt prohibitio verſari, non directè, ſed per accidens, ſiue per ſubſtractionem materiæ, quatenus Prælatus non tenetur ſpecialia alimenta priuilegio gaudentibus prouidere, cùm ad communem tantùm victum pro iis, qui ægroti non ſunt, videatur obligatus. Quod quidem intelligendum eſt quando domus bonis caret ad huiuſmodi ciborum differentias, aut ſine alio notabili incommodo id fieri nequit. Si autem non ita egeat, & incommodum non eſt notabile, debet priuilegio gaudentibus condeſcendere, idque ſub mortali; quia Pontifex illis priuilegium concedit, quo vti queant ſecundùm obſeruantiam regularem, ita vt non debeant pro comparandis ouis & lacticiniis pecunias quærere, & eas Prælatis offerre, aut ipſi emere, & paranda curare domi, vel apud ſæculares: quæ quidem Religioſam non decent grauitatem. Res autem hæc non debet iudicari leuis, cùm circa id verſetur quod ſub mortali prohibetur, iuxta receptam, communique vſu firmatam ſententiam; & licet prohibitio ſub veniali tantùm obliget; non ideò Prælati obligatio leuis cenſenda eſt; quia eo ipſo quòd talis ſit, maius ius eſt ſexagenariis ad vſum talem, & ita maior eſt obligatio eiſdem prouidendi.

Aſſertio 7. ſpecialis facultas ad limitandã Cruciatã à Gregor. XIII. conceſſa Societati.

270 Dico ſeptimò. Quod ad factum attinet, Gregorius XIII. in Bullâ *Ann.* 1575. *die* 3. *Maij*, quæ incipit: *Decet Romanum*, & varia continet indulta pro Societate noſtrâ, ſic poſt alia loquitur: *Ne quis autem Apoſtolicorum indultorum prætextu regularem ac exemplarem inſtituti prædictæ Societatis diſciplinam, quam modis omnibus retineri & conſeruari volumus, diſſoluere aut relaxare præſumat, non eſſe, nec fore vnquam mentis noſtræ, aut Sedis Apoſtolicæ, vt perſonæ Societatis abſque expreſſâ ſuperiorum eiuſdem Societatis licentiâ, vtantur facultatibus, quæ in Iubilæis, Bullis Cruciatæ, Confeſſionalibus, aut alijs quibuſlibet Apoſtolicis indultis, ſiue Communitatibus,*

Digitized by Google

ſiue priuatis perſonis, ſiue piis locis, aut quomodocumque aliter hactenus conceſſa ſunt, aut in poſterùm concedentur, etiamſi in illis expreſsè indulgeatur, vt omnes Regulares, etiam Mendicantes, huiuſmodi facultatibus vti poſſunt. Sic ille. Ex quo videtur apertè ſequi poſſe Superiorem Societatis Bullæ vſum prohibere tantùm in his, quæ regularem diſciplinam videntur relaxare, ſecus in aliis, de quibus dictum *Aſſertione* 5. ad quæ etiam ſpectat, quod *Aſſertione præcedenti* diximus: vſus enim ouorum & lacticiniorum in Sexagenariis nequaquam Religioſam diſciplinam diſſoluit aut relaxat, ſed valde illi conformis eſt, cùm ad charitatem Superiorum ſpectet Senum curam ſpecialem gerere, quod diuinis & humanis legibus admonemur. Et videri pro eo poteſt Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 5. *numer.* 60. & ſic alia, quæ in Bullâ Cruciatæ occurrunt, præter electionem Confeſſarij, de quâ *infrà*.

Quid prohibere poſſint illius Superiores.

271 Pro ampliori autem Indulti præfati declaratione extat eiuſdem Pontificis Oraculum, de quo in *Compendio Societatis. V. Gratiarum vſus.* §. 2. vbi ſic dicitur: *Declarauit prætereà poſſe Superiorem, dum huiuſmodi licentiam concedit, limitare eam ad vſum vnius, aut alterius facultatis, & prohibere vſum reliquarum, etiam eadem Bullâ aut Indulto contentarum.* Sic illic. Sed cùm Oraculum hoc viuæ vocis fuerit, poterit illi reuocatio generalis Oraculorum obſtare; nihilominus ſine illo ſtat, quod in eodem expreſsè continetur. Nam ipſe in Bullâ citatâ affirmat nullius gratiæ vſum in Societate licere, ſi Religioſæ obſeruantiæ aduerſari queat, ſine expreſſâ licentiâ Superiorum: ergo poſſunt illi, quas aduerſari rati fuerint, prohibere, & aliarum vſum liberum relinquere, quia ex qua parte non aduerſatur, non eſt cur nequeat vſus non licere. Neque enim priuilegium adinſtar ſententiæ eſt, quæ nequit pro parte admitti, & pro parte reſpui, per Textus & Doctores, quos adducit Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 22. *num.* 19. Sed cùm ſit gratia, admitti ſanè pro eâ parte poteſt, & pro aliâ non probari, quia gratia eſſe deſinit, & oneris habet rationem. Vnde Pontifices multi Bullam concedentes, & decernentes Regularibus eam eſſe communem, electionem Confeſſarij non eſſe licitam ſine Superiorum facultate quoad reſeruata pronuntiarunt: profitentes planè poſſe gratiam in ordine ad quædam admitti, & in ordine ad alia recuſari: ergo etiam non extante Oraculo prædicto, id, quod intendimus, ſtabit.

Declaratio eiuſdem Pontificis circa ſuum Indultum.

Sine eâ ſtare priuilegium eiuſdem poſſe.

Quod poteſt ex parte admitti, & ex parte recuſari.

272 An autem Ordines alij ſimile aliquod priuilegium habeant, ipſi viderint; præfato equidem gaudere poterunt Mendicantes, & alij, qui gratiam communicationis habent. Neque ſuſpicandum eſt priuilegium dictum à Pontificibus Gregorij ſucceſſoribus, qui Bullam conceſſerunt, eſſe reuocatum, dum tale quid ab ipſis non inueniatur expreſſum, & ipſe Gregorius non fore Sedis Apoſtolicæ intentionem talem apertè fateatur. Licet enim ille ſucceſſoribus manus ligare non potuerit, quominùs circa hoc pro arbitrio diſponere valeant: dum tamen contrariam diſpoſitionem non proferunt, ſtandum eſt priori tanti Pontificis deciſioni: aliàs verba illa nullius eſſent effectus, & inutiliter prorſus adiecta, quod conſtat dici non poſſe niſi ab eo, qui reuerentiam Apoſtolicis ſtatutis debitam penitus ignorarit. Ex quo fit neque à Commiſſario poſſe tale indultum ſuſpendi, quia ad hoc conceditur, vt non poſſit impediri, cùm verſetur circa Bullam ipſam. Et ab eiuſdem Gregorij Commiſſario planum eſt non potuiſſe ſuſpendi: atqui omnes alij aliorum Pontificum non maiori circa hoc gaudent poteſtate, quandoquidem non alia eſt eorumdem Pontificum mens, ex verbis Gregorij conſtat, dum id non exprimunt: ergo neque ſuſpendi ab illis poteſt. Præterquam quòd gratiæ à Commiſſario ſuſpenſæ reualidantur acceptione Bullæ: ergo ea à Religioſis ſumpta, Prælatorum poteſtas vim ſuam reſumit: & certè ſi Prælatus Bullam ſumat, id erit apertius. Cùm aliàs ex ipſius Bullæ tenore conſtet non ſuſpendi gratias & facultates Superioribus Ordinum Mendicantium conceſſas in ordine ad ſuos Fratres: ex quibus vnam hanc, de quâ loquimur, eſſe liquet. Et pro ſuſpenſione dictâ ſit iam

Præfato priuilegio Religiones gaudere, quod reuocatum non eſt.

Neque à Commiſſario poteſt reuocari.

§. IV.

Bulla an ſit Religioſis neceſſaria ad Indulgentias lucrandas & gratiarum aliarum fruitionem.

273 IN primis certum eſt Bullam neceſſariam eſſe ad earum Indulgentiarum lucrum, & gratiarum vſum, quæ per Bullam ipſam conceduntur: idque ex Bullæ ipſius textu habetur manifeſtum, dum in ea dicitur: *Y por por quanto vos. N. diſtes la Limoſna, que auemos taſada y declarado, y recebiſtes eſta dicha Bulla eſcrito en ella vueſtro nombre, declaramos, que aueis conſeguido, y ſe os conceden las dichas Indulgentias, gracias, y facultades* &c. Quod quidem circa Religioſos ita intelligendum eſt, vt ſi aliàs gratiam aliquam ſimile habeant, quæ ad ſæculares non ſpectet, de quo *inferiùs*, Bulla pro eius vſu non ſit ipſis neceſſaria. Sic enim Religioſi viſitantes Eccleſias ſuas, & in eis pro exaltatione S. Matris Eccleſiæ orantes, pro extirpatione hæreſum, Principum Chriſtianorum concordiâ, ac ſalute Pontificis, in diebus Stationum, Indulgentias omnes lucrantur, quæ Romæ intra & extra muros poſſunt obtineri: conceſſione Pauli V. qui Indulgentias Religioſorum ad certum cenſuit numerum reducendas. Per Bullam autem ſimilis conceſſio habetur, & conceditur viſitantibus quinque Eccleſias, aut quinque altaria in vnâ, aut pluribus, & pro concordiâ Chriſtianorum Principum, ac victoriâ contra infideles orantibus. Vide tamen *infrà. num.* 282.

De quibus certum Indulgentiis.

Bullæ tenor.

274 Deinde. Verba Pontificum præmittenda ſunt, ex quibus fauor Religioſis in hac parte exhibitus poſſit intelligi, & circa illorum tenorem dubia quædam occurrentia pariter expediri. Sic ergo aiunt illi, *Item Prædicto Commiſſario, & Receptori generali datur facultas, vt ſuſpendere poſſit dicto anno durante, omnes ſimiles & diſſimiles Indulgentias, & facultates ab eiſdem, & Sede Apoſtolicâ, vel eius auctoritate, quibuſuis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, piis locis, Vniuerſitatibus, Confraternitatibus, & ſingularibus perſonis &c. conceſſas. Ita*

Facultas ſuſpendendi gratias Commiſſario conceſſa.

Tenor ſuſpenſionis.

vt

Digitized by Google

vt neque interim publicari poſſint, neque publicatæ cuiuis hominum communiter, vel diuiſim ſuffragentur: exceptis tamen conceſſis Ordinum Mendicantium Superioribus quoad eorum Fratres tantùm. Item. Dicto Commiſſario etiam conceditur facultas, vt ipſe per ſe, vel alium, ſeu alios, quando, & quoties ſibi videbitur, Indulgentias, & alias gratias per eum ſuſpenſas, in fauorem illorum, qui præſentium gratiarum in hanc ſanctam pro Religionis defenſione conceſſarum participes effecti fuerint, reualidare abſque aliquo præmio poſſit. Sic Pontifices; iuxta quorum conceſſionem Commiſſarius, cùm publicatur Bulla, durante prædicationis tempore, prædicta omnia ſuſpendit, & Bullæ ſolà acceptione reualidat, vt illis vti particulares perſonæ poſſint: alia autem quæ perſonalia non ſunt, eatenus currere permittit, quatenus iiſdem fruituri Bullam habeant, vt Iubilæa, ſtationes, & ſimilia, pro quorum reualidatione nihil accipitur, iuxta Pontificiam determinationem: licet Notariis ſtipendium aliquod dari ſoleat ab iis, qui reualidationis teſtimonium accipiunt, quamuis multoties neceſſarium non ſit, & vna Commiſſarij Rubrica ſufficiat, & fortè neque iſtâ opus ſit. Vnde animaduertendum, cauendumque, ne in negotio hoc, in quo locum eſſe quæſtui Pontifices nolunt, immò & ab eo abhorrent, aliquid huiuſmodi miſceatur. Scio nonnumquàm Iubilæa aliqua non publicari, ne ſumptus fiat ſemper oneroſus in eo, quod gratuitum eſſe decernit benignitas largientis. Quomodo autem licere poſſit, oſtendit P. Quintanadueñas in *Appendice Tract. 2. Dub. 5.* In ſuſpenſione autem dictâ eamdem exceptionem Mendicantium Ordinum Commiſſarius adhibet, quam Pontifices præmiſerunt & ita circa illam difficultates quædam diſſoluendæ, ſi fortè pro iis poſſit lux ſufficiens inueniri.

Gratiarū reualidatio quomodo fiat.

Notariis quod datur ſcrupuloſius attendendum.

DIFFICVLTAS I.

Quid nomine Indulgentiarum, Gratiarum, & facultatum intelligatur in prædicta exceptione pro Ordinibus Mendicantibus.

Ubi de forma abſolutionis per Bullam.

Indulgentia quid.

275 INdulgentiæ notio ſatis perſpicua eſt ex communi & recepto vocis vſu; eſt enim remiſſio pœnæ peccatis debitæ, extra Sacramentum per applicationem theſauri Eccleſiæ, ſatisfactionum, inquam Chriſti quæ infiniti valoris eſt, & Sanctorum, quas quidem obtulerunt ipſi, ſed pro eorum peccatis ſuperabundantes fuerunt; vnde ex menſurâ ita coagitatâ & ſupereffluente multum eſt relictum, quod in acceptatione Dei theſaurizatum prodeſſe aliis poteſt, quorum defectus eorum compenſatione ſuppletur. Vide bonam explicationem apud Trullench *Lib. 1. §. 1. Dub. 14.* ex bonis Auctoribus deductam, & præ aliis ex P. Suario *Tomo 4. in 3. Diſput. 49. Sect. 1.* Vbi illud quod dicitur *Extra Sacramentū*, difficultatem videtur habere. Nam licet communiter ita fiat, non tamen omnino neceſſarium apparet: quia concedi Indulgentia plenaria poteſt confitenti ſua peccata: quamuis enim hoc fieri generaliter nequeat, aliàs vſus pœnitentiarum Sacramentalium penitus tolleretur, in quo grauiſſimum eſſet animarum detrimentum, tum ob earum vtilitatem, tum ob peccandi licentiam, quę inde reſultaret. Quod tamen aliquando concedatur, vt in horâ mortis, propter rationem aliquam ſpecialem, non videtur repugnare: immò in vſu habetur pro Religioſis morti proximis, & aliis imagines aut grana benedicta habentibus. Vbi licet dici poſſit Indulgentiam tunc non eſſe virtute Sacramenti, ſed Confeſſarium eius virtute eam pœnam remittere; quæ iuxta inſtitutionem Chriſti Sacramento reſpondet: à Pontifice autem ſimul fieri applicationem ex theſauro Eccleſiæ: id non videtur ſatisfacere; quia nec videtur repugnare vt à Pontifice concedatur Sacerdoti poteſtas plenariè abſoluendi, aut etiam non plenariè: in quo euentu virtute abſolutionis Sacramentalis fit remiſſio ex intentione ipſius, vnde Indulgentia etiam Sacramentalis eſt.

Difficultas ex eo quòd dicatur extra Sacramentū concedi.

276 Ad hoc dici poteſt conceſſionem Indulgentiæ dictæ non repugnare, & verbis abſolutionis poſſe concedi: nihilominùs extra Sacramentum dici, quatenus non fit virtute Sacramenti, ſed illi contingenter adiungitur: abſolutio enim talis pœnitentis, iuxta diſpoſitionem eius omnino eadem ſtare poſſet, & verè ſtaret, etiamſi nulla exiſteret Indulgentia. Quòd autem ex intentione eius extendatur ad pleniorem pœnæ remiſſionem, contingens eſt, quia eiſdem verbis poteſt applicare, quod ex theſauro Eccleſiæ Pontifex applicandum relinquit, & abſolutionis nomine ſignificari poteſt in forma cõſuetâ, licet illa ad peccata, & non ad pœnas expreſsè dirigatur. Vide P. Suarium *Tomo 4. cit. Diſp. 10. Sect. 2. num. 7.* P. Henriquez *Lib. 4. Cap. 11. num. 3.* & Remigium *pag. 283 Col. 2.* Sicut dicunt plures etiam ex Confeſſarij intentione extendi poſſe ad excommunicationem, quod & frequenter accidit, dum quis excommunicati confeſſionem audit, & oblitus eius abſoluit à peccatis: tunc enim ex intentione præcedenti abſoluendi, ad excommunicationem forma abſolutionis extenditur: quia vult hìc & nunc verè abſoluere à peccatis, & conſequenter impedimentum abſolutionis tollere, quod excommunicatio apponit, & vt demus poſſe abſolutionem à peccatis ſtare, manente excommunicatione, vt aliqui cenſent; eſt tamen illud illicitum; & qui abſoluit, excommunicationis oblitus, nihil facere intendit, quod ex ſe licitum non ſit. Pro quo benè arguit Cardinalis Lugo *Diſp. 16. de Pœnitentia num. 624.*

Expedita illa, cum notanda doctrina.

277 Et hoc modo intelligenda eſt forma abſolutionis, quæ in Bullâ apponitur: remiſſio enim pœnæ intra eamdem includitur, cuius ſumma eſt: *Abſoluo te ab omnibus cenſuris, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, & ab omnibus peccatis, & concedo tibi Indulgentiam plenariam, & remiſſionem plenam omnium peccatorum tuorum, & pœnarum, quas propter illa in Purgatorio pati obligatus eras, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Licet enim forma abſolutionis dicatur, & ita videatur omnino Sacramentalis, non tamen ita accipienda eſt, ſed iuxta datam explicationem. In quâ illud difficile quomodo poſt Indulgentiæ plenariæ conceſſionem,

Forma abſolutionis Bullæ quomodo intelligenda.

Specialis difficultas circa illā.

Digitized by Google

nem, per quam omne illud habetur, quod beneficio Bullæ obtineri poteſt, remiſſio peccatorum & pœnarum ſequitur: præcedit enim abſolutio à cenſuris, deinde à peccatis, & quia per illam non omnis pœna remittitur, additur Indulgentia plenaria; quæ non ad peccata, ſed ad pœnas pertinet peccatorum; ergo ſtare nequit vlterior peccatorum remiſſio, ſicut nec pœnarum, quæ ſubditur, cùm iam per Indulgentiam plenariam remiſſæ præmittantur. Ad quod dici poteſt ea, quæ de remiſſione peccatorum, & pœnarum adduntur, tantùm eſſe prioris beneficij explicationem; quia enim non omnes capiunt verbum iſtud, quid ſcilicet Indulgentia plenaria ſit, & quid operetur ſimul cum remiſſione peccatorum, vtrumque additur cum maiori expreſſione; non quòd puræ declarationis rationem habeat, cùm addatur verbum *Otorgar*; ſed quod factum iam virtute abſolutionis, & conceſſionis Indulgentiæ, ratum habeatur. Vnde & additur. *In nomine Patris &c.* Quæ verba non ad ſolam declarationem referenda ſunt, ſed ad beneficij auctorem præcipuum. Et quidem verba illa poſterioris remiſſionis peccatorum poſſent conuenienter tolli; neque enim de remiſſione pœnæ accipi poſſunt, cùm de illâ ſtatim, vt de re omnino diuerſâ ſubiiciatur: *& pœnarum, quæ propter illa &c.* Propter breuiſſimam etiam diſtantiam abſolutionis & Indulgentiæ poteſt verbum *Otorgo*, ad illam referri, vt etiam dicatur fieri, quod immediatè ante factum eſt, & quodammodo pertinet ad illud: vt cùm quis donationem facit inter viuos, quibus verbis illa perficitur, & nihilominus alia adduntur, quibus illa ampliùs declaratur, omnia ad illam cenſentur ſpectare; quod & in teſtamento accidit, eo nomine ſatis ſignificato; & tamen addit quis illam eſſe ſuam vltimam voluntatem &c.

Expedita cum obſeruanda doctrina.

Dubium emergens ex verbis, In nomine Patris &c. *in fine additis.*

278 Sed ſupereſt adhuc ſcrupulus circa formam prædictam, ex eo quòd in fine illius additur, *In nomine Patris &c.* vſque ad illorum enim verborum prolationem non videtur effectus abſolutionis haberi, ſicut neque eſt abſolutio ipſa perfecta. Vt enim conſtat ex Concilio Tridentino *Seſsione* 14. *Cap.* 3. Forma abſolutionis plus aliquid continet quàm verba illa; *Ego te abſoluo;* cùm ſic definiat: *Docet præterea Sancta Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in quâ præcipuè illius vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſoluo &c.* Illud enim *& cætera* indicat alia eſſe neceſſaria. Quòd autem ſint illa, *In nomine Patris &c.* ex ſequentibus Concilij verbis deducitur, dum ſic ſubdit: *Quibus quidem de Eccleſiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur; ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſaria.* Sic Conſilium. Atqui verba illa *In nomine Patris &c.* non ſunt preces, de quibus Concilium loquitur; vnde plures Doctores obſeruant eſſe verba illa, quæ ante præfatam formam dicuntur, adduntque propterea addi vt impetrent aptam diſpoſitionem, & ne intentione & formâ Miniſter abutatur. Sicut in Miſsâ ante conſecrationem petit Sacerdos oratione id, quod certâ lege effectum habet; vt videri poteſt apud P. Henriquez *ſuprà num.* 7. & apud citatos ab ipſo in *Gloſſa L. T. & V.* Vnde non videtur ſatisfacere quod ait Cardinalis Lugo *ſuprà Diſput.* 13. *num.* 38. verba illa *In nomine Patris &c.* eſſe deprecatoria: licet enim hoc ita ſit, de illis tamen non loquitur Concilium iuxta citatos Doctores, neque ſecundùm communem exiſtimationem Miniſtrorum huius Sacramenti pro precibus habentur, ſed proteſtationis ſunt auctoris præcipui, cuius virtute perficitur Sacramentum: vnde incertum eſt an rationem habeant precum, cùm tamen Conſilium de certis precibus ſit locutum. Et ita, proteſtationem talem ſub formâ verborum prædictâ eſſe de ſubſtantiâ Sacramenti tenent Durandus, Maior, & Petrus Sotus apud P. Suarium *ſuprà Diſput.* 19. *Sect.* 1. *n.* 19.

Sacramenti Pœnitentiæ forma ex Concilio Trident.

Verba prædicta an veniant nomine precum.

Dubij præcipui reſolutio, iuxta duas contrarias opiniones.

279 De hoc dictum à me *Tomo* 2. *Theologicorum Problematum*, & quòd ſententia dicta ſit probabilis negare non poſſum, quia & bonos habet Auctores, & fundamenta non leuia, licet oppoſita ſit communior, & pro ſe agmen habeat Auctorũ. Si iuxta eam loquamur, dicendũ verba illa eſſe de neceſſitate adminiſtrationis Sacramenti licitè conferendi, non tamen validè: & Conciliũ de priori neceſſitate locutum, vt ex eiuſdem verbis colligi poſſe videtur, dum de precibus ait ad ipſius formæ eſſentiam minimè pertinere, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem: ſunt ergo aliqua verba, quæ ad eſſentiam formæ ſpectant, & alia quæ ad illius adminiſtrationem neceſſaria ſunt. Si ergo Sanctiſſimæ Trinitatis expreſſio ad eſſentiam non ſpectat, dicendum eſt ad Sacramenti adminiſtrationem eſſe neceſſariam ex Eccleſiæ præcepto. Illud ergo *& cetera* hoc indicat, & ſatis eſt vt ad formam dicantur talia verba ſpectare, & nomine formæ comprehendi; ſicut de formâ conſecrationis Calicis communiter dicunt Theologi; & in conſecratione Hoſtiæ particula *Enim* de eſſentia non eſt, ſicut aliæ in aliorum Sacramentorum formis; & tamen omnes nomine formæ deſignantur. Iuxta contrariam autem ſententiam viâ eſt contrariâ procedendum, dicendumque vſque ad prolationem dictorum verborum non eſſe formam perfectam; nec tamen ex eo ſequitur Indulgentiam haberi virtute Sacramenti, licet intra formam ipſam videatur contineri; quia id per accidens ſe habet, nec propriè pars formæ eſt, ſed cum adiunctâ explicatione. Neque eſt contra rationem formæ, in quâ inuocatio SS. Trinitatis de ſubſtantiâ eſt, ſi quidquam inter illa, & ſubſtantialia verba proferatur. Vt ſi quis in formâ Baptiſmi dicat *Ego te baptizo ſeruum Chriſti in nomine Patris &c.* quæ forma abſque dubio eſt valida; cùm tamen verba illa *Seruum Chriſti* ad eam non ſpectantia, miſceantur. Quia verò explicatio talis apparet difficilis, & Theologis non probanda, ideò priori ſententiæ potiùs adhærendum. De quo hæc ſatis.

In formâ quomodo admiſceri aliqua non ſpectantia ad illam poſſint.

Gratiæ nomine quid in Bulla intelligatur.

280 Indulgentiæ ergo explicato nomine, ad Gratiæ nomen veniamus, quod eſt latiſſimæ profectò ſignificationis, & beneficium omne complectitur, ſeu gratuitam conceſſionem. Preſſiùs autem ſumptum vt ab Indulgentiâ diſtinguitur, gratuitam ſignificat conceſſionem Pontificis, aut alterius poteſtatem habentis ab ipſo, ad aliquid, quod per Bullam conceditur, independenter ab illâ ſtare nequit aut ei ſimile, etiam ſpectans ad merum vſum Sacramentorum, propter dicenda

circa

circa facultates. Sic ergo gratia eſt poſſe comedere carnes, oua, lacticinia, & ſagimen, vel non ieiunare in diebus prohibitis: poſſe audire ſacrum tempore Interdicti: poſſe item Euchariſtiam ſumere: quibus ſimilia ſunt poſſe laborare in die feſto: poſſe Officium ſpeciale recitare omiſſo communi: poſſe item illud anteponere aut poſtponere, modo non permiſſo: poſſe vnâ Miſſâ obligationi plurium ſatisfacere, & ſic alia. Pro hoc videri poteſt P. Mendus *Diſput.* 29. *cap.* 5. qui tamen non ita exactè rem explanat, licèt ea, quæ affert, ad præſens poſſint negotium deſeruire.

Facultates quid in tādem.

281 Facultates ſequuntur, & videntur eſſe illæ, ratione quarum aliquid effici poteſt, aliàs non factibile, vt Oratorium habere priuatum, in quo Miſſa celebretur: admittere ad illam aliquos tempore Interdicti: poſſe eligere Confeſſarium ad ſpecialem abſolutionem. Quibus ſimiles ſunt poſſe Miſſam, quæ in loco diſtanti celebratur, adſpicere, & ſic eam audiendi præceptum adimplere: poſſe eligere ſepulturam in loco ſacro, quem maluerit quiſpiam: poſſe laicum decimas exigere: poſſe baptizari domi filios, Principum cùm non ſint: poſſe Capellanum deſignare, qui domeſticos abſoluat, & ſimilia. Et hic explicandi modus iuxta ſubiectam materiam aptior occurrit: licèt P. Quintanad. ex Iuris lexico alium explicationis modum adducat *Tomo* 2. *Tractat.* 5. *ſingul.* 4. *num.* 3. iuxta quem facultas eſt plena poteſtas rerum pro arbitrio gerendarum ſine impedimentis: & iuriſdictionem importat, atque etiam cum licentiâ coincidit, quæ tunc datur, cùm præceptum extat id prohibens, pro quo licentia confertur. Benè tamen admonet omnia hæc, priuilegium, gratia, indultum, facultas, & licentia ſæpè pro eodem vſurpari. Vnde exiſtimare poſſet quis in Bullâ gratiam & facultatem nihil diſtinctum deſignare, ſed maioris explicationis gratiâ iungi ad ſignificanda ea, quæ ſub diuerſis ſolent concedi nominibus, licèt reipſa talia ſint vt ſimilibus poſſent indicari. Sed explicatio noſtra, vt dixi, conuenientior apparet, & præſenti materiæ magis adaptata. Quâ præmiſſa ſit iam

DIFFICVLTAS II.

Quid Religioſis circa Indulgentias liceat ſine Bulla.

Religioſis id licet quoad Indulgentias, quod ante Bullam licebat, perſonalibus exceptis.

282 Dico primò. Religioſi Mendicantes, & qui eorum gaudent priuilegiis, poſſunt ſine Bullâ omnes lucrari Indulgentias, quæ ipſis ſpecialiter conceſſæ à Sede Apoſtolicâ comperiuntur, ſi perſonales non ſint. Sic Nugnus, Emmanuel Rodericus, Ludouicus à Cruce, Villalobos, Diana, & Trullench, quos adducit & ſequitur P. Mendus *Diſput.* 29. *num.* 43. Cardinalis Lugo *Diſput.* 20. *de Pœnitentiâ, num.* 172. P. Suarez *Tomo* 4. *de Religione, Lib.* 2. *Cap.* 16. *num.* 40. *Tract.* 8. P. Quintana *Tomo* 1. *in Appendice, Tractat.* 4. addens Ioannem à Cruce, & dicens eſſe certum *Dub.* 11. *num.* 5. & probatur ex Bullæ ipſius verbis adductis *num.* 274. cùm enim de Indulgentiarum ſuſpenſiuâ facultate præceſſiſſet ſermo, additùr: *Exceptis tamen conceſſis Ordinum Mendicantium ſuperioribus quoad eorum Fratres tantùm.* Vbi cùm conceſſionem prædictam non arctent Pontifices ad ſpeciale aliquid, de quo ſermo præceſſerit, ad omnia præcedentia debet extendi: vbi enim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. *L. de pretijs. D. de public. in rem act.* & ſæpè alibi. Sed quia illæ tantùm gratiæ excipiuntur, quæ ſuperioribus conceſſæ ſunt in ordine ad eorum Fratres tantùm, non deſunt qui cenſeant non poſſe exceptionem dictam ad Indulgentias extendi, quæ ſuperioribus non conceduntur in ordine ad eorum Fratres: neque enim ſuperiores facultatem præbent ſubditis Indulgentias lucrandi: quandoquidem illas etiam ipſis reluctantibus poſſunt obtinere, cùm eiſdem immediatè concedantur. Propter quam rationem ita tenet Acoſta in *Explicat. Bullæ quæſt.* 108. Baſſæus *V. Priuilegium* 3. *num.* 5. *Verſ. Sed petes.* Et eſt illa non leuis, vnde res iſta redditur incerta, licèt illam certam reputet P. Quintana *ſuprà.* Nec conuincit priuilegium Leonis X. pro Minoribus, de quo *num.* 6. cùm recentiores Bullæ aliter proloquantur. Ac propterea Religioſis expediet Bullam ſumere, ne diligentiæ in re momenti tanti fruſtrentur. Poteſt tamen ad rationem dictam reſponderi Indulgentias concedi ſuperioribus quoad eorum Fratres, quia ita frequenter euenit, vt ſuperiores pro illarum conſecutione Romanam Sedem exorent, & ita petentibus conceduntur; non quidem vt eas ipſi ſubditis concedant, ſed quia illis, mediis Superiorum ſupplicationibus, conceduntur. Quòd ſi aliquando ſine illis, ad eos tamen verba præcipuè diriguntur. Quod quidem ſine vllâ improprietate in modo loquendi ſtare poteſt.

Quorundam ſecus ſentientiũ argumentum.

Ex eo aſſertio non penitus certa. unde Bulla neceſſaria.

De perſonalibus probabilitas fundatur.

283 Dixi: *Si perſonales non ſint*, quia tales non videntur exceptæ, vt communiter tenent ſcribentes. Nihilominùs fundari probabiliter poteſt non excipiendas ex regulâ iuris in 6. ſatis celebri. *Oportet beneficium Principis eſſe manſurum:* ergo cùm Pontifex Religioſo Mendicanti Indulgentiam aliquam concedit, non eſt credibile velle ipſum, vt paullò poſt ceſſet Bullæ problicatione. Præterquàm quòd id quod dicitur de conceſſione factâ ſuperioribus, propterea eſt, quia ita frequentius accidit; quod non tollit quin aliquando immediatè Religioni fieri poſſit: vt conſtat ex illuſtri conceſſione Gregorij XIII. *Ann.* 1579. *die* 23. *Decembris*, per quam poſſunt Religioſi Societatis omnes Indulgentias in ſuis Eccleſiis conſequi, quæ in Eccleſiis aliis, aut locis piis, certis diebus, qui eas viſitant, conſequuntur. In illâ enim nulla extat ſuperiorum mentio, ſed conceſſio ad Religioſos ipſos immediatè dirigitur. Incipit: *Cùm, ſicut accepimus.* Quis autem ex adductis Doctoribus contra Acoſtam ſentientibus de prædicta conceſſione dubitauerit, eò quòd ſuperioribus ſpecialiter facta non ſit? Dicendum ergo eſt Pontifices modo prædicto locutos, ordinariam formam concedendi ſpectaſſe, non tamen ad illam diſpoſitionis ſuæ decretum adſtringere voluiſſe: ſed Ordinum Mendicantium præcipuè ſpectaſſe fauorem, vt eorum ſcilicet Indulgentiæ non ceſſent: quod pro certo ſtatuit P. Eſcobar ſtatim citandus *num.* 794. ergo & ſingularium perſonarum, in quibus idem pro fauore tali titulus

tulus deprehenditur, pro quo & rationes ſolent occurrere ſpeciales. Videtur ergo hoc probabile.

De Indulgentijs cõmunibus Mendicantibus & ſecularibus dubia reſolutio.

284 Dico ſecundò. An Indulgentiæ, quæ communes ſunt Religioſis, & ſæcularibus ſub exceptione dictâ comprehendantur, incertum eſt. Comprehendi quidem tenent Ludouicus à Cruce, & Ludouicus Miranda, quos adducit, & videtur ſequi P. Quintana *ſuprà, Dub* 12. *num.* 1. P. Mendus *ſuprà, num.* 60. iunctis iis, quæ habet *num.* 43. *citato*: vnde & videtur ſentire eſſe de mente Auctorum, quos ibidem adducit, & nos *num.* 282. & ratio eſſe poteſt; quia Indulgentiæ tales verè conceduntur Religioſis Mendicantibus: quòd autem & ſæcularibus concedantur, non tollit priorem conceſſionem, loquendo cum omni proprietate. Sicut è conuerſo conceſſio Religioſis facta non impedit quò minùs ſæcularibus facta dici poſſit propriè, licèt cum reſpectu ad Religioſos. Sed contrarium tenet P. Eſcobar in Theologiâ morali *Tractat.* 1. *examine* 17. *Cap.* 4. *§. Legiſlæ. & Tomo* 1. *Moralium Problematum, Lib.* 7. *num.* 796. qui *num. præced.* pro eâdem adduxerat Lópcz, Nauarrum, Acoſtam, Trullench, & Rodriquez. Ratio eſſe poteſt, quam Textus ipſe exhibet, dum in eo dicitur: *Quoad eorum Fratres tantùm.* Quod ſatis videtur eſſe compertum. Quid enim particula illa *Tantùm* operatur? Certè ſi non operatur quòd Religioſis conceſſæ Indulgentiæ quoad alios excipiendæ non ſint, nihil videtur operari. Si dicas ſenſum eſſe vt tantùm excipiantur conceſſæ quoad Fratres, id eſt, quatenus Fratres illis frui poſſunt; id certè verba non exprimunt, & ſenſus non eſt planus & expeditus, cùm oppoſitum verba præferant. Niſi dicatur eſſe gratiam præter ius, & non contra illud, & ita fauorabiliter exponendam conceſſionem, iuxta dicta *num.* 225. & 250. & ea quæ circa Bullam habet Diana *Tomo* 1. *Tractat.* 11. *Reſolut.* 98. Ex quibus apparet rem eſſe dubiam, vnde ad certum Bullæ perfugium accurrendum.

Euaſio fauorabilis.

Nouitios lucrari poſſe illas.

285 Dico tertiò. Nouitij Ordinum Mendicantium lucrari Indulgentias poſſunt, quas Religioſi, qui ſubſtantialia vota iam emiſerunt. Sic P. Mendus *ſuprà, n.* 44. Trullench *Lib.* 1. *§.* 9. *Dub.* 3. *n.* 4. & alij, ex communi doctrinâ de fauorabilibus, quæ ſunt Nouitiis cum verè Religioſis communia: & tenor ipſe Bullæ videtur ſuffragari, dum in eâ dicitur, *quoad eorum Fratres*; Nouitij enim Fratres vocantur: vnde videtur ſcienter & prudenter à nominibus Profeſſorum, aut Religioſorum Pontifices temperaſſe. Si dicas etiam Oblatos, ſeu Donatos vocari Fratres, cùm tamen in conceſſione dictâ excipiendi non ſint, vt apud citatum P. Mendum videri poteſt. Reſpondeo id non eſſe conſtans: & licet in vſu Religioſorum Fratres vocantur, non tamen eo communi nomine, quo appellari Religioſi Ordinum non Clericalium ſolent, & exprimit Commiſſarius in Bullâ Hiſpanâ, dum ait: *En quanto à ſus Frayles.* Et eo quidem etiam Nouitij gaudent, vnde manifeſta eſt inter eos & Oblatos differentia. Et quamuis in aliquibus Religionibus eo communi nomine non vocentur Religioſi, nec dicantur *Fratres, Frayles,* certum eſt, ſi Mendicantes ſint, aut Mendicantium priuilegiis fruantur, exceptione prædictâ comprehenſos. Sic Trullench *ſuprà, num.* 1.

De Oblatis aut Donatis aliam eſſe rationẽ.

Circa Religiones nõ Mendicantes, habentes tamen priuilegiũ communicationis, difficultas expedita primò ſecundum partem affirmatiuã.

286 Dixi autem certum eſſe de Religioſis etiam non Mendicantibus, ſi Mendicantium priuilegiis fruantur, quando communicatio talis eſt, vt in hac peculiari gratiâ nulla poſſit eſſe difficultas ſpecialis. Et eam quidem multi non deprehendunt, ac propterea communicationem ad eam extendi teſtantur, vt videri poteſt apud Dianam *Parte* 1. *Tractat.* 11. *Reſolut.* 89. vbi ita tenet cum Acoſta, & Villalobos, ſicut & P. Quintana *ſuprà dub.* 12. *num.* 8 & P. Mendus *Diſput.* 29. *citatâ, cap.* 7. Quorum ratio eſt; quia communicatio generalis omnes particulares communicationes includit: ergo & iſtam, circa quam communicatio non excluditur, cùm procedit de non Mendicantibus, priuilegio generalis communicationis carentibus; quæ enim illam habent Religiones pro Mendicantibus habentur. Quibus addi poteſt non cenſeri reuocatum priuilegium, quando illud ſtare cum priuilegio alio poteſt, & priuilegij conditio eſt talis, vt nullum afferat præiudicium illo potientibus: ſic enim ſtat quod ex iuris regulâ *ſuperiùs* dicebamus, quòd ſcilicet oporteat beneficium Principis eſſe manſurum. Et quòd in fauorem inclinandum eſt, quando illud non eſt contra ius: id quod circa Bullam faciendum tenent plures, quos adducit & ſequitur Diana *Tractat. citato Reſolut.* 98. Poteſt autem priuilegium exceptionis ſtare cum communicatione Ordinum non Mendicantium in illis, in quibus generalis communicatio non ſubeſt: quia de aliis communicationem non habentibus intelligi poſſunt, qui ſunt, aut eſſe poſſunt.

Negatiuæ fundamenta & auctoritas.

287 Sed his non obſtantibus alij contrarium ſentiunt, vt videri poteſt apud Dianam, & P. Mendum citatos, in quibus ſunt P. Henriquez, Emmanuel Rodericus, & Trullench, qui præter Fr. Emmanuelem, & P. Henriquez adducit Valerium. Et ratio eſt: quia licet Ordines aliqui non Mendicantes generalem communicationem habeant, quoad hanc partem videtur expreſsè reuocata. Si enim exceptos ſic communicantes vellet Pontifex, cùm tot illi ſint, vt vix aliquis non communicans inueniatur, expreſſiſſet ſanè; cùm in eo magni profectò momenti negotium verteretur. Et quod de non Mendicantibus additum eſt, ſtante communicatione dictâ, nullius ferè vtilitatis fuiſſet: cùm ignorare Pontifex nequeat communicationem ferè omnibus Religionibus eſſe communem. In ſumma: Ordines non Mendicantes, etſi in priuilegiis communicent, Mendicantes non ſunt: illis hæc ſpecialis negatur communicationis gratia: ergo ad ipſos nequit extendi. Si Mendicantes eſſe dicas per æquiualentiam, limitatio talis in cauſâ eſt, vt illa ad intentum conceſſionis nullius ſit momenti, quandoquidem eo pacto nulla ferè reſultat ad Catholicam expeditionem vtilitas quod poſtulantis & concedentis intentioni videtur aduerſari: nequit ergo talis modus dicendi ſuſtineri. Sumant ergo inter hæc opinionum incerta non Mendicantes Bullam: ſic enim in tuto conſcientiæ nauiculam collocabunt.

Quid tandem.

Circa Moniales eodem modo

288 Dico quartò. Moniales eodem modo gratiâ exceptionis præfatæ frui poſſunt, quo & viri. Si ex Mendicantibus ſint Ordinibus, eadem certitu-

Digitized by Google

philoſophandum.

dine quâ & viri, de quo dictum *num.* 282. Si ex non Mendicantibus, vt nuper explicatum. Sic communiter tenent Auctores, quos adducit & ſequitur P. Mendus *Diſput.* 29. *Cap.* 8. & præcipuè Trullench *ſuprà. num.* 5. ex quo ille præcipuam vim probationum exprompſit. De quo & videndus P. Quintana *ſuprà Dub.* 12. *num.* 9. & *Tract.* 8. *Cap.* 16. Intelligenda eſt autem Aſſertio de illis, quæ verę Religioſę ſunt, vnde Tertiariæ, quia tales non ſunt, licet quædam vota emittant, fauore dicto non fruuntur: quidquid de nonnullis aſſerat Fr. Emmanuel §. 12 *num.* 8. & videntur probare Trullench *ſuprà. num.* 6. & P. Mendus *num.* 57. non ex eo quòd Religioſę ſint, ſed ratione communicationis. Verùm communicationis titulus incertior hic eſt, quàm in Ordinibus non Mendicantibus communicationem habentibus; quia abſolutè Ordines Mendicantes non ſunt, & etiam non Mendicantes: vnde Bullam ſumant oportet, ſi volunt Tertiarij, & ſimiles, ſecurum hac in parte habere proceſſum. Quoad Nouitias idem quod de viris dictum, aſſerendum.

Tertiariæ excluduntur.

Ad communes omnibus Indulgentias non opus eſſe Bullâ Religioſis, quæ probent.

289 Dico quintò. Ad lucrandas Indulgentias, quæ fidelibus omnibus generaliter conceduntur non videntur Religioſi Bullæ opus habere. Sic Ludouicus à Cruce in Bullam *Diſp.* 1. *Cap.* 9. *Dub.* 1. *num.* 13. quod & fundare ex pluribus adductis conatur P. Quintana in *Appendice citatâ. Dub.* 12. *à num.* 2. & probatur Primò ex tenore Bullæ, iuxta quam ſuſpenſio Commiſſarij procedit: in eâ enim, vt vidimus *num.* 274. ſuſpenduntur Indulgentiæ conceſſæ Eccleſiis, Monaſteriis, Vniuerſitatibus &c. in regnis Hiſpaniæ, & aliis, in quibus poteſt publicari: ergo non comprehenduntur Indulgentiæ omnibus fidelibus conceſſæ. Secundò, quia Bulla pro dictis regnis conceſſa rationem gratiæ inſignis habet: ergo ratione eius non debent fideles, & multò potiùs Religioſi regnorum talium, peioris conditionis eſſe aliis, ad quos Bullæ gratia minimè propagatur; aliàs gratia in præiudicium verteretur, contra iuris diſpoſitiones diuerſis in locis, & certam regulam *in 6. Quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum.* Tertiò, ex Pontificis reſponſo, de quo teſtimonium perhibent grauiſſimi Recentiores, vt affirmat Ludouicus à Cruce *ſuprà. num.* 14. Sic enim ſcripſit Cardinalis Paciecus Archiepiſcopus Burgenſis ex Vrbe affirmans, non eſſe voluntatis Summi Pontificis reuocare vel ſuſpendere per Bullam dictas Indulgentias.

cap. Quod ob gratiam.

Quæ contrarium oſtendant.

290 Quæ quidem veroſimiliter dicta ſunt; ſed ſanè non conuincunt. Ad Primum enim dici poteſt Pontificem Commiſſario concedere facultatem ſuſpendendi Indulgentias ſimiles iis, quæ in Bullâ conceduntur: cùm ergo prædictæ ſimiles ſint, ſuſpendi poſſunt: vel ſi diſſimiles velit quiſpiam, etiam pro illis facultas ſuffragatur. Suſpendi autem illas praxis oſtendit, dum in earum trãſumptis ſubſcribitur eas lucraturos Bullam Cruciatæ habituros. Ad Secundum, nimiùm probare; aliàs nullius gratiæ ſuſpenſio eſſet admittenda, quia ex eo Bullæ beneficium redditur oneroſum, & gratia in diſpendium retorquetur. Sed certè non ſic accidit, ſed vna gratia ſuſpenditur, vt pro opere eleëmoſynæ redeat illa, & cum illâ plures alię affatim ampliores. Et pro eleëmoſyna quidem rarus erit qui careat facultate: cuius incommodum ingenti aliorum commodo, & publicæ vtilitati non debet præiudicium generare. Quamquàm & dici poſſit abſolutè inualidos ad eleëmoſynæ largitionem communi Indulgentiarum fructu non priuari. Sic enim tenent multi, vt videri poteſt apud P. Quintanam *ſuprà. num.* 3. Ad Tertium, de tali reſponſo non plenè conſtare, & vt Pontifex tunc viuens ita cenſuerit; de aliorum mente non ſimili, notitiam non haberi, & ita praxi ſtandum, de quâ dictum. Non ergo firmum habent Religioſi præſidium hac in cauſſâ, cùm Indulgentiæ tales ipſis non concedantur ſub eâ formâ, quæ in Bullâ exprimitur, Superioribus inquam quoad Fratres.

Summè pauperibus non ceſſare Indulgentias.

Indulgentia pro ſæcularibus tantùm conceſſæ ſuſpenduntur.

291 Dico Sextò. Si quæ ſunt Indulgentiæ, quas Religioſi ſolis ſæcularibus concedere poſſunt, per Cruciatam ſuſpenduntur, vt patet ex tenore Bullæ, & ſuſpenſionis: *Quoad eorum Fratres tantùm.* Sed quia hæc Indulgentia non eſt, ſed gratia, de illâ dicendum §. *ſequenti.*

Circa Altare priuilegiatum diuerſitas ſententiarum. Et fauentium fundamenta.

Dico ſeptimò. Si in Eccleſiâ Regularium ſit altare priuilegiatum, in quo ſcilicet qui celebrat Religioſus, animam è Purgatorio liberare poteſt, incertum eſt an Bullâ indigeat, & ita circa hoc diuerſimodè loquuntur Auctores. Aliqui generaliter dicunt gratiam huiuſmodi non ſuſpendi, ſicut neque aliæ pro defunctis conceſſæ ſuſpenduntur Sic Trullench cum aliis. §. *citato. Dub.* 4. P. Quintana in *Appendice Tract.* 1. *Dub.* 15. *num.* 7. & 8. Lezana *Tomo* 3. *v. Altare. num.* 16. Diana mutans ſententiam *Parte* 9. *Tract.* 2. *Reſolut.* 22. Quorum fundamentum eſt. *Primò.* Quia gratiæ ſuſpenduntur, quæ & reualidantur pro iis, qui Bullam accipiunt: reualidatio autem pro viuis eſt, & non pro Defunctis. *Secundò.* Quia Indulgentiæ tales non ſuſpenduntur per Iubilæum Anni Sancti; & tamen ſuſpenſio eſt generalis. *Tertiò.* Quia tantùm ſuſpenduntur ea, quæ, ſi non ſuſpenderentur, tam pium opus impediretur, vt ex verbis ſuſpenſionis ipſius conſtat: quod tamen reſpectu Indulgentiæ huius non accidit, cùm fideles, etiamſi non ſuſpendantur, eodem modo Bullam ſint accepturi, cùm pro ipſis adeò ingentes vtilitates eius beneficio conſtet aduenire. *Quartò.* Quia Indulgentiæ tales ſub nullo clauſulæ ſuſpenſiuæ verbo continentur, vt patet diſcurrenti per ſingula; neque animæ Purgatorij ſunt perſonæ ſecundùm communem compellationem, ſicut neque ſecundùm exactam Philoſophiam. Quibus addi poteſt de Pontificum pietate non poſſe præſumi, vt conceſſione Bullæ animas Purgatorij velint conceſſis aliàs beneficiis ſpoliare. Quòd ſi fauores ampliandi ſunt, iuxta ſæpiùs dicta, hic maximè id locum videtur habere, circa quod Chriſtiana pietas adeò eſt ſolicita, & Pontificum benignitas eluceſcit; vnde in omnibus Canonicis Horis aliquod pro illis ſuffragium admiſcetur. In caſu autem quòd altaris priuilegium ceſſet, ait Trullench Bullam requiri in celebrante, & non in ſtipendium tribuente.

Negatiuã qui tenent, & qualiter probent.

292 Contrarium aliqui abſolutè tenent, & P. Eſcobar. *Examine* 17. *num.* 130. §. *Suſpenditur* id procul dubio ita eſſe pronuntiat. Quod & tenent Emmanuel Rodericus, Villalobos, Moure, quos adducit & ſequitur Diana *Tract.* 11. *citato.*

tato. Reſolut. 86. Qui in Additionibus *Reſolut.* 22. æquè probabile iudicat oppoſitum, & tandem id quod vidimus *num. præced.* determinat. Ludouicus à Cruce *ſuprà. Dub.* 2. *num.* 11. P. Mendus *Diſput.* 29. *Cap.* 4. & alij. Quorum ratio eſt: quia in ſuſpenſione à Commiſſario factâ iuxta Pontificiam conceſſionem exprimuntur Eccleſiæ, Monaſteria, & pia loca: priuilegium autem altaris, Eccleſiæ, Monaſterij, aut pij eſt loci, cùm ſit pars eius, & parua Eccleſia. Quibus addi poteſt dubium non eſſe Indulgentias pro Defunctis ſuſpendi conuenienter poſſe, ſicut conuenienter ad certum tempus conceduntur, quo elapſo ceſſant; vnde & concedi ſub quibuſdam conditionibus ſolent, præſertim quæ ad altaria priuilegiata ſpectant: ergo quemadmodum ſi inter conditiones dictas Bullæ acceptio poneretur, nihil in tali conceſſione abſurdum appareret, ſimiliter in ſuſpenſione dicendum, quæ ad magnum ordinatur Eccleſiæ bonum, & reualidari facili negotio poteſt. Pro Religioſis autem ratio eſt non ſemel inculcata ex Bullæ verbis deſumpta; quòd ſcilicet Indulgentia hæc non ſit conceſſa Superioribus quoad eorum Fratres, vbi de viuis eſt ſermo, qui ad ſolos Ordines Mendicantes ſpectant: mortui enim iam Ordinum Mẽdicantium non ſunt, nec eorum res agunt Superiores.

Mediam viam qui amplectantur.

293 Sunt tamen quidam, qui mediâ gradiuntur viâ, dicentes Religioſum celebrantem pro anima Religioſi non indigere Bullâ, ſecus autem ſi pro animâ ſæcularis. Et vt conſequenter hæc ſententia procedat, non de animâ cuiuſlibet Religioſi debet procedere, ſed eius, qui viuus poſſet ſine Bulla Indulgentias obtinere in eadem Religione, Fratrum nomine comprehenſus. Ita Trullench *ſuprà. Cap.* 3. *num.* 10. ſine diſtinctione tamen vlla inter Religioſos & minimè ſibi conſonus, vt patet ex dictis. *num.* 291. & ratio eſſe poteſt iam indicata, quia nomine Fratrum venire poſſunt & viui & Defuncti, & ita verè dicere poſſumus multos Fratres Ordinis SS. Dominici & Franciſci eſſe in cœlo. S. Agatha ſororem ſuam vocauit S. Luciam, S. Baſiliſcus Fratrem D. Ioannem Chryſoſtomum; & quod plus eſt, Chriſtus poſt reſurrectionem Fratres vocauit Apoſtolos *Ioan.* 20. *v.* 17. *Vado ad Fratres meos &c.* Cùm ergo ſæcularis defunctus frater nõ ſit, quia nec viuus id habuit, non videtur pro eo locum habere Indulgentia, niſi & ipſe Bullam habuerit, & tempus publicationis duret: non quòd virtute illius liberari à pœnis queat, quia fuit Bulla viuorum, ſed quia viuens abſtulit impedimentum ſumptione Bullæ, quod obſtare poſſet, ne pro ſe defuncto Religioſus poſſet Indulgentiam applicare. Certiùs autem hoc obtinebitur, ſi Religioſus Bullam ſumat, tunc enim nihil obſtat ſæcularis liberationi.

P. Mendum non benè Trullench ſententiam impugnare.

294 Et ſententiam quidem Trullench impugnat P. Mendus *ſuprà. num.* 71. illudque contra illam inconueniens obiicit, dici etiam poſſe Regularem non valere Indulgentiam vllam ex conceſſis ſuo Ordini lucrari, applicando illam pro animâ Defuncti ſæcularis, niſi Bullam acceperit; quod inauditum eſt, nec videtur probabile. Sed meminiſſe eum oportuit ſententiam, quæ aſſerit Religioſorum Indulgentias ſuſpendi per Bullæ publicationem, de quâ diximus. *num.* 282. eſſe probabilem, nec leue ipſius fundamentum in ſuſpenſionis forma contineri: vnde & non eſſe inauditum conſtat. Si autem loquatur ſuppoſitâ communi ſententiâ, iuxta quam Bulla non eſt ad lucrandas Indulgentias neceſſaria in Religioſis Mendicantibus, in huiuſmodi quæſtionibus conditionalibus magna latitudo eſt, & dum fundamentum non leue apparet, non eſt præcipiti cenſurâ hic aut aliter ſentiens feriendus. Fundamentum autem pro ſententia dicta eſſe poteſt, quod iam vidimus, Indulgentias ſcilicet pro Fratribus tantùm concedi. Video reſponderi poſſe concedi quidem pro Fratribus, ſed non vt neceſſariò debeant illas pro Fratribus applicare. Quæ reſponſio eſt optima: ſed reſponſiones etiam congruas habent argumenta probabilium opinionum; aliàs opiniones non eſſent, ſed demonſtrationes. Cùm ergo res iſta adeò incerta ſit, acceptione Bullæ ſecuritas conquirenda.

DIFFICVLTAS III.

Circa Indulgentias in Bullâ conceſſas viſitantibus quinque Eccleſias, aut altaria, & ibidem orantibus, iuxta formam in Bulla præſcriptam.

295 Dico primò. Etſi Indulgentia, quam Bulla concedit, magnæ æſtimationis ſit, cùm ſit plenaria, iuxta communem ſententiam; immò & multas plenarias continens, de quo *inferiùs*, & pro quo Trullench *Lib.* 1. §. 6. *Dub.* 1. *num.* 5. Religioſi tamen facilius poſſunt eamdem conſequi, quia ſic omnibus eſt à Paulo V. in Indulgentiarum reductione conceſſum: ita enim habet ſeptima in ordine: *Iidem Religioſi intra clauſtra viuentes, qui ſuam Eccleſiam deuotè viſitauerint, &c; vt præfertur, orauerint, conſequentur eaſdem Indulgentias, quas viſitando Eccleſias Vrbis, & extra eam, diebus Stationum conſequuntur in omnibus diebus: perinde ac ſi ipſas Vrbis Eccleſias viſitaſſent.* Sic Pontifex. Quod autem ait, *Vt præfertur orauerint*, iuxta tenorem tertiæ Indulgentiæ accipiendum, in qua orandum decernitur *pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione.* Cùm ergo pro Indulgentia iſta non quinque Eccleſiarum, aut altarium, ſed ſolius Eccleſiæ Religioſorum viſitatio requiratur, illius profectò eſt conſecutio facilior. Et præstereà eſt illa, attentâ cauſſæ grauitate, certiſſima. Fundatur enim in mundi abrenuntiatione, ac Religioſæ vitæ profeſſione, in qua eſt heroicorum operum concatenatio mirabilis, nihil vt præter Martyrium maius illis eſſe poſſit.

Religioſi Indulgentiâ gaudent ſimili ei, quæ in Bulla conceditur viſitantibus Eccleſias, aut altaria.

296 Eſt autem circa illam eadem, quæ circa Indulgentiam Cruciatæ, difficultas, an ſcilicet quotidie obtineri poſſit. Et quotidianam eſſe nonnulli exiſtimant, quod facilè deuoti arripiũt, fauente atteſtatione Commiſſarij, poſt Summarium Indulgentiarum, quæ certis diebus obtineri poſſunt; ſic enim ſubdit: *Todos los demas dias del año ſe ganan las Indulgencias, que en Roma, por auer cada dia Eſtacion en ella.* Sed oppoſitum mihi certum

Quotidianam eſſe quæ, & quæ eorum rationes probent.

certum eſt, & id conuincunt rationes, quas adducit Trullench *ſuprà, num.* 7. & tenet etiam P. Mendus *Diſput.* 20. *cap.* 3. qui ad Commiſſarij atteſtationem reſpondent, loqui illum de Indulgentiis non plenariis. Iuxta omnes ergo quotidie Indulgentiæ obtineri queunt, ſed non plenariæ: vnde viſitatio Eccleſię aut altarium proderit quotidie frequentata. Sed certè clauſula dicta Commiſſarij iam non apponitur, & ita ex eo argui poteſt pro contraria poſitione: ſublata enim eſt, quia pro illâ ſolidum non extabat fundamentum. Habet autem conceſſio Religioſis facta maius probabilitatis pondus quoad hanc partem, quàm habeat conceſſio Cruciatæ. Nam in iſta deſignantur dies certi ſtationum, non ita in illâ: vnde ſi quotidie ſtationes ſunt, aut pluribus certè diebus, quàm ij ſunt, qui deſignantur in Bullâ; certius eſt Religioſis in hoc ampliùs indulgeri.

Contrariũ ſimilius prorſus vero in Cruciata Indulgentiâ.

Non ſic in Religioſis conceſſâ.

Non eſſe plenariam Cruciatæ quorumdã ſententia.

297 Similiter dubitari circa vtramque poteſt an ſit plenaria: & non eſſe plenariam, quæ in Cruciata conceditur, tenent Sorbus, Ludouicus à Cruce, & P. Henriquez apud Trullench *ſuprà num.* 5. quia in Bullâ originali non exprimitur Indulgentia plenaria: & quando non exprimitur, non venit generali illa collectione, propter ſpecialem difficultatem, quæ eſſe ſolet in plenariæ Indulgentiæ conceſſione, vt ait P. Suarius *Tomo* 4. *in* 3. *p. Diſput.* 52. *ſect.* 8. *num.* 12. cum præfatis ſenciens, & eum citans Iulius Lauorius *de Indulgentiis pag.* 204. *n.* 125. ſicut & P. Granadus *Tomo* 2. *in* 3. *p. Controu.* 12. *Tractat.* 6. *Diſput.* 2. *num.* 4. & 7. P. Quintana *in Appendice, Tract.* 6. *Dub. vltim. n.* 5. adducens Nauarrum, Alfonſum à Leone, & P. Ildefonſum Rodericum. Contrarium tamen tenent Fr. Emmanuel, Ludouicus Lopez, Villalobos, Garnica, Diana eos adducens *Parte* 5. *Tractat.* 12. *Reſolut.* 2. Machadus, Leander, Baſilius Legionenſis, citati cum aliis à P. Mendo *Diſput.* 20. *num.* 1. quos & ipſe ſequitur, ſicut & Trullench *ſuprà.* Ratio videtur aperta: nam in diebus ſtationum verę ſunt Indulgentiæ plenariæ pro viſitantibus vrbis Eccleſias: atqui Pontifex eaſdem concedit in adductis conceſſionibus, & in Bullâ Cruciatæ terminos diſtributiuos addit, dicens: *Omnes & ſinguli*: ergo non videtur de eo poſſe dubitari. Licèt autem in conceſſione pro Religioſis non inueniantur præfati termini, ſunt tamen æquiualentes, dum dicitur, *conſequuntur eaſdem Indulgentias.* Quod verificari nequit, ſi tantùm partialem aliquam conſequantur. Pro Cruciatâ autem habetur inſuper Commiſſarij auctoritas, qui ita planè fatetur in ſummario Indulgentiarum, plenariam Indulgentiam pro omnibus diebus ſtationum proponens. Quod quidem non videtur vti temerè appoſitum reprehendi poſſe, niſi à temerè prolocuto.

Contrariũ plures amplexi, pro quo & ratio aperta.

Et Commiſſarij auctoritas.

298 Illud veroſimiliùs dici poteſt, Commiſſarium opinionem probabilem hac in parte ſecutum; ſicut ſecuti, qui ſtationes pro omnibus anni diebus aſſignarunt. Verùm ſicut hoc; quia incertum, ſublatum eſt, ita & prius illud ſublatum pariter fuiſſet. Credendum ergo eſt de mente conſtare Pontificum ipſis, ne abſurdum ſequatur in materiâ adeò graui minimè tolerandum, vt ſcilicet pro certis incerta venditentur. Quibus non obſtantibus, cùm tot Doctorum ex aduerſo conſiſtat auctoritas, res non habetur penitus exploratа, & pro ita ſentientibus inſtari poteſt ex conceſſione alia, quæ in Bullâ habetur, in quâ ſic dicitur: *Item erogantes prædicti, qui diebus ieiunio non ſuppoſitis, ad implorandum diuinum auxilium pro vnione & victoria prædictis, voluntarium ieiunium, vel, ſi ieiunare legitimè impediti fuerint, aliud opus pium, arbitrio eorum Confeſſoris, vel Parochi aſſumpſerint; & ſimul preces ad Deum pro vnione & victoria prædictis fuderint, toties quoties id fecerint, dicto anno durante, quindecim annos, & totidem quadragenas, de iniunctis eis, & quomodolibet debitis pœnitentijs, miſericorditer in Domino relaxantur: & inſuper omnium precum, eleëmoſynarum, peregrinationum, etiam Ieroſolymitanæ, & aliorum omnium operum, quæ in vniuerſali Militante Eccleſia, & ſingulis eius membris fiunt, participes redduntur.* Sic Pontifices: ex quibus apparet ieiunio cum precibus, quod ſanè opus maioris laboris & meriti eſt quàm viſitatio dicta, Indulgentiam plenariam non concedi. Quomodo ergo concedi viſitationi credibile poſſit haberi? Aut ergo non conceditur; vel ſi conceditur, minùs apparet certa, quia opus minùs proportionatum eſt; cùm tamen proportionatum eſſe debeat iuxta communem Theologorum, Canoniſtarumque doctrinam, vt videri poteſt apud Dianam *Parte* 5. *Tractat.* 12. *Reſolut.* 10. vbi complures adducit, & apud P. Suarium *ſuprà, Diſput.* 54. *Sect.* 3. qui *num.* 6. ex definitione Innocentij Tertij in Cap. *Cum eo*, de pœnitentiis & remiſſ. benè oſtendit ſuperfluas, & ita inualidas eſſe Indulgentias indiſcretas, & irrationabiles, quæ largiùs conceduntur, quàm cauſſa poſtulet, etiamſi pia ſit. Cùm ergo in caſu noſtro, ſi ad commune bonum inſpiciamus, eadem cauſſa ſit; ſi autem ad opus præſtitum, maius ieiunium ſit, cum quo & concurrunt preces; ſuperflua erit Indulgentia viſitationi conceſſa, ſi plenaria ſit, cùm non ſit plenaria, quæ pro ieiunij labore conceditur.

Probabiliter procedere dici nequit.

Sed pro contraria parte inſtantia robuſta proponitur.

299 In quo quidem ita ſentientes non ſunt vti minùs pij vllatenus arguendi, quia vera pietas eſt fideles ita inſtruere, vt Indulgentiarum intuitu in operibus pietatis non torpeſcant, & in ipſis lucrandis Indulgentiis, eas vt potuerint repetentes: ſic enim non magnâ, neque moleſtâ repetitione fiet, quod plenariis poteſt Indulgentiis obtineri. Quid enim intereſt me opiniones laxiores circa Indulgentias ſequi, ſi coram Deo illæ non ſunt veræ? In aliis quidem rebus vtilis eſſe fauorabilis opinio poteſt, quia coram Deo obligatione aliquâ liberat, vt reſtitutionis, ieiunij, &c. etiam ſi reipſa vera non ſit: quod ſecùs accidit in præſenti: licèt enim mille Doctores dicant Indulgentiam poſſe hoc aut illo modo obtineri, vel eſſe plenariam, & ad hos aut illos extendi: ſi reipſa ita non eſt, beneficium tale minimè, qui lucrari conatus fuerit, comparabit. Vide Dianam *ſuprà, Reſol.* 32. apud quem *Parte* 10. *Tractat.* 11. *Reſolut.* 34. contrarium ſentiunt, quibuſdam profectò piis magis, quàm ſolidis coniecturis, & quibus poſitio propoſita neutiquam inſinuatur, cùm & opinio dicta ſatis dubia ſit. Cui & fauet P. Amicus *Tom.* 8. *Diſput.* 20. *num.* 214. Et quidem cùm poſſit quis ſumptâ Bullâ Indulgentiam plenariam ſemel in vitâ, & ſemel pro morte conſequi; eâ obtentâ ſatis illi eſſe poſſunt Indulgentiæ ſtationum, etiàſi plenariæ

Quæ non eſt à pietate aliena iudicanda.

Probabilitas opinionum nihil pro Indulgentijs confert.

Digitized by Google

tato. Reſolut. 86. Qui in Additionibus *Reſolut.* 22. æquè probabile iudicat oppoſitum, & tandem id quod vidimus *num. præced.* determinat. Ludouicus à Cruce *ſuprà. Dub.* 2. *num.* 11. P. Mendus *Diſput.* 29. *Cap.* 4. & alij. Quorum ratio eſt: quia in ſuſpenſione à Commiſſario factâ iuxta Pontificiam conceſſionem exprimuntur Eccleſiæ, Monaſteria, & pia loca: priuilegium autem altaris, Eccleſiæ, Monaſterij, aut pij eſt loci, cùm ſit pars eius, & parua Eccleſia. Quibus addi poteſt dubium non eſſe Indulgentias pro Defunctis ſuſpendi conuenienter poſſe, ſicut conuenienter ad certum tempus conceduntur, quo elapſo ceſſant; vnde & concedi ſub quibuſdam conditionibus ſolent, præſertim quæ ad altaria priuilegiata ſpectant: ergo quemadmodum ſi inter conditiones dictas Bullæ acceptio poneretur, nihil in tali conceſſione abſurdum appareret, ſimiliter in ſuſpenſione dicendum, quæ ad magnum ordinatur Eccleſiæ bonum, & reualidari facili negotio poteſt. Pro Religioſis autem ratio eſt non ſemel inculcata ex Bullæ verbis deſumpta; quòd ſcilicet Indulgentia hæc non ſit conceſſa Superioribus quoad eorum Fratres, vbi de viuis eſt ſermo, qui ad ſolos Ordines Mendicantes ſpectant: mortui enim iam Ordinum Mẽdicantium non ſunt, nec eorum res agunt Superiores.

Mediam viam qui amplectantur.

293 Sunt tamen quidam, qui mediâ gradiuntur viâ, dicentes Religioſum celebrantem pro anima Religioſi non indigere Bullâ, ſecus autem ſi pro animâ ſæcularis. Et vt conſequenter hæc ſententia procedat, non de animâ cuiuſlibet Religioſi debet procedere, ſed eius, qui viuus poſſet ſine Bulla Indulgentias obtinere in eadem Religione, Fratrum nomine comprehenſus. Ita Trullench *ſuprà. Cap.* 3. *num.* 10. ſine diſtinctione tamen vlla inter Religioſos & minimè ſibi conſonus, vt patet ex dictis. *num.* 291. & ratio eſſe poteſt iam indicata, quia nomine Fratrum venire poſſunt & viui & Defuncti, & ita verè dicere poſſumus multos Fratres Ordinis SS. Dominici & Franciſci eſſe in cœlo. S. Agatha ſororem ſuam vocauit S. Luciam, S. Baſiliſcus Fratrem D. Ioannem Chryſoſtomum; & quod plus eſt, Chriſtus poſt reſurrectionem Fratres vocauit Apoſtolos *Ioan.* 20. *v.* 17. *Vado ad Fratres meos &c.* Cùm ergo ſæcularis defunctus frater nõ ſit, quia nec viuus id habuit, non videtur pro eo locum habere Indulgentia, niſi & ipſe Bullam habuerit, & tempus publicationis duret: non quòd virtute illius liberari à pœnis queat, quia fuit Bulla viuorum, ſed quia viuens abſtulit impedimentum ſumptione Bullæ, quod obſtare poſſet, ne pro ſe defuncto Religioſus poſſet Indulgentiam applicare. Certiùs autem hoc obtinebitur, ſi Religioſus Bullam ſumat, tunc enim nihil obſtat ſæcularis liberationi.

P. Mendum non benè Trullench ſententiam impugnare.

294 Et ſententiam quidem Trullench impugnat P. Mendus *ſuprà. num.* 71. illudque contra illam inconueniens obiicit, dici etiam poſſe Regularem non valere Indulgentiam vllam ex conceſſis ſuo Ordini lucrari, applicando illam pro animâ Defuncti ſæcularis, niſi Bullam acceperit; quod inauditum eſt, nec videtur probabile. Sed meminiſſe eum oportuit ſententiam, quæ aſſerit Religioſorum Indulgentias ſuſpendi per Bullæ publicationem, de quâ diximus. *num.* 282. eſſe probabilem, nec leue ipſius fundamentum in ſuſpenſionis forma contineri: vnde & non eſſe inauditum conſtat. Si autem loquatur ſuppoſitâ communi ſententiâ, iuxta quam Bulla non eſt ad lucrandas Indulgentias neceſſaria in Religioſis Mendicantibus, in huiuſmodi quæſtionibus conditionalibus magna latitudo eſt, & dum fundamentum non leue apparet, non eſt præcipiti cenſurâ hic aut aliter ſentiens feriendus. Fundamentum autem pro ſententia dicta eſſe poteſt, quod iam vidimus, Indulgentias ſcilicet pro Fratribus tantùm concedi. Video reſponderi poſſe concedi quidem pro Fratribus, ſed non vt neceſſariò debeant illas pro Fratribus applicare. Quæ reſponſio eſt optima: ſed reſponſiones etiam congruas habent argumenta probabilium opinionum; aliàs opiniones non eſſent, ſed demonſtrationes. Cùm ergo res iſta adeò incerta ſit, acceptione Bullæ ſecuritas conquirenda.

DIFFICVLTAS III.

Circa Indulgentias in Bullâ conceſſas viſitantibus quinque Eccleſias, aut altaria, & ibidem orantibus, iuxta formam in Bulla præſcriptam.

295 Dico primò. Etſi Indulgentia, quam Bulla concedit, magnæ æſtimationis ſit, cùm ſit plenaria, iuxta communem ſententiam; immò & multas plenarias continens, de quo *inferiùs*, & pro quo Trullench *Lib.* 1. §. 6. *Dub.* 1. *num.* 5. Religioſi tamen facilius poſſunt eamdem conſequi, quia ſic omnibus eſt à Paulo V. in Indulgentiarum reductione conceſſum: ita enim habet ſeptima in ordine: *Iidem Religioſi intra clauſtra viuentes, qui ſuam Eccleſiam deuotè viſitauerint, &; vt præfertur, orauerint, conſequentur eaſdem Indulgentias, quas viſitandò Eccleſias Vrbis, & extra eam, diebus Stationum conſequuntur in omnibus diebus: perinde ac ſi ipſas Vrbis Eccleſias viſitaſſent.* Sic Pontifex. Quod autem ait, *Vt præfertur orauerint*, iuxta tenorem tertiæ Indulgentiæ accipiendum, in qua orandum decernitur *pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione.* Cùm ergo pro Indulgentia iſta non quinque Eccleſiarum, aut altarium, ſed ſolius Eccleſiæ Religioſorum viſitatio requiratur, illius profectò eſt conſecutio facilior. Et prætereà eſt illa, attentâ cauſſæ grauitate, certiſſima. Fundatur enim in mundi abrenuntiatione, ac Religioſæ vitæ profeſſione, in qua eſt heroicorum operum concatenatio mirabilis, nihil vt præter Martyrium maius illis eſſe poſſit.

Religioſi Indulgentiâ gaudent ſimili ei, quæ in Bulla conceditur viſitantibus Eccleſias, aut altaria.

296 Eſt autem circa illam eadem, quæ circa Indulgentiam Cruciatæ, difficultas, an ſcilicet quotidie obtineri poſſit. Et quotidianam eſſe nonnulli exiſtimant, quod facilè deuoti arripiũt, fauente atteſtatione Commiſſarij, poſt Summarium Indulgentiarum, quæ certis diebus obtineri poſſunt; ſic enim ſubdit: *Todos los demas dias del año ſe ganan las Indulgencias, que en Roma, por auer cada dia Eſtacion en ella.* Sed oppoſitum mihi certum

Quotidianam eſſe qui, & quæ eorum rationes probent.

certum eſt, & id continent rationes, quas adducit Trullench *ſuprà num.* 7. & tenet etiam P. Mendus *Diſput.* 20. *cap.* 3. qui ad Commiſſarij atteſtationem reſpondent, loqui illum de Indulgentiis non plenariis. Iuxta omnes ergo quotidie Indulgentiæ obtineri queunt, ſed non plenariæ: vnde viſitatio Eccleſię aut altarium proderit quotidie frequentata. Sed certè clauſula dicta Commiſſarij iam non apponitur, & ita ex eo argui poteſt pro contraria poſitione: ſublata enim eſt, quia pro illâ ſolidum non extabat fundamentum. Habet autem conceſſio Religioſis facta maius probabilitatis pondus quoad hanc partem, quàm habeat conceſſio Cruciatæ. Nam in iſta deſignantur dies certi ſtationum, non ita in illâ: vnde ſi quotidie ſtationes ſunt, aut pluribus certè diebus, quàm ij ſunt, qui deſignantur in Bullâ; certius eſt Religioſis in hoc ampliùs indulgeri.

Contrariū ſimiliter prorſus vero in Cruciata Indulgentiâ.

Non ſic in Religioſis conceſſâ.

297 Similiter dubitari circa vtramque poteſt an ſit plenaria: & non eſſe plenariam, quæ in Cruciata conceditur, tenent Sorbus, Ludouicus à Cruce, & P. Henriquez apud Trullench *ſuprà num.* 5. quia in Bullâ originali non exprimitur Indulgentia plenaria: & quando non exprimitur, non venit generali illa collectione, propter ſpecialem difficultatem, quæ eſſe ſolet in plenariæ Indulgentiæ conceſſione, vt ait P. Suarius *Tomo* 4. *in* 3. *p. Diſput.* 52. *ſect.* 8. *num.* 12. cum præfatis ſentiens, & eum citans Iulius Lauorius *de Indulgentiis pag.* 204. *n.* 125. ſicut & P. Granadus *Tomo* 2. *in* 3. *p. Controu.* 12. *Tractat.* 6. *Diſput.* 2. *num.* 4. & 7. P. Quintana *in Appendice, Tract.* 6. *Dub. vltim. n.* 5. adducens Nauarrum, Alfonſum à Leone, & P. Ildefonſum Rodericum. Contrarium tamen tenent Fr. Emmanuel, Ludouicus Lopez, Villalobos, Garnica, Diana eos adducens *Parte* 5. *Tractat.* 12. *Reſolut.* 2. Machadus, Leander, Baſilius Legionenſis, citati cum aliis à P. Mendo *Diſput.* 20. *num.* 1. quos & ipſe ſequitur, ſicut & Trullench *ſuprà.* Ratio videtur aperta: nam in diebus ſtationum verę ſunt Indulgentiæ plenariæ pro viſitantibus vrbis Eccleſias: atqui Pontifex eaſdem concedit in adductis conceſſionibus, & in Bullâ Cruciatæ terminos diſtributiuos addit, dicens: *Omnes & ſinguli*: ergo non videtur de eo poſſe dubitari. Licèt autem in conceſſione pro Religioſis non inueniantur præfati termini, ſunt tamen æquiualentes, dum dicitur, *conſequuntur eaſdem Indulgentias.* Quod verificari nequit, ſi tantùm partialem aliquam conſequantur. Pro Cruciatâ autem habetur inſuper Commiſſarij auctoritas, qui ita planè fatetur in ſummario Indulgentiarum, plenariam Indulgentiam pro omnibus diebus ſtationum proponens. Quod quidem non videtur vti temerè appoſitum reprehendi poſſe, niſi à temerè prolocuto.

Non eſſe plenariam Cruciatæ quorumdā ſententia.

Contrariū plures amplexi, pro quo & ratio aperta.

Et Commiſſarij auctoritas.

298 Illud veroſimiliùs dici poteſt, Commiſſarium opinionem probabilem hac in parte ſecutum; ſicut ſecuti, qui ſtationes pro omnibus anni diebus aſſignarunt. Verùm ſicut hoc; quia incertum, ſublatum eſt, ita & prius illud ſublatum pariter fuiſſet. Credendum ergo eſt de mente conſtare Pontificum ipſis, ne abſurdum ſequatur in materiâ adeò graui minimè tolerandum, vt ſcilicet pro certis incerta venditentur. Quibus non obſtantibus, cùm tot Doctorum ex aduerſo conſiſtat auctoritas, res non habetur penitus exploratа, & pro ita ſentientibus inſtari poteſt ex conceſſione alia, quæ in Bullâ habetur, in quâ ſic dicitur: *Item erogantes prædicti, qui diebus ieiunio non ſuppoſitis, ad implorandum diuinum auxilium pro vnione & victoria prædictis, voluntarium ieiunium, vel, ſi ieiunare legitimè impediti fuerint, aliud opus pium, arbitrio eorum Confeſſoris, vel Parochi aſſumpſerint; & ſimul preces ad Deum pro vnione & victoria prædictis fuderint, toties quoties id fecerint, dicto anno durante, quindecim annos, & totidem quadragenas, de iniunctis eis, & quomodolibet debitis pœnitentijs miſericorditer in Domino relaxantur: & inſuper omnium precum, eleëmoſynarum, peregrinationum, etiam Ieroſolymitanæ, & aliorum omnium operum, quæ in vniuerſali Militante Eccleſia, & ſingulis eius membris fiunt, participes redduntur.* Sic Pontifices: ex quibus apparet ieiunio cum precibus, quod ſanè opus maioris laboris & meriti eſt quàm viſitatio dicta, Indulgentiam plenariam non concedi. Quomodo ergo concedi viſitationi credibile poſſit haberi? Aut ergo non conceditur; vel ſi conceditur, minùs apparet certa, quia opus minùs proportionatum eſt; cùm tamen proportionatum eſſe debeat iuxta communem Theologorum, Canoniſtarumque doctrinam, vt videri poteſt apud Dianam *Parte* 5. *Tractat.* 12. *Reſolut.* 10. vbi complures adducit, & apud P. Suarium *ſuprà*, *Diſput.* 54. *Sect.* 3. qui *num.* 6. ex definitione Innocentij Tertij in Cap. *Cùm ex eo*, de pœnitentiis & remiſſ. benè oſtendit ſuperfluas, & ita inualidas eſſe Indulgentias indiſcretas, & irrationabiles, quæ largiùs conceduntur, quàm cauſſa poſtulet, etiamſi pia ſit. Cùm ergo in caſu noſtro, ſi ad commune bonum inſpiciamus, eadem cauſſa ſit; ſi autem ad opus præſtitum, maius ieiunium ſit, cum quo & concurrunt preces; ſuperflua erit Indulgentia viſitationi conceſſa, ſi plenaria ſit, cùm non ſit plenaria, quæ pro ieiunij labore conceditur.

Probabiliter procedere dici nequit.

Sed pro contraria parte inſtantia robuſta proponitur.

299 In quo quidem ita ſentientes non ſunt vti minùs pij vllatenus arguendi, quia vera pietas eſt fideles ita inſtruere, vt Indulgentiarum intuitu in operibus pietatis non torpeſcant, & in ipſis lucrandis Indulgentiis, eas vt potuerint repetentes: ſic enim non magnâ, neque moleſtâ repetitione fiet, quod plenariis poteſt Indulgentiis obtineri. Quid enim intereſt me opiniones laxiores circa Indulgentias ſequi, ſi coram Deo illæ non ſunt veræ? In aliis quidem rebus vtilis eſſe fauorabilis opinio poteſt, quia coram Deo obligatione aliquâ liberat, vt reſtitutionis, ieiunij, &c. etiam ſi reipſa vera non ſit: quod ſecùs accidit in præſenti: licèt enim mille Doctores dicant Indulgentiam poſſe hoc aut illo modo obtineri, vel eſſe plenariam, & ad hos aut illos extendi; ſi reipſa ita non eſt, beneficium tale minimè, qui lucrari conatus fuerit, comparabit. Vide Dianam *ſuprà*, *Reſol.* 32. apud quem *Parte* 10. *Tractat.* 11. *Reſolut.* 34. contrarium ſentiunt, quibuſdam profectò piis magis, quàm ſolidis coniecturis, & quibus poſitio propoſita neutiquam infirmatur, cùm & opinio dicta ſatis dubia ſit. Cui & fauet P. Amicus *Tom.* 8. *Diſput.* 20. *num.* 214. Et quidem cùm poſſit quis ſumptâ Bullâ Indulgentiam plenariam ſemel in vitâ, & ſemel pro morte conſequi; eâ obtentâ ſatis illi eſſe poſſunt Indulgentiæ ſtationum, etiāſi

Quæ non eſt à pietate aliena iudicanda.

Probabilitas opinionum nihil pro Indulgentijs confert.

Digitized by Google

plenariæ non ſint; cùm negari nequeat quin ſint magnæ; & ita pro ſuccedentibus lapſibus ſufficientes. Quod & pariter de Indulgentiis Religioſorum dicendum: quibus quando habitum Religionis ſuſcipiunt, profeſſionem faciunt, & in Feſto principali ſui Ordinis, Indulgentiæ plenariæ conceduntur. Poſſunt ergo quæ pro ſtationum diebus ſunt, abundè eis ſufficere pro quotidianis erratis, & etiam ſi quid, (quod abſit) non ordinarium perpetrârint. Si præterea illius obtentio repetatur: pro quâ

Poſſe toties quoties obtineri, iuxta probabilem ſententiam.

300 Dico ſecundò. Indulgentia altarium, & idem eſt de Indulgentiâ ſimili Religioſorum, toties quoties poteſt diebus aſſignatis obtineri, iuxta multorum probabilem opinionem; quam tenent Nugnus, Fr. Emmanuel, Villalobos, quos adducit & ſequitur Diana *Parte* 1. *Tractat.* 11. *Reſol.* 104. Vide etiam Dianam *Parte* 5. *Tractat.* 1. *Reſol.* 45. P. Eſcobar *Tractat.* 1. *Examine* 17. *cap.* 4. *Verſ. Poſſumne.* Angelus & Roſella apud P. Suarium *infrà.* Nauarrus *Tractatu de Indulgentijs Notabili* 32. *num.* 46. & 47. Trullench §. 6. *dub.* 3. P. Mendus *Diſput.* 6 *cap.* 5. vbi præter alios adducit Nauarrum in eodem loco, quo pro contrariâ ſententiâ eum citat Diana, & quidem *Verſ. Per ea, num.* 47. id non obſcurè ſignificat, quidquid dixerit *Notabili* 15. Et prætereà P. Henriquez, P. Laymam, P. Suarium, Cardinalem Lugo. Sed

Auctores pro iſtâ ſententiâ malè à P. Mendo citatos oſtenditur.

mirum eſt Auctores iſtos ita incuriosè perlectos, vt pro hac afferantur ſententia, cùm apertè tueantur aduerſam. P. Henriquez *Lib.* 7. *Cap.* 10. *num.* 2. vbi citatur, tantùm ait ad maiorem certitudinem & efficaciam poſſe conſequi eodem die; non ergo abſolutè, ſed vt per vnam diligentiam, quod fortè in aliâ defuit, ſuppleatur. Poſſunt ergo diligentiæ repeti: quod & admonet Iulius Lauorius *ſuprà num.* 129. ſed non obtineri Indulgentiæ. Nam poterat eſſe opinio affirmans, ſi ſemel adhibitæ Indulgentiam lucrandi gratiâ diligentiæ inſufficientes fuerunt, non poſſe vlteriores efficaciter adhiberi. Cardinalis Lugo *citatâ Diſput.* 27. *n.* 95. loquitur quando pro obtinendâ Indulgentiâ non eſt deſignatus dies: quando autem deſignatus eſt, vt in caſu noſtro, contrarium tenet, *num. ſeqq.* cum P. Suario *Diſputat.* 57. *ſect.* 1. *num.* 7. vbi eum citat P. Mendus, qui & idem confirmat *num.* 8. Cuius etiam doctrinam manifeſtè amplectitur P. Laymam *citato ſimiliter loco*, ſcilicet *Lib.* 5. *Tract.* 7. *Cap.* 8. *num.* 8. Tenet etiam Bonacina *Tomo* 1. *Diſput.* 6. quæ eſt de Indulgentiis, *Quæſt.* 1. *Puncto* 5. *num.* 32. vbi præter citatos aliquos adducit D. Thomam, Cordubam, Cardinalem Toletum, P. Sà, P. Reginaldum, P. Filliucium, Grathum, & alios. Quod etiam docet P. Quintana *in Appendice, Tractat.* 6. *Dub.* 6. *num.* 5. & Iulius Lauorius *pag.* 205. *num.* 128. compluresadducens, qui de Indulgentiâ cum prædictâ temporis determinatione loquuntur, iuxta dicta ex Card. Lugo, & P. Suario.

Quid circa praxim conueniens videatur.

301 Iuxta quam opinandi diuerſitatem illud tutiſſimè dici poteſt, quod ex P. Henriquez nuper à nobis poſitum & expoſitum, diligentias poſſe quoties placuerit diebus aſſignatis adhiberi, quo fiet vt vel toties lucrentur, ſi fortè opinio prior vera eſt; vel ſi diligentiæ aliquis defectus obrepſerit, per alteram ſupplebitur, & ſic Indulgentiæ fructus colligetur. Quod ſi opus præſtitum etiam exactè præſtitum forſitan Indulgentiæ proportionatum non eſt, repetitum poterit debitam proportionem habere. Quæ doctrina ei eſt conformis, quam habet P. Suarius *ſuprà, Diſputat.* 54. *Sect.* 3. *num.* 9. vbi ait quando Indulgentia non habet proportionem cum opere, eo non obſtante aliquem effectum habere, proportionatum quidem operi: id quod ex mente concedentis videtur apertè colligi: ſi enim concedere ita vult, vt plus quàm poſſit concedat, manifeſtum eſt circa minus eiuſdem intentionem dirigi, iuxta vulgatam regulam *iuris in* 6. quod in eo, quod plus eſt, id, quod eſt minus, continetur. Et doctrinam illam ita eſſe certam, vt in eâ omnes conueniant, docet idem Pater *num.* 2. Poteſt ergo operis iniuncti repetitio vtiliſſimè frequentari.

Notanda doctrina.

Nomine Eccleſiæ Oratorium etiam venire qui cenſeant.

302 Dico tertiò. Quid nomine Eccleſiæ intelligatur non eſt penitus exploratum, cùm de viſitatione agitur; & Oratorium priuatum ſufficere tenet Trullench §. 6. *Dub.* 2. cum P. Henriquez *ſuprà, num.* 1. *L. B.* inde inferens nobilem viſitando quinquies Oratorium ſuum ab Epiſcopo approbatum, poſſe Indulgentiam Cruciatæ lucrari: vbi nobilis ideò expreſſus, quia illis ſolent Oratoria concedi: cùm tamen in omnibus eadem ratio ſit, qui eandem fuerint gratiam aſſecuti. Quod & tenent Fr. Emmanuel §. 8. *Additionum, num.* 1. Diana *Parte* 5. *Tractat.* 12. *Reſolut.* 43. & *Parte* 9. *Tractat.* 2. *Reſolut.* 31. Hieronymus Garcia *Tractatu* 3. *Difficult.* 8. *Dub.* 1. *Puncto* 2. *num.* 21. Ludouicus à Cruce, Leander, Machadus, P. Nardi apud ipſum *poſtremo*, P. Quintana *in Appendice, Tractat.* 6. *Dub.* 2 *num.* 2. & 3. P. Mendus *Diſput.* 20. *cap.* 5. P. Eſcobar *Cap.* 4. *citato. Ver. Viſitatio.* Qui, ſicut & alii ita ſentientes, approbationem Epiſcopi neceſſariam eſſe affirmant. Ex eorum tamen rationibus colligi poteſt quid ſit de Oratoriis Regularium ſentiendum, pro quibus Epiſcopi approbatio non requiritur: quia enim diuino cultui dedicata ſunt, & priuilegio immunitatis gaudent, etiamſi extra Conuentus ſint, vt in Grangiis, iuxta ea, quæ habet Diana *Parte* 9. *Tractat.* 1. *Reſolut.* 33. videntur etiam ad lucrandas Indulgentias ſufficere, ſunt namque Eccleſiæ pro dictis effectibus: ergo & pro iſto; quia Eccleſia quæ dici talis poteſt ad aliquos effectus, etiam & ad omnes, pro quibus tantùm Eccleſiæ ratio poſtulatur. Quando ergo approbatio Epiſcopi deſideratur, vt Oratorium ad prædictos effectus valere poſſit, ideò eſt, quia auctoritatem habet ad ſimilem deputationem, non præciſè, quia Epiſcopus eſt, vnde & Eccleſia Regularium ab Epiſcopo non benedicta, ad effectus dictos apta eſt: ſed quia in Epiſcopali auctoritate, etiam auctoritas dicta continetur. Cùm ergo Oratoria Regularium ſimilem habeant conſignationem, ad eoſdem effectus præualebunt. Et hoc quidem videtur ſatis veroſimile; licèt generaliter loquendo non careat difficultate.

Pro Oratoriis Regularium non eſt approbatio Epiſcopi neceſſaria.

Amplior circa Oratoria declaratio, præſertim Religioſa.

303 Et quidem ſi in domo Religioſâ ſolùm Oratorium ſit, non videtur rationabiliter negari poſſe ad effectum Indulgentiæ ſufficere, quia illud pro Eccleſiâ reputatur, cùm in ipſo & Miſſæ ſacrificium celebretur, & Eccleſiaſtica miniſteria exerceantur. Id quod etiam videtur in Bullâ ipſâ expreſſum, dum in eâ ſic dicitur: *Quinque*

quæ Eccleſias, ſeu altaria, ſeu in illorum defectum, quinquies vnum altare deuotè viſitauerint. Cùm ergo defectus Eccleſiæ, & quinque altarium ſit, benè poterunt Religioſi Indulgentias Cruciatæ in Oratorio lucrari. In conceſſione autem ſimilis Indulgentiæ pro ipſis, id non habetur, quia quinque altarium viſitatio non exigitur, ſed ſolius Eccleſiæ, *Eccleſias ſuas deuotè viſitauerint*: cumque Oratorium tunc eorum Eccleſia ſit, aliam enim non habent, videtur certum ſufficere illud ad effectum lucrandi Indulgentias. Quod etiam de ſæcularibus videtur aſſerendum, quia tunc ſine impropriet ate dicuntur Regularium Eccleſiam viſitare. Et hoc quidem etiamſi in oppido ſint, in quo Eccleſia, aut Eccleſiæ adſint, propter dictam rationem. Si autem Regulares Eccleſiam habeant ab Oratorio ſeu Capellâ diuerſam, tunc alia videtur eſſe ratio, quia Oratorium abſolutè nomen Eccleſiæ non habet. Vnde ſi quis dicat: *Vado in Eccleſiam*, aut, *Venio ex Eccleſia*, non intelligitur ad Oratorium vadere, aut ex eo venire. Ex communi autem loquendi modo deſumenda eſt legum, & quarumcumque aliarum diſpoſitionum intelligentia, vt dictum. *n.* 224. & eſt communis Scriptorum obſeruatio. Pro quo videnda quæ habet P. Thomas Sancius *Lib. 6. de Matrimonio Diſput.* 23. *num.* 3. vbi quòd vſus loquendi proprietati eſt verborum præferendus. Hinc eſt vt quando Iubilæum publicatur pro viſitantibus Eccleſias Regularium, non videantur illud lucrari Oratoria eorum viſitantes. Pro quo videnda quæ habet P. Sancius *ſuprà Lib.* 7. *Diſput.* 8. *n.* 13. Videtur autem pro Regularibus ipſis eadem eſſe ratio: & hoc etiamſi in Capellâ aliquâ ſit SS. Sacramenti Tabernaculum; quia ratione eius, etſi Sanctitas creſcat, non tamen in communi vſu appellatur Eccleſia, vnde, etſi oppoſitum probabile ſit, quia tamen incertum, ſecuritati eſt in re tanti momenti conſulendum. Pro illa autem eſt vlterius præſidium ex Bullâ Leonis X. pro Equeſtri Ordine S. Iacobi, in qua ad lucrandas Indulgentias Stationum Romæ tantùm exigitur vt duo aut tria altaria etiam in Oratoriis aut Capellis viſitentur. Licet enim Bulla talis reuocata videatur, vt dictum. *num.* 257. accepta tamen Bulla Cruciatæ, illius vſus licebit, non obſtante reuocatione Indulgentiarum Pauli V. quia Bullæ clauſula verificatur.

Notanda diuerſitas inter Oratorium ſolum, & cum Eccleſia concurrens.

Aliud pro Oratorij ſufficientiâ præſidium.

Aſſertio 4.

304 Dico quartò. Circa modum viſitationis Eccleſię & aliarũ cõmunis eſt quęſtio Religioſis & ſæcularibus, qualis ſcilicet acceſſus; qui motus, & precũ numerus earumq; cõditio quænam, vocaleſne ſint neceſſariæ, an mentales ſufficiant: de quibus citati Auctores, & alij de Indulgentiis tractãtes. Et vt ſpeciale aliquid addamus, certum eſt Moniales ex Choro poſſe altaria etiam diſtantia ad effectum Indulgentiæ viſitare: vnde pro viris idem videtur dicendum, cùm conſtet diſtantiam prædictam non obſtare. Cõtingit autem multoties in Eccleſiis Monialium quinque eſſe altaria, ſed quæ non poſſint omnia ab eiſdem conſpici: vnde oritur difficultas, an ea, quæ videri nequeũt, perinde habenda ſint acſi nõ eſſent, & ita repetitione eiuſdem altaris vtendum. Quod aliunde videtur difficile: quia cùm non verificetur deeſſe quinque altaria, non poteſt repetitio vnius & eiuſdem ſuffragari. Et hoc vltimum apud me plus ponderis habet, ac proinde exiſtimo poſſe Moniales quinque altaria etiam à ſe non viſa viſitare, conuerſione aliquâ ad locum, in quo ſunt: quia quod non videtur, etiam viſitari dicitur ratione continentis: & ita SS. Euchariſtiæ Sacramentum viſitari, quamuis in ſuo incluſum Tabernaculo. Conſpecto ergo Capellæ ingreſſu, in quo altare eſt, dici etiam poteſt altare viſitari, quia aliquomodo conſpicitur. Et quia certum eſt Moniales poſſe lucrari Cruciatæ Indulgentias, nec tamen declaratum à Pontifice eſt, ratione impoſſibilitatis adeundi Capellas, cum ipſis diſpenſari vt modo præfato viſitent; ſed quia reuerà videtur cum proprietate viſitatio ſtare: ideò dicendum pro viris etiam Religioſis eumdem viſitationis modum eſſe ſufficientem. Non enim eſt viſitatio ad inquirendum quid in altari ſit, vt cùm ab Epiſcopo viſitatur, ſed ad fundendas preces coram illo: pro quo parùm refert, quòd longè ſit aut propè, & quòd videatur, aut non videatur, dummodo aliqualis interueniat acceſſus, & non purè mentalis ſit, vt benè Cardinalis Lugo *ſuprà num.* 98. quod eſt attentiùs obſeruandum.

Ex Choro poſſe altaria viſitari. Circa quod dubium peculiare.

Mentalem acceſſum non ſufficere.

305 Et vt aliquid commune circa preces dicam, ij qui certum earum numerum aſſignant, vt ſemel, bis, aut ter Orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, valde mihi videntur voluntariè loqui. Vnde enim illud colligant, cùm in conceſſionis formâ tale nihil exigatur, ſed vt deuotè pro præſcriptis orent? Sufficit ergo quæcumque oratio etiam mentalis, vt ait Cardinalis Lugo *ſuprà. num.* 111. cum Nauarro *Notabili.* 32. *citato. num.* 48. Pro quo & alios adducit Diana *Parte* 9. *Tract.* 1. *Reſolut.* 30. Addit tamen Cardinalis tutius eſſe aliquid admiſcere de oratione vocali: ergo tutum non addi. Equidem ſi quis loquendi vſum amittat, vt multis accidit paralyticis, lucrari nihilominus Indulgentias poterit; ergo abſolutè non eſt vocalis oratio neceſſaria; quia nulla pro talibus exceptio facta, & ità ſecundùm conceſſionis formam obligatio tantùm regulatur. Debet autem oratio non eſſe ita deproperata, vt viſitatio dici nequeat, ſed tranſitus; ad eum modum, quo dicunt Doctores, quando Indulgentia poteſt toties quoties eodem die obtineri, non ſufficere ad id continuatum ingreſſum & egreſſum, quia omnes illi pro vnâ viſitatione reputantur. Pro quo videri P. Suarez poteſt *Diſp.* 57. *citatâ. Sect.* 1. *n.* 7. Cardinalis Lugo *ſuprà. numer.* 95. Bonacina *Diſputat.* 6. *citata. Quæſtion.* 1. *Puncto.* 5. *num.* 42. Debet ergo viſitatio aliquali fieri pauſatione, vt & reipſa videtur ſatis perſuadere: quia ſcilicet de re ſummi momenti agitur, & ita non debet leuiuſculè peragi, & ſic rogari Deus, vt nullus Principum, aut inferioris notæ homo in re momenti qualiſcumque rogatur. De quibus hæc ſatis.

Quamcumque orationem etiam mentalem ſufficere.

Sed cum morâ competenti.

306 Quia verò quod ad Oratorium attinet, ſatis probabile eſt, poterunt infirmi Cruciatæ Indulgentias in ſuis lucrari lectis, ſi valetudinarium ſit pariter Oratorium Superiorum auctoritate conſtitutum, & etiam ſpeciales Indulgentias Regularibus conceſſas: viſitari enim altaria poſſunt aliquali ad ipſa conuerſione, & vbi altaris viſitatio neceſſaria non eſt, ſed Eccleſiæ, aliquid exteriùs præſtandum, quod viſitationis rationem habere poſſit, & non ſola mentalis conuerſio: vt

Infirmi vt poſſint altaria viſitare.

inclinatio

Digitized by Google

inclinatio circa imagines, cum precum emiſſione. Id quod etiam fieri poterit, ſi cubiculum oratorio proximum ſit, vnde audiri Miſſa poſſit: ſicut enim ſic audiens ſufficienter ſatisfacit præcepto, ſi fortè illo tenetur, & ita ſufficientem modum præſentiæ habet pro Miſſæ auditione: ita & pro viſitatione, vt de priuilegiis taceam pro infirmis conceſſis vt lucrari Indulgentias poſſint, de quibus Religioſi ſua Compendia conſulant. In Compendio quidem Societatis. V. *Indulgentiæ.* §. 2. Sic habetur: *& generaliter quando aliquâ neceſſitate vel infirmitate eſſent præpediti, vel in itinere conſtituti, ita quòd Eccleſias pro conſequendis Indulgentiis, vel aliis gratiis Societati conceſſis adire non poſſunt, illas conſequentur dicendo dumtaxat illud, quod in Eccleſia dicturi erant. Habetur in Summario Priuilegiorum S. Iuſtinæ, in priuilegiis impreſſis fol.* 121. *pag.* 2. Sic ibi. Quod P. Henriquez *Lib.*7.*Cap.*19. *num.* 3. vt generale proponit. Id igitur quod de viſitatione dictum eſt, ad maiorem impediti ſatiſfactionem deſeruire poteſt. Licet dubitari etiam poſſit, & quidem non immeritò, an dictum priuilegium locum habeat quando in valetudinario, aut prope illud, extat altare & Oratorium: cùm enim ad viſitationem modo dicto faciendam impediti non ſint, non videntur ab eadem excuſari. Illud certum, non eſſe neceſſarium ad maiorem certitudinem vnam & aliam diligentiam adhibere, ſed viſitationem ſufficere emiſſione precum iniunctâ: ſic enim eadem fit oratio, quæ in Eccleſiâ deberet fieri, & ita priuilegij forma propoſita cum viſitationis ſupererogatione ſeruatur. Quòd ſi viſitatio nullius commodi ſit, eò quòd illa debeat in Eccleſiâ fieri, iuxta opinionem dictam, preces ad effectum obtentionis ſufficient ratione priuilegij, quia *vtile per inutile non vitiatur*, vt eſt Iuris notiſſima regula. Et licet Indulgentiæ à Paulo V. ſublatæ ſint, numero præfato relicto, priuilegium tamen dictum Indulgentia non eſt, ſed facultas ſpecialis ad eas, quæ obtineri poſſunt, quæcumque illæ ſint, ab impeditis comparandas, vt in ſimili obſeruat P. Quintana *in Appendice Tract.* 4. *Dub.* 13. *num.* 3.

Peculiaris conceſſio pro Societate.

Specialis difficultatis enodatio.

DIFFICVLTAS IV.

Circa Gratias, quid ſine Bulla Cruciatæ poſſint Regulares.

Gratiarū amplior explicatio.

307 QVid Gratiæ nomine in Bullâ intelligatur, dictum. *numer.* 280. & ſuſpendi omnes à Pontifice conceſſas durante Bullæ publicatione, ex ipſius ſuſpenſionis tenore conſtat, qui in Bullâ habetur, ſiue ſimiles ſiue diſſimiles ſint iis, quæ in Bulla conceduntur. Neque eſt profectò facile, quæ illæ ſint, deſignare, quandoquidem & ſimiles & diſſimiles ſuſpenduntur. Sed iuxta datam explicationem negotium iſtud expedientes, conſtat eas, quæ Superioribus Ordinum Mendicantium erga ſuos Fratres tantùm conceduntur, non ſuſpendi, vt ex tenore Bullæ perſpectū habetur, & ita quidquid in ordine ad abſolutiones, diſpenſationes, votorum commutationes, & ſimilia, Superiores poſſunt cum Fratribus tantùm, ſuo in robore perſeuerat: licet id non fiat ſemper à Superioribus, ſed ab aliis, pro ratione ſui officij, quia totum id à Superiorum auctoritate deſcendit. Si autem quidquam ſit, quod à Superiore præſtari nequeat, quia alicui officio eſt annexum, vt poteſtas abſoluendi Superiorem ipſum à caſibus reſeruatis, ſimiliter eſt de illo ſentiendum, quia ad fauorem Religionis purè ſpectat, quam præcipuè Pontifex in exceptione prædictâ intendit, nec Superiores debent peioris eſſe conditionis, quibus in ordine ad Cōfeſſionem amplior facultas in Iure conceſſa reperitur, vt conſtat ex *Cap. finali*, de pœnitent. & remiſſ.

Circa gratias pro ſæcularibus, vbi de ſpeciali quadam pro Concionatoribus.

308 Eſt ergo difficultas circa ea, quæ ad ſæculares ſpectare poſſunt, & quando ad ipſos ſolùm ſpectant, dictum iam. *num.* 291. quod ad Indulgentias attinet, licet gratia illas concedendi Indulgentia non ſit, ſed pura gratia. Et talis fortè eſt, quæ conceſſa eſt Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, & conſequenter illis, qui in priuilegiis communicant, vt ſcilicet prædicantes in ſuis domibus poſſint 18. annos, & 322. dies Indulgentiæ concedere: extra ſuas Eccleſias verò vltra dictos 18. annos, dies tantùm 222. Tempore autem Quadrageſimæ in ſuis domibus prædicantes Feriâ 2. 4. & 6. 156. annos & 524. dies. De quâ conceſſione P. Quintanad. in *Appendice Tract.* 4. *Dub.* 3. *num.* 8. cenſens illam non ſuſpendi, quia communis eſt Religioſis & ſæcularibus: cùm poſſint etiam Religioſi eſſe auditores: quæ videtur ratio eſſe licet eam ipſe non adducat. Quod tamen valde dubium eſt, cùm conceſſio iſta ad hoc tendat, vt ſæculares ad audiendas prædictorum Patrum conciones alliciantur: neque enim ipſi illâ indigent, cùm alias habeant copioſiſſimas. Et quidem Concionatores ipſi illâ non fruuntur, vt non ſit mirum Religioſos eiuſdem Ordinis nihil in eo opere laborantes illam non obtinere. Sed de gratiâ tali, atque aliis redintegranda tractatio, an ſcilicet per Bullæ publicationem ſuſpendantur, ad quod difficultas præcipua reuocatur; de gratiis enim communibus Religioſis & ſæcularibus, ſicut de Indulgentiis philoſophandum. Et non ſuſpendi quoad Religioſos ipſos, ita vt illis vti poſſint, conſequenter aſſerendum, reſpectu ſcilicet aliorum Religioſorum. Quoad ſæculares autem grauis difficultas eſt, vtrùm ſcilicet ſine Bullâ eo frui beneficio poſſint. Quòd verò illa neceſſaria in Religioſo non ſit, ſi eam ſæcularis ſumpſerit, videtur certùm, quia duplex Bulla non eſt pro vnico beneficio neceſſaria: & cùm ſæcularis ante publicationem Bullæ beneficio gratiæ Religioſis conceſſæ frui poſſet, dum Bullam ſumit, impedimentum penitus remouetur.

Quoad Religioſos non ſuſpendi illas, etiāſi communes cum ſæcularibus.

An ſit ſatis Religioſum Bullam ſumere, & non ſæcularem. Vbi vtriuſque partis fundamenta proponuntur.

309 Poteſt autem dubitari, an ſi Religioſus Bullam ſumpſerit, id ſit ſatis ad omnem difficultatem in hoc puncto propulſandam. Et id quidem ratio nuper adducta videtur perſuadere, quia ſcilicet ad vnum beneficium vna Bulla ſufficit. Et prætereà Religioſus non poterat durante Bullæ publicatione, vti gratiâ ſibi conceſſâ: ergo ſumptâ Bullâ iam poterit: implicat autem quòd abſolutè poſſit, & quòd ſæcularis Bullâ indigeat; quia conceſſo aliquo conceditur id, ſine quo illud ſtare nequit. Item; ſuſpenſione huius gratiæ commodum contributionis intenditur: ergo cùm illud habeatur ſumptâ Bullâ, nihil refert quòd à Regulari,

Digitized by Google

Regulari, vel à ſæculari ſumatur. Videtur ſanè hoc non improbabile, ſed incertum; quia praxis contrarium videtur oſtendere, & Bullæ ipſius tenor indicare, in quâ accipienti conceditur tantùm vt abſolui poſſit, commutari eius vota, & reliquis vti gratiis, ſicut & Indulgentiis: ergo ab eo Bulla ſumenda eſt, & non ſufficit à Religioſo ſumi. Præterquàm quòd taxa eleëmoſynæ eum reſpicit, qui beneficio Bullæ quoad prædicta eſt gauiſurus. Cùmque pro ſæculari diuerſa ſit, ac pro Religioſo, ſi eam Religioſus ſumeret, multum contributio per Bullæ conceſſionem intenta minueretur, vt eſt manifeſtum. Sed quidquid de hoc ſit, difficultas præcipua reſtat, an ſcilicet ſæcularis abſolutè loquendo indigeat Bullâ ad fruendum gratiis, quæ Religioſis in ordine ad ſæculares conceduntur. In quo quidem affirmatiuam ſententiam tenent Trullench §.9. *Dub.* 3. *num.* 8. & apud eum Nauarrus, Sotus, Acoſta, Ludouicus Lopez, Fr. Emmanuel, qui contrarium priùs docuerat, ſed re meliùs perpensâ retractauit in *Additionibus ad* §.12. *Dub.*6. P. Eſcobar *Lib.*1. *Examine*, 17. *cap.*4. *v.*1. & alij.

Qui affirmantem teneant, quoad neceſſitatẽ in ſæculari.

Et quibus probent.

310 Fundamenta ſunt. *Primò*, tenor ipſe ſuſpenſionis iuxta formam Pontificiæ conceſſionis, in quibus ſolum excipiuntur gratiæ conceſſæ Regularibus *quoad eorum Fratres tantùm*: particula enim *Tantùm* aliquid debet operari: quod tamen ita non erit, ſi quoad ſæculares etiam exceptæ proferantur. *Secundò*; quia ſi ita non eſſet, Bulla nullius ferè eſſet momenti, & intentio Pontificis in eâ concedendâ fruſtraretur; aut certè maxima ex parte, quando id, propter quod præcipuè ſumi poſſet, ſine illâ liceret. *Tertiò*, quia ſic habet praxis: quando enim gratiæ aliquæ Religioſis conceſſæ publicantur, in ordine ad abſolutiones, commutationes, & ſimilia, à Commiſſario apponi ſolet debere Bullam Cruciatæ habere eiſdem fruituros. Vnde addit Trullench ſententiam oppoſitam non auſurum ſe in praxim deducere.

Contrariã qui amplectantur.

311 Sed nihilominùs illam tenent Ledeſma, Joannes de la Cruz, Graffis, P. Henriquez, & P. Thomas Sancius, quos adducit & ſequitur Diana *Parte* 1. *Tractat.*11. *Reſolut.*100. addens in praxi hodie ita obſeruari. Idem repetit *in Additionibus*, *Reſolut.* 23. vbi adducit Villalobos alios ex Doctoribus Salmanticenſibus congerentem. Sed labor ille in P. Henriquez præceſſit, qui *Lib.* 7. *Cap.* 28. *num.* 7. *in Gloſſâ*, *l.* Z. complures adducit Cardinalis Lugo *Diſput.* 20. *de Pœnitentiâ*, *num.* 146. apud quem P. Salas *in Expoſitione Bullæ manuſcripta.* Leander *Tomo* 1. *de Sacramentis*, *Tractat.*5. *Diſput.*12. *Quæſt.*57. Baſſæus *V. Priuilegium* 3. *num.* 5. *Verſ. Sed petes*, P. Mendus *Diſputat.* 29. *Cap.*9. & alij, multipliciter arguentes, & nos cum illis addentes aliqua; & alia aliqualiter illuſtrantes. *Primò*, quia priuilegia Religionum pro bono communi conceſſa, non ſunt reputanda vt ſuſpenſa, dum de illis expreſſa mentio non fit: ſunt enim adinſtar legum, quæ in iure communi continentur. *Secundò*, quia fauorabiliter interpretanda. *Tertiò*, quia ſtat cum prædictâ exceptione tenor verborum Bullæ, ſcilicet: *quoad eorum Fratres tantùm.* Nam facultas abſoluendi, commutandi, &c. ad Fratres tantùm ſpectat: neque enim alij præter ipſos poſſunt illis vti actiuè. Et prætereà particula illa poteſt ad priora verba referri, ſcilicet *Exceptis tamen conceſſis Ordinum Mendicantium ſuperioribus*: vt ſit ſenſus tantùm excipi illas, quæ præfatis conceduntur. *Quartò*, quia ſi ſæcularis vt fruatur gratiâ Religioſis conceſſâ, Bullâ indiget; ergo gratia reualidatur reſpectu illius quando eam accipit: atqui id ſtare nequit, quia gratia illa non erat ſæculari propria: ergo reſpectu illius non reualidatur: neque etiam reſpectu Religioſi, quia gratia reualidatur in eo, qui Bullam accipit: atqui Religioſus eam non accipit: ergo neque in eo reualidatur.

Rationes pro illa.

312 Arguitur item *Quintò*; quia nullo ex nominatis à Pontifice talis ſuſpenſio continetur, vt patet diſcurrenti per ſingula, ſcilicet Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia, loca pia, Vniuerſitates, Confraternitates, perſonas particulares. Vbi enim hîc Religioſi Ordines? Si dicas cum Ludouico Lopez nomine Monaſteriorum deſignatos, id minimè eſt conſonum: nam ea, quæ Religioſis Ordinibus conceduntur, non dicuntur Monaſteriis concedi, vt ex Bullis priuilegiorum apparet. Monaſteriis autem ſolent aliquæ Indulgentiæ concedi pro ea viſitantibus in Eccleſiis aut Capellis: ſolent enim Eccleſiæ vt diſtinctæ à Monaſteriis poni, licèt in Monaſteriis ſint, quia de Eccleſiis non Religioſis accipi ſolet Eccleſiæ nomen, vt patet ex Pontificiis Bullis, in quibus Eccleſiæ, quæ Regularium non ſunt, ſæculares vocantur, & ita Monaſteriorum Eccleſiis, vt contradiſtinctæ proponuntur: & ſimilis loquendi modus ei, quem Cruciata complectitur, habetur in Bullâ Pij Quarti prohibentis pro Iubilæorum expeditione quidquam dare, vel accipere, vt videri poteſt apud Cherubinum *Tomo* 1. *Bullâ* 382. cuius partem refert P. Quintanad. *in Appendice*, *Tractat.*2. *Dub.*5. *Pro quibuſcumque particularibus perſonis*, *ſeu Eccleſijs*, *Monaſterijs*, *Confraternitatibus*, *&c.* Vbi nequit dici Iubilæa Fratribus concedi, cùm tantùm concedantur eorum Eccleſias viſitantibus, licèt ipſi etiam lucrari ea poſſint: ſed certè non quatenus Religioſi ſunt, ſed vt fidelium nomine comprehenſi. Quod autem ait Trullench, ſi Monaſteriorum nomine non comprehenduntur, comprehendi nomine particularium perſonarum, inuероſimile proſus eſt: quia cùm concedantur omnibus gratiæ iſtæ, & nulli in ſpeciali, nequeunt dici particularibus perſonis concedi. *Sextò*, quia ſic conceſſit Pius Quintus, aut potiùs declarauit, vt teſtatur P. Henriquez *ſuprà*. *Septimò*, quia ſic habet praxis, ſcientibus, & tacentibus Commiſſariis, vt ait Cardinalis Lugo. His poſitis

Poſtrema collectio valde vrgens ex tenore ſuſpenſionis, & alijs.

Eccleſia à Monaſterijs vt diſtinctæ ponantur.

313 Dico Primò. Sententia hæc vltima omnino tenenda eſt, quia validis nititur fundamentis, & eſt pariter benignior: hîc enim quæ benignior meritò præferenda eſt, quia fauor iſte vtilitati coniunctus, dum eo vti ſecurè poſſumus ſine periculo illo, quod in Indulgentiis inueniri, dum fauorabiliores opiniones præponuntur, diximus *num.* 299. vbi & huius, quam modò rationem tradimus, fundamentum indicauimus: abſolutio enim & commutatio, aut diſpenſatio coram Deo valent, vt nequeat defectus poteſtatis abſoluentibus & abſolutis, diſpenſatis & diſpenſantibus imputari. Cumque circa hoc Commiſſarij non recla-

Vltima ſententia præfertur.

Illius vtilitas pro praxi.

reclament, neque Pontificem pro declaratione adeant, ex eo videtur reddi manifeſtum nihil illos in huius ſententiæ praxi deprehendere, quod contrarium Pontificiæ diſpoſitioni ſit, nec ſperare ſe poſſe quidquam, quod ampliùs vrgeat obtinendum: eò quòd Pontifices maximè curent, vt priuilegia ſua, & Religioſis præſertim conceſſa, quæ in commune bonum tendunt, exactiſſimè conſeruentur. Pro quo inter alia eſt Cap. *Quantò ampliùs*, de Priuilegiis, ibi: *Mandamus quatenus huiuſmodi ſententias in fraudem priuilegiorum noſtrorum de cetero non feratis; quia ſi ſuper hoc ad Nos clamor denuò aſcenderit, non poterimus conniuentibus oculis pertranſire, quia promulgatores talium ſententiarum ſeueritate debitâ caſtigemus.* Sic ibi: vbi ad Archiepiſcopos & Epiſcopos ſermo dirigitur ab Honorio Tertio in fauorem Cluniacenſium.

Pontifices ſua priuilegia conſeruari deſolerant.

314 Neque obiecta vrgent. Ad primum enim dicimus de ſenſu verborum in exceptione conſtare iuxta datam explicationem. Ad ſecundum, eo non obſtante, Bullam in magnâ æſtimatione habendam, cùm multa alia, maiori pretio dato, comparanda concedantur. Et praxis ipſa oſtendit nihil talem exceptionem obſtare, cùm vix ſit, qui Bullam non ſumat, etiamſi aliàs de Religioſorum priuilegiis notitia ſubſit, vel certè ſi non ſit, ex eâ parte nullum expeditioni Bullæ obſtaculum adhibetur. Ad tertium negatur praxim generaliter acceptam ſic habere, cùm de contrariâ fidem faciat Cardinalis Lugo. In Iubilæis quidem obſeruari id ſolet, vt ſine licentiâ Commiſſarij minimè publicentur, quia iudex eſt talium gratiarum ſpecialiter deputatus; licèt Iubilæi Anni Sancti, & ſimilium alia ſit ratio. Id autem, de quo agimus, diuerſum eſt, de quo ad eum non ſpectat iudicari, cùm à Pontifice circa illud ligatæ manus ſint exceptione præfatâ. Vnde timor Trullenchij deducendi in praxim ſententiam noſtram, non eſt cur debeat in aliorum cordibus reſidere, cùm de praxi tali conſtet, & eam non ſolus Cardinalis Lugo, ſed Diana etiam conteſtetur.

Contraria fundamenta diſſoluuntur.

Timor in illius praxi nullus.

315 Dico ſecundò. De Indis loquendo, ſine dubio aſſerēdum eſt eos ad vſum gratiarum, de quibus loquimur, Cruciatâ non egere. Id conſtat ex ampliſſima conceſſione Pontificum, & præſertim Gregorij XIII. per Bullam authenticam *die* 1. *Ianuarij Ann.* 1573. ad inſtantiam Philippi Secundi immortalis memoriæ Regis, quâ conceditur vt Indi, ſicut & nati ex Indis & Mauris, abſolui poſſint ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, & etiam ab hæreſi, ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis Indiarum, non obſtante reſeruatione hæreſis per Bullam non conceſſæ. Quâ facultate gaudent etiam Religioſi Mendicantes, & alij eorum gaudentes priuilegiis, in foro pœnitentiæ, vt aduertit Alfonſus à Veracruce *in ſuo Compendio. V. Epiſcopus*, & Fr. Ioannes Baptiſta *in animaduerſionibus pro Confeſſarijs Indorum, Pag.* 443. *Verſ. Circa hanc*, per ſpecialia ad id priuilegia generaliter conceſſa, vt tales Religioſi poſſint in foro dicto quidquid maioribus Prælatis conceſſum inuenitur. De quo priuilegio, & de aliis pro Indis conceſſis *inferiùs*, Deo dante, *Titulo* inquam 12. diſſeremus.

Indos Bullâ non egere pro gratijs de quibus agitur.

DIFFICVLTAS V.

De facultatibus non reuocatis pro Religioſis, & præſertim de illa quæ generaliter conceditur circa electionem Confeſſarij.

316 QVid facultas ſit dictum *num.* 281. & vix circa illas quidquam occurrit, in quo hærere poſſimus, ſuppoſitâ doctrinâ, quam circa Indulgentias & gratias præmiſimus: ſimiliter enim ac de gratiis philoſophandum, quia eadem prorſus fundamenta ſunt, ſi quæ occurrant, iuxta datam explicationem. Ampliſſimè enim interpretandæ ſunt, cùm in earum vſu periculum inualidationis non ſubſit reſpectu eius circa quod verſatur, & poſſit tali facultate vtenti vt culpabilis imputari. Stante autem licito vſu, non obſtante Bullâ, oriri circa illum aliquæ difficultates poſſunt, ſicut circa alia, quæ nullum ad Bullam reſpectum important, neque noſtri inſtituti eſt omnia huiuſmodi perſequi, ne moliminis nimium operoſi negotium ſine ſpe terminandi complectamus. Et talis equidem eſſe poterat quæſtio illa circa vſum altaris portatilis, qui priuilegio Pij Quarti conceſſus Canonicis Regularibus S. Saluatoris Lateranenſis *die* 18. *Maij Anni* 1565. vt quauis infirmitate detenti, quibus ratione illius, aut iudicio Medici, vel Superioris præſcripto, è cubiculis ſuis exire prohibentur, durante tantùm infirmitate, Miſſam in proprio cubiculo ſuper altari portatili, in loco tamen decenti & honeſto, per aliquem Sacerdotem, per eos iuxta libitum ſuum eligendum, celebrare faciant, & in cubiculis iacentis Miſſam audire, & Euchariſtiam ſumere poſſint ordinariorum locorum, ſeu quorumuis aliorum licentiâ deſuper minimè requiſitâ; & vt ipſi, ac Presbyter per eos eligendus Miſſam huiuſmodi reſpectiuè audiendi ac celebrandi, plenam & liberam licentiam & facultatem habeant. Prædictum autem priuilegium in vſu haberi ſatis apertè ſignificant qui illius mentionem faciunt, ſcilicet Paſqualigus *Deciſione* 174. & 176. Lezana *Tomo* 3. *v. Altare, num.* 16. P. Quintanad. *Tomo* 1. *Tractat.* 7. *Singulari* 34. *num.* 7. P. Pellizarius *Tractat.* 8. *Cap.* 2. *num.* 96. Diana *Parte* 9. *Tractat.* 1. *Reſolut.* 34. P. Dicaſtillus *Tractat.* 5. *Diſput.* 4. *num.* 104. Thomas Hurtadus *Tractat.* 12. *num.* 2228. Cardinalis Lugo in Tractatiuncula de viuæ vocis Oraculis circa priuilegia Societatis, *V. Miſſa poſt* §. 6. & illud Compendio Societatis addendum voluit R. P. Generalis Mutius Vitelleſcus, vt teſtatur idem Cardinalis.

Circa facultates ſicut circa gratias philoſophandum.

Priuilegiũ ſpeciale circa vſum altaris portatilis in cubiculis Religioſorum.

317 Circa quam conceſſionem admiratur Diana Pontificum liberalitatem, & modeſtiam pariter Regularium, qui parcè & rariſſimè illâ vtuntur. Quod quidem & ego ſic faciendum monuerim, licèt circa priuilegij valorem non videatur poſſe dubitari, cùm de illo conſtet, & poſt Concilij Tridentini publicationem fuerit, vt benè citatus Cardinalis obſeruauit: nam dubitari nequit quin in cubiculis infirmorum multa occurrant indecentiæ plenâ, quæ neque oculis aliorum poſſunt ſine offenſione præſentari.

Rarus illius vſus apud illos.

Quòd

Digitized by Google

Quòd ſi dicas ex eo fieri numquàm debere Miſſam in prædictis cubiculis celebrari, quia numquàm licet in loco indecenti id fieri, vt Pontifices præcauent quoties licentiam pro celebratione concedunt, vnde & in Bullâ noſtrâ præter licentiam Commiſſarij approbatio Ordinarij præſcribitur per viſitationem, & deſignationem, iuxta id, quod à Conſilio eſt Tridentino decretum *Seſsione 22. in Decreto de obſeruandis in celebratione* &c. & in priuilegio adducto id etiam ſtatuitur, vt ex eius tenore conſtat. Ad id dico, etiamſi ordinariè in prædictis cubiculis illa, quæ dicuntur, occurrant, & propterea non debeat Miſſa in illis frequenter celebrari; pro rariore celebratione aliam eſſe rationem: tum quia pro illa poſſunt decenter ornari & mundari cubicula, quod pro frequenti non poteſt moraliter ita præſtari: tum quia licet minùs aliquid decens adſit, ſtatus Religioſus, & locus ſacer, quicumque ille ſit, cùm in illo immunitas Eccleſiaſtica vigeat, & pars ſit Religioſæ habitationis, quæ ſanctitatem quamdam continet, vnde & Religioſæ domus ſanctæ & ſacræ compellantur: & præterea Religioſæ profeſſionis meritum, ſuo iure poſtulant, vt eo, quod minùs apparet decens, non obſtante, diſpenſatio aliqua circa celebrationem præbeatur. Sic enim pro celebratione in domibus ſæcularium priuilegium in Bullâ conceditur; cùm tamen certum ſit multa, quæ indecentia ſunt, in eiſdem reperiri: propter conuenientiam enim aliquam in eo poteſt diſpenſari, attentâ bonitate Chriſti immenſâ, quæ in hoc Sacramento elucet, vnde horrori non eſt ipſi cubicula immundiſſima ingredi, cùm pro Viatico defertur; & in ſtomachos fœtidiſſimos penetrare.

Cur non frequens liceat, cum frequens non ita.

318 Licet autem facultas infirmo tribuatur, vt poſſit celebrantem pro ſuo libitu eligere, & ſic electum facere vt celebret, nullius ad hoc licentiâ requiſitâ, cùm illis plena & libera ad hoc licentia & facultas præbeatur: non eſt tamen propterea Religioſa ſubordinatio ſubmouenda, quia id minimè veroſimile eſt in Religionibus, vbi illa exactè cuſtoditur. Vnde P. Quintanad. addit tunc Superiorem localem altare approbaturum, ſiue ex propriâ auctoritate, ſiue ex ratihabitione aut commiſſione præſumptâ Prouincialis. Quod videtur etiam probare Diana verbis citati Auctoris adductis. Verùm quod illi dicunt, non videtur pro debitâ ſubordinatione ſufficere, quia tantùm in altaris approbatione conſtituitur; cùm tamen etiam locus conſiderari debeat & tempus & perſona, & in electione celebraturi obſeruanda etiam eſt: cùm non deceat Superiorem ita ligatum priuilegio euadere, vt non poſſit negare quod infirmus petit, & minimè occupare electum in re aliâ, vt tunc forſitan oportebit. Exiſtimo ergo ſubordinationem erga omnia prædicta minimè tolli; quia id nequit de Pontificiâ prouidentiâ circa Regularem obſeruantiam præſumi. Et quemadmodum priuilegia conceſſa Religioſis, ſine præiudicio iurium Epiſcopalium debent intelligi prodiiſſe, vbi aliud ex eorum tenore manifeſtè non conſtat; vt habetur in Cap. *Paſtoralis*, de Priuilegiis, vbi ſic dicitur: *Ad quod reſpondemus, quod niſi in Indulgentia Summi Pontificis id contineatur expreſſum, ſuo Epiſcopo inconſulto in poſſeſſionem ipſarum eis non eſt licitum introire: quia per indulgentiam huiuſmodi Epiſcopali iuri non credimus derogari.* Hæc Innocentius Tertius. Pariter ergo iuri Prælatorum Regularium non eſt credendum derogari à Pontifice, vt iis inconſultis poſſit ſubditus in re momenti tanti independentiam omnimodam vſurpare. Et quidem ſi illa eſſet talis, non poſſet in vſu dicti priuilegij ea moderatio ſeruari, quia vnuſquiſque pro ſuo libitu poſſet celebrationem Miſſæ diſponere, & quod ab alio videret fieri, etiam & ipſe facere vellet, deuotionis titulo ad auctoritatem traducto, cum diſpendio Religionis.

Cum ſubordinatione ad Prælatos licitum.

Quam Pontifices maximè cuſtodiendam curant.

Cap. Paſtoralis, de Priuilegiis.

319 Poſſunt ergo Prælati ipſi id circa ſe infirmos præſtare, cùm ita maior eorum dignitas videatur poſtulare. Poſſunt & alij, quibus ſuo arbitrio agere permittitur, viri graues in Religionibus, in quibus non ſolet ſubordinatio exactè ſeruari: ſic enim illa non læditur, cùm certum ſit Prælatos id non ægrè ferre, aut fore laturos. Et tales profectò videntur illi, quibus prædictum eſt priuilegium attributum: erant Canonici Regulares, quibus conſtat laxiorem eſſe agendi rationem, vnde plus illis indultum, quàm aliis expedire poſſit quoad facultatis huius modum in ſui exercitio; licet quoad ſubſtantiam nihil detrahatur. In aliis ergo Religionibus, in quibus omnia iuxta obedientiæ præſcriptum tranſiguntur, cuncta ad exercitium tale ſpectantia cum ſubordinatione omnimodâ diſponenda ſunt, vt ſcilicet licentia ad vſum petatur, & iuxta illam cetera diſponantur. Quod in Societate noſtrâ ſic agitur, quando rariſſimè priuilegium iſtud in vſum venit: & aliter rem tractari, ſingulare eſſet in ſubordinatione, quam in omnibus ſolet ſeruare, portentum: & hoc modo vſus priuilegij dicti à R. P. Generali permiſſus. Ex toto autem Priuilegij tenore conſtat non poſſe eum, cui conceditur, Miſſam dicere, quod adnotaſſe oportuit; non enim defuerunt, qui extenſionem circa hoc non ſunt veriti practicari. Sed remota illa Doctorum prouidentia Prælatorum. Ratio autem limitationis eſt obuia.

Prælati circa ſe poſſunt quod circa alios in vſu dicto.

Qualis in Societate vſus.

320 An autem liceat vſus talis quando Religioſi extra clauſtrum ægrotant, & in domibus ſæcularium degunt, poteſt vlteriùs inquiri. Et affirmat Paſqualigus, quem refert, nec improbat P. Quintanad. Sed non videntur audiendi, vt ex tenore verborum priuilegij ipſius apparet, cùm in eo dicitur: *In cubiculis ſuis*: quod certè ad ſæcularium domos nequit aptari & multò minùs id quod additur; *In proprio cubiculo*. Vnde id negant Diana *ſuprà*, Hieronymus Garcia *Tract.* 3. *Difficult.* 8. *Dub.* 2. *Puncto* 3. *num.* 33. & alij, qui dicunt nullum priuilegium circa hoc eſſe in vſu. Et quidem vbi Cruciata publicatur, non modicam ſic celebrare faciens, & celebrans ipſe litis occaſionem excitabunt. Præſtat ergo ab huiuſmodi extraordinariis auſibus abſtinere. Quod & pariter dicendum de priuilegio alio Alexandri Sexti conceſſo Minoribus, cuius mentio extat in eorum Compendio *V. Miſſa.* 1. §. 7. & apud Emmanuelem Rodericum *Tomo* 1. *qq. regul. q.* 43. *artic.* 4. habereque etiam locum poſt Tridentinum, ſi Epiſcopi non obſtant, affirmat Thomas Hurtadus *Tract.* 12. *num.* 2225. de quo & agit Fr. Ioannes Baptiſta in *Animaduerſionibus* citatis

An liceat ægrotantibus extra clauſtra. Vbi contra nonnullos pars negatiua ſtatuitur.

Priuilegiū Minorum celebrandi in Cameris ſæculariū, quatenus accipiendum.

citatis V. Altare. num. 3. & ſeqq. In quo conceditur Fratribus prædictis vt poſſint celebrare Miſſas in cameris ſæcularium, vel in plateis, dato quòd non videantur loca honeſta. Affirmat autem idem P. Ioannes Baptiſta ſimile priuilegium Societati conceſſum à Gregorio XIII. Sexto V. & Gregorio XIV. Sed conceſſiones iſtas temporales fuiſſe, & iam earum tempus elapſum. Verùm nihil tale Societati conceſſum, ſed tantùm pro Indiis vſus altaris portatilis in quocumque loco decenti & honeſto. Vt videri poteſt in *Compendio Indico. V. Altare.* & in Bullis Pauli V. Vrbani Octaui, & Innocentij X. in quibus dicitur debere eſſe in loco decenti, & vbi non eſt commoditas Eccleſiarum, & in caſu neceſſitatis. Propter generalitatem autem conceſſionis videri potuit Auctori præfato priuilegium ad cameras ſæcularium extendi: cùm tamen in contrarium ſtet Iuris regula notiſſima, quòd in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet in ſpecie veroſimiliter conceſſurus. *in 6.* & cùm in tali priuilegio dicatur vſum eſſe in loco decenti debere, & ipſe Auctor fateatur cameras ſæcularium non videri loca honeſta: ex eo fit non debere generalem conceſſionem ad ea protendi.

Neque in caſu neceſſitatis admittendum. Et quid faciendum in illa.

321 Neque ex eo quòd caſus neceſſitatis apponatur, videri ſtatim debet in cameris ſæcularium poſſe celebrari, quando ſcilicet commoditas Eccleſiæ non eſt; quia tunc etiam locus aliquis diſponi poteſt, in quo honeſtiùs celebretur, quamuis ſub dio: vt cœlum ipſum templum ſit, & terra tamquàm ſcabellum pedum Dei ſuum etiam ſacrum miniſterium offerre videatur. Vnde idem Auctor ita ſcribit: *Aduertant tamen Religioſi ne vtantur priuilegiis concedentibus vt Miſſæ poſſint celebrari in Cameris ſæcularium, vbi ipſi dormiunt, & feminis non ſolùm ſuis, ſed fortè alienis coniunguntur. In quibus copulis, etiam licitis, aliqua aliquando obſcœna interueniunt. Indecentiſſimum enim eſt vti talibus priuilegiis & licentiis, ſimilibus in locis, niſi aliquâ vrgentiſſimâ neceſſitate inſtante. Nam dicit Doctiſſimus, nec non piiſſimus Mag. Sotus in 4. Diſt. 3. p. 3. art. 13. pag. 572. Col. 2. magis velle quem non audire Miſſam, etiamſi non poſſit ad Eccleſiam ad eam audiendam ire, quàm permittere vt in prædictis cameris dicatur: niſi eſſet perſona admodùm illuſtris, cum quo faciliùs diſpenſatur. Quæ verba maximè notent Fratres illi præcipuè, qui in populis Indorum, vbi commorantur Hiſpani, inhabitant. Nam nullus ferè eſt Hiſpanus, qui non credat, & ſe iactet talem eſſe, vt apud eum debeat ſacrum optimo iure celebrari.* Sic ille. Videndus etiam P. Suarius *Tomo 4. de Religione Lib. 9. de Societate. Cap. 3. num. 12.* vbi ait quòd licet à Religioſis Societatis poſſit miniſtrari Euchariſtia priuatim faciendo Sacrum in domo ægroti, in oratorio ſcilicet, aut loco alio eiuſdem domus; locum tamen debere approbatum eſſe ab Ordinario: & ita quoad hoc ſemper hoc miniſterium ab Ordinario pendere: obtentâ tamen facultate ad faciendum ſacrum, non fore neceſſariam licentiam aliam ad miniſtrandam Euchariſtiam, quia id ex vi priuilegij licet. Idem autem dicendum de Religioſis aliis, quia nulli ſunt maioribus gaudentes priuilegiis, quàm Societas IESV gaudeat, vt Compendia comprobabunt.

P. Fr. Ioan. Baptiſta.

Obſeruanda doctrina.

Ad miniſtrandam Euchariſtiam in Oratorio à Religioſo requiritur Oratorij approbato per Ordinarium.

322 Sed numquid ſi ſæcularis in Monaſterio decumbat, in eius poterit cubiculo celebrari? Negat Paſqualigus *Deciſione 177. citatâ.* Sed affirmat P. Quintanad. *num. 7. citato:* & Thomas Hurradus. *num. 2229.* quia pro hoc Regularium priuilegia ſuffragantur, cùm altare tunc in eorum domibus erigatur. Videtur dicendum virtute priuilegij citati Pij Quarti id minimè licere, quia apertè loquitur quando Canonici ipſi infirmantur, vnde nequit vllatenus ad ſæculares extendi. Quòd autem nec virtute alterius priuilegij id liceat, ex eo videtur efficaciter poſſe probari, quia priuilegium dictum vt maximè ſingulare ab omnibus æſtimatur, & ita, vt vidimus, R. P. Generalis Mutius in Compendio Societatis cenſuit apponendum. Ad quid autem opus illo, quando quod per illud conceditur, à ſingularibus poterat ſuorum priuilegiorum virtute præſtari? Deinde, licet verum ſit vſum altaris portatilis conceſſum fuiſſe Religionibus Mendicantibus, ſed id ante Concilium Tridentinum accidit, vt patet ex allatis à P. Quintanad. *num. 2.* & quæ pro Societate habetur conceſſio in Bullâ Pauli Tertij *Ann. 1548.* & incipit, *Licet debitum,* ſatiſque ampla eſt, dum per eam licet *habere Oratoria, & in eis, ac quocumque alio honeſto ac congruenti loco in Altari portatili, etiam tempore Interdicti Miſſas, & alia etiam diuina Officia celebrare:* etiam Tridentini publicationem anteiuit, in quo talia priuilegia reuocata cenſent multi per Decretum citatum *Seſſion. 22.* Item, quidquid eo in genere conceſſum eſt, aut eorum ſpectat commodum, & ita planum eſt ad Sæculares extendi non poſſe aut ipſorum miniſteria: ſic autem tantùm conceditur caſus neceſſitatis, vt vidimus *num. 320.* Atqui vt Miſſa dicatur in Cameris, in quibus ſæculares ægrotant, nulla neceſſitas eſt, quia Euchariſtia ex Eccleſiâ poteſt afferri, & audiendi ſacri præceptum non vrget: ergo non habet locum priuilegium reſpectu illorum.

Sæcularem ægrotantem apud Religioſos, an poſſit in eius cubiculo celebrari.

Vt non liceat efficaciter arguitur.

Oppoſitum tamen eſſe non inueroſimile oſtenditur.

323 Verùm hæc licet ſatis veroſimilem partem iſtam oſtendant, non videntur tamen oppoſitam penitus inueroſimilem comprobare. Nam priuilegia, quæ vſum Altaris portatilis intra domos præſertim Religioſas concedunt, ſuam vim obtinent etiamſi ante Tridentini publicationem conceſſa fuerint: quia Concilium ea non reuocat, ſed Epiſcopis tantùm præcipit vt non permittant *Miſſas priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda & à Sæcularibus aut Regularibus quibuſcumque peragi.* Atqui domus Religioſæ non ſunt priuatæ, & quæ intra ipſas, non ſunt omnino extra Eccleſiam, cùm tota domus Religioſæ velut Eccleſia habeatur, vnde & priuilegio immunitatis fruitur, vt *num. 317.* dicebamus. Præterquam quòd nulla ibi reuocationis forma eſt, & vbi illa non apparet, non eſt odioſè contra priuilegia pronunciandum. Poſſunt ergo Epiſcopi celebrationem prohibere, ſed non quamlibet, tantumque illam, cui non videtur loci decentia reſpondere. Quòd autem Cameræ Religioſæ decentes & honeſtæ ſint benè obſeruat Lezana adductus. *num. 316.* & à Diana etiam *Parte 6. Tract. 8. Reſolut. 10.* & quòd Conſilium non loquatur de celebratione intra domos Religioſas, ex eo videtur omnino ſimile vero, quia vix Epiſcopus ſcire poteſt quid

Concilium Tridentinū priuilegia Altaris portatilis non reuocaſſe.

Quidcirca id poſſint Epiſcopi.

intra

Digitized by Google

intra Religioſos parietes peragatur. Et ita non reuocata priuilegia per Tridentinum tenent multi, quos adducit & ſequitur Diana *Parte 9. Tractat. 1. Reſolut.* 34. P. Quintanad. *Singulari citato, num.* 1. & Fr. Ioannes Baptiſta *ſuprà, num.* 5. licèt plures addant, *Dummodò ab Epiſcopis non prohibeatur*, vt & Thomas Hurtadus *ſuprà, num.* 2225. Quòd intelligendum eſt extra proprias domos, aut intra, illas publicè tamen, & ſine decentia loci &
Rationes oppoſitæ diluuntur. ornatus. Et ita per hoc reſponſum eſt ad ſecundam rationem. Ad Primam autem dico concedi liberam illam facultatem eligendi celebrantem, ita vt Ordinarius contradicere nequeat modo explicato. Ad tertiam; licèt priuilegia aliqua caſum neceſſitatis exprimant, non ita alia, vt eſt citatum Pauli Tertij: ſufficit ergo ſpecialis congruentia, vt ſi fundator, aur Benefactor inſignis ægrotet: tunc enim valdè expedit, vt Religio vſu priuilegij ſui, quo ordinariè non vtitur, ſuam erga illos gratitudinem proteſtetur. Et hæc circa prædictam facultatem. Iam de aliâ, ad quam difficultas præcipua reuocatur.

Bullam Cruciatæ pro eligendo Confeſſario in ordine ad reſeruata ſine Prælatorum licentia minimè Religioſis ſuffragari.

Religioſos poſſe eligere Confeſſariũ in ordine ad reſeruata, quæ probent rationes. 324 NOn omnes capiunt, neque capient verbum iſtud, cùm ſint non pauci, qui contendant oppoſitum eſſe probabile, quòd ſibi ſufficere exiſtimant, vnde conantur quæſitis hinc inde rationibus & auctoritatibus poſitionem iſtam comprobare. Ex quibus illa præcipua eſt: nam Bullæ vſus Religioſis conceditur, ſicut & aliis, & circa electionem Confeſſarij nulla exceptio additur: ergo quemadmodum aliis conceditur illa in ordine ad reſeruata, ita & ipſis: nam qui totum dicit, nihil excludit, & in toto pars includitur, vt eſt Iuris regula vulgatiſſima. Et quidem cùm circa Religioſos aliquid ſpeciale voluit Pontifex, id Bulla in ipsâ declarauit, vt patet in eſu ouorum & lacticiniorum, quem diebus prohibitis noluit Religioſis indulgere; vnde & id expreſſit: ergo ſi excipiendos circa electionem Confeſſarij voluiſſet, vtique & expreſſiſſet. Cap. *Ad audientiam*, de decimis, & Cap. *Ad hoc*, de celebratione Miſſarum: præſertim cùm fauor ſit, & ita non negandus; cùm priuilegia in Bullâ conceſſa debeant amplè interpretari, vt volunt multi Doctores, quos adducit & ſequitur Dianâ *Parte 1. Tractat. 11. Reſolut.* 98. bonas indicans rationes; & alij item, quos cum adductis à Diana congerit P. Mendus *Diſput. 1. num.* 45. quos & ſequitur *num. 46. & ſeqq.* P. Quintanad. *Tomo 1. Tractat. 8. Singulari 5. num.* 3. & alij, qui inter cæteras rationes, quas afferunt, illam adhibent: quia ad abſolutionem meliùs obtinendam conducunt. Ex quo fit latam interpretationem in ordine ad electionem Confeſſarij adhibendam eſſe, cùm ad abſolutionem meliùs obtinendam dirigatur.

Doctorum auctoritas pro eâdem. 325. Accedit Doctorum complurium auctoritas ita ſentientium, aut probabile exiſtimantium, ex quibus ſunt Emmanuel Rodericus, P. Henriquez, Ludouicus Lopez, Dominicus Sotus, quos adducit Fr. Ioannes Baptiſta. *V. Cruciata.* Vbi ex Ludouico Lopez ait multos viros doctos huic parti ſuffragari. Baſilius Pontius, Ioannes Sancius, Ioannes à Cruce, Valerus, Clarus, Rius, Mendoza, Freytas, & plures Salmanticenſes Magiſtri apud Leandrum à Sacramento *Tomo 1. Tractat. 5. Diſput. 12. Quæſt.* 58. qui probabile reputat. Et apud Dianam *Parte 1. Tractat. 11. Reſolut. 14. & Parte 4. Tractat. 4. Reſolut. 43. & Parte 11. Tractat. 6. Reſol.* 37. vbi alios addit, ſcilicet Mug. Gallegum, & Martinum à S. Ioſeph. quorum ſententiam ait ſe non audere vt improbabilem reprobare. Trullench *Lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 9. n.* 11. vbi Religioſos Societatis in eâdem eſſe ſententiâ ait, & ab eiſdem practicari. Candidus, Cornejus, Euſebius de Herrera, & Thomas Hurtadus, quos allegat & ſequitur Benedictus Remigius in *Praxi Parochorum editionis, 4. Tractat. 5. Cap. 5. §. 4. à num.* 5. vbi mordicus pro iſtâ decertat poſitione. Et huius Auctoris opus approbans P. Ouiedus, vt ex eius Cenſurâ initio eiuſdem conſtat, videtur etiam ſententiam iſtam approbare, dum opinionum omnium delectum laudat in Auctore, & earum fundamenta. Eamdem poſt longum diſcurſum abſolutè non probans Thomas Hurtadus *Tomo 2. Tractat.* 9. non improbabilem pronuntiat, malè citato Dianâ *Cap.* 12. Pro quâ *Fr. Iuniparus à Drepano.*
ſingulariter certat Fr. Iuniparus à Drepano Minorita ex Reformatis ſtrictioris obſeruantiæ, Prouincialis Panormitanus, & Vrbani Octaui Capellanus Pœnitentiarius apud Lateranum, *in Tractatu de Caſibus reſeruatis, 1. Parte 2. Quæſt.* 5. qui *Cap. 15. & vltimo*, plures adducit ſubſcriptiones diuerſorum Ordinum Magiſtrorum, addens Patres Societatis ſubſcripturos, ſi per Conſtitutiones non eſſent impediti: *Cùm iidem nobis* (verba illius ſunt) *mirè perſuaſerint, vt eamdem opinionem typis mandaremus, tamquàm cunctis Regularibus quàm maximè neceſſariam: quorum nomina, bonis ducti rationibus, ſubticemus.* Sic ille.

326 Sed his non obſtantibus ſententia dicta *Non eſſe probabilem ab intrinſeco concluditur.*
per principia intrinſeca non apparet probabilis, quod expreſsè affirmat P. Suarez *Tomo 4. de Religione, Tractat. 9. Lib. 2. Cap. 16. num.* 9. vbi de Religioſis in praxi illam ſequentibus ſic concludit: *Ego verò exiſtimo eos magis fundari in ignorantiâ, putantes contrariam ſententiam eſſe practicè probabilem: quod ego mihi non exiſtimo.* Sic ille. Cardinalis *P. Suarez ſic teſtatur.* *Cardinalis etiam Lugo.*
Lugo *Diſput. 20. de Pœnitentiâ, num.* 198. ita ſcribit: *Hæc reſponſio multipliciter impugnari poteſt, & ſimul probari noſtra ſententia argumentis adeo claris, vt in re morali faciant demonſtrationem, & num.* 193. ita ſcribit: *Quidquid ſit de eorum auctoritate, qui id aſſeruerunt, qui fortaſſè re non ſatis examinatâ, nec fundamentis contrarijs viſis iudicarunt: iam tamen accedente declaratione Sedis Apoſtolicæ, quæ, vt vidimus, Confeſſiones illas irritas fuiſſe declarauit, ceſſare omnino quamlibet probabilitatis ſpeciem, quæ reuerà ſit probabilitas: ignorantia enim vel pertinacia alicuius, qui ſine ſufficienti fundamento teneat, vel dicat id eſſe probabile, quod probabile non eſt, non ſufficit ad acquirendam iuriſdictionem.* Sic vir ille ſapientiſſimus Romæ ſcribens, vbi de Pontificis mente notitiam habere potuit clariorem: licèt ad ſic pronuntiandum adeò vrgentia fundamenta ſint, vt & Romæ antipodæ, vel ſi remotiores quiquam ſimiliter poſſint & debeant iudicare. Magiſter Veracruz apud

Mag. Vera cruz.

apud Fr. Ioannem Baptiſtam *ſuprà*, ſic ait: *Modò per Gregorium XIII. datum eſt Fratribus Societatis, vt nullus à caſibus reſeruatis per Bullam poſsit abſolui ſine licentia ſui Prælati: & deſeruit Mendicantibus per communicationem: & hoc non intelligitur odioſum, ſed fauorabile, quia ad bonum Religionis in communi eſt. Et hanc quæſtionem proponit Auctor Compendij in V. Cruciatâ:

Auctor Compendij.

& concludit non eſſe ſecurum in conſcientiâ Religioſo vti Bullâ pro reſeruatis: & adducit Pontificum declarationes. Quæ notent Fratres pro ſecuritate & ſerenitate conſcientiarum ſuarum.* Sic illi: Diana

Diana.

Tractat. 11. Reſolut. 14. citatâ, ſic loquitur: *Tertia verò* (ſententia) *Ioannis de la Cruz, videant viri docti an ſit probabilis: nam ego illam non approbo: etſi eſſet probabilis, corrueret diſciplina Regularis.* Sic ille; qui *Reſolut. 43. citatâ, ex Tractat. 4. Partis 4.* Sic concludit: *& nota quòd in Conſtitutione Clementis Octaui, quam confirmat Vrbanus, non aderant ſupradicta verba, Quoad ſibi reſeruata: quæ quidem Summus Pontifex Vrbanus Octauus, vt credo, poſuit, ad tollendas quæſtiones omnes, & Doctorum opiniones.* Sic ille: videndus etiam *in Additionibus ad tres priores Partes Reſol. 9.* vbi improbabilitatem eiuſdem ſententiæ ſtatuit. Sicut & Baſſæus *V. Caſus reſeruatus num. 36. Verſ. Et licet*: vbi alios adducit: P. Luiſius Turrianus in *Selectis Parte 2. Diſput. 31. Dub. 35.* ita ſcribit: *Ego verò eam opinionem neque probabilem, neque tutam in conſcientiâ exiſtimo.* Hæc ille: P. Dicaſtillus *Tractat. 8. Diſput. 11. num. 357.* Card. Lugo ſecutus, P. Bardi *Parte 1. Tractat. 2. Cap. 5.* P. Mendus *Diſp. 24. num. 123 & ſeqq.* P. Eſcobar de Mendoza *in Theologiâ morali, Examine 17. Cap. 5. verſ. Nam Regulares*, videndus etiam *Tomo 1. Problematum, Lib. 7. num. 159.* P. Petrus Hurtadus de Mendoza; vbi phrænaticos paſſione vocat eos, qui contra voluntatem ſuperiorum vſum ſomniato priuilegio Bullæ pertentant, & ita ſubdit: *Benè meus doctiſsimus Magiſter Petrus Hurtado de Mendoza hanc animi ad crimina proni opinionem eſſe dicebat, qui ad delinquendi facilitatem captandam rationes non rationes quotidie excogitat.* Sic ille. Quibus grauiora proferunt Ludouicus Beia *3. p. reſponſ. moral. Caſu 16.* & Laurentius Portel *Tomo 2. Caſu 3. 4. & 5.* qui non contentus improbabilitatis cenſura, temeritatem adiungit, vt videri poteſt *num. 16. citati Caſûs 5.* Vterque autem conſequenter loquendo, ſicut & alij, iterandas reputant Confeſſiones. Pro quo & alij.

Qui inſuper amplectantur.

327 Et præter citatos pro improbabilitate contrariæ noſtram tenent quamplurimi videndi apud illos, & præſertim apud Cardinalem Lugo *num. 153.* P. Mendum *n. 121.* Leandrum *ſuprà.* Quibus addo P. Ildefonſum de Noreña Dominicanum apud Fr. Ioannem Baptiſtam *loco citato*, quem vocat ille doctiſſimum, & ſcripſit Compendium ante annos 60. Ex citatis autem pro contrariâ tenent Fr. Emmanuel *Tomo 1. qq. regul. quæſt. 22. artic. 10.* vbi abſolutè ſic ſtatuens, licèt addat in fine non audere ſe condemnare eos, qui Bullam in ordine ad prædictum effectum amplectuntur ob auctoritatem ita ſentientium; ſubdit tamen id, quod quæſtionem tollit, eſſe ſcilicet licentiam tacitam, dum Prælati vident, & tacent, neque leges prohibentes curant ſuis ſubditis intimare. Si ergo reſiſtant, aliter iuxta illum prorſus enuntiandum. Pro quo & videndus in expoſitione Bullæ *§. 9. num. 24.* P. Henriquez *Lib. 6. Cap. 16. num. 7.* reſpondenti in Gloſſa, *L. P.* vbi ait ex tacitâ Prælatorum licentiâ omnes ferè Ordines Mendicantes priuilegio Bullæ gaudere: & ita Prælatos priuilegio ſtricto renuntiaſſe, iuxta quod non licebat vti Cruciatâ, pro quo varias conceſſiones adducit; quod & repetit *Lib. 7. Cap. 22. num. 4.* vtrobique autem Societatem IESV excipit ob rationes apud ipſum videndas.

Fauent & plures pro contrariâ citati, ex quibus P. Henriq.

Et huic teſti omni exceptione maiori credere potiùs Trullench debuit, quàm aliis minùs fideliter atteſtatis. Sicut & *Decreto 5. Congregationis 6.* in quo vſus Cruciatæ ob declarationem Pontificiam improbabilis in Societate proclamatur, nec ſe quemquam debere ritè abſolutum arbitrari. Contra quod ſi qui minùs fideles filij pronuntient, parum eſt de eorum aſſertione curandum, quidquid Iuniparus fuerit proteſtatus. Ludouicus Lopez *Parte 2. Inſtructorij, Cap. 8. fol. 322. & 323.* docet quidem in Prætorio Cruciatæ ita practicari, vt Religioſi Bullâ quoad reſeruatorum abſolutionem vtantur.

Ludouicus Lopez.

Addit tamen dum Religioſis per ſuos Prælatos non intimatur aliqua reuocatio & declaratio Papalis, non debere inquietari, neque impediri à facultate ſibi conceſſâ. Cùm ergo declaratio Papalis extet, vt eſt perſpicuum, neque vna, ſed multiplex, de quibus *inferiùs*, nihil poteſt ex Auctore iſto contrarium allegari. Quod autem de praxi in Prætorio Cruciatæ addit, ad illa eſt referendum tempora, in quibus ille ſcripſit, & declarationes ita vrgentes non extabant. Vel etiam dicendum, practicari quidem, quia ex tacitâ conceſſione Prælatorum talis praxis inualuit, vt ex P. Henriquez nuper dicebamus. Sotus autem nihil habet aduerſum. Nam *in 4. diſtinct. 18. quæſt. 4. articul. 3. in ſolutione ad Primum argumentum*, ſic ait:

Dominicus Sotus.

Quod licet frequentia horum priuilegiorum aliquid detrimenti Religioni (vt Prælati aiunt) ſolita ſit afferre (nam videtur quòd libera facultas inſcio Prælato confitendi alteri, nonnihil incommodi regimini ſoleat inferre) nihilominùs poſtquàm Papæ placet parendum eſt: vel aliter ſi in hoc iactura Religionis, per eius auctoritatem huic iacturæ prouidendum eſt. Sic ille habet: ex quo nihil contra noſtram Aſſertionem: concedimus enim parendum Papæ, ſi placeat ipſi: negamus tamen placere, cùm de voluntate ipſius argumenta certiſſima teneamus. Non ergo fideliter præfati Auctores in cauſſam præſentem allegantur.

Vnica, ſolidiſsima, atque irrefragabilis probatio ex Pontificia auctoritate.

Decreta Clementis & Vrbani VIII. pro Aſſertione expreſſa.

328 Videri quidem apud citatos nonnulla Pontificum Decreta poſſunt, quibus apparet eorum voluntatis minimè fuiſſe vt Regulares priuilegio Bullæ quoad effectum dictum fruerentur: nobis autem duo ſint ſatis, adeò expreſſa vt non poſſint apparenti quoquam reſponſionis nubilo vllatenus obſcurari. Et illa quidem vno & eodem memorabili ſcripto continentur. In Bullâ equidem Vrbani Octaui *die 19. Iunij Ann 1630.* Pontificatus ſui *Ann. 7.* quæ Bullam Clementis Octaui commemorat, expreſsè habetur vt Regulares nequeant Bullæ priuilegio vti in ordine ad reſeruata, vſumque talem inualidum fuiſſe & fore. Verba illius poſt alia

hæc

Digitized by Google

hæc ſunt : *Sed noſtræ intentionis fuiſſe & eſſe, quod iidem Fratres, & Moniales, quantùm ad Sacramenti Pœnitentiæ, & Confeſsionis adminiſtrationem, ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum; & Sedi Apoſtolicæ, quoad ſibi reſeruata ſubiecti fuit, earumdem tenore præſentium perpetuò declaramus.* Sic Vrbanus omnino Clementi conſonans, pro quo ſic præmiſerat : *Quare idem Clemens prædeceſſor ſuâ perpetuò valiturâ Conſtitutione declarauit facultatem & conceſsionem S. Cruciatæ, & aliorum indultorum prædictorum quantum ad prædictum articulum eligendi Confeſſarium, & abſoluendi à caſibus reſeruatis, non habere locum cum Fratribus, & Sororibus Monialibus quorumcumque Ordinum & Congregationum cuiuſuis Inſtituti Mendicantium & non Mendicantium, tam in Prouincia Hiſpaniæ; quàm extra eam vbilibet conſtitutis neque eis ſuffragari: ſed eiuſdem Clementis prædicti intentum fuiſſe quòd iidem Fratres & Moniales, quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ ſeu Confeſsionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti eſſent.* Hæc ille. Et quid ad hæc dici, quod ſit veroſimile, queat? Nonnullas tamen reſponſiones quorumdam videamus : ſunt enim adhuc aliqui rebelles lumini : licet P. Mendus *num.* 144. affirmet poſt Breue prædictum, Auctorem nullum à ſe repertum contrariæ opinionis aſſeclam, immò nec vllum virum doctum è pluribus à ſe conſultis. Sed ſunt ſanè nonnulli obſtinatiùs aduerſantes, & ita quæ ipſi adducunt, & adducere alij poſſunt, oportet diluamus.

Prima reſponſio confutata.

Reuocata ab iiſdem conceſſione Bullæ, reſponſio minimè ſuſtinenda.

329 Dicunt ergo in primis Decretum dictum ab ipſiſmet Pontificibus reuocatum conceſſione Bullæ poſt ipſum publicatæ, in quâ facultas ad electionem Confeſſarij ſine reſtrictione tribuitur.

Sed Contrà eſt. Nam Pontifices in ſuâ Conſtitutione, eam aſſerunt perpetuò valituram : ergo manifeſtum eſt illam ab ipſis non ſtatim reuocatam, rebus eodem modo ſe habentibus, & motiuo talis Conſtitutionis ſuo in robore perſiſtente. Fuit autem illud, quod ipſi apertiſſimè protulerunt. *Detrimentum* ſcilicet *Regularis diſciplinæ* ex tali vſu deprehenſum penitus amouere. Nec quodlibet illud, *ſed maximum ſtatûs & obſeruantiæ regularis præiudicium* : quæ ſunt verba Vrbani Octaui. Quibus ſimilia habet Gregorius XV. in ſuo Decreto de quo Cardinalis Lugo *n.* 166.

Greg. XV. Decretum.

Cùm ratio doceat, & experimento compertum ſit Religionibus valde perniciosum exiſtere, vt eorum Religioſis licitum ſit Confeſſarium ſibi eligere. Hæc autem cura nequit in Pontificiâ Sede vllo vnquam tempore deficere : ergo nec ſtatim reuocatum credi poteſt, quod in ordine ad illud paullò fuerit antè diſpoſitum, clamantibus illis velle ſe vt diſpoſitio talis perpetuò perſeueret. In *Cap. Alma mater*, de Sent. excommunicat. in 6. ſic loquitur Bonifacius Octauus : *Alma mater Eccleſia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, & conſultè, quæ ſuadente ſubditorum vtilitate poſtmodum conſultiùs ac rationabiliùs reuocat, in meliuſque commutat.* Sic ille : qui ſtatim circa Interdicti obſeruationem nonnulla ſtatuit, eò quòd ex ſtatutis prioribus grauia inconuenientia ſequebantur.

Cap. Alma mater.

Rebus eodem modo ſe habentibus. Vt in caſu præſenti, contra Eccleſiæ ſpiritum eſſe mutationes.

Quia vero ex diſtrictione hujuſmodi ſtatutorum (verba eiuſdem ſunt) *excreſcit indeuotio populi, pullulant hæreſes, & infinita pericula animarum inſurgant* &c. Ex quibus manifeſtè conuincitur Eccleſiam non ſolitam mutare quod rationabiliter & conſultè ſtatuit, niſi quando ex ſic ſtatutis inconuenientia videat pullulare : atqui in caſu noſtro inconueniens nullum occurrit pro mutatione, ſed ipſorum Pontificum teſtimonio inconueniens erit ſemper magnum ſi ſtatum non perduret, vnde illud volunt perpetuò valiturum, & res in eodem ſtatu perſeuerant : ergo euidens eſt ab eorum mente alieniſſimam eſſe mutationem. Neque enim dici poteſt ex motiuo boni publici mutationem ſubſecutam : nam Decretum circa hoc ipſum verſatur, vt ſcilicet non obſtante reſpectu boni publici, quod Cruciatæ conceſſione prætenditur, Religioſis minimè talis facultas præbeatur : quia maius proculdubio detrimentum bono publico obuenire poteſt ex Religioſæ diſciplinæ relaxatione, quàm ex aliquali diminutione pecuniæ ad bella cõtra Infideles. Et ego quidem ſic arbitror, vnum obſeruantem Religioſum maius bono publico compendium afferre, & magis velificari Catholici Regis fortunæ felici, quàm ex iis plures, qui vt licentiam pro reſeruatis obtineant, ad Bullæ conuolant priuilegium, eleēmoſynis hinc inde conquiſitis.

Ex communis boni reſpectu euaſio nulla.

330 Sed aiunt Pontifices in eo, quod de Religioſæ diſciplinæ detrimento proferunt ex licentiâ prædictâ, non vt Pontifices, ſed Doctores particulares locutos : cùm in facilitate Confeſſionis huiuſmodi, ſua etiam commoda reperiantur : ne videlicet reſeruata habentes, & licentiæ obtinendæ difficultatem experti, grauiſſimas patiantur anguſtias, frequentia ſacrilegia committant, & in malorum profundum miſerrimè deuoluantur.

Pontifices vt Doctores priuatos locutos quorumdam effatum.

Contrà tamen. Nam vt demus id ita eſſe, quod aſſumitur, & Pontifices vt priuatos Doctores locutos, ratio adducta ſuam vim retinet. Nam quomodocumque illi de conuenientia cenſeant, cenſent tamen, & res in eodem ſtatu ſunt; teſtanturque ipſi ſe declarationem edere perpetuò valituram : ergo ſtat illa, ſtabitque, qualitercumque iudicium tale eiſdem tribuatur. Deinde, negari nequit quin totalis licentia in ordine ad Cõfeſſionem exitialis Religioſis ſit, quod oſtendi multipliciter poteſt. *Primò.* Quia omnes Religiones illam ſecundùm ſua ſtatuta repellendam iudicarunt. *Secundo.* Quia quamplurimæ apud Sedem Apoſtolicam ob vitandum damnum licentiæ talis pro impetratione priuilegiorum egerunt, vt Conceſſiones Cruciatæ, & ſimiles minimè licitæ ipſis haberentur : pro quo videndus P. Suarez *ſuprà num.* 3. & Cardinalis Lugo *num.* 154. aliique ex citatis. *Tertiò.* Quia alias reſeruatio non eſſet conueniens; quod eſt manifeſtè contra definitionem Tridentini *Seſsione* 14. *Cap.* 7. verbis illis : *Magnoperè verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere, Sanctiſsimis Patribus noſtris viſum eſt, &c.* Pro quo & eſt *Canon.* 11. *eiuſdem Seſsionis.* Atqui reſeruatio per licentiam dictam penitus ceſſat, quoad crimina ſcilicet, quæ frequentiùs Religioſum ſtatum poſſunt infuſcare, iteratâ ſcilicet toties quoties accederint, Confeſſione : & etiam circa reſeruata Sedi Apoſtolicæ, pro quibus

Quod euidenter improbatur.

Licentiam totalem pro reſeruatis perniciosam eſſe Religionibus.

Reſeruatio quàm conueniens. Concilium Trident.

licentia etiam, ſed cum vicium limitatione conceditur: ergo indubitabile eſt licentiam dictam eſſe ſtatui Religioſo admodum pernicioſam. Quod autem de anguſtiis prolapſi in reſeruata dicitur, reſeruationem probat penitus ſubmouendam. Rogo autem ſic arguentes, an in Prouinciis, in quibus Bullæ vſus non conceditur (& ſunt ſanè illæ multò plures) anguſtias ſimiles ſimiliter prolapſi patiantur? Fatebuntur equidem, ni velint diuerſam hominum naturam ſomniare. Tunc ergo quid illis faciendum? Dicent ab Apoſtolicâ Sede remedia pro eiuſmodi anguſtiis eſſe prouiſa. Benè quidem. Ergo & qui in Prouinciis ſunt, pro quibus Cruciata conceditur, eiſdem poterunt remediis ſubleuari. Vel certè Bulla pro omnibus Chriſtiani Orbis Religioſis concedenda eſt, ne ex licentiæ ad reſeruata defectu in malorum profundum deuoluantur. Eſt ergo reſponſio dicta omni rationis pondere deſtituta.

Inſtantia validiſſima.

Obiectio contra decretum ex declaratione inualidarum Confeſſionum.

331 Pergunt tamen, & vt vim Decreti Pontificij eleuent, obijciunt in eo aliquid non probandum contineri, ſcilicet Confeſſiones virtute Bullæ factas de reſeruatis fuiſſe inualidas, quod verba illa ſignificant iam adducta *num.* 328. *Conceſſionem S. Cruciatæ quantùm ad prædictum articulum &c. nec vllo modo ſuffragari potuiſſe.* Vbi mirari licet audaciam arguentis, qui Pontificis aſſertionem omnino ſuæ declarationi legitima conſequentia conformem, velut fundamento carentem inſimulat. An non, ſi facultas ad abſoluendum deficit, Confeſſio inualida dicenda eſt? Potuit quidem bona fides intercedere, & ſic non eſſe ſacrilega: ſed Pontifex abſolutè loquitur, vt omnes loqui debent quando Confeſſio fit iuriſdictione carenti. Quòd autem iuriſdictio defuerit, Pontifices declararunt, qui ante Clementem & Vrbanum in Romanâ Sede præſederunt, & videri poſſunt apud Emmanuelem Rodericum *Tomo 2. qq. regular. q. 62. artic.* 4. Beiam ac Portelium citatos, & alios, quos adducit Cardinalis Lugo *ſuprà. n.* 158. & juxta ejuſdem doctrinæ conſequentiam locuti Patres Congregationis 6. *Decreto* 5. *iam citato*, verbis illis: *Quare nec Sacerdotes abſoluere quemquam ad ſe cum reſeruatis caſibus accedentem præſumant: nec qui accedunt, tutos ſe vllo modo in conſcientiâ, quaſi ritè abſolutos; arbitrentur.* Sic illi.

Pontifices maximè conſequenter locutos oſtenditur: ob defectū iuriſdictionis in abſoluente.

Congregatio 6. Societatis

Vrbanum vt priuatum locutum Doctorem ſine Theologica nequit nota conſiſtere.

332 Verùm tolerabile quidem eſſet, ſi ratio aliqua à Pontificibus adducta ad oſtendendam diſpoſitionis conuenientiam vt à priuatis Doctoribus propoſita diceretur: quia id non ſemel accidere ſolet, quamuis in ea, de qua agimus, euidentia illius fuerit demonſtrata *n.* 330. Aſſerere autem Vrbanum in clauſulis dictæ Bullæ, vt Doctorem tantùm locutum, non video quomodo poſſit ſine notâ Theologicâ pronuntiari. Ex eo enim fit Bullam præfatam nullum maius pondus auctoritatis habere, quàm ſi à Maffæo Barberino prodiiſſet, & eâ ratione minus certè, quàm ſi à doctiore Theologo inter Reſolutiones fuiſſet Theologicas euulgata. Id quod in grauem Sedis Apoſtolicæ iniuriam conſtat redundare. Et hic philoſophandi modus ſtatim apparet quàm eſſe pernicioſus poſſit, præſertim quando ad introducendas laxiores opiniones vſurpatur. Rogo iam, an quando Pontifex Bullam concedit, vt Doctor procedat, an vt Chriſti Vicarius? Quis hîc hæreat? Si ergo vt Vicarius Chriſti?: ergo & cùm limitat, & mentem declarat ſuam, ſimiliter procedit. Euidens eſt illatio: ergo omnino irrationabiliter ad ipſum tamquàm ad Doctorem tantummodo prouocatur. Pro quo & facit apertè id, quod in eadem Bullâ Pontifex profitetur, dum ſic ait: *Ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, conceſſionem S. Cruciatæ &c.* Apoſtolicæ poteſtatis plenitudo, non Doctoris eſt, ſed Pontificis.

Nonnullæ aliæ disiectæ reſponſiones.

333 EX Bullâ Vrbani Octaui nullum nouum robur haberi ad probabilitatem ſententiæ oppoſitæ ex eo conantur oſtendere, quòd in ſubſtantiâ nihil ſpeciale addat Bullæ Clementis Octaui, ſed idem fuſiùs inculcet: cùmque ſtante Bullâ Clementis opinio iſta eſſet probabilis, idem dicendum ſtante Vrbani declaratione. Sed hoc nullius eſt momenti: demus enim ita eſſe quod dicitur, & nihil noui in Bullâ Vrbani contineri: negandum tamen quod aſſumitur; ſcilicet ſtante prædictâ determinatione Clementis opinionem dictam fuiſſe probabilem P. Suarez, Veracruz, Ildefonſus de Noueño, Fr. Ioannes Baptiſta, P. Petrus Hurtadus, Beia, de quibus dictum *num.* 326. & 327. ante Vrbani Conſtitutionem improbabilitatem præfatæ ſententiæ proclamarunt. Et pro eo militauit etiam Conſtitutio Pauli V. *die* 24. *Decembris An.* 1608. Clementis Decretum perpetuò confirmantis, & approbantis, de quo Cardinalis Lugo *num.* 155. Deinde Vrbani Bulla nouum robur addidit, quia Bullam Clementis innouauit & ampliauit, vt ex tenore ipſius conſtat. Verbis illis: *Præfataque Clementis declarationi inhærentes, illamque tenore præſentis innouantes, ac quatenus opus ſit, amplianteſ, motu proprio, & ex certa ſcientia &c.* Additum etiam illud, *Quoad ſibi reſeruata*, ad omnes quæſtiones tollendas, vt ex Diana poſitum *n.* 326. quamuis ſine verbis prædictis ſuam ſatis Clemens mentem expreſſerit, vt videri poteſt in adductis *num.* 328. & eorum quidem verborum ſenſus eſt alius, de quo Cardinalis Lugo *n.* 199. & nos *inferiùs.* Et Clemens quidem ad inſtantiam Procuratoris Carmelitani ſuum Decretum edidit, & ita non omnibus forſitan intimatum, aut ab eis acceptum, cùm omnium cauſſam ab vnius Religionis homine agitatam non viderent. At Vrbanus non ad alicuius inſtantiam, ſed ex certâ ſcientiâ, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſuam Conſtitutionem protulit, vt ipſe teſtatur. Habet ergo ſpeciale pondus, vt nequeat illi, niſi per affectatam pertinaciam contrairi.

Bullam Vrbani nouum robur non addere Clementinæ, & ita probabilitatem non tollere, aliquorum reſponſio. Qua tamen apertè conuellitur.

Vrbani verba.

334 Vrgent tamen; ſi tamen vrgere poteſt qui tantùm vellicare contenderit veritatem. Si ita eſt quòd Clemens, Paulus, Vrbanus, & alij, Bullam quoad reſeruata Religioſis nolunt ſuffragari, cur in Bullâ ipſâ id ab ipſis non additum, quo omnis quæſtio tolleretur? Dum ergo non additum, ex eo videtur fieri nolle eos à beneficio Bullæ circa prædictum articulum excludere Regulares. Ad quod dico: Pontifices propter rationabilem

Obiectio ex eo quòd clauſula exceptionis à Pontificibus non apponatur.

Digitized by Google

Fit illi ſatis.

rationabilem aliquem reſpectum nolle Bullæ textum alterare, ex eo enim forſan offenſionis aliquid Catholicis Regibus pararetur. Vel certè, ſi oſtenſio nulla in ipſis timeri poſſit, quod ego arbitror, Pontifices tamen ab omni illius occaſione prudenter temperare. Vnde cùm Pater Didacus de Torres Villalpandus Peruuianæ IESV Prouinciæ Procurator cum Clemente Octauo de hoc ageret, & ſupplicationem ſuam humiliter propoſuiſſet, reſpondit Pontifex ſanè prudentiſſimus: *Viſne inter me, & Regem Hiſpaniæ rixas excitari?* Sic virum illum narrantem audiui, magnum equidem, & inter primarios Occidentalis huius Tractus Euangelicos Miniſtros meritiſſimò numerandum. Prætereà; non eſt in Bullâ Clauſula prædicta, ſed pluribus habetur in Bullis ad hoc tantùm deſtinatis. Qui ergo parerent clauſulæ in Bullâ contentæ, debent profectò tot clauſulis extra illam occurrentibus pari exactione parere, & verò crediderim etiam clauſulæ in Bullâ appoſitæ aliquid opponendum, ne leuamentum conſcientiæ ad crimina pronæ, vt ex P. Hurtado *num.* 327. dicebamus, adeò facilè & obuium deſit, tot hucuſque ſiniſtris interpretationibus comparatum. Poſſe in Bullâ ita clauſulam ſubiici, *Exceptis Regularibus quoad reſeruata.* Dicent intelligi de reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, de quibus pro aliis conceſſio præceſſerat, & non de reſeruatis inferioribus Prælatis. Addatur ergo, *Quoad Prælatis reſeruata.* Dicere poterunt accipiendum id non de reſeruatis quibuſlibet, ſed certi generis, illis ſcilicet, quæ ex ſe reſeruata ſunt Sedi Apoſtolicæ. Sed quia occulta ſunt, Prælatis reſeruantur, ſicut Epiſcopis ea, quibus eorum ſubditi fuerint innodati, juxta Concilij Tridentini determinationem *Seſſione* 24. *Cap.* 6. Cùm enim non excipiantur reſeruata Sedi Apoſtolicæ, ſed tantùm Prælatis, debent eſſe hæc eiuſdem ordinis cum Papalibus; non autem alia, in quæ homines cadere frequenter ſolent, id enim videtur inueroſimile. Vel dici poterit determinationem illam Pontificis circa exceptionem fundari in falsâ informatione Procuratorum, & contra voluntatem Religioſorum factam petitionem; aut ab eiſdem, ſeu maiori eorum parte non admiſſam: & ſic aliter. Pro quo quidem erunt fortè qui faueant Tribunalis. S. Cruciatæ miniſtri, arbitrantes obſequium ſe præſtare Regi, cùm tamen nihil ingratius eius poſſit Religioſiſſimæ accidere voluntati.

Prudens Clementis VIII. reſponſum.

Etiam appoſitæ clauſulæ nõ deſuturas euaſiones.

Reſponſio alia ex eo quòd Bulla Vrbani nõ admiſſa, neque publicata.

335 Reſpondent inſuper Bullam prædictam non receptam, neque obſeruatam à maiori parte Communitatum Religioſarum, quibus neque à Prælatis notificata, & ita probabiliter non obligare, ſecundùm receptas circa hoc doctrinas, pro quibus ſpecialiter Iuniperus *ſuprà, num.* 12. qui & publicatam negat *Cap.* 3. *num.* 16. Quæ reſponſio ſatis eſt infirma. In primis enim ſi à Prælatis notificata non eſt, quia ipſi parum de hoc curant, neque ægrè ferunt Religioſos ſuos Bullæ beneficio vti, illa eſt tacita licentia, iuxta dicta, ex quâ ſequitur Bullam prædictam ex ſe obligare. Et idem ſimiliter ſequitur ex eo quòd recepta non ſit, ſi id conſtaret, aut neceſſarium eſſet. Ceterùm quod ad notificationem attinet, ſuſtineri nequit; quia per Bullæ ipſius verba apertè conuellitur, in qua ſic dicitur: *Vt autem præſentium tenor omnibus innoteſcat, volumus eas in valuis baſilicæ Principis Apoſtolorum, & in acie Campi Floræ de Vrbe, vt moris eſt, publicari, ipſaſque ſic publicatas, omnes & ſingulos vbique exiſtentes ita afficere, ac ſi omnibus perſonaliter intimatæ eſſent.* Hæc Pontifex: iuxta quæ ad obligationem ſola notitia ſufficit quomodolibet comparata, & ſatis illa eſt ad omnes deriuata Religioſos, cùm circa illius obligationem quæſtio adeò frequens habeatur: ex quibus & publicatio conſtat. Non eſſe autem neceſſarium vt ab omnibus, aut maiori parte Communitatum acceptetur, ex eo euincitur, quia de priuilegio agitur, cuius reuocatio iis inuitis, ad quos pertinere poterat, ſtare poteſt, ſicut & limitatio ac declaratio. Pro quo videri poteſt P. Suarez *Lib.* 8. *de Legibus*, *Cap.* 40. *num.* 7. Quòd ſi dicas cum P. Palao *Tomo* 1. *Tractat.* 3. *Diſput.* 4. *Puncto* 21. §. 5. *num.* 1. & alijs, reuocationem priuilegij debere eamdem publicationem habere quam lex, dum per legem fit: illa certè in præſenti extat, vt ex adductis verbis Bullæ conſtat: vnde non eſt neceſſarium, vt per reſcriptum ſpeciale, aut per nuntium intimetur. Videatur Trullench *ſuprà, num.* 27. qui morti proximus ſententiam reuocauit.

Satis infirma monſtratur.

Notificationem ſpecialem nõ eſſe neceſſariam.

De publicatione conſtare.

Pro reuocatione priuilegij ampliorem non neceſſariã.

336 Eſſe inſuper aliud perfugium ſic per Bullam conſtrictis poteſt, ex eo quòd de illâ ſit à Commiſſario Cruciatæ juſſu Regis noſtri Philippi Quarti ſupplicatum, vt teſtatur Iuniperus *citato Cap.* 3. *num.* 21. & ex Illuſtriſſimo Araujo ſic atteſtante refert Leander *ſuprà* adductus, & ex eo P. Mendus *num.* 128. ſtante ergo ſupplicatione dictâ, obligatio Bullæ ſuſpenditur, juxta multorum doctrinam, quos adducit Iuniperus dudum citatus, & *num.* 22. & *ſeqq.* vnde ſaltem erit probabile quod intenditur, ſicut erat ante illam. Sed hoc non vrget, nec ſatisfacit: nam ex eo ſit Bullam ex ſe obligationem inducere, aliàs de illâ ſupplicatum non fuiſſet. Deinde; ſupplicatio effectum non habuit, aliàs id fuiſſet præconis voce, & tubis benè ſonantibus publicatum. Quòd ſi Rex ipſe ſupplicationem iniunxit, vanum eſt argumentum illud quorumdam, Cruciatæ ſcilicet priuilegium, cùm Regi conceſſum ſit, non intelligi reuocatum: jam enim Rex ipſe reuocatum intellexit. Præterquàm quòd ſuppoſitio eſt falſa, reuocari ſcilicet priuilegium: id enim reuocatur quod conceſſum fuerat: numquàm autem hoc per Pontifices eſt priores conceſſum, vt oſtendimus, ſi vnum aliquem ex antiquioribus excipiamus. Eſt ergo declaratio priuilegij, & non reuocatio. Vbi conſideratio Iuniperi refellenda venit, dum *Cap. vltimo citato num.* & *ſeqq.* ait Bullam Vrbani effectum non habuiſſe, quia *Anno* conceſſionis 1630. accepit magnam aureorum ſummam pro conceſſione, & ita fuit contractus oneroſus. Quòd ſi reuocatio pro Religioſis effectum habuiſſet, multùm debuiſſet ex tali ſummâ reſtitui, quia ſic minoranda contributio, & collectio pecuniæ; quod tamen non ita factum; vnde & conſtat illius mentem non fuiſſe contrariam. Quo in diſcurſu ſatis à ratione alienum apparet Regem noſtrum datâ pecuniâ conceſſionem Bullæ obtinuiſſe. Quamuis enim ex ſummâ collectâ debeat certam aureorum quantitatem pro fabricâ Eccleſiæ D. Petri conferre, in quo nihil apparet abſurdi: quòd tamen

Supplicatũ Pontifici reſponſio alia.

Validè refutata, & cum inſtãtiã manifeſta.

Contractum Pontificem nõ deſiiſſe, & Iuniperi cõſideratio, & narratio reiecta.

Digitized by Google

conceſſio Bullæ datâ habeatur pecuniâ, in more eſſe non ſolet, nec decere videtur Apoſtolicam Maieſtatem. Vnde Portel *ſuprà*, *Caſu* 4. *num.* 1. Cenſurâ dignam affirmat ſimilem aſſertionem de contractu oneroſo. Potuit autem citatus Auctor ex præfatâ collatione ad anteriorem publicationem pertinente, æquiuocatione huiuſmodi laborare. Deinde, etiamſi Bulla Vrbani effectum habuerit, nihil debuit ex receptâ ſummâ reddi, quia ipſe Bullam conceſſit more aliorum Pontificum, & præſertim Clementis Octaui: atqui illi eam Religioſis in ordine ad effectum dictum minimè conceſſerunt: ergo contractus non includendo conditionem illam circa Religioſos eſt celebratus; & ita ex eo illa non reſultat obligatio. Si tamen tale aliquid conſtet acciddiſſe, ex quo contra Aduerſarios potiùs argumentum inſurgit, quia Pontifex accepit dictam ſummam, & tamen prohibuit Religioſis vſum dictum, nullâ in ſe reddendi quidquam obligatione recognitâ.

Regiſtro in Concilio Indiarum non eguiſſe Vrbani Bullam.

337 Ne autem quis obſtrepat, & in Indiis non obligare Bullam Vrbani contendat, ex eo quòd non ſit in Regio earum Concilio regiſtrata; ſtatuendum eſt vti certiſſimum, Bullas vniuerſo Orbi Chriſtiano communes, aut eas, quæ regnis Hiſpaniæ ac Indiis tales ſunt, ſine regiſtro prædicto, etiam attentis Regiis legibus, vim obligandi habere: quia leges Regiſtrum ſtatuentes, de iis procedunt Bullis, quæ pro Indiis ſpecialiter expediuntur: vt videri poteſt apud Emmanuelem Rodericum *Tomo* 11. *qq. regul. q.* 35. *artic.* 2. & quidquid de hoc ſit, ea quæ ad Cruciatam ſpectant, ad Regium Concilium non auocantur, ſed ad Concilium Cruciatæ ipſius, & cùm Bulla ad patronatum Regium non ſpectet, & ea, de quâ agimus, ſolam priuilegij limitationẽ & declarationem contineat, indubitabile eſt nullo ad obligandum regiſtro penitus indigere.

Vulgaris exempli diſcuſſa caligo.

338 His ergo pro euidentiâ poſitionis noſtræ præmiſſis, reſtat ſolùm ad vulgare exemplum quo res iſta declarari & componi videtur, reſpondere. Prohibet Pontifex per Bullam adductam vſum Cruciatæ Religioſis quoad præfatum articulum: ſed poſteà illam ipſe, aut alius concedit nullâ adhibitâ limitatione: huic certè poſteriori determinationi parendum. Quemadmodum ſi Prælatus jubeat alicui ne cras domo exeat, etiamſi ipſe vt exeat eidem iubeat, aut copiam exeundi faciat: poterit is juſſione, aut licentiâ ſubſecutâ exire; quia hìc & nunc jubenti obſequendum eſt, & aliàs poſitâ licentiâ licet: aut ſi exeat, non eſt propterea damnandus, quia jure ſuo vſus eſt. Sed leue ſatis hoc eſt; cùm ex adducto exemplo potiùs oppoſitum colligatur. Is enim, cui ſic juſſum eſt, juſſione ſubſecutâ exire nequit, quia ſic expreſsè eſt eidem intimatum, & talis juſſio habere debet effectum poſito illo additamento, quod rationabiliter poteſt poni ob finem aliquem; aliàs nullius momenti eſſet. Secùs erit ſi dicat Prælatus vt exeat non obſtante prohibitione heſternâ, jam enim tunc prohibitio reuocatur. Cùm ergo Pontifex expreſsè dicat non eſſe ſuæ voluntatis vt Bulla proſit Religioſis quoad effectum dictum, etiamſi de prohibitione tali mentio in Bullâ non inſeratur; quando illam ſine prohibitione concedit, priori diſpoſitioni ſtandum omnino eſt. Quòd ſi ipſe aliud velit, declaret & exprimat in Bullâ ipsâ. Et vtinam declaratio, quæ oportet, obtingat, vt moleſtiſſimæ iſtæ controuerſiæ ceſſent, Religionum conſulatur commodo, tranquillitati, decoro. Licèt enim expreſſione conſtante non ſint modum in ſcirpo quærentes defuturi, *vt num.* 334. dicebamus; pauciores tamen erunt huiuſmodi homines, & doctis non fauentibus, eorum tandem pertinacia penitus comprimetur.

Ad ſecurâ tenendam viâ negotio in præſenti vehemens adhortatio.

339 Omitto alia, pro quibus videri citati poſſunt, neque enim inſtituti mei eſt iſta ex profeſſo proſequi, ſed veritate firmatâ, nonnulla à modernioribus obiecta diſſoluere, ne aliqui nouioribus iſtis delectati, non per viam ſalutis incedant, ſed Matris Eccleſiæ, & doctiſſimorum hominum hortamenta ſectando, in ſecuro ſuas conſcientias ſtatuant, quo nihil ſolicitiùs accurãdum. *Videte itaque, fratres, quomodo cautè ambuletis; non vt inſipientes ſed vt ſapientes*; vt verbis vtar Apoſtoli *Epheſ.* 5. *v.* 15. Videntur ſiquidẽ vt inſipientes, & ita non cautè ambulare, qui vnius aut alterius ſummiſtæ ſententiam arripientes, relicto ſapientiſſimorum Theologorum lumine, ſalutis ſuæ negotium in apertum diſcrimen adducunt. Ergo *domus Iacob*, electorum beata propago, *venite, & ambulemus in lumine Domini. Iſaiæ* 2. *v.* 5. vt vitæ lumen à Chriſto promiſſum conſequi mereamur. *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*: pleni inquam periculis, & mortis inopinæ incurſione terribiles. Et quiſnam erit, cui ſub mortem opinionum iſtarum non torqueat amplexus, de incerto remedio peccatis adhibito, formidoloſo, anxio, trepidanti, & inter extremas anguſtias deprehenſo? Per tuta ergo, per ſolida, per plana, per dilucida, & placida gradiamur.

Epheſ. 5. v. 15.

Iſa. 2. v. 5.

Circa nouitios quomodo fauorabilior Bulla.

Nouitij integrè valere Bullã qui cenſeant.

340 POſſe illos beneficio illius integrè frui, ex multorum ſententia colligitur, quos adducit & ſequitur Diana *Parte* 3. *Tractat.* 2. *Reſolut.* 4. *& Parte* 4. *Tractat.* 4. *Reſolut.* 5. aſſerentes Nouitios quoad electionem Confeſſarij eamdem quam ſæculares, habere facultatem, quia caſuum reſeruatio pro Religioſis illos non comprehendit. Et hanc eſſe communiorem ſententiam ipſe & alij teſtantur: licèt non contemnendi Auctores ſint, videndi apud ipſum, & apud P. Gaſparem Hurtadum ſimiliter ſentientem *Diſput.* 11. *de Pœnitentiâ*, *Diffic.* 7. qui contrarium tueantur: & præter adductos à Dianâ pro ſententiâ ſuâ, illam tenent P. Mendus *ſuprà*, *num.* 172. Baſſæus *V. Caſus reſeruatus*, *n.* 41. apud quem præter alios Tamburinus *de iure Abbatum Tomo* 2. *Diſput.* 13. *quæſt.* 5. P. Bauny *Tom.* 1. *tractat.* 4. *q.* 21. P. Palaus *Tomo* 3. *tract.* 16. *diſp.* 1. *Puncto* 10. *n.* 9. vbi ait id P. Suarium tamquàm certum tradere *Tom.* 4. *de Religione*, *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 12. vbi de hoc nec verbum. Qui tamen *cap.* 16. *n.* 10. probabilius eſſe ait Bullæ priuilegio gaudere, quia non habent integram ſubiectionem, & propter alias rationes, de quibus ſtatim. Quidquid ergo de reſeruatione ſit, quoad effectum dictum cum P. Suario ſentiunt P. Palaus *ſuprà*: licèt teneat Nouitios ita eſſe exemptos

Digitized by Google

emptos à iuriſdictione Epiſcopi & Parochorum, vt nequeant ab illis abſolui in eâdem diœceſi ſeu Parochiâ, ſiquidem Religionis exemptio etiam Nouitios comprehendit: quod ex P. Suario hauſit *numer.* 14. 15. & 16. quibus addendum id, quod habet *idem Cap.* 19. *num.* 1. P. Eſcobar *Examine* 17. *Cap.* 5. §. *Quid de Nouitiis.* Qui etiam vt iuris communis id poſſe affirmat, quia onus eſt reſeruatio, à quo illi deobligantur. P. Mendus *ſuprà* & alij.

Aſſertio 1. Nouitiorũ peccata poſſe reſeruari.

341 Dico primò. Pro Nouitiis locum habere poteſt reſeruatio. Sic Corduba Vmbertus, P. Luiſius Turrianus, P. Suarez, & P. Vaſquez apud P. Hurtadum *ſuprà.* P. Layman *Libr.* 4. *Tract.* 5. *Cap.* 4. *num.* 4. *verſ.* Colligitur Quartò. P. Mendus *num.* 172. Quod in Societate ſic ſtatutum in *Regulâ.* 7. *Magiſtri Nouitiorum*, quæ ſic habet: *Habeat hic idem Magiſter Nouitiorum poteſtatem ordinariam abſoluendi à caſibus reſeruatis Nouitios, qui ſub ipſius curâ degunt; niſi eius Superiori hæc facultas aliquâ de cauſſâ reſtringenda videretur.* Sic Regula: quæ quidem conſilio doctiſſimorum facta, vt obſeruat P. Hurtadus.

Regula Societatis id ſtatuen.

Eſt autem pro Aſſertione ratio ſatis efficax ex omnimodâ exemptione deſumpta: nam Nouitij omnino exempti ſunt à iuriſdictione Epiſcopali, & conſequenter ab omni aliâ inferiori, & ita cùm ſpiritualis in Superiores eſt Religionum tranſlata, vnde & dari illis Confeſſarios poſſunt, etiam non approbatos ab Epiſcopis ſicut & Religioſis, qui iam vota Religionis emiſerunt: ergo & poſſunt Confeſſariis talibus iuriſdictionem in ordine ad peccata aliqua limitare. Patet Conſequentia: quia hac ratione poſſunt limitare pro aliis, ſcilicet quia limitatio talis ad abſolutam poteſtatem ſpectat in ordine ad ſpiritualem gubernationem, pro quâ valde conueniens eſſe poteſt. Quis autem dubitet conuenientem eſſe pro Nouitiis, ad quorum fundandam conſcientiæ puritatem hoc maximè expedit; ſicut ad capiendam experientiam in ordine ad vitam reliquam? Id quod confirmari poteſt ex eo quod aiunt Auctores aliqui ex adductis, vt videri præſertim poteſt apud Dianam, & Baſſæum, Nouitium, qui pro reſeruatis Confeſſarium ſiue ſæcularem, ſiue Regularem quæreret qui non eſſet ex aſſignatis, à Religione expellendum: ergo talis reſeruatio maximè congruit ad Nouitiorum probationem.

Ratio efficax ex omnimoda exemptione.

Doctrina apertè ſanens bonorum Auctorum.

Quamuis circa hoc cautè loqui oporteat: neque enim ſciri poteſt reſeruata aliquem eſſe confeſſum, niſi ex manifeſtatione eius, qui confeſſus eſt, aut Confeſſarij. Et Nouitium quidem non manifeſtaturum videtur clarum, cùm propterea Confeſſarium extraordinarium quærat, vt ſcilicet lapſus ſui minùs ſint Superioribus manifeſti. Confeſſarium etiam ſeruaturum ſecretum, quod cum obligatione ſigilli excepit, dubitari nequit: ergo praxis circa hoc, vt ſcilicet ad expulſionem deueniatur, difficilis eſt.

Notanda Cautela.

Aſſertio 2. Nouitios poſſe à reſeruatis per Bullam abſolui.

342 Dico ſecundò. Nouitij, etiamſi reſeruationis legibus teneantur, vbi id ita conſtitutum eſt, Bullæ beneficio vti poſſunt, ſecundùm valde probabilem opinionem, quam citati Auctores tenent, & prætereà Moure; Ledeſma, Acoſta, & Villalobos, quos adducit & ſequitur Diana *Parte* 1. *Tract.* 11. *Reſolut.* 15. Non eſt autem facile id probare, quia cùm hoc debeat ad voluntatem reduci Pontificum, de illâ non admodùm conſtat. Et quidem Clemens Octauus in *Decreto de Reformatione Nouitiorum* §. 94. ſic ſtatuit: *Ipſi autem ſoli Magiſtro Nouitiorum Confeſſiones audiendi curâ committatur: liceat tamen Superiori etiam locali, ſi ita expedire iudicauerit, vel per ſe ipſum, vel per alium deputandum, ſemel aut bis in anno eorumdem Nouitiorum Confeſſiones audire.* Sic ille.

Decretum Clementis Octaui.

Iuxta quæ ſatis intelligitur non eſſe voluntatis Pontificiæ vt nouitij laxam circa Confeſſarij electionem habeant facultatem; cùm circa hoc minorem illis concedat, quàm Profeſſis, pro quibus Confeſſarios plures iubet in ſuo Decreto de caſibus reſeruatis aſſignari. Si ergo Nouitij legibus ſunt reſeruationis adſtricti, non licebit illis Cruciatâ vti quoad illa, quâ mens Pontificum in eorum fauorem (ſi tamen fauor iſte dicendus eſt, qui in detrimentum Religionis vergit, vt in ſimili ait P. Palaus *ſuprà* cum P. Suario) minùs quàm in alios inclinata reperitur. Quòd ſi ad communem rationem de oneribus Religionis, à quibus liberi Nouitij ſunt, recurramus, fallit certè illa in onere reſeruationis, ſub cuius ſuppoſitione procedit Aſſertio: ergo & in Bullæ beneficio, quod eſt conſequens, ſicut & in Profeſſis ob eamdem rationem. Nihilominùs quia graues Doctores ita ſentiunt, & quod ad reſeruationem attinet non eſt prorſus certum, tutò ſuſtineri & practicari poteſt quod ipſi tradunt, accedentibus rationibus congruentiæ, quas adducit P. Suarez: & ea inter alias, quòd Religio ex hoc non videtur graue pati detrimentum, quod Pontifices ſuis Decretis amoliri ſtuduerunt. Et certè non mirum ſi nuper naufragio eiectus in littus, vt Diuus Hieronymus loquitur, è ſæculi inquam occaſionibus in portum Religionis, ſalſas quas bibit aquas, non penitus reuomuerit; ſi adhuc ſibi ræ peccatorum hæreant paulatim euellandæ.

Quæ pro illo ratio ſuffragetur.

Aſſertio 3. negans de Profeſsis ſub cura Magiſtrorum, & Religioſis Societatis non Profeſsis.

343 Dico tertiò. Qui poſt emiſſa Religionis vota ſub curâ Magiſtrorum ſicut Nouitij ſunt, Bullæ beneficio frui nequeunt patet: quia verè Religioſi ſunt, & Pontificium Decreta de veris Religioſis determinant. Vndè & eos, qui in Societate IESV vota Religionis emiſerunt, & nondum Profeſſi ſunt, eo non gaudere ſine vllâ eſt prorſus dubitatione tenendum. Secùs autem ſentiendum de Oblatis, ſeu Donatis: ij enim, cùm Religioſi non ſint, neque in viâ aut probatione ad illud, vt Nouitij, ex nullo capite impediuntur quominùs gaudere beneficio Bullæ queant. Quando autem iſti ſe ſuaque omnia Religioni deuouerunt, vnde & cura ſpiritualis eorum omnino eſt ad Superiores Religionis traducta, videtur non inueroſimile, poſſe pro illis peccata aliqua reſeruari, quia hoc ad eorum ſpiritualem profectum poteſt pertinere. Tunc autem amplior eis tribuenda facultas ad Confeſſarij electionem.

Circa Oblatos quid.

De Religionibus Militaribus.

Religiones non Mendicantes priuilegio Bullæ gau.

344 POſſe illas indulto Cruciatæ frui quoad articulum, in quo ſumus, tenet Trullench; immò & quaſi actum ſupponit *Dub.* 9. *citato num.* 3. pro quo citat P. Henriquez *Libr.* 7.

Cap.

Digitized by Google

dere quoad reſeruata, non vero à Trullenchio aſſertum.

Cap. 22. num. 4. L. Y. vbi de Religionibus Militaribus nihil in ſpeciali habet, ſed generaliter de non Mendicantibus loquitur, quia illæ non comprehenduntur Decretis Pontificiis prohibitionem continentibus. Quod quidem doctus Pater dicere veroſimiliter potuit eo, quo ſcribebat, tempore, ante ſeptuaginta ſcilicet annos, non tamen Trullench eius auctoritate ſubniti, cùm haberet expreſſas poſteriorum Pontificum deciſiones de Religionibus Mendicantibus, & non Mendicantibus expreſsè procedentes, vt videri poteſt in adductis *num.* 328. Eas tamen non vidiſſe ex eo apparet; quòd cum eodem Patre & Emmanuele Roderico, idem quod de Militaribus aſſeruerat, ad non Mendicantes extendit, cautè addens: *Attendendus tamen eſt indulti tenor. Vnde ſi tantùm loquatur de Mendicantibus, non eſt extendendum ad non Mendicantes: quia exceptio firmat regulam in contrarium.* Sic ille. Non ergo poteſt, vti aduerſans, citari in ordine ad non Mendicantes. Quoad Militares autem ex eo id probat, quia ita videtur deduci ex clauſulâ illâ, vbi in prohibitione veſcendi ouis & lacticiniis pro Regularibus facta non comprehenduntur Militares. Sed benè P. Mendus *ſuprà num.* 274. conſequentiam negat, quia ex vno aliud non ſequitur: immò ex eo quòd ibi exceptio facta ſit, & non in reſeruatione, contrarium colligitur, arguendo vt ipſe Trullench arguit, quòd exceptio firmat regulam in contrarium. Excipiuntur quoad oua & lacticinia, & non quoad alia; ergo nihil licet circa illa. Adde circa oua & lacticinia ſpecialem rationem ſuccurrere ex eo quòd Militares ſint, & ita non debeat ieiunij tenor ab eiſdem cum omni ſuo rigore poſtulari, cùm viribus maioribus egeant ad armorum tractationem.

Neque pro Militaribus benè arguit ex priuilegio ouorum & lacticiniorum.

345 Nihilominùs ſatis veroſimile exiſtimo Religioſos dictos, qui ſcilicet Milites ſunt, Cruciatæ indulto gaudere, quod ex verbis Bullæ Vrbani colligo adductis *num.* 328. ſic enim habet loquens de ſimili Decreto Clementis Octaui: *Declarauit facultatem & conceſſionem S. Cruciatæ, & aliorum indultorum prædictorum, quantum ad prædictum articulum eligendi Confeſſarium, & abſoluendi à caſibus reſeruatis, non habere locum cum Fratribus & Sororibus Monialibus quorumcumque Ordinum &c.* Milites autem Regulares non ſolent in communi vſu vocari Fratres, ſed ij tantùm, qui apud illos Ordines ad Clericalia officia profitentur. Deinde, in Militaribus deficit motiuum Pontificiæ deciſionis: diſpendium ſcilicet obſeruantiæ Regularis, vt ex tenore litterarum conſtat, de quibus. *num. citato.* Nam Milites iſti in ſæculo viuunt, & more item ſæcularium, peccatorum occaſionibus implicari: & ita ſiue facilis ſiue difficilis abſolutio ſit, eodem modo illorum, vitæ curſus tranſigendus, vel certè non erit magni momenti differentia. Item, ob inſtantiam Religionum Mendicantium, & Monachalium, indulta ſunt illis multa conceſſa vt earum Religioſi non poſſent Cruciatæ conceſſione quoad reſeruata gaudere, vt videri poteſt ex adductis à Baſſæo poſt alios. V. *Caſus reſeruatio. num.* 36. *verſ. & licet.* & Trullench *Dub.* 9. *citato. n.* 6. Pro Militaribus autem nihil tale occurrit: ergo ſignum eſt deciſionem ad illas non pertinere. Tandem Præcipua cura Sedis Pontificiæ in cauſſa præſenti circa Mendicantes verſatur, vt conſtat per exceptionem, in illarum gratiarum reuocatione in Bullâ appoſitam: ad hanc autem gratiarum conſeruationem limitationem quoad reſeruata ſpectare, probant plures ex adductis, & præſertim P. Suarez *Cap.* 16. *citato. n.* 4. & Cardinalis Lugo *ſuprà. num.* 170. *& ſeqq.* qui ex eadem ſpecialem rationem pro Mendicantibus ſubeſſe, vt certum ſtatuit, cùm tamen de aliis ſubdubitare videatur: ſic enim ait. *num.* 179. *Ad hoc facilè reſpondetur, ſub illa vniuerſitate verborum non comprehendi Regulares, ſaltem Mendicantes. &c.* Si ergo neque de Monachalibus adeò ſolicita cura eſt, de Militaribus certè non videtur adeò vrgens, vt eas voluerit licentiæ tantopere earum ſtatui congruentis omnino expertes remanere. Quòd ſi eas quoad hoc non expreſſit, cùm expreſſerit quoad alia, ideò eſſe potuit, quia circa alia id erat neceſſarium exprimi, quod circa articulum aliorum ſatis compertum ex fine Bullæ ipſius videbatur. Eſt ergo poſitio iſta probabilis. Iam ad aliam.

Melius ex verbis Vrbani colligitur.

Alia pro eodem coniectura.

Card. Lugo.

Electio Confeſſarij pro non reſeruatis an liceat beneficio Cruciatæ.

346 AFfirmant Emmanuel Rodericus, & Ludouicus à Cruce apud Trullench *Dub.* 9. *citato. n.* 25. quos & ſequitur Leander. *Tomo* 1. *Tract.* 5. *Diſp.* 12. *Quæſt.* 62. P. Quintanad. *Tomo.* 1. *Tract.* 3. *ſingulari* 18. P. Eſcobar Examine 17. *citat. Cap.* 5. *verſ. Num. Regulares.* P. Mendus *Diſput.* 24. *Cap.* 18. Quorum fundamenta ſunt. *Primò.* Quia ex toto tenore Bullæ, ſiue procemium attendamus, ſiue deciſionem, neque Clemens, neque Vrbanus aliud indicant quàm reſeruata: *quantùm ad prædictum articulum eligendi Confeſſarium, & abſoluendi à caſibus reſeruatis.* Sic mens Clementis declaratur, quæ vt iacent ab Vrbano approbantur, & innouantur: cuius & illa verba: *Diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ, quoad ſibi reſeruata ſubiecti ſint.* Sic ille poſtquàm eadem verba protulit, quæ pro mente Clementis declarandâ præmiſerat, & à nobis adducta. Narratiua autem Procuratoris Carmelitani ſolos caſus reſeruatos ſonat, pro quibus attributa libera electio, in detrimentum Regularis diſciplinę redundabat. *Secundò.* Quia pro negãdo beneficio iſto ſaltem non eſt mens expreſſa Pontificum: ergo cùm de onere ſubmouendo agatur, in partem eſt benigniorem inclinandum: quia iuxta Iuris regulam, Odia ſunt reſtringenda, & fauores ampliandi. Neque dici poteſt non eſſe odium, quod in fauorem Religionis tendit, & maiorem ſecuritatem animarum: nam hac ratione nulla erit quantumuis onerandis poſitio, quæ fauorabilis non ſit: quandoquidem, quidquid ius Canonicum diſponit, ad ſalutem animarum dirigitur, atque ad vitanda peccata: & ſi ad Religioſos ſpectet, ad Religionis etiam bonum non conſtet ordinari. *Tertiò.* Quia ex hac facultate non ſequuntur inconuenientia quę ex reſeruatis: hæc enim grauiora crimina ſunt, pro quibus facilis abſolutio eſſe non debet; vt difficultas ipſius frænum ipſorum criminum habeatur. Vnde non reſeruata poteſt quis pluribus confiteri qui pro illis in Religioſis domibus aſſignantur. *Quartò.*

Pro non reſeruatis valere Bullam qui cenſeant.

Eorum fundamenta.

Clementis & Vrbani verba.

iò. Etiamſi licentia iſta aliquomodo deroget Religioſæ diſciplinæ, ratione boni publici poteſt damnum illud compenſari; maiora enim ſic damna euitantur, infidelibus ſuperatis, ex quorum potentiâ grauiſſima poſſunt in Eccleſiâ damna formidari: quod quidem in licentiâ ſæcularibus conceſſâ pro reſeruatis Sedi Apoſtolicæ fateri neceſſè eſt. *Quintò*; quia ſicut ſummum ius non eſt ius, ſed iniuria: ita Religioſorum libertatem in anguſtias redigere, in deſtructionem potiùs erit, quàm in conſcientiæ ædificationem, & non reſeruati, innumeriq; caſus exiſtimabuntur reſeruati; ſiquidem nec virtute priuilegij vllius, nec Cruciatæ, ab aliquo mortali abſolui poſſunt Regulares niſi à deputatis, quod maximè repugnat menti Pontificum adeò limitantium caſuum reſeruationem, vt ex Decreto Clementis VIII. præſertim apparet. *Tandem* in facultate iſtâ non ſolùm attenditur ad commune bonum ob cauſam dictam, ſed etiam quia ad illud ſpectat, non ita arcum inflecti vt frangatur, & nullus aditus pateat reſpirandi animabus præ pudore in commiſſis penè periclitantibus: ſi præſertim ordinarij Confeſſarij auſteriores, ac ſcrupuloſiores iuſto cenſeantur: & Confeſſarius extra Religionem, vt decet, non eſt quærendus, nec de ignaris aut minùs timoratis eligendus.

347 Sed profectò adducta non vrgent; quia aut nihil probant, aut nimis, ex quo etiam fit nihil probare, vt iam oſtendo

Primum diſſoluitur, ex Bulla Clementis & Vrbani nihil haberi contrarium.

Ad primum. Exordium Bullæ, & poſtulatio Procuratoris non vrget, cùm conſtet deciſionem Pontificiam ad alia extenſam, quæ poſtulatio non continebat. Procurator enim cauſſam ſuæ Religionis agebat, & tamen deciſio ad omnes eſt Mendicantes directa, ex quibus eſt Carmelitana, nec ſolùm ad Mendicantes, ſed etiam ad non Mendicantes. Item, poſtulatio de Monialibus nihil continebat, & tamen ad illos eſt etiam deciſio prorogata. Quòd autem de reſeruatis loquantur Pontifices, eſt quidem veriſſimum; ſed quòd de iis ſolis, non ita; cùm generalis deciſio eam non habeat limitationem: *Sed quòd idem Fratres, & Moniales quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti eſſent.* Quæ ſunt mera Bullæ verba. Vbi ſi dicas intelligenda juxta præcedentia & ſequentia: *Quantùm ad prædictum articulum eligendi Confeſſarium, & abſoluendi à caſibus reſeruatis*, nihil certè ex eo conficitur; cùm potiùs oppoſitum ſequatur: duo enim ibi dicuntur, ſcilicet non licuiſſe electionem Confeſſarij, neque abſolutionem à reſeruatis. Et licet negari nequeat aliquando particulam, &, expoſitiuam eſſe: quod tamen hoc loco id habeat, gratis aſſeritur. Et quòd non debeat ſic accipi, ex *inferiùs* appoſitâ clauſulâ colligitur, in quâ de reſeruatis nihil. Benè verum eſt quòd ſi electio Confeſſarij tantùm negaretur, conſequenter erat facultas pro reſeruatorum abſolutione negata: ſed oportuit eam exprimi, quia de eo præcipuè agebatur, & poſtulantes de alio forſitan non curarent, ſeu maioris claritatis gratiâ, vt in adductâ clauſulâ: *Quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis adminiſtrationem*: vbi ſat erat *Sacramentum Pœnitentiæ* dixiſſe, cùm conſtet illud eſſe Sacramentum Confeſſionis, ſed maioris id claritatis gratiâ geminatum. Propter quam rationem addi aliquando clauſulas, & ita non eſſe inutiles, obſeruat Couarruuias *Lib.2. variar.c.5.n.9.* Pro quo & videndus P.Th.Sancius *in Opere morali lib.2.c.22.n.20.*

Illius verba.

Clauſula maioris claritatis gratiâ adſolita.

348 Verba autem illa, *Diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ, quoad ſibi reſeruata ſubiecti ſint*, non item aduerſantes iuuant, ſed vrgent: vt enim teſtatur Cardinalis Lugo *n.199.* eorum ſenſus eſt, circa Sacramentum Pœnitentiæ Religioſos ſuorum Prælatorum diſpoſitioni ſubiectos eſſe debere, ſed non ita vt ſubiectio talis ad reſeruata Sedi Apoſtolicæ debeat extendi: vnde eidem Sedi quoad ſibi reſeruata debent eſſe ſubiecti, illius circa ea diſpoſitionem amplexi. Quem ſenſum quia non ita exprimebant verba Clementis, ideò ab Vrbano prudenter adiecta: & ita ſibi teſtatum Illuſtriſſimum Maraldum, qui Bullam præfatam Vrbani juſſu conſtruxit; vehementerque admiratum, quod in illo alio ſenſu, quem Moderni contendunt, potuerint accipi, cùm in eâdem Bullâ totum Clementis Decretum innouetur. Illuſtriſſimus, & Eminentiſſimus Cardinalis atteſtatur: qui tunc quidem Cardinalis non erat, eſſe tamen meruit; vt de illius nequeat fideliſſimo teſtimonio dubitari. Ad quod quidem aliqua minimè ſolida video reſponderi. Dicitur enim Illuſtriſſimum Maraldum quando conſultus fuit, fortè legitimi ſenſûs oblitum. Item eum quidem in eo poluiſſe ſenſu, quem affirmauit; ſed ab Vrbano in alio, qui planior & fauorabilior eſt, cùm Bullam legeret aut lectam audiret, verba prædicta comprobatâ. Quin etiam, cùm res ambigua ſit, non debet vnius Maraldi atteſtatio rationum efficaciam infirmare.

Vera intelligentia verborum Bullæ, quæ malè aduerſantes accipiunt.

Quædam minimè ſolida reſponſiones.

349 Sed quis non videat hæc inconſultiùs pronuntiari? Miratur Illuſtriſſ. Maraldus nouum illum verborum ſenſum, & rationem reddit ex eo quòd Clementis Decretum fuerit innouatum; & tamen oblitum illum aſſeritur eius, quod ante annos tres cum tantâ fuerat animaduerſione & conſultatione diſpoſitum. Quòd autem in vno poſitum ſenſu, & in alio approbatum Decretum, indigna eſt viro ſapienti coniectura, etiam generaliter loquendo, cùm deciſiones Pontificiæ juxta mentem Pontificum conſtruantur exactiſſimâ conſultatione præmiſſâ, & recognitione ſcriptorum: quod ſi non vt certiſſimum jaciatur fundamentum, Pontificiæ poterunt deciſiones, vt vitio incertitudinis quoad ſenſum verborum laborantes improbari. In caſu autem noſtro id eſt ſpeciale, quòd clauſula dicta prudenter eſt ab Vrbano adiecta, quia in Decreto Clementis, vt *ſuprà* dictum, non ita expreſſum habebatur. Licèt autem vnius alicuius dictum non debeat rationum efficaciam infirmare: quando tamen rationes omnes ad auctoritatem, circa quam verſatur dictum illud, reuocantur, maximi profectò momenti illud eſt: & teſti de facto proprio deponenti integra fides adhibetur, vt ex Innocentio, Aretino, Surdo, & aliis, habet Marius Antonius *Lib.3. variar. Reſolut.17. num.2.* Nec rationes ita efficaces ſunt, vt is, qui ſic reſpondet, arbitratur, cùm facillimam habeant ſolutionem.

Deijciuntur illa, teſtimonio Illuſtriſſimi Maraldi roborato.

Teſti de proprio facto creditur.

350 Ad ſecundum ſatis eſſe apertam mentem Pontificum, vt ex dictis apparet, quorum attentio ſingularis circa regularem obſeruantiam excubat, nolentium debitam ſubordinationem infrin-

Secundum infringitur ex ſubordinatione Religioſa, quæ

Pontifices merè affectant.

infringi, in quâ potiſſimum Religionis ſubſtantia conſiſtit. Vnde Auctores ſententiæ propoſitæ docent Regulares non poſſe Bullam ſumere, quæſitâ ad id eleēmoſynâ, quia Pontifices nolunt circa, hoc regularem obſeruantiam relaxari. De quo dictum *ſuprà*, *num.* 255. & 319. & videri poſſunt Trullench §.3.*dub.*1.*n.*11. & P.Mendus *diſp.*4.*n.*19. vbi ſic ait: *Quare ſentio Pontificem voluiſſe, vt regularis diſciplinæ obſeruantia vigeret in cunctis, ſubditum etiam in acceptatione Bullæ à Prælati voluntate pendere, opuſque illi eſſe facultate ipſius.* Sic ille pergens in probatione: ſi ergo circa acceptionem ita Pontifices expedire iudicarit, cùm tamen res ſit ſatis exigua, nec materia peccati mortalis, juxta receptiſſimam ſententiam, pecuniæ quantitas, quę à Religioſis exigitur: id quod eſt euidentius in Indiis: quantò potiori jure credendum velle id in re tanti momenti, qualis eſt illa, de quâ agimus vt nulla maior poſſit inueniri? Siue ergo fauor, ſiue onus ſit, ſic volunt Pontifices, ſic Religionis bono conducit, ſic conſcientiarum ſecuritati conſulitur, ſic recta ad cælum paratur via, anfractibus labore plenis & periculo manumiſſis.

Ideò Bullâ ſine licentiâ ſumi non poſſe.

P. Mendus.

Tertium diluitur oſtenſione inconuenientium.

351 Ad tertium. Licèt detrimenta non ſint eadem, quæ ex licentiâ pro reſeruatis, ſunt tamen non leuia; & ſatis graue inconueniens eſt continuatâ licentiâ vt quis Confeſſario extra Religionem confiteatur, pro quo plures Religiones ſpecialem prohibitionem habent. Sed occurrit P.Mendus optimâ præcautione, *num.*191. dicens Confeſſarium debere eſſe virum doctum, timorataque conſcientiæ, qui attento confitentium ſtatu, medelam ſciat eorum malis apponere, additque: *& debebit profectò non eligere Confeſſarium extra Religionem, aut ſaltem non ſæcularem: rectius quippè Confeſſarius intra ipſam Religionem, aut ſaltem alius Regularis, communiter callet, quæ ſint munera & obligationes Religioſorum, poteritq́; commodiùs conſulere bono ſpirituali Pœnitentis, & æquâ lance rem totam ponderare.* Sic ille, piè quidem & congruè. Sed rogo iam, quotuſquiſque erit, qui huiuſmodi hortamenta ſectetur; cùm experimentis conſtet eos, qui ſic ambulant, & optimos in Religione Magiſtros habent pro conſcientiarum regimine conſtitutos fugiunt, ad indoctos & ineptos ſæpè diuertere, & moribus ſibi conſimiles, quos putant nihil miraturos in alijs, cùm in ſe ipſis peiora, aut peſſima deprehendant? *Debebit profectò*, dicitur; quod ab Auctore alio deſumptum: ſic enim ſcripſerat P.Quintanad. vt in fine, *n.* 346. ex eodem poſitum, de quo ille *ſuprà*, *n.*11. atqui tales decentiam non curant. Patet: nam quid decentius quàm ſpirituales Patres à ſuperioribus maturo conſilio ad gubernandas conſcientias deſignatos adire, quales Clemens VIII. in ſuo de reſeruatione Decreto deſignari iubet verbis illis: *Superiores ſinguli in domibus deputent duos, tres, aut quatuor Confeſſarios pro ſubditorum numero maiori, qui ſint docti, prudentes, & charitate præditi, qui à non reſeruatis eos abſoluant, &c.* Hac ergo decentiæ lege contemptâ, qui poſſit iam de talibus, quod deceat eo in genere quiſquam ſibi veroſimiliter polliceri? Prædicta ergo bona quidem verba, ſed verba tantummodò ſunt legenda in libris, ſed in libris effæta & languida relinquenda.

Cautio P. Mendi ſuperuacua.

Quales deſignandi Confeſſarij ex Decreto Clem. VIII.

Quartum diluitur, ex contributionis exiguo ſubſidio.

352 Ad quartum. Damnum ex tali licentiâ proſerpens tunc quidem compenſabile contributione à Religioſis factâ pro Bullæ conſecutione cenſendum, cùm ita Sedes Apoſtolica iudicauerit: hucuſque tamen aliter iudicaſſe. Prætérquàm quòd incredibile eſt damnum, quod ab Infidelibus timeri poteſt, ſubſidio Regularium, quod non magnum eſſe poteſt, compenſandum. Quod ſi modica illa pecunia tanti ducitur, eam Prælati per capita ſubditorum libenter attribuent vt detrimentum ex laxitate licentiæ huiuſmodi progerminans amoliantur: & ſæcularium quidem diuerſa valde ratio eſt, ex quibus grandis poteſt pecuniæ ſumma recolligi, & à quibus non ea exigitur vitæ perfectio, quæ debet in Religioſis elucere.

Quintum & ſextum apertè ſoluuntur.

353 Ad quintum & ſextum, ſi quid habent roboris, id contra reſeruationem, aut Religioſam diſciplinam auctoritate Sedis Apoſtolicæ conſtitutam militare. Si ſummum ius non eſt ius, ſed iniuria, eò quòd Religioſi à nullo mortali abſolui poſſunt niſi à Deputatis, ergo vbi Cruciata non publicatur, in maiori inquam Orbis Chriſtiani parte, ſummum ius eſt ſumma iniuria: & ita dum Clemens VIII. vt vidimus *n.* 351. iubet vt Confeſſarij pro non reſeruatis deputentur, ſummam Religioſis iniuriam irrogabit. Quomodo autem contra mentem illius ſit, quod ab eius determinatione deſcendit? Et reſeruata quidem peccata illa tantùm dicuntur, quæ à Prælatis ſolùm abſolui poſſunt, aut de eorumdem ſpeciali facultate: non autem omnia mortalia, eò quòd pro illis ſpeciales ſint Confeſſarij deſignati. Quemadmodùm in Prouinciis vbi Bulla Cruciatæ non viget, pro reſeruatis non habentur. Reſeruatio namque onus ſpecialiſſimum importat, ex ſpeciali repugnantiâ, quam quis habet in eo quòd Prælatis lapſus eius grauiores innoteſcant, quando & leuiores ſolent ab eorum notitiâ remoueri. His ergo præmiſſis

Aſſertio 1. negatiuam ſententiam ſtatuens.

354 Dico primò. Religioſi nequeunt Bullæ indultis gaudere in ordine ad non reſeruata, ſic tenent Card. Lugo *n.*195.*& ſeqq.* Diana *Parte* 4.*tr.*4.*reſol.*43. vbi clarè & apertè deduci ex Bullâ Vrbani VIII. pronuntiat. Et quidem ponderatione digniſſimum occurrit Auctorem hunc benigniores ſemper opiniones amplexum, vel certè vt in plurimùm, vt profitetur ipſe, hîc nihil deprehendiſſe benignum, eò quòd benignitas in hoc genere in magnam proculdubio Religionum perniciem redundabit. Vnde meritò inconſequentiæ in doctrinâ argui poteſt, dum *Parte* 11. *tract.*6. *reſol.*38. eam vt probabilem proponit: tenet etiam P.Bardi 1.*p.tract.*2.*cap.*5. *ſect.*2.§.4. & alij. Probatur ex adductis dum fundamenta contrariæ ſententiæ ſolueremus.

Aſſertio 2. in Societate IESV id ſpecialius aſſerendā.

355 Dico ſecundò. In Societate Iesv ſpecialiùs præcedens vrget Aſſertio: pro quo ſic ſcribit P.Quintanad. *ſuprà*, *n.*14. *Praxim tamen oppoſitam in noſtrâ Societate credo eſſe; & huic in eâ ſtandum planè cenſeo, vtpotè ad ſpiritualem perfectionem conducenti in Religione, in quâ viget perfecta feruentioris diſciplinæ obſeruantia.* Sic ille: & quidem optimè. Ex quo contra ipſum argui poteſt: nam ſi praxi huiuſmodi ſtandum eſt; quia eſt conſona feruentioris diſciplinæ obſeruantiæ: ergo vbi non viget, ideò erit, quia langueſcit obſeruantia diſciplinæ. Tunc vltra: ergo Pontifex concedens id, ex quo tale detrimentum ſequitur, illud etiam velle conuincitur. Atqui hoc incredibile eſt de Pontificio

P. Quintanad. redarguitur.

zelo,

zelo, vt vidimus *num.* 350. ergo & licentiam, de quâ agimus, per eum licere. Id autem reſpectu Societatis ita eſſe, ſpeciali eſt Gregorij XIII. auctoritate firmandum, qui in Bullâ, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, ita loquitur: *Ne quis autem Apoſtolicorum indultorum prætextu regularem ac exemplarem Inſtituti prædictæ Societatis diſciplinam, quam modis omnibus retineri & conſeruari volumus, diſſoluere, aut relaxare præſumat, non eſſe, nec fore vnquam mentis noſtræ, aut Sedis Apoſtolicæ, vt perſonæ Societatis abſque expreſſa Superiorum eiuſdem Societatis licentiâ vtantur facultatibus, quæ in Iubilæis, Bullis Cruciatæ, Confeſſionalibus aut alijs quibuſuis Apoſtolicis Indultis, ſiue communitatibus, ſiue priuatis perſonis, ſiue pijs locis, aut quomodocumque aliter hactenus conceſſæ ſunt, aut in poſterum concedentur: etiamſi in illis expreſſe indulgeatur, vt omnes Regulares, etiam Mendicantes huiuſmodi facultatibus vti poſſint.* Hæc ille, alibi etiam à nobis data, ſed quæ hîc omitti minimè potuerunt: ex illis enim Aſſertio noſtra manifeſtè comprobatur: cùm ex ipſis conſtet Cruciatæ vſum non eſſe licitum in Societate ſine ſuperiorum licentiâ, in iis præſertim, ex quibus regularis & exemplaris poteſt diſciplina relaxari, quale eſt id, de quo agimus. Ex eiſdem etiam (vt hoc interim dicamus) aliquorum ſententia falſitatis reuincitur, qui dicunt Prælatos non poſſe ſubditis vſum Cruciatæ quoad reſeruata concedere; quia Vrbanus aliorum Pontificum Decretis inſiſtens, & præſertim Clementis, declarauit eorum mentem non fuiſſe Cruciatam pro reſeruatorum abſolutione concedere: ad id autem, quod conceſſum non eſt, licentiâ nequit prælatorum extendi; licèt aliunde poſſint ipſi ſuis vtentes priuilegiis, aut facultate ordinariâ, licentiam ſimilem impartiri. Quod diſcrimen quoad rem ipſam nullius videtur eſſe momenti. Ex prædictis autem verbis Gregorij, cùm Cruciatam exprimat, videtur clarè deduci licentiam à Prælatis poſſe ad illius vſum in Societate concedi, & etiam in Religionibus aliis, communicatione gaudentibus: neque enim priuilegium iſtud per Bullam reuocatum, cùm in Bullâ ipſâ facultates Religionibus Mendicantibus conceſſæ quoad eorum Fratres excipiantur.

Greg. XIII. auctoritate firmatur.

Bullæ vſū etiam cum Prælatorū licentiâ nō licere quoad prædicta, quorumdam ſententia.

Sed præfatâ auctoritate refellitur.

356 Et præfata quidem verba potiùs quàm ſubſequentia, oportuit adduxiſſe P. Mendum *num.* 212. qui *num.* 203. doctrinam illam generalem ſuam de licentiâ pro non reſeruatis etiam in Societate locum habere contendit: contrà quam reſolutionem verba inſinuata ſibi obiecit. Quæ quidem vt de reſeruatis intelligenda demus, priora certè generaliorem aſſertionem continent. Circa quod admonendos ſuperiores arbitror, vt Bullam prædictam ſubditis intimare non negligant, ſolùm reſeruatis de ſoliciti: dum enim de aliis nihil dicunt, tacitè videntur pro illis licentiam indulgere: quod plus videtur habere roboris, quandò videmus ſcriptores aliquos Societatis, etſi non ex præcipuis Theologiæ luminibus, ſententiam laxitati fauentem perdocere. Licèt autem in *Decreto* 5. *Congreg.* 6. mentio præfatæ Gregorij conceſſionis habeatur, & ex eâ tantùm conentur Patres ſtabilire vſum Cruciatæ in Societate non licere quoad abſolutionem à reſeruatis: non eſt inde inferendum quoad alia licitum iudicaſſe, cùm Pontifex adeò generaliter loquatur; ſed de reſeruatis ſtatuiſſe, pro quibus etiam Clementis VIII. & Pauli V. conceſſionem allegarunt. Circa illud namque, in quo magnum Religioſæ noſtræ diſciplinæ detrimentum poſſe contingere comperiebant, oportuit remedium efficax adhiberi. Vel fortè res iſta non erat tunc ità comperta vt poſteà ob Bullam Vrbani, qui Clementis mentem ampliùs declarauit, & ita graues ſcriptores eandem illuſtrarunt, licèt quidam obſtrepant.

Pro Societate vberius arguitur cum vtili monitione.

357 Dico tertiò. Bulla non prodeſt Regularibus in ordine ad reſeruata Pontifici, etiamſi in Religione reſeruata non ſint. Patet ex clauſulâ Bullæ ſæpiùs adductâ: *Diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ, quoad ſibi reſeruata, ſubiecti ſint.* Rogo enim quam vim illa habeant, ſi reſeruata Sedi Apoſtolicæ vincula poſſunt peccatorum abſolui? Deinde: Sedi Apoſtolicæ non niſi atrociora crimina reſeruantur. Quomodo ergo credibile ſit Pontificem abſolutionem è reſeruatis in Religione prohibere, quorum plurima atrocia non ſunt, ſed frequentia inter homines, vt furtum, lapſus carnis, periurium &c. & licentiam ad abſolutionem pro atrocioribus, & Cenſuris eiſdem annexis adeò liberaliter & generaliter indulgere? Videatur Cardin. Lugo *in Reſponſis moral. Lib.* 1. *Dub.* 27. *& ſpecialiter n.* 12. P. Mendus *num.* 191. ſic dicens: *Exceptis caſibus in Religione reſeruatis, ex virtute Bullæ poſſe quemlibet Regularem abſolui ab omnibus peccatis & cenſuris, à quibus virtute Bullæ poſſunt abſolui ſæculares, colligitur ex prædictâ ſententiâ.* Certè ſi ex tali ſententiâ hoc ſequitur, vel ex eo capite omninò refellenda videretur. Non tamen ſequitur: quia cùm reſeruata Sedi Apoſtolicæ excipiantur, non fit argumentum ad illa, ex eo quòd non reſeruata in Religione poſſint per abſolutionem tolli. Non video equidem talis ſententiæ fundamentum: vnde cùm aliàs auctoritate deſtituta ſit, non erit mirum ſi doctis minimè probabilis videatur.

Aſſertio 3. nō prodeſſe Regularibus quoad caſus Papales.

Sententia aduerſa neque rationem, neque auctoritatē ſuffragari.

Nec de Bulla hoc loco plura, cùm alterius ſit. Placuit autem circa quotidianam materiam, & oppidò vtilem, nonnihil laboris attexere, pro quo forſitan opportunior occaſio non ſuccurret; vnde oportet iam à viâ digreſſis calamum ad eam reducere, & inſtituti præcipui curſum vrgeri, vt poſſit tandem conſummari.

TITVLVS VI.

DE GVBERNATORIBVS, ET PRÆTORIBVS INDORVM.

DE Indorum inquam Gubernatoribus, & Prætoribus; nam de iis, qui Hiſpanorum ſunt, diſſerere, amplioris negotij eſt, pro quibus & libri integri extant apud Noſtrates, & latinâ, & vulgari linguâ conſcripti. Quæ ergo ad nos ſpectant breuiùs diſcutiemus. Et iam quidem in ſuperioribus ſtabilitum officia huiuſmodi vendi non poſſe, vnde neque emi, & quibus dari illa oporteat, & an benemeriti præ erendi. Circa alia ergo, quæ reſtant, inſtituenda tractatio, pro quibus ſit ante alia

CAPVT I.

An iuramentum, quod Prætores Indorum præſtant, ſit obligatorium in conſcientiâ.

Prætores vt iurent, & qualis eorũ ſenſus circa iuramentũ.

1 IVrant illi non ſe exercituros contractus in iuriſdictionis ſuæ terminis, vt cum Indis, aut per Indos peragantur, & hoc iuramentum in ipſo officij titulo exprimendum, iuxta præſtationis formam iuſſit Excellentiſſimus Comes Montis-regalis Peruuianus Prorex: vt refert D. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.*4. *Cap.*2. *num.*10. & in Politicâ *Pag.* 756. *Verſ. Tenel Peru.* Circa cuius obligationem grauis iam pridem controuerſia extitit, volentibus multis eam eſſe omnino vrgentem, qualemque verba ipſa videntur oſtendere; quia nullum apparet caput, vnde aliter poſſit rationabiliter iudicari. Aliis autem, & non infimæ notæ Magiſtris contrà tendentibus, & iuramenti obligationem nullam eſſe aſſerentibus, eò quòd vſu recepta non ſit, cùm Prætores omnes contractus ineant, ſcientibus Proregibus, immò & fauentibus, dum ſibi familiaribus eas præturas conferunt, in quibus ad frequentiores, & quæſtuoſiores contractus maior opportunitas peruidetur. Hoc autem conſcientiæ leuamen aliqui aliter ſibi conciliant, iurantes ore, non corde: quod tamen non curant multi, ſed periurij ſe reos exiſtimantes, ad lucra peruigilant, rati Confeſſione poſt tranſactum officij tempus Sacerdoti faciendâ omnia hæc inconuenientia componi, & conſcientiæ terriculamenta ſopiri. Sed neſcio quomodo Confeſſio legitima eſſe poſſit, cui dolor verus de commiſſis non ſe comitem penitus neceſſarium adiungit. Videt ſe diuitem præturâ functus, & diuitiis exultat ſuâ partis induſtriâ, & de acquiſitionis modo doleat ille, ſine quo ſtare illæ non potuiſſent? Sed quale emendationis propoſitum in eo, qui in eâ animi diſpoſitione verſatur, vt officium idem, aut certè conſimile obuiis ſit vlnis identidem admiſſurus? An inopem ſe potiùs, aut certè non diuitem velit ex iis aliquis, quàm iuramenti violatione locupletem? Ipſi viderint: nam res profectò adeò periculoſa eſt, vt qui ſic egerint, in labyrinthum Cretenſi difficiliorem planè ſe intromittant, *vel in laqueum Diaboli*, vt Apoſtolus loquitur, 1. *Timot.* 6. *v.* 9. *incidunt, dum volunt diuites fieri:* à quo vix ſe poſſint expedire. Circa hæc ergo

Quam difficile ſit vt periurium in illis Confeſsione deleatur.

Aſſertio 1. *iuramentũ grauiter obligare.*

2 Dico primò. Iuramentum dictum eſt grauiter obligatorium. Sic Dom. Solorzanus *capite* 2. *citato, num.* 9. *& ſeqq.* & ſequitur ex communi omnium doctrinâ circa iuramenta Regiorum miniſtrorum, quando ſupra materiam alis grauiter obligantem cadunt. Pro quo videri poteſt P. Fragoſus *Tomo* 1. *Pag.* 524. *verſ.* 99. *in vtroque* §. Ratio autem eſt manifeſta: nam materia circa quam iuramentum hoc cadit, eſt grauiſſima; vnde Reges Catholici, ad continendos Prætores in officio multa excogitarunt, vt obſeruat Dom. Solorzanus *ſuprà*, & inter alia iuramenti ab eiſdem præſtationem, pro cuius obſeruatione plures Proreges ſunt apprimè ſoliciti, vt de Comite Montis-regalis diximus, & de Marchione de Montes-claro etiam eſt compertum; qui præſtationis formam innouauit. Tendit namque ad vitandam miſerorum oppreſſionem, & ſic ad fidem ſtabiliendam, & ad conſeruationem regnorum Indicorum, & maximas inde obuenientes Reipublicæ Chriſtianæ vtilitates, quæ Indis deficientibus euaneſcunt: ex quibus manifeſtè ſequitur eſſe obligatorium, & in eius violatione mortaliter poſſe peccari: vnde id negari ſine graui notâ nequit, quia ratio eſt clara, & nullus, qui aduerſus ſit auctor inuenietur. Quos autem nuper aduerſos indicauimus in hoc non aduerſari ex dicendis conſtabit.

Aſſertio 2. *id certiùs quando cadit ſupra legem aliàs grauiter obligantẽ.*

3 Dico ſecundò: obligatio dicta tunc eſt innegabilis, quando ſublato iuramento leges grauiter obligant, præſertim ſi ſit lex naturalis, cuius violatio iniuſtitiam continet, aut aliam notabilem deformitatem: & quidem de obligatione legum, quando obligatio purè ciuilis eſt, non eſt facilè dignoſcere quantum illius pondus; an ſcilicet ſub mortali, an ſub veniali, an purè pœnalis ſit; circa quod tot à Doctoribus traduntur regulæ

Digitized by Google

regulæ & tot circa particulares leges circumſtantiæ occurrunt, vt nihil firmum poſſit ſtabiliri, & ita judicio ſapientum relinquendum: in præſenti autem cùm Reges Catholici leges ſtatuentes circa Prætores, & in iis illam vt à contractibus prorſus abſtineat, id profectò curent ne Indi grauentur, & graues erga ipſos iniuſtitiæ committantur; in id certè iuramenti pondus incumbit, vt ſcilicet nullas ab iis plagas accipiant, quibus eorum commiſſa eſt ſalus; & ſic nihil erga eos ratione contractuum fiat, per quod graue nocumentum patiantur. Obligabit ergo illud ad non perpetranda talia, quæ lege ſunt naturali prohibita, & circa hæc non poterit deſuetudo allegari, quia contra naturalem legem nihil iuuare deſuetudo poteſt, vt non iuuat in luxuriâ; quamuis legem prohibentem illam, tot ſint, qui violent, vt ſi lex ciuilis, aut Canonica eſſet, fortè ad obligationem in ſæcularibus tollendam, deſuetudo huiuſmodi ſufficiens poſſet iudicari. Et ſic in aliis, quæ contra naturalem legem inualuiſſe conſpicimus. Sed non ideò licita reputamus.

Aſſertio 3. Tutum eſſe cum lex grauiter non obligat, vnde ſtare in Prætoribus poteſt.

4 Dico tertiò: ſi contractus à Prætoribus ita exerceantur, vt nulla Indis fiat iniuria; aut aliquód ex ipſis graue nocumentum oriatur, non ſunt de lethali culpâ damnandi, ob iuramenti violationem. Sic viri docti iam pridem, quod & modò plures tutum reputant, & iuxta eam ſententiam praxis multorum procedit. Probatur: quia iuramentum additum legi non obligat, niſi ſuppoſitâ legis obligatione, quam reddit arctiorem, vt tradunt Doctores. *L. Si quis maior. C. de tranſaction. & in L. final. C. de non numerata pecuniâ.* Pro quo aliquos adducit Dom. Solorzanus *lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 62. Vnde ſi obligatio eſt ſub veniali, grauis non conſurget obligatio; & ſi nulla, erit pariter nulla; niſi quis expreſsè velit ſe obligare, quod numquam accidit, niſi fortè ex ignorantiâ, quæ facit inuoluntarium. Quod ſine limitatione dictâ tenent plures, quos adducit P. Fragoſus *num.* 99. *citato.* Sic autem contingit in præſenti: nam cùm leges dictæ tantum intendant damna quæ Indis ſolent inferri, depellere, vbi nullá talia extant, neque ipſorum periculum, non eſt credendum voluiſſe Reges Catholicos laqueum æternæ damnationis Vaſallis iniicere, vt cum bonis Auctoribus dictum *Tit.* 2. *num.* 4. & quidem ſine tali obligatione ſatis eſt communi bono prouiſum: & tunc obligationem ſub lethali non eſſe admittendam, ibidem citati defendunt: nam pro nocumentis vitandis adeſt naturalis lex, & juramentum: illis autem ſublatis, non eſt grauioris obligationis indicium. Fauet quod de lege vſu non receptâ tradunt Doctores apud Patrē Palaum *Tomo* 1. *Tract.* 3. *Diſp.* 1. *Puncto* 13. *n.* 9. & 10. juxta quos non eſt ſcientia & patientia Principis neceſſaria, vt lex deſinat obligare. Quòd ſi cùm Prætori culpa tranſgreſſionis opponitur, rerum contractabilium amiſſione punitur; ex eo ſolùm habetur legem eſſe pœnalem, quæ iuxta grauium Scriptorum ſententiam ſub peccato non obligat: vnde nec iuramentum circa illam, vt cum aliis docet P. Fagundez *Tomo* 1. *in Decalogum Lib.* 2. *Cap.* 23. *num.* 9. & licet addant obligari ad pœnam, id erit ſi petatur poſt ſententiam ſaltem declaratoriam, iuxta receptam ſententiam, de quâ *Tit.* 4. *num.* 67. & 75. alibique. Fitque

Ex lege vſu non recepta arguitur.

id meritò, quia rationabiliter præſumitur non ſine Indorum iniuriis mercimonium conſtitiſſe, & violatam cum iuſtitiâ iuramenti ſanctitatem. Eſt ergo hoc ſatis probabile, ſi ita tractari contingat, vt in Aſſertione proponimus. Et poſſe reuerà ita contingere certum mihi eſt experimento multorum, quibus Dei timor omni eſt commodo temporali potentior, ſubuerentibus ſolicitè nequa ſibi reſtitutionis obligatio exacto officio ſuperſit, ſpina doloris æterni futura.

Aſſertio 4. Peccare grauiter non corde iurantes.

5 Dico quartò. Iurans ore, non corde, circa id, in quo eſt obligatio legis certa, grauiter peccat. Id probo. Quia officium datur à Rege ſub eâ conditione, qui ſic intendit bono communi proſpicere, aliter non daturus: ergo non apponens verè illam, in contractu deficit, fraudem Regi obtrudit, & traditionem officij reddit nullam, cùm inuoluntarium faciat ignorantia; in quibus conſtat graue peccatum inueniri. Item, licet ſint graues Scriptores, qui dicant promiſſionem poſſe fictè iurari, ita vt graue in eo peccatum non ſit: addunt tamen pro eo debere cauſſam vrgentem intercedere, vt videri poteſt apud P. Thomam Sancium *Libr.* 1. *de Matrim. diſp.* 11. *num.* 2. qui varios caſus adducit, & plures P. Azor *Tomo.* 1. *Libr.* 11. *Cap.* 4. *Quæſt.* 5. Atqui in præſenti nulla eſt talis cauſſa, vt patet, quia ad officium voluntarius venit neque ad fingendum poteſt vllum excogitari grauamen: ergo nullo modo eſt licita talis fictio.

Iuramentū quando liceat circa fictam promiſſionem.

Aſſertio 5. Et ſine animo implendi id, ad quod grauiter obligantur, ſed non alia.

6 Dico quintò. Iurans ſine animo implendi id, ad quod obligatus ſub mortali non eſt, non peccat mortaliter. Sic P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 42. *num.* 42. *verſ. Si primo modo.* Probatur ex dictis. *num.* 4. quia cùm lex non obliget, non eſt obligatio iurandi, niſi iuxta illius qualitatem: vnde eſt communis Scriptorum doctrina iuramentum ſequi naturam contractûs, cui adiicitur, de quo P. Sancius *ſuprà Lib.* 6. *Diſput.* 11. *num.* 3. apud quem Doctores P. Vincentius Tancredi *de Religione Tract.* 4. *Lib.* 2. *Diſput.* 14. *Quæſt.* 1. & *Diſp.* 15. *num.* 5. & 6. cum Caietano, Soto, Gutierrez, & PP. Suario, Sancio, Palao, & Leſſio. Et etiam cùm de Statutis agitur, iuramentum circa illa prout in vſu ſunt dirigitur: de quo P. Azor *ſuprà. Cap.* 8. *Quæſt.* 8. & eſt communiſſima reſolutio. Secus ſi talia ſint, vt ſecluſo iuramento ſub mortali obligent. Pro quo P. Fagundez *Tomo* 1. in Decalogum. *Lib.* 2. *Cap.* 23. *n.* 7. & 8. P. Palaus *Tomo* 3. *Diſput.* 2. *de Iuramento. Puncto* 6. §. 5. *num.* 7. & ante eos Gutierrez *de Iuramento promiſſ. Cap.* 37. & 38. & per hæc quidem quæſtioni præſenti videtur ſatisfactum, circa quam fuſiſſimi aliqui; cùm tamen ex principiis apud Scriptores ſiue vt certis, ſiue vt probabilibus, receptis, poſſit non admodum operosè reſolui. Pro ampliori autem explicatione ſit iam

CAPVT II.

Explicantur in particulari ea, ad quæ Indicorum Prætorum iuramentum extenditur.

7 Diximus extendi ad ea, quæ grauem iniuſtitiam continent, & nocumenta poſſunt non leuia Indis inferre, quæ in ſpeciali oportet percurramus.

Violatio iuramenti in vini venditione.

Primò ergo grauis iniuſtitia eſt, quando vinum Indis venditur taxâ à Prætoribus deſignatâ pro libitu, quæ exceſſiua planè eſt, vnde illi minori pretio emere illud poſſent, ſi eiſdem emptio permitteretur. Traditur ergo Caciquio vnũ vini quadrantal reddituro pro eo decem, aut duodecim octi regales: quæ ſumma cùm exorbitans ſit, ex eo iuſtificari dicitur, quòd vinum minutatim diuendatur: cùm tamen non ſemper vendendi eo modo opportunitas adſit; vnde & neceſsè eſt vt Caciquius de ſuo ſoluat, lautiſſimè bibiturus. In his quidem, cùm contractus emptionis & venditionis interueniat, & manifeſta iniuſtitia ſit, contra iuramentum delinquitur. In quo & damnum aliud eſt, ebrietatis ſcilicet; & per vinum, quod eſt Indorum natiuæ conſtitutioni nociuum. Vnde ſunt qui cenſeant abſolutè eſſe peccatum mortale illud ipſis vendi. Pro quo Dom. Reyna *in Perfecto Prælato Tomo 2. Lib. 4. Tit. 1. Cap. 4.* & pro eodem diuerſæ extant Proregum Prouiſiones, atque Edicta Prælatorum.

Et in Textrinis.

8 Secundò. Idem eſt cernere in textrinis, quas ſuis compendiis Prætores inſtituunt, & in eis pueros & puellas cum aliis grandioris ætatis laborare compellunt, ſatis exiguo diurni laboris ſtipendio. Vbi belliſſima eſt eorum excuſatio, ſic videlicet Indos ſocordi ingenio, & ad otium procliui vtiliter, vitatis otioſitatis incommodis occupari: quaſi incommodorum talium deuitatio vni debeat Prætoris commodo militare: cùm magis rationi conſonum ſit, ad eorum vtilitatem laborem adhibitum referri, & communia ipſorum onera hoc pacto leuiora reddi, ornari Eccleſias, & foueri opera pietatis.

Circa agrorum culturam.

9 Tertiò. Dum colendis addicuntur agris, vt copioſis meſſibus Pretores queſtuoſas nundinationes exerceant, vnde & inuitis onus agricolationis iniungitur, ſtipendio laboris permodico, & ſuo aliàs diſpendio, dum terrulas ſuas non vacat colere, vt neceſſaria vitæ prouideant: aut certè cariùs illis conſtat, dum neceſsè habent alias conducere, aut laborem cum ingenti moleſtiâ geminare: ſi & hoc fortè ſemper licet, cùm longiùs à propriis laribus ad prædicta diſtractis, non vacat agellos ſuos propriâ aut alienâ manu, diurna aut nocturna verſari. Hîc etiam, cùm de contractibus agatur, & Indorum damna adeò perſpecta ſint, nihil eorum ſine iuramenti multiplici violatione conſiſtit. Licet enim dici poſſit cum Indis non exerceri contractus, id minimè releuat compulſores, cùm perſpicuum ſit eorum laborem eò tendere vt contractus ex laborum fructibus exerceantur.

In miſsione ad valles inſalubres.

10 Quartò, Cùm Indi ad valles ſub aduerſo ſibi cælo conſtitutas, mittuntur, vt vinum, Cocam, herbam Paraquariam, aut quidpiam aliud inde extrahant, cum vitæ periculo manifeſto. Et in hoc quidem, cùm periculum tale ſit, ſtipendium maius ſolito eſſe deberet, iuxta id quod ratio penitus comperta demonſtrat: cùm tamen nihil minùs quàm id mittentium cura prouideat. Hic ergo iniuſtitia inhumanitati Chriſtianis pectoribus indignæ coniuncta.

In continua ab oppidis abſentia Indorum. Et quæ inde damna.

11 Quintò: Quando ſiue in his ſiue in illis negotiorum miniſteriis ferè continuis Indi diſtenti, in ſuis oppidis vix pedem aliquando figere permittuntur. Ex quo fit, matrimonij vſum impediri, & præter alia damna hinc emergentia, illud certè, quod Regibus Catholicis, & Chriſtianæ omni reipublicæ admodum præiudiciale dignoſcitur, dum Indi deficiunt generationibus imminutis, & ita etiam, qui Mineruas exerceant, vnde diuitiæ extrahuntur ad infidelium, & hæreticorum potentiam retundendam. Indis enim ſublatis, actum eſt de Indiis, illorum enim laborem qui ſuppleant inueniendi nulli, vt eſt luce clariſſimâ manifeſtius.

In peculiari artificio ad lucrum ex poculo familiari.

12 Sextò: cùm Indis traduntur aliqua ad familiaria ſibi pocula conficienda vt Mayzium, vel quid ſimile, & ab eiſdem pretium ſic facti requiritur, iuxta menſuræ pretium ordinarium, vt ipſis & faciendi & vendendi imponatur onus, & commodum Prætoris, aut Prætoriſſæ ſit quod in idem recidit; ſiue illi vendant, ſiue non; vt venditionis defectus quis debeat imputari; qui profectò, ſi non vendant, bibent, quod pro eodem ad lucrum ſic iubentium reputatur: qui ſic philoſophantur: ſi tu ex tuo Mayſio menſuram huius poculi facias, tanti vendes: fac ergo ex meo, & tantumdem redde: & vbi laboris pretium? Reddent certè; ſed & de hoc dubito, quia ad negandum illud aliquale poterit auaritiæ commentum ſuffragari.

In venditione veſtuarij circa operarios.

13 Septimò: Quando laborantibus Indis aliqua ad veſtuarium ſpectantia venduntur, ſed pretio non iuſto, in quo aliud iniuſtitiæ admiſcetur genus; quòd ſcilicet laborum merces hoc pacto ſoluitur, illis frequentiùs inuitis, qui vt mercedem recuperent, quacumque ſunt rerum huiuſmodi acceptione contenti, quas viliùs vendunt, aut vſui non neceſſario, neque ſatis accommodato conformant. Itaque vulgatum illud apud nos; Mali debitoris vel in paleis accipiendam ſolutionem; hic veriſſimum comprobatur.

In conductionibus gregum & armentorum.

14 Octauò: cum magni arietum greges, aut boum armenta à Prætoribus empta in ciuitates miniſterio Indorum remittuntur, vt in illis magno remittentium lucro vendantur. Sic enim Indis gratis parantur incommoda abſentiæ longæ, peregrini cœli, fraudatæ mercedis; cùm in rebus aliis fructuoſiùs poſſent laborare. Et ſi enim dici poſſit totum hoc in publicam vtilitatem cedere, dum carnes prædictorum animalium in vrbibus abundè ſuppetunt; id certè excuſationi non eſt, quia talis prouiſio ab aliis fieri poteſt, qui voluntarios Indos conducant. Vnde Prætores in huiuſmodi remiſſionibus ſolicitè cauent ne prædicta ad eos pertinere ſupremis gubernatoribus innoteſcat, aut denuntiator ſit; nam eo pro comperto habito & iuridicè probato, oleum ſunt & operam perdituri. Non ergo communis boni cauſſam agunt, ſed ſuam ipſorum tantùm, vnde non præmium; ſed pœnam iuſtiſſimam promerentur legis & Sacramenti violatores.

In arietum Indicorum paſtione.

15 Nonò. Quando in paſcendis Indicorum arietum gregibus detinentur, vbi nec doctrinam edoceri, Miſſam audire, aut more Chriſtianorum viuere promptum eſt, quia in deſertis id agitur ab hominum communione remotis: quod tamen ad mercimonia ſpectat, quæ miniſterio animalium exercentur, vel erga animalia eadem, dum venduntur, & ſic etiam contractus venditionis interuenit, ad quem ferè quidquid de contractibus Lege cautum eſt, & iuramento firmari iubetur

iubetur, conſtat reuocari: non ergo hic doctrinâ ſcriptorum quamplurium ſe tueri Prætores poſſunt, qui de negotiatione Clericis prohibitâ agentes, dicunt non eſſe talem, cùm qui animalia emit, & meliora facta diuendit, cùm negotiatio tunc ſolùm accidat, cùm res, nullâ in ipſis factâ mutatione, venditur. Prætoribus ſiquidem non ſola negotiatio, ſed contractus etiam prohibentur, & ij præſertim, qui Indis præiudicari poſſunt, ad quorum bonum lex, & iuramentum indictum ordinatur.

Doctrinam de negotiatione non ſuffragari.

In venditione callida, contrà eorum libertatem.

16 Tandem vendere aliqua Indis in Mineris, aut aliis moleſtis operibus laborantibus dilatâ ſolutione, eo tamen intuitu, vt cùm ſoluere nequeant, in labore perſiſtere compellantur: immorituri planè in eâ, quia numquam ſoluendo futuri. Sic alia eſſe poſſunt his ſimilia auaritiæ geuimina. *Enumerari enim non poteſt quantis modis cupiditas ſæuiat;* vt ait Diuus Valerianus *homiliâ* 20. vbi & illud ad præſens inſtitutum: *Fertur homo vndis voto quadruplicandæ pecuniæ, portatur aurum, vt reportetur cum falſitate periurium.* Sic ille: vt periurij in Prætoribus Indicis perfrequentis cauſſam genuinam agnoſcamus: cupiditatem, inquam, immodicam, dum quadruplicanda pecunia contenditur, quæ pro officij forſan adeptione ſuffragata eſt; aut ea quæ ad contractus exponitur, & non quadruplicari tantùm ſolet, ſed exorbitantiùs augeri. Sed væ illis, quibus pecunia, non in qualemcumque damnationem futura, vt illa de quâ D. Petrus *Act.* 8. *v.* 20. ſed in quadruplicatam, & quadruplicatâ maiorem, at Deus Pater miſericordiarum eſt. Sic credo: ſed horum interitus non eſſe talis ſolet, vt de eorum ſalute ſolidum ſpei fundamentum habeamus ob reſtitutionis raritatem, de quâ eſto.

D. Valerianus.

Auaritia ſæuitia, & potentia.

CAPVT III.

Qualis reſtitutionis obligatio ex præcedentibus capitibus oriatur.

Reſtitutionis regula irrefragabilis.

D. Thom.

Cur ſine reſtitutione dimitti nequeat peccatum.

17 CErtiſſima iuris regula illa eſt; *peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum;* quarta *in ſexto,* cuius rationem D. Thomas luculenter reddit, 3. *parte, q.* 68. *art.* 5. *ad* 3. ex eo quòd, *reſtituere malè ablata proximis, & ſatisfacere de iniurijs illatis, eſt ceſſare à peccando: quia hoc ipſum quod eſt detinere aliena; & proximum læſum non placare eſt peccatum.* Iuxta hæc ergo regula prædicta decurrit, in palatiis, foris, compitis, domibus, & conclauibus ipſis, grandioribus debebat apud Indias characteribus exarari. Sed modò cum Prætoribus agimus è quorum cordibus, vbi præfatam regulam Auctor naturæ conſcripſit, eam diabolus conatur abradere conatu præ aliis ſpeciali, vt videntes non videant, & audientes non intelligant, & ſic nihil de ſanitatis beneficio conſequantur. Sciant ergo, ſi ſalutis animæ curam non pœnitus abiecerunt, reſtituendum ab eis, quod iniuſtè conſtiterit vſurpatum; ſicut & reſarcienda pariter damna, quæ miſeris indigenis, & fortè aliis, vt frequenter accidit, intulerunt: ſciant equidem, ita ut ſe ſcire opere ipſo ſignificent: quod paucorum erit, quorum tetigerit Deus corda; vt ſcriptura loquitur. Sciant & qui officia ita auidè arripiunt, vt pondus exhorreant, cui ſi humeros ſuppoſuerint, cum gemitibus eſt perpetuis ſuſtinendum. Vt ergo circa prædicta capita, quod eſt communi Doctorum ſenſu firmatum, proferamus, eodem procedentes ordine. Circa Primum

Aſſertio 1. circa reſtitutionē pro vini venditione faciendam.

18 Dico primò: ex prædictâ vini venditione obligatio reſtitutionis inſurgit, iuxta valorem juſtum regulanda, nec ſupremum, neque infimum, ſed medium. Quia verò reſtitutio fieri exactè nequit, cùm emptores ignorentur in particulari: ea eſt circa hoc adhibenda regula, quam ſcriptores tradunt, vt ſcilicet communitati reſtituatur id, quod communitati deberi conſtat, pro quo modus conueniens exquirendus. Sic ex Caietano, P. Molinâ, & P. Leſſio tradit Diana *Parte* 11. *Tractat.* 6. *Reſol.* 48. qui diuidenda inter omnes dicunt: non tamen in hoc caſu id conuenienter fieri poteſt, quod faciendum à Tabernariis Doctores tradunt, vt ſcilicet læſionem paſſis ſupereffluentem menſuram tribuant vſque ad veroſimilem proportionem. Pro quo P. Molina *Diſput.* 745. *num.* 4. & alij, quos adducit Diana *Parte* 4. *Tractat.* 4. *Reſolut.* 46. neque enim noua taberna inſtituenda eſt, aut vinum Indis abundantius tribuendum. Melius ergo fiet aliis alimentorum generibus ipſorum genio accommodatis, ſiue eorum hoſpitalibus, Eccleſiis, Communitatibus, aut aliis piis operibus, iuxta ea, quæ tradit Dom. Solorzanus *Lib.* 2. *Cap.* 24. *n.* 117. & Ferdinandus Zurita in *Enchiridio Indico, quæſt.* 7. *Propoſit.* 2. vbi ait expendi poſſe in alendo Prædicatore. Quia verò reſtitutio hæc non poteſt niſi incertis perſonis fieri, & circa quantitatem ſingulis debitam incertitudo extat omnimoda, videri alicui poſſet locum eſſe compoſitioni iuxta doctrinam aliquorum, quos doctiſſimorum nomine citat Nauarra *Lib.* 4. *Cap.* 2. *n.* 69. pro quo & doctum Magiſtrum Dominicanum adducit Diana *ſuprà,* qui & non eſſe improbabile exiſtimat: quia ſtante eâ incertitudine, poteſt reſtitutio fieri pauperibus: quod cùm accidit, locus eſt compoſitioni, vt communiter ſcribentes aſſerunt.

Compoſitione vel poſſe.

Ex Bullæ tenore deducitur.

19 Eſt autem pro fundandâ probabilitate, Bullæ ipſius compoſitionis auctoritas, in quâ ſic dicitur: & eſt caſus 18. *Item, ſi alguno ha vendido vino aguado por puro, ò medido con falſa medida: ò vbiere vendido otra coſa alguna con menores peſos ò medidas, ò vendido vna coſa por otra, ò mezclado, ò peſado, ò mal medido, no ſabiendo à quien ſe vbiere vendido, ſe pueda componer.* Sic Bulla iuxta Commiſſarij explicationem: vnde ita tenet expreſsè P. Mendus *Diſput.* 34. *Cap.* 20. nam licet dicatur id tantùm procedere, quando ignorantur emptores; verè cenſentur ignorari, cùm tantùm in communi eorum habetur notitia: non poterat ſiquidem Commiſſarius ignorare tabernarium vendentem in oppido aliquo probè ſcire oppidanis ſe debere quibus vendi conſueuit: ea autem ſcientia ignorantia reputatur, ob confuſionem, quæ etiam per præcones, & cedulones vocatis, non poſſet tolli; & etiamſi poſſet, ad id non teneri benè adnotat P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 14. *num.* 32. Benè verum eſt in oppidis Indorum id eſſe facilius ob eorum paruitatem: ſed adhuc incertitudo relinquitur, vt, licèt faciendam illis reſtitutionem ſit mihi certum ſine compoſitionis ſubſidio; oppoſitum tamen

Qua obligatio quærendi creditores.

Digitized by Google

Doctrina ratio reddita.

men iudicem non eſſe vt improbabile reprobandum. Ideò autem viam hanc exonerandis conſcientiis apertam relinquo, quia reſtitutio eſt difficillima, poſtquàm aliena ſubſtantia conuerſa eſt in carnem & ſanguinem. Sit ergo ita grauatis compoſitionis pertugium, ne pereant, dum nullum reſtat aliud ad ſpem ſalutis concipiendam. Caciquiis verò quia certi in damnificatione ſunt, aliqua facienda reſtitutio, iis attentis, quæ illius quantitatem poſſunt veroſimiliter indicare, docti alicuius Confeſſarij conſultatione præmiſſâ. Circa ſecundum iam

Aſſertio 2. circa laborantes in textrinis.

20 Dico ſecundò obligationem eſſe compertam, vnde merces labori iuſta ſoluenda. Neque locus compoſitioni, quia explorari facilè poſſunt, qui in officinis prædictis laborarunt. Quod ſi incertum eſſet, illius beneficio vti liceret. Sed laborantibus, non Caciquiis tradendum, quod deberi cõſtiterit: immò neque parentibus, aut maritis, quia nihil ad eorum manus ex tali ſubuentione perueniet. Addo non tantùm communem ſoluendam eſſe mercedem, ſed plus aliquid; vltronei ſiquidem operarij non ſunt, ſed inuiti, & clauſurâ oppreſſi, vnde maius debetur laboris pretium, iuxta communem doctrinam: de quo & dictum *Titul.* 1. *num.* 137. Iam circa tertium

Aſſertio 3. circa §. 9.

21 Dico tertiò. Rationem eſſe claram ob fraudatam etiam mercedem: & prætereà ob detrimenta rei domeſticæ, quæ prudenter æſtimanda pro compenſatione faciendâ; neque enim ad vnguem poſſunt computari. Circa quartum

Aſſertio 4. circa §. 10.

Ex cauſſa mortis quæ obligatio reſtitutionis.

Dico quartò non poſſe dubitari. Vbi & obligatio eſſe poteſt grauiſſima, ſi Indi ad prædicta compulſi, in regionibus illis moriantur, & vxores, ac filios, atque aliquando parentes etiam relinquant miſerabiliter indigentes. Qui enim horum cauſſæ ſunt, obligationes homicidarum ſubeunt, de quibus paſſim Doctores, & valdè accuratè poſt alios Cardinalis Lugo *Tomo 1. de Iuſtitiâ, diſp.* 11. *Sect.* 4. De quibus etiam poſt illum P. Buſenbaum *in Medullâ Theolog. moral. lib.* 3. *Tractat.* 5. *de Septimo Præcepto, cap.* 2. *Artic.* 3. & Portel *Tomo* 2. *Caſu* 54. Certè vt cum omni rigore non debeat iſte homicida cenſeri; æquiualenter tamen talis eſt in ordine ad prædictum effectum. Sicut enim, vt arguit P. Vaſquez *Tractat. de Reſtitut.* §. 3. *Dub.* 7. qui per vim, vel fraudem impedit volentem mihi legatum relinquere, vel aliud beneficium conferre, ex iuſtitiâ tenetur totum illud damnum compenſare, vt communiter Doctores affirmant: ita & homicida, cùm per violentam actionem impediat ne alij habeant, quod ex debito aut liberalitate occiſi erant habituri, debet ex iuſtitiâ damnum integrè compenſare. Quam rationem ille iudicat euidentem; ſicut & P. Mæratius *Tractatu de Iuſtitiâ, Diſput.* 26. *Sect.* 3. & 4. Thomas Hurtadus *Tractat. num.* 232. & P. Turrianus 2. 2. *Tomo* 2. *Diſput.* 28. *Dub.* 3. *n.* 15. & manifeſtum eſt in omnibus locum habere, qui iniuſtæ mortis cauſa ſunt. Licèt enim illa non plenè probetur Card. Lugo quoad omnes ab occiſo pendentes; ſicut nec P. Becano *Tractatu de Iure & Iuſtitiâ, Quæſt.* 14. *de Reſtitutione num.* 6. in ordine tamen ad prædictos eamdem complectitur, ex quo, & etiam Trullench idem tenet P. Buſenbaum *ſuprà num.* 11. & ita iuxta illum & alios, obligationem reſtitutionis, qui cauſſa eſt mortis, incurrit: non quia ſpecialis cauſſa circa modum, ſed ex damnificatione; vnde quomocumque accidat, tale onus incumbit. Pro quo P. Molina *Diſp.* 83. & alij adducti à citato Cardinali *n.* 29. Iam circa quintum

Aſſertio 5. circa §. 11.

Ex cauſſa remota damni non ſubeſſe obligationem reſtitutionis.

22 Dico quintò: non videtur eſſe obligationem reſtitutionis, quia impeditio prædicta, ex quâ Indorum diminutio, eſt cauſſa valde remota damnorum, de quibus *ibi.* Quando autem cauſſæ tales ſunt, non videtur reſtitutionis obligatio ſubeſſe. Vt ſi quis ſit cauſſa abortus, non ideò tenetur ad aliquid reſtituendum parentibus, quorum poterat fœtus neceſſitatibus ſubuenire, quia id valde remotum eſt, & contingentiis multis obnoxium, & hanc doctrinam, adductis aliis, ingenioſè & ſolidè fundat Cardin. Lugo *ſuprà num.* 79. *& ſeqq. & Diſput.* 8. *Sect.* 8. ex quo P. Buſenbaum *ſuprà, n.* 12. *& ſeqq.* Circa ſextum iam

Aſſertio 6. circa §. 12.

23 Dico ſextò: non eſſe rationem dubitandi, ſi nullum laboris pretium tribuatur pro confectione & venditione; & laboris quidem inuoluntarij, ac defatigationis pleni. Eſt inſuper lucrum ceſſans, quia ſic laborans ſibi poterat vtiliùs laborare, vnde & addendũ ex eo titulo. Quia verò non ſemper vendendi opportunitas eſſe ſolet, & ideò ſine lucro diſtrahitur aut bibitur, non bibendum aliàs; inde etiam reſtituendi naſcitur obligatio quia quod bibitur perinde eſt acſi vt inutile funderetur, cùm neceſſitati non ſeruiat, ſed ſuperuacuæ voluptati in præiudicium animæ & corporis redundanti. Septimum affine eſt poſtremum, circa quæ

Aſſertio 7. circa §. 13. & 16.

24 Dico ſeptimò: obligationem eſſe manifeſtam, nec ſolùm ad reſtituendum quod ex pretij habetur exceſſu, ſed etiam genus illud captiuitatis debet pretio compenſari: ſicut enim ſeruus pretio æſtimabilis eſt, ita & genus quodlibet ſeruituris quale hîc diſpicitur, cùm nequeant miſelli inde exire, & ſi id attentent, magnâ ſuâ moleſtiâ, & ſeruili tractatione ab intento reuocantur. Nihil autem ita legibus Regum noſtrorum cautum, quàm vt Indi in ſuâ libertate pleniſſimè conſeruentur, de quo diximus *Tit.* 1. *cap.* 11. Circa octauum tandem

Aſſertio 8. circa §. 14. & 15.

Dico octauò, ſtatim reſtitutionis onus apparere, & philoſophandum iuxta dicta: nam & merces plenè ſoluenda, lucra ceſſantia compenſanda: ſi mors ex cæli intemperie obtigerit, iam circa *Quartum* dictum & iuxta reſolutiones iſtas in aliis eſt conſcientiæ oneribus, ſi de illis deponendis agatur, diſcurrendum. Quod vtinam ſic eueniat vel paucis, vel pauciſſimis, non quidem cum Zachæo reddentibus quadruplum, ſi quid aliquem defraudarunt; hoc enim quis ſperet in *præſenti ſæculo nequam,* ſed vel tantundem, ſine quo *omne pondus, & circumſtans peccatum,* neque in hoc ſæculo, neque in futuro, currentibus licet ſæculorum ſæculis, dimittendum. Prò miſeram & lamentabilem cœcitatem, ſic lucris hærere caducis, vt æterni regni cum tormentorum auctario fiat numquàm reparanda iactura. Sed alia eorum onera perſequamur.

Galat. 1. v. 4. Hebr. 12. v. 1.

CAPVT

CAPVT IV.

Quædam alia Indicorum Prætorum conſcientiæ onera percurruntur.

De negotiationibus pecuniâ Regiâ, & Parochorũ ſtipendiis retardatis ibus.

25 GRauiſſimum certè illud, Regiâ pecuniâ ex tributis collectâ, & in arcis pro eo deputatis, iuxta legum præſcripta, reponendâ, ad contractus vti. Quod quidem honeſtari nequit ex quocumque prætextu, ſicut de Regiis Officialibus dictum *Tit. præced. Cap.* 2. Non eſſe autem reſtituendi obligationem, dictum *ibidem:* pro quo & videri poteſt Card. Lugo *Tomo* 1. *de Iuſtitia Diſp.* 17. *num.* 49. Cui aliud annexum eſt, Parochis ſcilicet ſtipendia opportunè non ſolui, quæ cum tributis, & veluti eorum portio, ad hunc, qui primus dicitur, effectum, exiguntur. In quo quidem grauiter peccant, iuxta receptiſſimam doctrinam, cùm ſit notabilis dilatio ſolutionis; & licèt Parochi conniuere ſoleant, id certè inuiti præſtant, neque ad ſuprema tribunalia audent deferre querelas, ne eos hoſtes infenſiſſimos patiantur. Si quod autem damnum ex dilatione obueniat Parochis, compenſationis vrget obligatio, iuxta receptam doctrinam, pro quâ P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 16. *num.* 33. Ab hoc autem onere communiter ſunt Prætores immunes, quia nullus eſt qui damna requirat Parochus ſibi reparari; cùm omnes ſatis fortunatè ſecum agi arbitrentur, ſi quod ſibi eſt iuxta Regiam taxationem debitum contigerit obtinere.

Vt peccat in locum tenentium reſignatione.

26 In eo inſuper eorum grauantur conſcientiæ, quòd locum tenentes ſine perſonarum delectu conſtituunt, ſolo maioris pretij interueniente reſpectu: vnde accidit vt Indorum vexationes accreſcant prauorum hominum poteſtate. Et quidem tales Vicarij conſtitui nequeunt, niſi neceſſitas, aut magna vtilitas vrgeat, quæ ad Indos ſpectet, pro meliore ipſorum gubernatione: cùm manifeſtum ſit multiplicatis iudicibus, Indorum etiam multiplicari moleſtias, qui vix poſſunt vnius Prætoris ſuper capita impoſiti onus ſuſtinere. Deinde ſi tales locum tenentes immites, auari, & laſſiui homines ſint, nihil eſt aliud eos in regimine iſto conſtitui, quàm lupum regendis ouibus applicari. Vnde peculiaribus legibus cautum eſt, ne in oppidis Indorum locum tenentes ſint, de quibus Curia Philippica *pag.* 19. *num.* 7. Præterquam quòd talia officia vendi nequeunt, niſi à Rege. Cùm enim Regio nomine iuſtitiam adminiſtrent, & ſic virgam Regiam portent, ac titulum accipiant, dum per Regias habentes vices approbantur, eorum officium vendi nequit, ſicut neque alia, de quibus dictum *Tit.* 3. *Cap.* 5. & ita tenet P. Thomas Sancius *Tomo* 1. *Conſiliorum Lib.* 2. *Cap.* 1. *Dub.* 38. *num.* 19. Videndus etiam P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 32. *num.* 29. & Remigius *Tract.* 5. *circa Octauum Præceptum. in examine Prætorum. num.* 9. & licèt P. Sancius addat, *num.* 20. quòd ſi Prætor committat alicui actum, quem per ſe exercere potuiſſet, de diuidendo lucro poſſit cum eo paciſci, vt cum Alguacellis de parte executionem, quia ius habet ad totum lucrum, & ſic nulli facit iniuriam parte illiùs reſeruatâ, vt docet Aragon. 2.2. *quæſt.* 63. *art.* 3. *ſub finem.* & Recentiores alij dicentes ſic eſſe vſu receptum, & in Regio Caſtellæ Senatu circa hoc diſſimulari, licèt contrarium legi ſit, quæ prohibet locare directè, aut indirectè: quod nec ipſe P. Sancius admittit, quidquid dicat Auilès: quia hoc non eſt genus locationis, ſed commiſſio actus, quem per ſe poſſet Prætor exercere. Licet inquam hoc ita ſit, in caſu noſtro alia eſt ratio, quia reſpectu officij talis nulla eſt pro venditione facultas, neque Regis aut aliorum vices eius gerentium diſſimulatio: plenaque iuſtitiæ adminiſtratio, & non ſpecialis commiſſio, vt duo videantur eſſe Prætores, vnde eſt ratio diſcriminis manifeſta. Quòd ſi pura eſſet commiſſio reſpectu actûs à Prætore factibilis, non eſſet neceſſarius titulus. Ex quo fit officium tale vendi non poſſe, ſicut neque poſſet quis officium Prætoris vendere ſine Regiâ facultate. Et quidem ſi venditio officiorum talium eſſet licita, non deberet Rex ſalarium aſſignare Prætoribus, quia ex talibus venditionibus plus certè poſſent adquirere ad ſuam ſuſtentationem, quàm ex ſalario ipſis obueniat: vnde immeritò grauarentur Vaſalli ad contributiones pro tali effectu perpetuas.

An ex venditione oriatur obligatio reſtitutionis. Et pro parte affirmante fundamenta.

27 Videtur autem reſtitutionis onus inſtare: cùm enim vendant id, quod non eſt ſuum, ſed Regis, ad hunc debet emolumentum tale pertinere: nec enim eſt fructus induſtriæ, ſed rei ipſius, officij nempe: fructus autem rei ad dominum pertinent, iuxta communem Doctorum innixam Iuri ſententiam, §. *Is verò. Inſtit. de rerum diuiſione.* Hinc qui torquem alienam locauit, aut equum &c. ad reſtitutionem tenetur, vt videri poteſt apud P. Leſſium *Lib.* 2. *Cap.* 12. *n.* 114. P. Becanum *Quæſt.* 31. *de Reſtitutione.* & Bonacinam *Tomo* 2. *Diſput.* 1. *de reſtitutione. Quæſt.* 3. *Puncto. vlt.* §. 1. *num.* 4. qui plures alios adducit. Nec valet ſi dicatur Regem non vendíturum talia officia: quia eo ſtante obligatio eſt eadem, vt videri apud Citatos poteſt, & apud Card. Lugo *Tomo* 1. *Diſp.* 17. *num.* 59. iuncto *num.* 50. propter eamdem rationem. Neque item ſi dicatur turpem eſſe venditionem: nam & fructus ſic perceptos reſtituendos benè oſtendit citatus Cardinalis. *num.* 56. & 58. cum P. Tomâ Sancio *Lib.* 2. *Operis moralis Cap.* 23. *n.* 102.

Negatiua vt probabilis proponitur, iuxta receptas doctrinas.

28 Nihilominùs onus hoc non videtur illis vt omnino certum imponendum: excuſari enim poſſunt ex eo quòd Rex talia emolumenta non curet, nec de illis ſit lex. Quâ ratione Diana *Parte* 2. *Tract.* 17. *Reſolut.* 50. excuſandum cenſet Ruſticum, qui ſubreptum à ſe mulum hominis prædiuitis per multos annos locauit. Quod ex P. Leſſio hauſit. *num.* 114. *citato.* Tum etiam quia probabile eſt non eſſe obligationem reſtitutionis, quando dominus rem non erat locaturus, vel ad fructum quomodolibet ferendum applicaturus: ex hoc enim nihil minùs habet, quàm eſſet, ſi res vacaret, habiturus. Pro quo, Auctores apud Citatos occurrent. Item, quia non planè apparet emolumentum dictum ad induſtriam non ſpectare, quia neque rei naturalis eſt neque artificialis, ſed officij, de quo leges non loquuntur: & ſaltem dici poteſt, ad extraordinariam induſtriam pertinere, iuxta doctrinam

Digitized by Google

Nauarri, & Malderi apud Dianam *ſuprà* & Cardinalem Lugo *num.* 51. quibus addi poteſt eſſe quidem fructum rei alienæ, ſed voluntariæ ipſi Prætori, & ſic quodammodo ſuæ; vnde ad induſtriam videtur ſpectare, per quam tale eſt officium conſtitutum.

De obligatio reſtitutionis ratione abſentiæ longioris.

29 Ex huiuſmodi autem Vicariorum deſignatione aliud ſolet conſcientiæ grauamen emergere, quòd ſcilicet Prætores ſuas deſerentes Prouincias, ad ciuitates diuertunt, vt otientur ibi, aut verò etiam negotientur, idque per dies plures, ſalario nihilominus integro potientes. Quod quidem ſi per dies paucos accideret, poſſet quidem tolerari, vt ſi ad feſtum aliquod, vel quid ſimile, etiamſi ad eorum pertineret commodum; talis enim abſentia pro præſentiâ reputari poteſt, quia ſic in iure diſponitur. *L. Quidquid Inſtit. de regulis iuris: ideoque breui reuerſa mulier, nec diuertiſſe videtur.* Si autem abſentia diuturna ſit, non videtur quomodo iuſtificari poſſit, & ſalarium plenè leuari ceſſante labore, cui illud reſpondet, nec poteſt fieri ſatis ex eo quòd per Vicarium cura huiuſmodi ſuppleatur: non enim Vicario, ſed illi officium traditum eſt, & conſequenter cura eidem annexa: cuius & eſt pro eo electo induſtria; pro quo videnda quæ in ſimili adducit Dom. Solorzanus *lib. 2. cap. 25. num. 23. & ſeqq.* Cùm etiam debeat ſuper ſuo vigilare Vicario, attendens an rectè ſuo fungatur munere, an Indi vexentur, vt ab iſtis fieri ſolet hominibus, an Parochij in iis, quæ ad fidem promouendam ſpectant, opportuna tribuantur auxilia, an ebrietati fomenta multiplicatis tabernis miniſtrentur. Quæ quidem indubiratata ſunt, vnde & proculdubio aſſerendum in abſentiis talibus grauiter & cum reſtituendi ſalarij obligatione peccari, & pro comprobatione ſtat prætereà Pragmatica Regia Matriti edita 7. *Februarij. Ann.* 1535. Carolo Quinto regnante, de quâ Auiles *cap.* 1. Prætor. verbo *ſalario, num.* 12. P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 421. *num.* 63. in quâ ex cauſſâ iuſtâ fit copia Prætoribus abſentandi ſe per 90. dies: quod ſi amplius abfuerint, non habendos pro talibus. Adduntque quòd ſi Rectores ciuitatis faciant facultatem ſe abſentandi Correctori vltra illud tempus 90. dierum, non lucrabitur ſalarium, ſi abſit vltra illos dies; poterit tamen ſalarium à Rectoribus repetere. Pro quo auctores videndi apud eoſdem. Addit tamen P. Fragoſus *num.* 64. ante ſententiam non eſſe priuandum ſalario, quia lex eſt pœnalis, quæ ad obligandum requirit ſententiam ſaltem criminis declaratoriã. Pro quo Auctores congerit, & eſt ſanè receptiſſima ſententia. Verùm non video quomodo id conſonet dictis ab eodem, *num.* 61. iuxta irrefragabilem Doctorum ſenſum, quos *ibidem* allegat, & textus Iuris expreſſos, quòd ſcilicet ſalarium non debetur Officiali, ſeu Iudici, pro tempore, quo non ſeruit, *Ac proinde, ſi quid accipiat, non poterit retinere.* Quæ ſunt Citati Auctoris verba; ergo ante omnem ſententiam obligatio reſtitutionis perſtat: ſicut in operario quolibet, cùm merces labori reſpondeat: & P. Molina, ac P. Sancius quos ille citat de pœnâ amiſſionis officiorum loquuntur, non de ſalario, vt videri poteſt apud illum *diſput. 96. Ver. Quod dictum eſt. & hunc lib. 2. Operis moralis Cap. 22. num.* 20. niſi forrè ſalarij pœna imponatur illi, qui ſeruiuit, tunc enim alia ratio eſt. Cùm ergo Doctores allegati, à citato Auctore in eo ſenſu loquantur, iuxta eumdem eſt etiam ille accipiendus, vt eius ſibi conſtare doctrina poſſit & ex dictis conſtat non eſſe excuſationem ſufficientem: ſi dicatur Prætorem abſentem per Vicarium ſeruire, nam in caſu, de quo Pragmatica loquitur, manifeſtum eſt ciuitatem non relinquendam ſine aliquo, qui locum Prætoris teneat, & tamen ſalarij & officij amiſſione punitur.

Ex Regiâ Pragmaticâ quæ ſpecialis obligatio.

P. Fragoſi doctrina non conſequens.

Ex rebus ſine pretio acceptis, aut certè viliori.

30 Eſt inſuper aliud, in quod conſcientiæ Prætorum impingunt, dum ea, quæ ad victum ſibi neceſſaria ſunt, minori pretio ab Indis extorquent, & forrè aliquando nullo pretio ſoluto. Contra quod malum zelus Catholicorum Regum iam pridem armatus, varias pro eo amouendo ſchedulas expediuit, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *lib. 4. cap. 2. num. 19. & 20.* & in Politicâ *lib. 5. cap. 2. pag. 757. col.* 2. Mos enim inualuerat, vt quædam ex iis gratis darentur, cùm tamen dantibus nihil ingratius; alia minori, & quidem pro iuſti medietate. Id quod & cum Parochis agebatur. Sed quia contra iuſtitiam, & humanitatem, ad iuſtitiæ eſt & humanitatis regulas reuocatum. Per leges quidem; ſed quod de neceſſitate dicitur, quòd ſcilicet lege careat, id etiam de auaritiâ pronuntiandum. Comedant ergo Prætores lautè, ſplendidè, opiparè, & eorum menſæ Regias exæquent; & multoties antecedant: ſi tamen vexatione Indorum eſt, dum pretia iuſta cibariis auferuntur, diuitias, quas deuouarunt, euoment, & de ventre eorum extrahet illa Deus, vt Sophor loquitur apud *Iob.* 20. *v.* 15. vbi & illud Prætor quiſque ſibi dictum accipiat. *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus v.* 14. & de obligatione reſtitutionis adeò circa hæc conſtat, vt ſuperfluum omnino ſit in eo probando vel paullulùm immorari.

Iob 20. verſ. 14. & 15.

In Syndicatu quanta conſcientiæ grauamina.

31 In Syndicatu alia ſunt, quibus Prætorum conſcientiæ grauiſſimè deprimuntur, dum ſcilicet ſucceſſor in officio deceſſoris ad Syndicatum iudex conſtituitur. Cùm enim exoptet ipſe officij, quod auſpicatur, exitum habere felicem, id cum deceſſore agit, quod ſecum faciendum à ſucceſſore deſiderat. Sic miſeris Indis, quæ ſibi ſunt debita recuperare non licet, teſtibus timor incutitur; omnia malefacta diſparent, & ſententia cum egregiâ Syndicati laude profertur, ob rectè adminiſtratam iuſtitiam, vt dignus planè ſit, quem Regia Maieſtas pergat maioribus muneribus honorare. Ad hoc autem eliciendum elogium quid non agat Syndicatus? ſed omnia adeò in propatulo malitiam habent, vt non ſit opus illa exquiſitiùs declarare. Falſorum teſtium inductio, notiſſimum malum eſt, ad quod multa, & fere omnia huius generis reducuntur, de quibus dictum *Titulo 4. Cap. 18. §. 1. & 2.* Inde violata iuſtitia, decuſſatæ ſententiæ, & tribunalium irreparabilis corruptela; dum omnia auaritiæ imperio diſponuntur. *Tui ſunt iſti, ſcelerata auaritia, fructus* (Sancti Aſterij verba ſunt, homil. 3.) *tuo impulſu, & incentiuo filius parenti inimicitias denuntiat; tu comples terram latronibus, & homicidis, mare pyratis, vrbes turbis; atque tumultibus, forum, ac tribunalia falſis teſtibus, Sycophantis,* pro-

Ex auaritia imperio, cuius fructus recenſentur. S. Aſterius.

Digitized by Google

prodisoribus, aduocatis, ac indicibus, eò propendentibus, quò tu pertraxeris. Auaritia mater inæqualitatis, immiſericors, inhumana, crudelis. Hæc ille, & alia, multis Indicorum Prætorum adaptanda: pro quibus hæc diſſeruiſſe ſit ſatis, ad éa enim poſſunt quæcumque alia, quibus opprimi eorum conſcientiæ ſolent, reuocari, vnde ad alia.

Vide Indicem Verb. *Bene meriti Conquiſitores, Conſilium Regium Indiarum, Officiales Regij, Officium, Prorex, Rex, Tributa, Venditio,* & alia, vbi circa Prætores, & Gubernatores, Indorum multa occurrent.

TITVLVS VII.

DE INDORVM COMMENDATARIIS.

Commendatarij qui dicantur.

1 DE illis Dom. Solorzanus fusè ſatis, & eruditè diſſeruit, toto ſcilicet Poſterioris Tomi ſecundo libro, & Tertio Politicæ. Quia tamen ferè omnia ad forum exterius ſpectant, & feudalia iura concernunt; illis relinquenda; qui forenſibus cauſſis defendendis intenti, obligationes conſcientiæ non attendunt, niſi ſecundùm generalem illam rationem Iuſtitiæ ius ſuum vnicuique tribuentis. Nos ergo muneri vacantes noſtro, & iura conſcientiæ ventilantes, quæ circa Commendatarios occurrere eius generis poſſunt, non equidem multa, ſed vtilia proponamus, explicatione nominis præmiſſâ. Sunt enim Commendatarij Indorum illi, quibus ob ſpecialia merita ius confertur, vt à certis Indorum populis, tribubus, aut familiis tributa exigere poſſint, quæ Regi debentur, ſub certis conditionibus, quales apponi in feudi conceſſione ſolent. Dicuntur autem Commendatarij, quia Indi eorum tutelæ commendantur, defendendi ſanè, & in Chriſtianis moribus promouendi. Quod ſi faciant, confidenter poterimus eorum animas Creatori earum Omnipotenti commendare. Pro illis ergo ſit

CAPVT I.

De Iuramento Fidelitatis, & aliorum, ad cuius Commendatarij præſtationem obligantur.

Iuramenti eorum materia.

2 IVrant illi ante inueſtituram, ſeu miſſionem in poſſeſſionem, ſe fidelitatem Regi ſeruaturos, & iuge obſequium in omnibus; ac pro eo, & regni defenſione, ac præſertim Prouinciæ, in quâ beneficium Commendæ aſſecuti ſunt, ſe aduerſus omnes homines de mundo militaturos, prælioque cum equis, & armis adfuturos, quoties ad id fuerint aduocati; Circa quod

Aſſertio 1. Nihil oneroſum in illo.

Dico primò. Iuramentum hoc ad id obligat, quod in more poſitum, & iuxta probabiles opiniones, quocirca talem obligationem apud Doctores occurrunt, de quibus Dom. Solorzanus *lib. 2. cap. 23.* & in Politicâ *lib. 3. cap. 4.* Itaque Commendatarij pro illo anxij eſſe non debent: quod enim ad fidelitatem attinet, nihil importat aliud, quàm ſub Regis ſe ſubiectione futuros; cum & non alium pro tali recognoſcendo, neque contra ipſum aliquatenus inſurgendo. Hoc autē nullam in illis ingenerare debet anxietatem, quando etiamſi Commendatarij non eſſent, eo eſſe animo deberent, vt ſunt omnes Regij vaſalli, quibus fidelitas vitâ ipſâ charior eſt, ſingulari illâ Hiſpani ſanguinis prærogatiuâ in iis, qui ad primitiuam Coronam ſpectant, de quibus celebris ex noſtris Poëta illis verſibus, quos pueri hauſimus:

Hiſpana fidelitatis prærogatiua.

El que fuere eſpañol no lo conſienta, Vega.
Y mas el que ha nacido Caſtellano,
Y en las reliquias, y valor ſequenta,
De aquel famoſo Principe Aſturiano.

Quoad alia verò vix eſt aliquod, quod eſſe oneroſum queat; equum enim, & arma habere, vt ſi vocatus fuerit, prælio adſit, minimè poteſt eſſe moleſtum iis, qui ad equeſtrem ſe claſſem ſpectare ſciunt, & iactant; vnde & regni defenſio nequit illis eſſe grauis, ad quam nobiles præſertim prouocantur; quia plus habent, quod poſſint amittere, vnde ipſo naturæ pondere, ad id videntur incitari. Et quidem aut commodè adeſſe defenſioni poſſunt aut non. Si Primum: magni facienda occaſio ſtrenuitatis, induſtriæ, & fortitudinis oſtentandæ, ſicque amplificandi merita, vt maiores à Rege honores & vtilitatum augmenta conſequantur. Si Secundum, mittere alium pro ſe poſſunt circa quod Dom. Solorzanus ſapienter diſſerit *Cap. 23. citato num. 96. & ſeqq. & Cap. 25. Politicæ.* Id autem quod addit, *num. 97.* feudatarium neque per ſe, neque per ſubſtitutum ſeruire teneri, ſi paratus ſit ſoluere domino dimidiam partem redditus feudi vnius anni, contra fidem iuramenti non eſt, quia, vt dixi, iuramentum obligat ſecundùm receptas Doctorum

ctorum opiniones circa modum obligationis; ſecluſo ergo iuramento, videndum eſt quid probabiliter fieri aut non fieri poſſit; & eo addito nulla circa id creſcit obligatio; quia iuramentum vt diximus *Titulo præcedenti cap.* 1. non ampliat obligationem, ſed ſtrictiorem reddit eam, quæ aliàs grauiter vrgebat: non eſt ergo, vt dixi, cur Commendatarij de iuramento eſſe anxij debeant, licèt eius obligatio magna ſit, quando nihil ratione illius moleſtum accidit, quod aliàs non ſit ſpontè & laudabiliter faciendum.

Iuramentū dictum nō ampliat obligationem.

3 Quid ergo cum equis, & armis adfuturos ſe prælio iurant, non arguit obligationem habendi equos, & arma ſpecialia in conſcientiâ eſſe grauem, ſi quando ſe obtulerit occaſio, commodè poſſint habere prædicta. Quamuis fortè pœnâ aliquâ affici poſſint, ſi ea non habeant, vt de more eſt apud tales habere. Et obligatio præſertim ceſſabit, ſi Commendatarius in eâ iam ætate ſit, aut talibus corporis impedimentis, vt ſeruire per ſe ipſum nequeat; vel paratus mediam partem annui redditus ſoluere, vbi id in vſu fuerit. Quod quidem tunc præſertim intelligendum, quando de Regni defenſione agitur ob exteros hoſtes ingruentes; quia verò in Indiis timeri incurſus ab ipſis indigenis poſſunt, & Commendatarij iurant defenſuros ſe præſertim Prouinciam, in quâ eſt illorum Commenda, videri alicui non immeritò poſſet Commendatarios teneri equos, & arma in promptu habere. Quod quidem in partibus vbi tale aliquid timeri poteſt, ita videtur aſſerendum; ſecùs in aliis vt ſunt multæ pace altiſſimâ perfruentes. Et hoc certè quàm ſit neceſſarium, damnis frequentibus experimur, dum ita ſecuri, & imparati agimus, acſi nihil poſſet aduerſum pertimeri, & fauenti quidem manifeſtiſſimè Deo, victores ſæpiùs euadimus, vincendi penitus, ſi munitiones noſtræ cum apparatibus hoſtium ingentibus componantur. Et dolendum profectò eſt regna adeò opulenta, quorum diuitiis orbis vniuerſus exiſtat, omni ſecuritatis munitas non eſſe præſidio, quorumque ciuitates muris poſſent argenteis roborari. Et Reges quidem noſtri ſatis id prouidenter gubernatoribus iniungunt; qui tamen, vt theſauros, quos in Hiſpaniam tranſmittunt, reddant ampliores, præſidiariis ſumptibus parcunt, & leuis gratiæ captandæ ſtudio, quod eſt potiſſimum derelinquunt; augendis attenti riuulis, eorum fontibus prætermiſſis. Et poſſem ſpecialia quædam hoc ipſo, quo hæc ſcribo, tempore ſub oculos occurrentia, & miniſtrorum Regiorum circa militarem paraturam, minùs fidelem induſtriam, ac boni publici detrimenta traducere: parco tamen quia non omnium hæc culpa eſt, & quæ dixi, ſatis eſſe poſſunt, vt aperiant oculos qui ad res iſtas debent attentiùs vigilare.

Circa habendos equos & arma quæ obligatio.

Circa præſidia Indiarū incuria dolenda.

4 Quòd ſi ad defenſionem Prouinciæ, in quâ commendam poſſident, præſertim tenentur Commendatarij, ſpecialiſſimâ quadam ratione id agere debent circa Indos, quos ſibi commendatos habent, vt ſcilicet eos omni ſolicitudine defendant, & eorum quietum ſtatum ſtudeant pro viribus contutari, & ad hoc quidem obligatione grauiſſimâ conſcientiæ obſtrictos eſſe dubitari nequit: propterea namque Regia cura circa prædicta ad eos traducta eſt, vt quæ in Rege eſſe ſpecialis circa omnes poteſt, cùm cõmunis omnibus ſit, in ipſis ſit peculiaris, & ita commune bonum valeat meliùs promoueri. Vnde iuramentum ad hoc etiam videtur extendi; licèt de militari tantùm obligatione, cùm bellum inſtat, procedere videatur. Pro quo facit id, quod habet Dom. Solorzanus *Lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 1. *& Cap.* 25. *num.* 32. & in Politicâ *Pag.* 425. *Col.* 2. vbi ait in Commendis conſtituendis à piiſſimis noſtris Regibus non minùs, immò magis curatum, cautumque fuiſſe, vt Commendatarij Indorum in ſe clientelam reciperent, & ſpiritualem ſalutem temporalemque curarent, vtpotè miſerabilium, & multis iniuriis atque captionibus expoſitorum; quàm militare ſeruitium, & Indicarum Prouinciarum initionem, quod maximum Commendatariorum onus eſſe videtur. Cùm ergo in iuramento ſpecialis mentio Prouinciarum, in quibus Commendæ exiſtunt, habeatur, ex eo apparet manifeſtum illius obligationem ad talem defenſionem extendi; aliàs Regum piiſſimorum prouidentia circa punctum grauiſſimum claudicaret. Et ita ex Antonio de Leone affirmat Dom. Solorzanus *ſuprà num.* 39. *& Cap.* 25. *num.* 32. & in Politicâ *Pag.* 425. *Col.* 2. qui & obſeruat adhuc in titulis Commendatariorum antiquas clauſulas de Indis in fide inſtruendis apponi, & iurari, ob ſignificandam obligationem prædictam, licèt Rectores habeant pro eiſdem. Pro quâ ſit vltra.

Teneri ad Indorum defenſionē Commendatarios vi iuramenti.

CAPVT II.

Obligatio tuendi Indos in Commendatariis expenditur: & quid de iis, qui in Hiſpaniâ degunt.

5 OBligatio ſanè grauiſſima eſt: & licèt indicata dudum, eam oportet magis ex profeſſo demonſtremus: nec dilucidiùs id præſtari poteſt, quàm verbis Regiæ Schedulæ Ann. 1555. ad Limanam Audientiam directæ, in quâ ſic: *Porque ya ſabeis que el origen de eſtas Encomiendas fue reſpetando ſiempre el bien de los Indios, paraque fueſen dotrinados en las coſas de nueſtra ſanta Fe Catolica, y paraque los tales Encomenderos tubieſen cargo de la tal Dotrina y defenſa de los Indios, que les eſtan encomendados, para no los dejar mal tratar en ſus perſonas y haciendas, y los tubieſen en Encomienda paraque ningun agrauio recibieſen, y con eſta carga ſe los dieron, y han dado ſiempre, y es cargo conexo à la Encomienda; de tal manera, que enno cumpliendo, ſerian obligados à reſtituir lo que lleban, y es legitima cauſa para los priuar de las Encomiendas, &c.* Ex quibus conſtat obligationem iſtam talem eſſe, vt peccatum mortale ſit circa curam huiuſmodi dormitare. Nec dici poteſt plus centum iam elapſos annos ab huius reſcripti tranſmiſſione, & varias circa Indorum regimen diſpoſitiones rigorem obligationis dictæ mitigaſſe: nam Indis ad curam ſpiritualium dati Parochi, ad politicam gubernationem & tuitionem Prætores, & Commendatarios iuſſos à commendatis ſibi populis remotos degere, in vrbibus ſcilicet Hiſpanorum, quæ ſunt Commendis propinquiores: ex quibus videtur obligatio prædicta ceſſare.

Regia Schedula circa obligationē dictam.

6 Sed

Digitized by Google

Non eſſe ſolùm in ordine ad defenſionem Prouinciæ, ſed ad commodam Indorum defenſionē.

6 Sed certè non ceſſat: nam quod de Parochis dicitur, nihil euincit, cùm manifeſtè conſtet illis etiam temporibus Parochos fuiſſe; licèt pauciores, quàm opus eſſet pro meſſe adeò copioſâ. Et quandoquidem in Parochis ipſis eſſe circa munus ſuum damnabilis negligentia poteſt, Commendatariorum ſolicitudo meritò à Regibus noſtris exigitur: vt ſi quid tale deprehenderint, remedium apud eos requirant, à quibus poteſt adhiberi. Quod autem ad Prætores attinet, manifeſtius eſt, cùm exploratum ſit, Indos ab ipſis ſolitos hoſtiliter diuexari: vnde actum eſt aliquando, an magis expediret eos penitus tolli, & alium modum gubernationis induci, vt teſtatur Dom. Solorzanus ex P. Acoſta, & aliis *Lib.* 4. *Cap.* 2. *num.* 4. quia eorum multi peiores in ſuis Prouinciis ſunt quàm pyratæ, & prædones eas infeſtantes, iuxta eumdem, *num.* 7. non erit ergo circa hoc Commendatariorum ſuperuacua defenſio: ad quam quidem ex ciuitatibus, in quibus degunt, poſſunt attendere, cùm ad eos frequenter Commendati veniant, ex quibus poſſunt eorumdem vexationes agnoſcere; licèt cautelâ opus ſit, nec facilè fides eorum querelis adhibenda, niſi quando prudens circa illas poſſit iudicium efformari. Et pro his quidem videri etiam poteſt Dom. Solorzanus *Lib.* 2. *Cap.* 24. *num.* 29. *& ſeqq.* vbi benè oſtendit quomodo ex Parochorum, & Prætorum deſignatione non ceſſauerit ea, de quâ loquimur, obligatio; quod & tenet Antonius de Leone *de Regiis Confirmat.* 1. *p. Cap.* 25. *n.* 35.

Explicatur ea, ad quã illam oportet extendi.

7 Defenſio autem multa complectitur, de quâ hic præſertim agimus, & ita ad illa omnia ſe extendit, in quibus Indos vexari contigerit, & patrocinio quomodolibet indigere; etiamſi vexatio aut moleſtia à Regio Conſilio proueniat: poſſunt enim diſpoſitiones aliquæ inde procedere, ex incertâ rerum maximè diſtantium notitiâ, quibus oporteat obluctari. Quòd ſi etiam adhoc pecuniâ indigeant, & ſuccurrere Commendatarij poſſint, id debent facere, quia quidquid ſic expenderint, recuperare poſſunt; cùm præſertim Indi in ſuis negotiationibus tenues expenſas faciant. Hac de cauſsâ Commendatarius quidam his proximis annis, cùm videret Commendatis ſibi terras auferri, quas diu poſſederant, & aliàs minimè æquales tribui, iudicum ad compoſitionem terrarum deputatorum ſententiâ, vnde illi migrare aliò cogebantur: ſuâ pecuniâ illas per compoſitionem obtinuit, & Commendatis tradidit. In quo quidem licet illis ægregiè benefecerit, ſuum tamen negotium egit, quandoquidem eo pacto Commendati in ſuis remanſère ſedibus, & ita Commendatario ſuo vtiles eſſe impoſterum, ſicut fuerant anteà, potuerunt: & hoc quidem Commendatarij aduertere ſemper debuiſſent; quidquid ſcilicet commodi Commendatis accurent, in ſuimetipſorum commodum redundare: quemadmodum in agricolæ commodum cedit quidquid opportunè cultui plantarum impenditur. Ex quo habetur etiam Commendatarios grauiter peccare, ſi ad ſe accedentes auſterè Commendatos excipiant, & faſtidioſè repellant, ipſi querelis tædiati; ſic enim illi non audebunt deinceps ad eoſdem pro remedio miſeriarum ſuarum accurrere, & ita obligationi primariæ protectionis & defenſionis deerunt, qui & humanis & diuinis ad illam iuribus perurgentur, ex contractu ſcilicet cum Rege & iuramento: ſunt namque Indi puſilli cordis, & formidoloſi ac pauidi; vnde repulſi ſemel vix habebunt vnquam animum reuertendi. Audiant diuinum ſpiritum dicentem illis: *Congregationi pauperum affabilem te facito, Eccli.* 4. *v.* 7. Quæ verba peculiarem continent energiam: non enim iubet vt affabilem ſe quiſque exhibeat, ſed vt faciat: vt ſcilicet ſi aliàs homo auſterus ſit erga pauperum congregationem nihil tale præſeferat, ſed naturæ vim faciat, & hoc non erga vnum aut alterum, ſed erga Congregationem. Et quis non videat Indorum populum, aut eorum tribum, Commendatario traditos, congregationem eſſe pauperum, erga quam Commendatarij affabiles ſe præbere debeant, quia pauperes, & ingenio pauidi & ſuæ aliàs clientelæ? & ita multiplici ex capite obligatio vrget eos benignè & amicabiliter excipiendi. Vbi integrum poterat Concilij Limenſis Caput ex ſcribit. *Tertium* videlicet *Act.* 3. quod mirè in præſentem cauſam cadit: ſed vt totum non demus, eius portio minimè ſubtrahenda, dum ſic ait: *Nihil eſt in harum Indicarum gentium prouinciis, quod Eccleſiæ Præſides, ceterique miniſtri, non Eccleſiaſtici modò, ſed etiam ſæculari potentiâ inſignes, à Chriſto ſummo Epiſcopo ac Rege animarum ſibi vehementiùs commendatum exſtimare debeant, quàm vt huic nouo teneroque Dei gregi paternum affectum, curamque pro ſpirituali & temporali eorum neceſsitate, prout Miniſtros Chriſti decet, impendant & certè harum gentium manſuetudo, & perpetuus ſeruiendi labor, & naturalis obedientia, atque ſubiectio, quoſuis homines, quantumuis feros, mouere iure poſsit, vt eos defendendos potiùs arbitrentur, quàm improborum prædam eſſe paterentur. Quapropter dolens impensè ſancta Synodus, &c.*

Eccli. 4. v. 7.

Concilium Limenſ. 3. quantum benignam Indorum commendet tractationem.

Commendatarios ſub mortali ad reſidentiam ſibi aſſignatam teneri.

8 Et propter obligationem defenſionis alia eſt Commendatariis impoſita, in ſuis ſcilicet Prouinciis reſidendi, & in vrbibus Commendæ propinquis: de quo latè differit Dom. Solorzanus *Lib.* 2. *cap.* 25. & in Politicâ *Lib.* 3. *cap.* 27. & obligationem talem ad conſcientiam ſpectare, & ſub mortali conſtringere, non videtur poſſe dubitari: nam cum eo onere Commenda tribuitur, & defenſio Prouinciæ cum Indorum protectione iuratur: neque obligationi defenſionis ſatisfieri poteſt, ſi abſentia protrahatur: vnde & obligatio reſtitutionis inſurgit, ſi Commendæ redditus abſentes imburſarint. Pro quo ſunt manifeſta Regij reſcripti verba, de quo *n.* 3. *De tal manera que no cumpliendo, ſerian obligados à reſtituir lo que lleban.* Atqui abſentes nequeunt implere quod in præfato reſcripto habetur, vt eſt in ſuperioribus explicatum; tenentur igitur ad reſtitutionem. Neque ad communem doctrinam de lege pœnali poteſt eſſe recurſus, quæ ante ſententiam non obligat; quia id non habet locum quando pœna imponitur ob defectum operæ, cui eſt ſalarium aut pretium aſſignatum, vt in præſenti contingit, & diximus *Titul. præced. num.* 29.

Secùs facientium obligatio reſtitutionis.

Licentiam pro abſentia quis dare poſſit.

9 Poteſt autem ad abſentiam licentia concedi non ſolùm à Rege, ſed etiam à Prorege & Gubernatoribus, vbi illi ſupremam habent poteſtatem: ea tamen nequit niſi ex iuſtis cauſſis peti, ſicut neque concedi. Cùm verò tempus breue

Digitized by Google

breue dicatur eſſe futurum, non videtur poſſe præciſè decerni, quia circa breuitatem, cùm de illâ in Iure agitur, ſunt varij dicendi modi, nam & ſunt qui ad annum extendant, vt in Gloſſa quadã, Decreti legiſſe me memini: ſed melius equidẽ ad arbitrium eſt Gubernatorum ratione moderatum, & attentis cauſſis, reuocandum. Tunc autem ſubſtitutum relinquendum, à Commendatario deſignandum, & à Gubernatore approbandum, ex Regiis reſcriptis habetur, de quibus Dom. Solorzanus *ſuprà num.* 39. Si quæ autem damna inde Commendatis obueniant, vt plerumque accidit, à Commendatario ſarcienda: benè idem textibus & Auctoribus inductis oſtendit. *n.* 40. *& ſeqq.* Ex quo fit quòd vtcumque abſentia contingat, ſi Commendatis aliquæ irrogantur iniuriæ, pro illis compenſandis Commendatarios obligari. Si inquam tales ſint, quibus ipſi obuiare abſolutè potuiſſent, iuxta experientiam de talibus haberi ſolitam E. g. ſi locum tenentes gratuitò ipſis onera intulerint, eorum abſtulerint terras aut bona alia iniquis prætextibus. Et cùm in caſibus iſtis Indi ad Commendatarios accurrere ſoleant, & illi ſuccurrere; in abſentiâ tamen hoc penitus recurſu fraudantur, & ſic prædictis iniuriis expoſiti relinquuntur. In quo quidem euentu non videntur ad integram compenſationem teneri, quia protectionis cura non ex integro ad eos ſpectat, ſed ad Prætores: vnde ex tributo Commendatariis ſolui ſolito, portio quædam detracta eſt pro ſalario Prætorum integrando. Sicut ergo emolumentum imminutum, ita & curæ obligatio mitigata. Pro quo videri poteſt Dom. Solorzanus *ſuprà. Cap.* 24. *num.* 34. Nec tamen in Prætoribus ita dicendum, qui integrè ad damnorum recompenſationem tenentur, cùm habeant plenam iuſtitiæ adminiſtrationem, & manum validam ad omnem iniuriam propulſandam, iuxta ſæpiùs dicta de obligatione Magiſtratuum, qui ex iuſtitiâ ad prædicta tenentur: quidquid neſcio quis in re omnium conſenſu receptiſſimâ obſtrepere videatur apud Dianam *Parte* 8. *Tract.* 7. *Reſol.* 38.

Pro damnis in illa quæ reſtitutionis obligatio.

Ad Prætores etiam ſpectare.

10 Quando autem ob impedimenta alia abeſſe coguntur, diuerſimodè loquuntur Auctores: & quando nulla eſt culpa conueniunt illi non eſſe noxium impeditis, apud Dom. Solorzanum *Cap.* 25. *cit. num.* 63. quando autem, licet impedimentum culpabile non ſit, in culpâ tamen fundatur, vt carceratio, & exilium, alij nocere aſſerunt, ſecus alij: ſi delictum tale non ſit, vt ſecum afferat pœnam priuationis. Et hoc vltimum vt Iuri & rationi conformius amplectitur citatus Scriptor *num.* 77. *& ſeqq.* Et iis autem quæ adducit, non ſolùm ſequitur abſolutè Commendam non amitti, cuius priuatione mulctatur, qui ſine legitimâ abfuerit facultate; ſed neque illius redditibus abſentiæ tempori reſpondentibus, quia habetur pro reſidenti, vt videri poteſt. *num.* 99. Quod tamen ita videtur accipiendum, ſi per ſubſtitutum ſuæ ſatisfacere obligationi curauerit; nam eo deficiente, non apparet quo titulo poſſit totum Commendæ emolumentum, ac ſi præſens adeſſet, reportare. Pro quo faciunt quæ adducit Doctor idem *cit. Cap. num.* 12. *& ſeqq.* vbi probat reſtitutionis beneficium non mereri eum, qui non curauit de mittendo Procuratore, quando per ſe adeſſe non potuit. Non enim negligentibus ſubuenitur, ſed neceſſitate rerum impeditis *L. Non enim. D. Ex quibus cauſſis maior.* Et licet in iis, qui cauſſâ ſtudiorum abſunt, id exceptionem patiatur, iuxta id, quod Auctor idem congerit *num.* 115. *& ſeqq.* id tamen in caſu præſenti non eſt ad rem, vbi de impedimentis alterius generis diſputamus.

Circa impeditos obligatio qualis.

Benignior doctrina qualiter accipienda.

11 Et id quidem quod de ſuſtituto dictum eſt, debet fieri quando Commenda etiam à Rege tribuitur illis, quos Rex ipſe eſſe impeditos agnoſcit, vt feminis, pueris, & iis, qui in Hiſpaniâ degunt. Vbi quidem gratiæ tenor attendendus eſt, & illi ſtandum. Si autem in formâ ordinariâ titulus concedatur, Subſtitutus eſt conſtituendus, quod pro pueris illi facient, qui eorum curam gerunt, qui ſicut in aliis, debent vtiliter negotium iſtud tractare, quod adeò eſt graue, & quæſtuoſum; ſi ſecus autem faciant, non ideò detrimentum aliquod pueri patientur, quia non poteſt illis negligentia, de quâ nuper dictum, imputari. Dubitari autem poteſt an in ætate grandiori præſtare iuramentum debeant. Et videtur negatiuè reſpondendum, cùm ab eiſdem non exigitur, quia cùm ſit onus, de cuius obligatione non conſtat, non debet ſibi illud imponere, qui ab eo eſt beneficio pueritiæ releuatus. Si autem petatur ab eo in ipſâ conceſſione in ætate diſcretionis, intelligendum de ætate, in quâ poſſit militare, & decimum ſeptimum annum ſaltem, expletum tamen, requirit: de quo Alexander ab Alexandro *Lib.* 1. *dierum genialium Cap.* 20. vbi & Tiraquellus: licet in hoc vires attendi oporteat: non enim omnes in ea ætate tractandis armis idonei: arbitrio eſt ergo guuernantium relinquendum.

De Commendatariis ad ſeruiendum ineptis.

Iuramentum an præſtare debeat qui in pueritia Commendam aſſecutus.

CAPVT III.

De obligatione circa ſpiritualia ſpecialiùs agitur.

12 EX verbis Reſcripti *num.* 5. adducti conſtat Commendas inſtitutas *Para que los Indios fueſen doctrinados en las coſas de nueſtra Santa Fe Catolica*: pro quâ inſtructione cùm Parochi dati ſint, qui propterea Doctrinarij dicuntur, videndum reſtat ad quid talis ſe extendat obligatio. Cùm enim Commendatarij in oppidis Indorum ſibi commendatorum degere nequeant, non videtur quomodo talis inſtructio ad eos poſſit pertinere. Verùm ex dictis *num.* 6. intelligi poteſt qualitas huius obligationis, de quâ Dom. Solorzanus *Cap.* 24. *num.* 31. ita ſcribit *vt ſi Commendatarij, Doctrinarios* dictos, *vel remiſſos & negligentes notauerint, vel improbos, & impuros, vel cupidos, & rapaces, denique gregem domini lædi grauiter inſolentiâ Paſtoris animaduerterint: pro fide, quam ſuis Indis debent, ad Epiſcopos deferant: & quantùm in ipſis fuerit ardenter agant, vt illis quàm optimâ fide conſultum ſit.* Sic vir ille pietate, & ſapientiâ inſignis, quibus dilucidè obligationem Commendatariorum expoſuit, & modum eidem faciendi ſatis declarauit. Pro quo & in Politicâ *pag.* 477.

Quomodo poſſint Commendatarij inſtructionẽ Indorum vrgere.

Dom. Solorzanus.

Iuxta

Digitized by Google

Et inquiſitionem facere iuxta modum procedendi Parochorum.

13 Iuxta hæc ergo Commendatarius tenetur grauiter circa modum agendi Parochum inquirere, commendatos ſibi Indos interrogando, neque expectándo, vt ipſi defectus Parochorum manifeſtent; poterit enim accidere vt illi de hoc taceant, vel quia inſtrui non admodum curant, & ita neque de Paſtorum incuriâ dolent, vel reſpectu alio timoris, aut ſimili. Neque tamen inquiſitio talis eſſe debet, vt ad particularia deſcendat, ſed generaliter de modo agendi interrogentur, aut per capita potiora: an honeſtè viuat, an doctrinæ incumbat, an eos ad labores compellat, & laboris pretia perſoluat. Quæ quidem omnia ad ſpiritualem curam pertinere poſſunt: ſi enim Indi à ſuis Parochis ad labores compellentur, eoſdem inuiſos habent, & ita inuiti audiunt, nec peccata illis integrè in Confeſſione aperiunt; immo nec fidem dictis adhibent, vnde & fidei apud multos adhuc fundamenta non iacta, peruerſitate Paſtorum & quidem quod dicere Indi poſſunt, licitè poteſt ab eiſdem interrogari. Poſſunt autem illi cùm publica apud eos ſint, Paſtoris vitia deferre; vnde & Commendatarius percontari: erit autem commodus inquirendi modus, ſi Indi de Chriſtianâ doctrinâ interrogentur: quam ſi probè calleant; ſignum erit diligentiæ in Paſtore, & ita quoad hoc non erit opus interrogatione. Occaſione autem rectæ inſtructionis, de qua laudari Paſtor poterit, circa alia inquiſitio cordata procedet: quamquam cum Indis non ſit opus delicatiori ſcrutatione, ne ſcilicet intelligant de modo agendi Paſtoris ſiniſtram opinionem haberi; quia non ita in illis, qui in ſuis oppidis habitant, diſcurſus attollitur, vt læſio poſſit famæ in Paſtore timeri. Propter quam rationem in Cap. *Inquiſitionis, de accuſationibus* §. *Tertiæ*. Cauetur ne inquiſitionis viâ contra aliquem procedatur qui aliquâ non laboret infamiâ; vt enim benè ait P. Leſſius *Lib.* 2. *cap.* 15. *numer.* 122. *meritò quiſque poſſet queri ſibi fieri iniuriam, ſi in vitam eius iuridicè inquiritur; cuius fama alioquin eſt integra: nam per talem inquiſitionem redditur ſuſpectus*: ſic ille. Quod quidem propter eamdem rationem non videtur licitum; etiamſi iuridica inquiſitio non ſit; pariter enim ſuſpectus redditur, dum circa ſpeciale maleficium inquiſitio formatur ſeriâ, & vrgenti interrogatione. Quod tamen, vt dixi, circa Indos non eſt cur communiter timeatur. Præterquam quòd vt citatus Auctor cum Nauarro ait *in Rubrica ſe Iudiciis. num.* 92. inquiſitio talis licet quando fit ad maleficia impedienda, & eorum occaſiones tollendas, videatur *num.* 121. & id quidem in præſenti contingit, vt non debeat circa hoc ſcrupulis eſſe locus: ad alia vtilius deriuando, de quibus *inferiùs*.

Inquiſitio cur non liceat circa non laborantem infamiâ.

Quando id licitum.

Et Commendatarÿ queant informationem talibus instrumentis conficere, & tabellionis fide munire.

14 Conſtat ergo ex dictis Commendatarios in ordine ab bonum ſpirituale Indorum ſuæ Commendæ inquiſitionem circa Parochos omnino extraiudicialem facere poſſe: iudicialis enim non licet ex defectu iuriſdictionis, & erit illa contra Eccleſiaſticam immunitatem. Non eſſet tamen talis, ſi in ordine ad informandum Epiſcopum aliquorum dicta ſcripto exciperentur, etiamſi firmata iuramento: quia iudiciale non eſt, quod iudicis auctoritate non ſit, vt ex nomine ipſo liquet, & eſt recepta doctrina. Vnde etſi tabellionis fides talem informationem roborarit, idem etiam dicendum, quia tabellio non eſt iudex, & ea etiam, quæ iudicialia non ſunt, ſuâ poteſt atteſtatione firmare, vt paſſim accidit in teſtamentis, donationibus, contractibus, & aliis. An autem ad hoc poſſit auctoritas iudicis interponi communis quæſtio eſt, de quâ poſt alios Diana *Parte* 1. *Tract.* 2. *Reſolut.* 53. *& Parte* 3. *Tract.* 1. *Reſolut.* 52. vbi pro vtraque parte Auctores congerit, & licet pro negatiua ſtet, oppoſitam non iudicat eſſe improbabilem. Et quidem Doctores illam tenentes vt ſunt, & tantæ auctoritatis, vt meritò debeat ſatis probabilis iudicari. Pro caſu autem noſtro fauet apertè Souſa *in Bullam Cœnæ diſp.* 95: *numer.* 3. vbi ait, quòd quando non eſt aditus ad Prælatum, qui iuridicè ſe informare poſſit, de facto criminali alicuius Eccleſiaſtici; & in eo continuatur, & eſt periculum in mora, poteſt iudex ſæcularis informationem facere, vt Prælato præſentet, non verò in aliis caſibus. Quam doctrinam ait Diana *Reſolut.* 53. valde eſſe notandam à iudicibus laicis. Cumque *Reſol.* 52. *citata* ſimilem aut potiùs eamdem ex Riccio afferat *in praxi Tomo* 4. *Reſol.* 460. *num.* 5. ſic concludit: *ſed ego non puto recedendum eſſe à noſtrâ ſententiâ quia tales caſus ſunt metaphyſici, & moraliter vix poſſunt accidere.* Sic ille: cuius admonitio ad iudices laicos nullius momenti redditur, quandoquidem non eſt valde notandum, quod moraliter accidere non poteſt. Quod ergo priùs vt omnino veroſimile propoſuerat, poſteà videtur non ita probaſſe. Sed certè ſi quâdo id accidat; quod vix moraliter accidere poſſe pronuntiat, doctrinam talem iudicem laicum amplecti poſſe, videtur tandem affirmare. Quam & generaliùs amplectitur P. Leſſius in *Reſolutionibus poſthumis. Verb. Iudex. Caſu.* 2. Non eſſe autem moraliter improbabile in Indiis, comprobatur, & in caſu de quo loquimur, paſſim accidit; propter diſtantiam enim, & alias circumſtantias difficillimum ſæpiùs eſt Epiſcopos circa modum agendi Parochorum pleniùs informari. Ego tamen in caſus eiuſmodi contingentiâ auctor eſſem Commendatariis, vt minimè iudicialem informationem efformarent, quæ eo ipſo odioſa futura eſt, & penitus reiicienda; & ita opportunius erit ſine auctoritate iudicio eam inſtrui, & cum omni ſecuritate tranſmitti.

An etiam iudicis auctoritas illi interponi.

Diana minus conſequens aſſertum.

Quid pro Indÿs conuenientius.

Quod ſi Prælati remedium efficax non apponant.

15 Sed quid ſi Prælati remedium efficax non apponant, vt accidere poteſt, & vtinam non frequenter; ſolent enim iſta viſitatoribus committi, per quos nihil videtur in melius commutari; videtur equidem remedium difficile; ſi enim adeatur Patronus, vt Prælatum admoneat, & ille reſpondeat à ſe circa iſta prouiſum, & in iudicio nihil contra delatum reſultaſſe ob quod debeat caſtigari: quid vltra eſt Patrono faciendum? Nihilominùs inſtandum; ſic enim res meliùs agitabitur, & Patronus Prælatum vrgebit, atque hic ad remedium adhibendum efficaci inſtantiâ compelletur. Et ad hæc quidem Commendatarius grauiter obligatur, nec tuta illius eſſe conſcientia poteſt, ſi cuicumque ſuccumbat obſtaculo. Faciendum namque ab illo, quod abſque dubio fieret, ſi de auferenda ipſi Commenda tractaretur: vni enim ſententiæ non cederet, ſed ſupplicaret, & in ſupplicatione victus, ad ſupremum

Digitized by Google

mum Conſilium prouocaret, nullumque non moueret lapidem, ne Commendæ emolumentis priuaretur. Cùm ergo illa eo cum onere data ſit, cùm ſpiritualis totum hoc complectatur, quandoquidem extraordinarium non eſt, vt probat diligentia explicata pro non admittendâ Cõmendâ; ſit ex eo non eſſe in conſcientiâ tutum, qui cum medio fruſtrato deſiſtit, videns cum ouibus pariter perire Paſtorem, aut cum Paſtore oues, pro vitę fontibus toxica propinante. Quod vlterius roborari poteſt ex obligatione defenſionis, quæ non modo quolibet facienda eſt, ſed vſque ad ſanguinis effuſionem certandum pro ea, vnde arma & equos habere debent Commendatarij, & cum illis omnibus hoſtiliter inuadentibus occurrere: ergo & in negotio ſalutis animarum pro virili etiam decertandum. Id quod ex maioritate rationis conuincitur; quod eſt argumentum in iure fortiſſimum, de quo Euerardus *Loco* 66. & alij apud P. Sancium *Lib.* 8. *de Matrim. Diſp.* 1. *num.* 21. Sicut & valet argumentum de milite corporali ad ſpiritualem, ex iis, quæ adducit Dom. Solorzanus *Lib.* 2. *Cap.* 15. *n.* 13.

Ratio efficax ex electionem diligentia oſtendens.

Duplex inſuper ex Iure argumentum.

CAPVT IV.

Grauamina conſcientiæ in Commendatariis ex oneribus circa Commendatos cumulatis.

Commendatarios non poſſe in Commenda oppidis habitare.

16 PLurima eſſe illa poſſunt, propter quæ vitanda iuſſi ab oppidis abire, in quibus Commendæ ſunt, & in illis neutiquam habitare. Vnde ſi ſecus faciant, vt accidere ſolet, eò quòd circa illas villas aut prædia habeant, aut habitatione continua, aut per maiorem anni partem, tranſgreſſores legis manifeſtiſſimi comprobantur. Ex eo præſertim quia habitatio talis in id tendit, vt ſeruitio Indorum indebito prorſus vtantur. Ita quidem præter iniuriam, dum violentiis opprimuntur, cum onere compenſationis iuxta æſtimationem laboris, videtur etiam iuramenti minimè obſcura tranſgreſſio. Cùm enim iurent defenſuros ſe Indos; id certè iurant, quod præcipuam Indorum tranquillitatem concernit, & ita à ſe non vexandos: à nullis enim magis timeri hoſtilitas potuit, quàm à Commendatariis ipſis, vnde circa hoc tot leges Regum Catholicorum extant, & propter duriora hæc experimenta ab oppidis excluſi, & gubernatio oblata penitus, cùm Vaſallorum dominis ſoleat eorum præfectura concedi. Paucis res iſta abſolui poteſt. Iuratur defenſio: & qui vexant non defendunt; rei ergo ſunt violati Sacramenti *Para no deſarlos maltratar en ſus perſonas y haciendas.* Sic Reſcriptum, de quo *num.* 5. Videant ergo quomodo hoc præſtent, qui ſeruitiis addictos tenent. Si dicant ſe non ita cogitaſſe, cùm iurarunt: non erunt quidem iuramenti rei in foro animæ, ſecus in exteriori, quia lex ad huiuſmodi defenſionem, vti ad præcipuam, vult dirigi iuramentum, & poterunt vt violatores eiuſdem puniri Commendæ priuatione, vt in Reſcripto citato habetur expreſſum.

Iuramentum ad id extendi.

Nihil ab illis exigi præter tributa poſſe.

17 Siue ergo in oppidis Commendæ ſint, in vrbibus vicinis idem prorſus cauendum eſt, ne ſcilicet indebitis ſeruitiis vrgeantur: id pro certo ſtatuendo, Commendatos nihil præter tributa debere, & ita ad ſeruitium nullum perſonale poſſe compelli: nec plus iuris erga illos habere, quàm erga Æthiopes nondum emptos, Hiſpanos, Italos, aut Germanos. Quo certiſſimo fundamento, vt iniquum, & compenſationi pecuniariæ obnoxium, ſeu alterius æquiualentis generis, reputandum eſt quidquid eidem videatur aduerſari; vt non ſit opus ad ſingulares ſeruitij modos deſcendiſſe, & ita vno generali Reſcripto prohibiti, de quo Dom. Solorzanus *Cap.* 24. *num.* 101. licet plura ſint quæ de peculiaribus agant apud eumdem. *num.* 103. Sunt ergo Indi velut cenſuarij, à quibus præter redditus nihil exigi poteſt; aut ſicut Emphytheutæ ad ſolam obligati penſionem: aut ſecus tributarij Regis, à quibus nihil præter tributum exigitur, niſi fortè commune bonum ſpeciale quidquam poſtulet; quod eſt omnibus commune, & ita ad id compellere ad ſolam ſupremam eius ſpectat poteſtatem. Non dicant ergo Commendatarij Indos eſſe ſuos: ſui enim non ſunt; ſicut neque Regis ſunt, vt non ſunt ij, qui in Hiſpaniâ, aut in aliis Coronæ regnis tributa pendunt: homo enim liber nullius eſt, & hoc eſt eſſe liberum: ſunt autem Indi liberi iure pleniſſimæ libertatis, de quo *Tit.* 1. *num.* 99. *& ſeqq.* & ita ſui Iuris, & conſequenter non alterius, iuxta §. *Liberorum. Inſtit. de verb. ſignificat ibi: Liberorum appellatione continentur, non tantùm qui ſunt in poteſtate, ſed omnes qui ſui iuris ſunt.*

Quibus ſimiles.

Pleno gaudent iure libertatis.

Inſtituta.

18 Ad præcauendum autem omne Indos vexandi periculum, Regis Philippi Secundi piiſſimo ſanè Reſcripto diſpoſitum vt nullo pacto ad Parochias Indorum præſententur Clerici aut Religioſi Commendatariorum cognati. 28. *Maij* 1597. quod neſcio an penitus obſeruetur. Videtur autem grauis eſſe obligatio, quia experientia docet ex huiuſmodi concurſu nihil fauorabile Commendatis poſſe reſultare. Quidquid ergo pro obligatione graui legum afferri à Doctoribus ſolet, hic profectò locum obtinet, de quo dictum aliquoties, ſed præſertim *Tit.* 2. *n.* 3. & quod ad quemcumque gradum cognationis ſpectat, de quo in Reſcripto, non ita accipiendum eſt, vt de eo delicatior debeat inquiſitio fieri; ſed videndum an dicti vt cognatos ſugerant; eo enim ipſo diſcludendi & licet in aliquo ob morum integritatem ratio videatur prohibitionis ceſſare, nihilominùs debet illa ſeruari, quia ſemper eſt periculum, & *ſanguis*, iuxta vulgare prouerbium, de quo & alibi, *ſine igne feruet.* Et vt verè periculum abſit, eſt tamen periculum faciendi in poſterum contra legem ob præmiſſum exemplar, & quilibet ſe æquè bonum Indorum zelatorem eſſe contendit; eſtque ſanè difficile ac valde odioſum, morum diſcrimina explorare; cùm debeat id ſtare fixum nemini, niſi morum integritate conſpicuo, Beneficium eſſe Indicum cõferendum. Nequit ergo dici ceſſare penitus in hoc aut illo rationem legis, quando nec ceſſat periculum dictum, nec poteſt Patronus morum diſcrimina comprobare. Quæ quidem doctrina grauium eſt Scriptorum, qui varia exempla ad comprobationem inducunt, vt videri poteſt apud P. Palaum *Tomo* 1. *Tract.* 3. *Puncto* 14. *n.* 13. de quo & dictum. *Tit.* 5. *n.* 15. *& Tit.* 7. *n.* 18.

Regium Reſcriptum grauiter obligans ne ad Parochias Indorum Commendatariorum cognati præſententur.

CAPVT

CAPVT V.

Circa modum reſtitutionis à Commendatariis ſeruandum, vbi & pro aliis, reſpectu Indorum.

Modus idẽ reſtitutionis qui & Prætoribus.

19 PRo damnis & iniuriis, de quibus *ſuprà*, compenſationem adhibendam, indubitatum eſt, pro quâ philoſophandum ſicut de Prætoribus, iuxta dicta *Titul. præcedenti, Cap.* 3. quando ſimilia damna ſunt. In eo autem quod *num.* 18. propoſitum, quando ignorantur ij, quibus damna ſunt illata, alia videtur eſſe ratio, quia Commendatariis notiores Indi ſuæ Commendæ ſunt, & faciliùs poſſunt damna eiſdem illata compenſare. Si tamen aliquando tale quid accidat, eo ſanè modo res diſponi poſſunt. Eſt autem dubitabile an id, quod Indis debetur, etiamſi noti illi ſint, poſſit non ſolui, eò quòd illud ſint ſuis in ebrietatibus conſumpturi, & quomodo facienda reſtitutio. Circa quod dicendum eſt, ſi apertè conſtet de ebrietate futura, reſtitutionem opportuno tempori reſeruandam. Sic Dom. Solorzanus *Lib.* 2. *Cap.* 24. *num.* 115. vbi ait ſic reſoluere D. Thomam 2.2.*q.*62. *art.*5. & 8. & 1.2.*q.*66. *art.*4. & 2.2.*q.*31. & 3.*p.q.* 68. *art.*5. quæ citationes tumultuariè congeſtæ: nam S. Doctor ſolùm, 2.2.*q.*62.*art.*5. *ad* 1. punctum attigit, de quo alibi nec verbum. Citato ergo loco in *Corpore* optimè circa hoc philoſophatur: *Quòd quando res reſtituenda apparet grauiter eſſe nociua ei, cui reſtitutio facienda eſt, vel alteri, non debet ei tunc reſtitui; quia reſtitutio ordinatur ad vtilitatem eius, cui reſtituitur. Omnia enim quæ poſſidentur, ſub ratione vtilis cadunt, nec tamen debet ille, qui detinet rem alienam ſibi appropriare, ſed vel reſeruare vt congruo tempore reſtituat, vel etiam alibi tradere tutiùs conſeruandam.* Sic ille. Quæ ergo Indis debentur, ſi ebrietas ex ſolutione fouenda ſit, & veroſimile id prorſus appareat, commodiori ſunt tempori reſeruanda; quod ſi commodum tempus non occurrat, id fieri poteſt, quod *Titul. præced. num.* 18. dictum, vt in alimenta, veſtes, vel vtilia alia conuertantur. Nullo autem modo ob ſolam ebrietatis ſuſpicionem ſtipendia laboris neganda ſunt, aliàs vix vllum illis dominium circa ſtipendia relinqueretur, cùm tamen liberi homines ſint, & nullibi ob conſuetudinem ebrietatis, ſolent laborantibus ſtipendia, numeratâ pecuniâ, denegari. Et quidem, ſi denegarentur, magnum inde bono publico damnum obueniret, non enim eſſent qui laborare vellent, cùm ſcirent ſe laboris ſui debitâ, mercede fraudandos.

An facienda reſtitutio Indi, ad ebrietates abuſuris.

Modus generaliter tenendus.

D. Thom.

Stipendia Indis ob rationem prædictam non neganda.

20 Quando autem certi creditores ſunt, dubitatum eſt ab aliquibus an poſſit reſtitutio fieri per prædicationem; quia illi circa doctrinam Chriſtianam inſtrui opus habent, & pro Prædicatore habendo tenentur facere expenſas, vt ſpiritualia ſeminantes, carnalia metant, iuxta doctrinam D. Pauli 1. *Cor.*9.*v.*11. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* Quam quæſtionem verſat Ferdinandus Zurita in quæſtionibus Theologicis circa Indos, *quæſt.* 7. & negatiuè reſoluit, eſtque communi Theologorũ confeſſione receptum, qui reſtitutionem rei temporalis temporali compenſatione faciendam eſſe determinant; aliàs enormes iniuſtitię poſſent committi, quia reſtitutio facillima eſt, vna enim ſalutatio Angelica pretioſior eſt omnibus Cræſi theſauris, & vna Miſſa id etiam habet incomparabiliter; circa illud ergo nequit generaliter dubitari. Et idem dicendum etiam in caſu propoſito, quando ſcilicet inſtructio circa Chriſtianam doctrinam factis eſſet expenſis procuranda: quia de tali Indorum voluntate non conſtat, ad quam ex iuſtitiâ non tenentur; ſicut neque Prædicatorem voluntarium alere: quidquid de alio genere obligationis ſit. Parochorum autem ſuſtentatio ex pacto obligat, & ita ex iuſtitiâ, quemadmodum, & Parochi ex iuſtitiâ ad prædicationem, & aliorum miniſteriorum exercitium obligantur. Circa hoc ergo nulla debet eſſe dubitatio, neque vano hoc prætextu ſubſtantiolis ſuis miſelli iſti fraudari.

Reſtitutio an fieri poſſit alendo prædicatorem.

1. Cor. 9. v. 11.

Negatiua reſolutio ob generalem doctrinam de compenſatione in re eiuſdem generis.

21 Si verò ignoti ſint ij, quibus facienda reſtitutio, poſt diligentiam, quæ verè talis dici poſſit, adhibitam, exiſtimat præfatus Auctor *Propoſit.* 2. poſſe per prædicationem debito ſatisfieri ex doctrinâ D. Thomæ 2.2. *q.*69. *art.*5. *ad* 3. vbi ait quòd cùm omnino eſt ignotus is, cui debet fieri reſtitutio, debet homo reſtituere ſecundùm quod poteſt, ſcilicet dando in eleēmoſynas pro ſalute ipſius, ſiue ſit mortuus ſiue ſit viuus. Ex quâ S. Doctoris, quæ & aliorum eſt communis doctrina, videtur colligi per prædicationem poſſe fieri reſtitutionem, quia prædicatio quando ad ignorantes dirigitur, genus eleēmoſynæ ſpiritualis eſt, & ita inter opera miſericordiæ ſpiritualia numeratur inſtructio ignorantium: quæ quidem pro ſalute eius offerri Deo poteſt, cui erat reſtitutio facienda: ſi præſertim in eo oppido fiat, cuius ille erat incola. Sic enim etiam ad propinquos poteſt fructus peruenire. Sed certè D. Thomas de ſpirituali eleēmoſynâ non loquitur, ſed de corporali, quæ tamen in ſpirituale bonum domini ignoti redundat, vt patet ex illis verbis iam allatis. *Scilicet dando in eleēmoſynas pro ſalute ipſius.* Eſtque id iuxta communem doctrinam de quâ nuper, iuxta quam reſtitutio in bonis ſpiritualibus non admittitur, quando corporalia ſuppetunt: ſi autem debitor ſit pauper, ea poſſe ſibi retinere, multorum ſententia eſt, pro quâ videri poteſt P. Fagundez *Tomo* 2. *in Decalogum, lib.* 7. *cap.*22. *num.*17. vbi eamdem approbat, addens tamen de Conſilio confeſſarij debere id fieri, vt rectè fiat, quia nemo ſuæ paupertatis rectus iudex eſſe poteſt. Sed certè nullus melior iudex eſſe videtur, quàm qui in ſe ipſo incommoda paupertatis experitur, vt dicere meritò cum Ieremiâ poſſit *Tren.*3. *v* 1. *Ego vir videns paupertatem meam.* Hac ergo ſtante opinione, ſi is qui Indis debet pauper ſit, non tenetur prædicatione debitum compenſare; quòd ſi neceſſitas illius vrgeat ob ignorantiam illorum, quæ aliunde ſuppleri nequeat, id certè non ex iuſtitiâ, ſed ex charitate proueniet, & ita nihil refert ad negotium reſtitutionis. Erit autem vtilis, & laudabilis ille reſpectus in eo qui propter ipſum voluerit operari.

Quod ſi ignoti ſint creditores. Vbi, ſententia affirmantium.

Doctrinam D. Thomæ pro illis non facere.

Poſſe retinere, qui pauper eſt.

Notanda pro caſu propoſito doctrina.

CAPVT VI.

In tributis exigendis qualiter grauari Commendatariorum conſcientiæ poſſint.

De tributis non in pecuniâ, ſed in ſpecialibus ſolui ſolitis.

22 VT Indi ad labores honeſtos, ſibique vtiles excitentur, legibus diſpoſitum eſt vt tributa non ſolùm in pecuniâ ſoluant, ſed in iis, quas vocant ſpecies, ex agricultura ſcilicet & opere textrino; aliiſque iuxta regionum diuerſitatem: dum enim ad ſoluendum tributum in iis ſe exercent, non ſolùm quæ ad id ſuppetant, parant, ſed & quæ vitæ ſuſtentationi ſufficiant. Ex huiuſmodi ergo Commendatariis tributa ſoluuntur; non tamen omnibus eodem modo; quibuſdam enim ſpecierum pretium ſoluitur, iuxta taxam lege præfixam, quidquid ſit de pretio currenti ſolutionis tempore. Poſſunt ergo, ſi velint ſpecies deſignatas contribuere, aut earum pretium in pecuniâ, quia ad alterutrum tantùm obligantur. Aliis beneficium ſpecierum conceditur (ſic vſus loquendi habet) quia in ipsâ commendæ conceſſione tale eis beneficium confertur, vt poſſint tributarios ſuos ad ſpecies tribuendas obligare. Quod beneficium licet communiter conferri ſoleat; communiter etiam Commendatarii eo non vtuntur, ſed in pecuniâ iuxta moderatum pretium integrum valorem accipiunt, pacto cum Indis circa hoc inito, in quod illi libenter concurrunt; quia verò pactiones, quas commendatarij cum tributariis ſuis facere ſolent in ordine ad huiuſmodi commutationes, minùs fauorabiles; immò & præiudiciales, illis eſſe ſolent, prohibitæ ſunt per reſcripta Regia, de quibus Dom. Solorzanus *Lib. 1. cap. 20. num. 82. & lib. 2. cap. 24. num. 102.* & in Politicâ *lib. 3. cap. 26. pag. 432. §. Lo quarto.* Quibus tamen non obſtantibus ſi pactiones iſtæ reuerà præiudiciales non ſint, & Indis ipſis annuentibus, & propendentibus fiant, Protectorique eorumdem auctoritate firmentur, non videntur improbandæ, quia proculdubio vtiles illis eſſe poſſunt, & ita quando tales, minimè prohibitæ: iuxta regulam ſatis vulgatam Iuris in ſexto. *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum.* Et ita video à Commendatariis timoratæ conſcientiæ practicari, vnde circa hoc non eſt illis ſcrupulus iniiciendus.

Prohibitæ circa illa pactiones, & qualiter

Si vna ſpecies pro alia exigatur, peccari cum reſtitutionis obligatione.

23 Eſt tamen omnino iniiciendus illis, immò, & ſpina in eorum cordibus, pro ſalute autem eorumdem infigenda, qui cùm de ſpeciebus accipiendis agitur, vnam pro alia petunt; quia ſibi commodiorem æſtimant. Quod quidem ſi in re aliqua ſemel, aut iterùm accidat, nec vis aliqua pauidis eorum animis inferatur, tolerari poteſt, neque vt lethalis permutatio iſta condemnari. Id autem frequenter fieri, ſine reatu mortalis culpæ nequit; quia circa frequentiam hanc inuoluntarij Indi ſunt, qui probè cognoſcunt permutationes tales ſibi eſſe incommodas; vnde ſi eiſdem annuunt, ex timore id faciunt, qui nullos reddit contractus, ſecundùm plures, & graues Doctores, quos adducit Bonacina *Tom. 2. diſp. 3. de contractibus quæſt. 1. puncto 2. § 3. n. 3.* & P. Oñate *Tom. 1. diſput. 3. ſect. 13.* quos, & ſequitur; vel certè nullandos, vt cum aliis tenet ipſe Bonacina *ibidem*, & P. Fagundez *lib. 1. de Iuſtitiâ, cap. 6.* cum multis. Ex quo fit in foro conſcientiæ teneri eum, qui metum incuſſit iniuſtum, ad reſtitutionem damni ſic irrogati, quia per iniuriam illatum eſt, & ita per reſtitutionem debet inæqualitas ad æqualitatem reuocari. Pro quo citatus Auctor eum Nauarro, Sylueſtro, & PP. Sancio, Leſſio, Reginaldo, & Rebello *num. 7.* quibus adde Cardinalem Lugo *diſp. 22. de Iuſtitiâ, n. 138.* P. Luiſium Turrianum *Diſput. 55. de Iuſtitia, dub. 11.* P. Gaſparem Hurtadum *Diſp. 1. de contractibus, Diffic. 5. Verſ. Et ob rationem*, P. Bauny *Lib. 1. de Contractibus, Tractat. 1. Quæſt 9. Verſ. Inſertur primò.* Vbi alios adducit, & Baſſæum *V. Contractus num. 23.* non eſt ergo quod Commendatariis faueat in permutationibus iſtis quomodocumque libeat opinari; & licet Auctores, qui validum contractum dicunt, reſcindendum tamen; addant hoc faciendum, ſi ita velit, qui metum paſſus eſt; vnde dum voluntatem ſuam non aperit videntur, qui metum incuſſerunt, iuſtè poſſidere: & ita dum Indi reſciſſionem non petunt, Commendatarios nihil vrgere, quo eorum grauari conſcientiæ poſſint; licèt inquam hoc ità ſit, nequit tamen ad caſum præſentem accommodari; quia in Indis, vt reſciſſionem contractus non petant, perſeuerat metus, & ita non eſt eorum expectanda petitio.

Contractus vbi metus, non ſuſtinetur.

Doctrinam circa reſciſſionem contractûs Commendatarijs nõ fauere.

24 Addendum prætereà; quòd licet tolerari queat vt contractus non reſcindatur, quòd tamen damnificatio non ſit recompenſanda; etiam Indis nihil petentibus; nullo poteſt pacto ſuſtineri. Eſt autem in permutationibus dictis ſemper damnificatio aliqua, dum vnum pro alio exigitur: quod enim datur, eo ipſo quòd ab inuito extorquetur, maioris valoris eſt: ſicut enim merces vltroneæ vileſcunt, ita quæ vltroneitate nihil, aut parum habent; maioris pretij ſunt, vt eſt communis Theologorum, & Iuriſperitorum doctrina, de quâ & dictum alibi, & quidem cùm quis rogatur vendit, plus valoris habet res ab eo tradita: ergo cùm inuitus id dicendum potiùs, quia magis inuoluntarium eſt, vt cum communi docet P. Leſſius *Lib. 2. cap. 15. num. 8.* Id autem quod de pretio circa venditionem dicitur, etiam eſt in quolibet alio contractu dicendum ob eamdem rationem: vnde & in permutationibus de quibus loquimur.

Pro damnificatione ſemper obligationem dictam extare.

Rei inuitæ extractæ maius pretium.

45 Poteſt etiam in eo Commendatariorum conſcientia grauari ſi non ſint iis rebus, quas Indi tribuunt, contenti, licèt mediocris valoris ſint, ſed velint eas eſſe ſummæ æſtimationis: neque enim eſt lex, quæ talem æſtimationem taxet, immò neque taxare rationabiliter valeret; quia difficillimè id ſtare poſſit, quatenus illæ meliores, & meliores eſſe poſſunt, vnde ſemper in voluntate Commendatariorum poſitum eſſet meliora, & meliora exigere, & dum talia ſuo iudicio non darentur, valoris defectû pecuniâ ſupplendum contendere, & ſic miſeros Commendatos tyrannicè diuexare. Pro quo eſt communis Iuriſperitorum ſententia, quos adducit Dom. Solorzanus *Lib. 1. cap. 20. num. 75.* quibuſcum & ſentit Pharaonius *Tract. 1. ſeſſ. 30. caſu 4.* dicentium debitorem tributorum, vel aliarum quantitatum, in monetâ qualibet vſuali ſoluere poſſe. Pro quo & eſt *L. 6. Titul. 14. lib. 6. Recopilat.* ſicut ergo in monetæ contributione

Species ſupra valorẽ medium nõ poſſe exigi.

Pecuniâ qualibet fieri poſſe ſolutionem.

Digitized by Google

tione non eſt obligatio ad meliorem, ſed qualibet vſuali fieri ſolutio poteſt, ita & in ſpeciebus pariter dicendum propter eamdem rationem.

Sterilitatis tempore ſpecies non deberi, ſicut nec decimas.

26 Quid ſterilibus annis faciendum & qualis indulgenda remiſſio: dictum à nobis *Titul.* 1. *num.* 178. & 179. & ea generalis doctrina ad caſum præſentem applicanda: vbi de Commendatis agimus. Ad ſpecies ergo quas per temporum inclementiam habere minimè potuerunt, tribuendas, vrgeri tutâ conſcientiâ nequeunt. Sicut non tenentur, ad decimas, qui copiam aliquam, ex quâ illas deducerent, ob ſterilitatem neutiquam habuerunt: ſicut autem de tributis, & collectis ad decimas regulariter valet argumentum, vt probat Euerardus *loco* 72. Pro quo & Doctores adducit D. Solorzanus *lib.* 1. *cap.* 21. *n.* 1. ita potiori iure de decimis ad tributa, quandoquidem decimæ minùs odioſæ ſunt, cùm Deo offerantur, non ſic tributa, quibus odioſius nihil; licèt iure aliàs debeantur. Cùm ergo decimæ defectus non debeat compenſari pecuniâ, nec ſpecierum debet, ne ſeruus maior ſit domino ſuo; ſi autem pactione conſtitutum ſit, vt totum tributum in pecuniâ ſoluatur, & ſic in anno ſterili Commendatarius id quod in aliis accipiat, non videtur ad reſtitutionem obligandus, quandoquidem erga tributarios Regis tale quid agitur, vt conſtat ex dictis *n.* 179. *citato* ex eo fundamento, quòd vnius anni ſterilitas, alterius abundantiâ compenſatur, & ideò pactio præceſſit vt ſcilicet communia eſſent damna, & commoda Commendatariis, & Commendatis, & hi cùm beneficiunt habeant ſpecierum, & ex eo commoda frequentia reportant, & ſatis videtur exiguum, quod ex ſpeciebus poteſt ſingulis capitibus reſpondere. Et hæc pro Commendatariis ſit ſatis adnotaſſe, ſi illud tantùm in fine addamus, quæ dicta de Commendatariis ſunt ad Penſionarios extendenda, pro quibus videndus Dom. Solorzanus *Lib.* 2. *Cap.* 3. & præſertim, *num.* 26.

A decimis ad tributa argumentum.

Quid ſi in pecuniâ ſolui ſolita.

TITVLVS VIII.

DE CAPITVLIS CIVITATVM, ET DIVERSIS EORVM OFFICIALIBVS.

Vt non ſemel admonui, ad illa quæ pro Indijs ſpecialia ſunt, noſtra eſt tractatio coarctanda; ſi enim generaliter libeat excurrere, opus interminabile moliremur. Inter plurima ergo, quæ de Capitulis ciuitatum tractari poſſent, ſelectiſſima pro Indijs aſſumendo, ſit pro illis

CAPVT I.

Capitulares Ciuitatum, ſiue Rectores, an pro electione Officialium accipere aliquid poſſint, & quædam alia circa illud.

Pro electione officialium poſſe pretium accipi ex venditione à Rege facta videtur probari.

1 Communis quidem eſt difficultas, ſed ad Indicos Senatores, vulgò *Regidores*, eatenus peculiariter ſpectare poteſt, quatenus in illis hoc malum fortè frequentius, ob terræ opulentiam, & ambitionem quorumdam inibi ardentiùs æſtuantem, qui vbi Rex longiùs abeſt, reguli eſſe cuiuſuis pretij oblatione contendunt. In quâ quidem erunt fortè qui fieri poſſe affirment, eò quòd hunc præ aliis eligere mera gratia eſt: ergo poteſt pro eâ, pretium accipi, ſicut & dari: nemo enim gratis tenetur facere id, ad quod non obligatur. Quòd ſi leges id prohibeant, non videntur in conſcientiâ obligare: quia ex nullo capite id conſtat; & cùm Rex officia Rectorum vendat, id veroſimilius redditur; quia plus indecentiæ apparet in eo, quòd officia vendantur, quàm in eo, quòd pro electione annualis Officialis aliquid accipiatur. Ideò namque indecens communiter aſſeritur venditio officiorum, quia minùs apti eo pacto eliguntur, ad augmentum pretij oculis venditoris intentis. Hoc autem in officiis perpetuis quantum habeat inconuenientiæ ſtatim apparet, cùm inconuenientia pariter debeant perdurare. Cùm ergo Rex iis, non obſtantibus ea vendat, circa minora inconuenientia diſpenſare videtur, quæ in electione annui Officialis occurrere poſſunt, dum aliquid ab eligente accipitur, qui pro electione ſuâ ampliora ſe memorat contuliſſe. Et hoc ſanè ſatis veroſimile indicium eſt voluntatis Regis, vt nolit ea ad mortale peccatum tranſgredientes obligari, quod de illius eximiâ nequit præſumi erga ſubditos pietate: iuxta dicta *Titul.* 2. *n.* 3.

2 Et quod ſaltem non ſit peccatum mortale ſed ſolum veniale; probari poteſt ex aliquorum ſcriptorum ſententiâ, qui dicunt non peccare mortaliter eum, qui cùm habeat facultatem à Rege transferendi officium in alium, pro eo pretium accipit. Sic enim tenent Peña, Petrus Soto, Orellana & alij Theologi apud Salonium *Tomo* 1. *q.* 63. *art.* 2. *controu.* 8. *concluſ.* 4. & Petrum de *in*

Vt non ſit peccatum mortale vt conferat, quorumdã doctrina de venditione officij trãsferentibus.

in Summa Tomo 2. Tract. 7. Cap. 1. Concluſ. 25. qui, & illam probabilem exiſtimat: ſicut & Ioannes de la Cruz in Directorio. *Part.* 1. *Præcepto* 7. *Quæſt.* 7. *Artic.* 2. *Dub.* 10. *Concluſ.* 3. & videtur probare Cardinalis Lugo *Tom.* 2. *de Iuſtitia Diſput.* 38. *num.* 79. Nam eadem ratio videtur eſſe in eligente accepto pretio ob fundamentum, quod adducit Ledeſma, ex eo quòd habeat licentiam ad transferendum officium, & ex acceptatione pretij nullum Reipublicæ detrimentum ſequatur; cùm ſupponatur eum, in quem eſt facienda tranſlatio, futurum idoneum; neque ipſi electo damnum aliquod infertur, cùm nullum habeat ius ad officium gratis habendum, & meliùs illi ſit, illud pretio aliquo dato frui, quàm penitus eo carere. Quæ quidem caſui, de quo agimus, poſſunt pariformiter applicari. Et de duobus poſtremis conſtat: circa primum autem; etſi qui pretio accepto eligit, non transferat officium; habet tamen abſolutè facultatem eligendi, & valde materialiter videtur ſe habere, quod ad ſuum officium eligat, vel ad aliud, cùm in prohibenda lucroſa venditione idem in omnibus reſpectus habeatur: nihilominus

Aſſertio 1. Negatiua aſſertio ſtatuitur.

3 Dico primo: Senatores Vrbani peccant mortaliter pretium accipientes pro officialium electione, quæ fieri ſolet ad Reipublicæ adminiſtrationem. Videtur clarum ex *L.*8.*Tit.*2.*lib.*7. *noua Compilat.* in qua ſic dicitur: *Mandamos que ningun officio de veynte quatrias, Regimentos, Alcaldias, Alguacilazgos fieles executores, ò Iuraderias, no ſe puedan vender, ni trocar, ni dar en pago, ni por otro precio: al reſpeto de precio alguno ahora lo den las perſonas en quien ſe renunciaren o traspaſaren, ò otras perſonas por ellos, directa, ni indirectamente: y lo miſmo ſea en los votos, que ſe dieren en las elecciones, y prouiſiones para los tales officios, de Procuraciones de corte. O, eſcribanias publicas de donde por Priuilegio, ò coſtumbre ſe eligen por votos. Por manera que no interuenga precio, ni reſpecto de precio, ni Soborno.* Et inferius: *Y la perſona que lo compare, ò aquien ſe renunciare, ò Comprare voto para lo auer, ò lo vbiere por ruego de otras perſonas a ſu pedimiento, o por cauſa ſuya directa, ò indirectamente, no pueda auer, ni aya el tal officio, pueſto, que nos le hagamos merced de el, por virtud de la renunciacion.* Sic lex; quæ quidem circa materiam verſatur grauiſſimam, & ſi intentio non obligandi grauiter in legiſlatore deeſſet, nullius momenti redderetur; ex quibus obligationem ſub mortali colligi diximus *Titulo* 2. *num.* 3. & quidem pœnalis non eſt, cùm nullam pœnam aſſignet, neque fundata in præſumptione, vt conſtat; neque vſu reiecta, quia illius obſeruantia viget in gremio præcipuo Senatorum: ergo nullum eſt indicium, vt obligationis vim illi detrahere debeamus.

Pro qua lex Hiſpana.

Illius grauis obligatio.

Ex prohibita interceſſione obiectio, cum eiuſdem ſolutione.

4 Solùm eſſe difficultas poteſt, quia in prædictâ lege pariter prohibentur pretium accipi, & interceſſione tertiæ perſonæ moueri, & ita additur: *ò lo vbiere por ruego de otras perſonas à ſu pedimiento.* Et antea immediatè poſt adducta: *Ni ruego de otras perſonas por interceſſion, ò cauſa del que vbiere de ſerelegido.* &c. Atqui propter interceſſionem eligere non videtur eſſe peccatum graue; vnde interceſſiones frequentiſſimè occurrunt, idque ſine graui ſcrupulo; & ſatis durum eſſet interceſſorum myriades de lethali reatu condemnare. Sed certè hoc non videtur vrgere: nam lex non prohibet interceſſionum reſpectu omnimodis operari; ſed ne interceſſio vnica ſit cauſſa electionis, nullis aliis requiſitis conſideratis: ſic enim iniquiſſima electio eſſet; etiam ſi aliàs benemeriti ſit, quia totum quod ad benemerita attinet, materialiter ſe habet: vnde ſi talis non eſſet, eodem modo eligeretur; ſtante eadem formali ratione operandi: idem enim inquantùm idem, ſemper eſt natum facere idem. Quia verò lex humana actus internos directè prohibere non poteſt; ſi quis re ipſa propter interceſſionem eligat; id tamen exteriùs non ſignificet, non facit contra legem; peccabit tamen mortaliter contra legem naturalem, iuxta quam tenetur eligere dignum, ſecundùm quod dignus eſt; quod tamen non præſtat, cùm re ipſa propter interceſſionem eligat, & ita dignitas materialiter tantùm ſe habeat. Sic ergo nihil eſt in lege dictâ, ex quo obligatio tantùm leuis poſſit coniectari. Et ita grauem agnoſcunt communiter Scriptores, & vti certum pro eorum examine in confeſſione ſtatuit Remigius, in *Praxi Praxi Parochorum fol.* 302. *num.* 7. cum P. Leſſio, Corduba & aliis. Et Cardinalis Lugo *ſuprà. num.*78. P. Thomas Sancius. *Tomo* 1. *Conſiliorum. lib.* 3. *Cap. vnico Dub.* 1. *num.* 27. *&* 28. P. Frågoſus *Tom.* 1. *Pag.* 417. *num.* 42. vt alios omittam.

Fit ſatis obiectis.

5. Neque adducta in contrarium vrgent: nego enim ex eo quòd Senatores officia emerint, vendere poſſe; quandoquidem eis expreſsè prohibetur, non obſtante emptione & licet in illa non leuia inconuenientia ſint, ex eo non ſequitur inconuenientia alia addenda, ne inconuenientium cumulo bonum publicum opprimatur. Nec verum eſt abuſum ex electione lucratiua annuorum Officialium ob breuius tempus minoribus eſſe inconuenientibus expoſitum: nam reuerà tempus breuius non eſt collectiuè, dum vna electio aliam ſubſequitur, & omnes accepto pretio conſtant; vnde inconuenientia fiunt perpetua. Ex opinione autem illâ de renuntiatione officij non ſequitur, quod intenditur: quia Rex talem officij tranſlationem concedens, non videtur circa modum tranſlationis talis prorſus inuitus: quia cùm Rex ipſe vendere illud ſoleat, dum copiam transferendi facit, circa venditionem etiam annuit, vel certè non penitus illi videtur diſplicere, dum eam non prohibet. Circa electiones autem à Senatoribus faciendas voluntatem ſuam omnibus reddit promulgatione legis manifeſtam, & ita de vno ad aliud fieri nequi argumentum. Neque eſt eadem ratio de electione, & tranſlatione officij: hæc enim Regio nomine fit; illa autem ſecus; in hac non apparet transferentis turpitudo, ſecus in illâ; ſubornationes enim in habentibus publica officia turpiſſimæ iudicantur ab omnibus, quia Officium non ad publicam vtilitatem, pro quâ inſtitutum eſt, ſed ad priuatam inclinatur. Item qui vendit, iudex non eſt, nec publici officij actum exercet in eius tranſlatione; cùm tamen Senator eligens, publico fungatur munere, & ita quod accipit ſubornatio eſt; quod dici nequit, cùm officium vendit, ſicut de nullo alio, id, quod ſuum eſt vendente.

Aſſertio 2. Non eſſe obligatio-

6 Dico ſecundò: Senator vrbicus accipiens aliquid pro electione non obligatur ad reſtitutionem

num reſtitutionis, cum peculiari & notanda explicatione.

tionem, ſecundùm valde probabilem ſententiam, quam cum multis tenet P. Sancius. *ſuprà n.* 29. & 30. Cardinalis Lugo *n.* 77. *& ſeqq.* P. Fragoſus *ſuprà pag.* 416. *num.* 41. vbi alios adducit. Quando ſcilicet id, quod datur; ex mera liberalitate tribuitur, licet leges municipales prohibeant, quia non impediunt dominij tranſlationem. Quam limitationem cùm alij etiam adiiciant, oportet illam, vt expedita deciſio iſta maneat; explicari. Omnis certè, qui vt officium obtineat aliquid confert, credendus eſt liberaliter offerre, etiamſi inuitus conferat, quatenus gratius illi eſſet, ſi officium merè gratis offerretur. Quod patet ex eo, quòd officium ita habere velit, vt illius acceptio legitima ſit, nec ſit illi reſtituendi illud obligatio. Cùm ergo, ſi liberaliter non tribuat, quod pro ſuffragio electoris tribuit, acceptio officij nulla ſit, vt ex verbis legis conſtat adductio *num.* 3. *No pueda auer, ni aya el tal officio*; dicendum eſt, ita dare velle, vt datio liberalis cenſenda ſit. Quòd quidem ſi non ita debeat intelligi, quod Auctores ſententiæ propoſitæ affirmant, minimè conſonum eſſe poteſt. Nemo enim electori ita liberaliter tribuit, vt electione non ſtante eſſet aliquatenus tributurus. Tribuit ergo ad obtinendam electionem; & quomodo dici poteſt liberaliter tribuere? Certè niſi ad explicationem traditam non habeatur recurſus: non video quomodo poſſit ſuſtineri. Tribuit ergo liberaliter quatenus & ſi officium non obtineat, non ſit datum, repetiturus: vel quia ſuffragium emere non intendit, ſed gratum ſe pro eodem exhibere. Vnde ſi tantùm promiſit, & officium aſſecutus eſt ante impletam promiſſionem, ad nihil tenetur ex iuſtitiâ, ſicut & non adepto: licet autem qui tribuit ob electionem obtinendam non habeat expreſsè omnes dictos reſpectus, cùm tamen ita velit tribuere, vt electio ex eo non reddatur nulla, credendus eſt iuxta illos confuſè conceptos operari.

Obiectioni ex legis vrgentia factum ſatis.

7 Si dicas: legem prohibentem ſubornationes, eas etiam, vt à nobis ſunt explicatæ, prohibere, & conſequenter electionem propter eas factam, eſſe nullam: nam etiam ſub prædictis reſpectibus eadem habent inconuenientia, & cùm ad modum interiorem operandi ſpectent, ad forum externum & humanas leges non ſpectant. Eſt quidem valida inſtantia, & propter quam oppoſita ſententia videtur ſimilior vero, vnde & eam grauiſſimi Doctores complectuntur, vt videri poteſt apud P. Sancium, *ſuprà num.* 28. Nos autem vt eam quam vt valde probabilem ob Auctorum eam ſequentium multitudinem, & grauitatem propoſuimus, iuxta modum aliquem veroſimilem explicemus, prædicto modo philoſophati ſumus: & ad inſtantiam dicimus, illam quidem eſſe vrgentiſſimam; ſed nihilominus dominij tranſlationem non prohiberi, quando datum liberale eſt ſub reſpectibus explicatis, qui merè interni non ſunt, quando iuxta illos debet, quod tribuitur, regulari, vt ſcilicet impleatur, aut non impleatur promiſſio, & quod datum eſt, repetatur. Quæ explicatio ſi adhuc non penitus videatur ſatisfacere, quærant aliam ſententiæ huiuſcemodi ſectatores. Pro cuius probatione explicatio dicta ſufficiat, dum tantùm intendimus eius probabilitatem oſtendere, ne Senatorum conſcientias minimè ad reſtitutionem procliues videamus remediis facilioribus defraudare. Exoptandum equidem aſylum coram ſupremo Iudice reis probabilis opinio, quando præſertim de moleſtiſſimo agitur reſtitutionis onere, cui paſſim hominum agmina miſeranda ſuccumbunt.

CAPVT II.

De electione Alcaldiorum & qualiter in illa ſoleant delinquere Senatores, vbi & de iuramenti obligatione.

8 ALcadij apud noſtrates dicuntur, qui Romanis Ædilibus videntur reſpondere, de quibus Tullius *lib.* 3. *de legibus* ſic ex *lege* 12. Tabularum *ſuntoque Ædiles curatores vrbis, annonæ, ludorumque ſolemnium, olliſque*, (idem, quod illis) *ad honoris amplioris gradum is primus aſcenſus eſto.* Illorum vſus in Indiis, ſed cum poteſtate ampliori; ſunt enim iudices ordinarij, etiam vbi Regales Audientiæ ſunt, & & Togati iudices criminum, ac Prouinciæ; & quandoque etiam vbi & ſimul Prætores, exiguo profectò fructu; ſi tamen aliquo, inconuenientibus ex eorum electione, & adminiſtratione minimè compenſando. Sunt ergo illi ad ſolatium potiùs ciuitatum, quàm ad conſiderabilem vtilitatem huc vſque conſeruati, vt ſcilicet ciuibus honorifica aliqua officia ſuppetant, ne gubernatio tota extraneis deferatur: & duo ſolent annuatim eligi, nec modicis frequenter turbis, niſi vbi Proregis auctoritas iis poteſt obuiare. Et quod ad electionem attinet, quatenus non ſine ſubornationibus eſſe ſolet, iam dictum à nobis, nunc circa alia non nihil oportet adiiciamus.

Alcaldij iidem qui Ædiles Romanis.

Tullius.

Eorum in Indijs vſus.

9 Dico primò. Qui factiones nutriunt, vnde oriuntur turbæ, & inimicitiæ inter ciues; occaſione electionum, grauiſſimè peccant, ſicut & ſupremi Gubernatores, qui hæc ſcientes non ſtudent efficaciter factiones huiuſmodi diſſoluere, etiam relegatione eorum, qui vix aliter conquieſcent. Res eſt plana, & pro eâ Regiæ extant ſchedulæ, de quibus Dom. Solorzanus *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 14. & 15. & in Politica *lib.* 5. *cap.* 1. *pag.* 749. in fine. Et inter alias peculiaris extat, in quâ iubet Phillippus Tertius ſacroſanctæ memoriæ Rex, vt officia Decurionum, ſeu Vrbicorum Senatorum inquietis Decurionibus adimantur, & alia circa electionem per ſortes faciendam in vrnam miſſas, quæ tamen non vbique ſunt recepta. Eſſe autem illam licitam, quando de electione ad officia ſæcularia agitur; communis eſt reſolutio, pro quâ Auctores congerit P. Thomas Sancius *lib.* 2. *Decalogi Cap.* 38. *num.* 37. & 38. de quo etiam Diana *num. ſequenti* allegandus, & ratio eſt quia ſortes hoc modo nihil aliud includunt, quàm humanum quemdam contractum, quo ex communi conſenſu habentium ius ad aliquid id inter ipſos ſorte diuiditur, vt illius ſit, cui ſors obtigerit. Videtur autem ratio dicta in caſu præſenti ceſſare; quia ſortes non exercentur ex communi ſenſu, ſed ex Regis imperio. Nihilominus poteſt illa ſuſtineri; quia licet ex imperio Regis id fiat, Reſpublica tamen ius omne

Aſſertio 1. Circa eorum electionem factiones eſſe lethales.

Sortibus fieri poſſe.

Vnde illa licita.

ne ſuum in ordine ad electiones in Regem tranſtulit, vt id circa illas diſponat, quod commodius arbitrabitur, lubente ergo illo vt hoc modo fiant; communis circa illum conſenſus eſt, & ita nullius iniuria, vnde poſſit electio reprobari. Si autem quiſpiam velit tunc non eſſe conſenſum, ex quo habeatur iuris ſingulorum ceſſio, vt videtur officium, cui ſors obtigerit; dici poteſt illum non eſſe neceſſarium; vt ſortes licitæ ſint; quia vel ſtare poſſunt ex communi conſenſu, vel ex Superioris imperio, & ita poteſt in definitione ſortium diuiſoriarum apponi.

Aſſertio 2. Peccari grauiter ineptorum deſignatione.

10 Dico ſecundò. In electionibus prædictis peccari grauiter ſolet propter ineptorum deſignationem, quia vel iuuenes parum cordati, & moribus improbatis, aut ſenes ad vigilias, & actiones alias, quæ expeditos exigunt, prorſus inualidi, aut lucrum ex illa facturi heſterni incolæ, & ita ignoti, ſicut & Reipublicæ ſtatus ignari, vel aliter incapaces eliguntur. Et electores tales prorſus eſſe damnabiles res eſt adeò perſpicua, vt non egeat probatione; & magis profectò damnabiles in vrbanis Senatoribus, quàm ſi à ſuperiori poteſtate deſcenderent. Illi enim tamquam Reipublicæ immediati curatores, in quos illa curam omnem ſui ipſius tranſtulit, qui & membra illius præcipua, ſpecialiſſimâ obligatione tenentur, ad prouidendum ipſi optimos iudices, ex quibus eiuſdem bonum magna ex parte, immò & potiori, dependet. Et circa hoc quidem nequeunt ſe electores iſti ea opinione tueri, quæ in electionibus ad ſæcularia officia non eſſe obligationem ad digniores eligendos affirmat; non enim modò de dignis & dignioribus ſermo eſt, ſed de indignis, in quorum electione omnes graue peccatum recognoſcunt. Quod licet adeò exploratum ſit; oportet tamen inculcari; quia plures circa hoc miſerè errant cum magno Reipublicæ diſpendio, vnde ſiue ignorantia, ſiue incuria, aut incogitantia debet frequentiùs incuſari.

Et cum reſtitutionis obligatione.

Si præſertim addamus teneri illos ad reſtitutionem omnium damnorum, quæ ex prauâ fuerint electione ſecuta. Quod quidem videtur indubitabile, & vt tale illud docent Doctores, quos adducit Diana *Parte 2. Tract. 2. Miſcellaneo. Reſolut.* 67. In qua quidem de obligatione agit circa digniorum electionem, & ex multis Auctoribus probat Senatores ad illam teneri cum onere reſtitutiones: quamuis alij apud eumdem contrarium teneant.

Modus facilis ad conſcientia leuamen in electione

In quâ quidem controuerſiâ vt benigniùs cum Senatoribus agamus, vt medium ſaltem teneant, eoſdem poſſumus admonere. Non equidem digniores eligant, ſed neque indignos; erimus ergo dignorum electione contenti: cùm præſertim inter homines ſæculares non ſit ita facilè exceſſum dignitatis explorare. Et ita quolibet ſibi bene viſo, non ex paſſione, ſed bono zelo agentibus, ſe obligationi ſuæ ſatisfeciſſe; ſublatis conſcientiæ remorſibus, per me licet arbitrentur.

Dianæ votum, quod & Authoris.

Addendum in fine cum Diana, ſic nonnullis immutatis. *Scripſi ad inſtantiam.* N. *Faxit Deus vt ſint profutura, ſi non ad electionem dignioris, ſaltem ad abominationem eius, quâ indigni ad Reipublicæ regimen proneuhuntur.*

Aſſertio 3. De Iudice peculiari Indorum.

11 Dico tertiò, Pro Indorum ad ciuitatem aliquam Hiſpanorum pertinentium gubernatione, ſolet alicubi cum Alcaldiis iudex ſpecialis eligi, qui dicitur iudex Naturalium ſeu Indigenarum. In cuius electione ratio in primis habenda Indorum, vt ſcilicet talis illis tradatur Iudex, qui eorum poſſit bonum ſpirituale, & politicum promouere. Quod dum non attenditur, grauis in electione culpa admiſcetur. Et vt, quæ de illo dici poſſunt, breuiter complectamur: talis præfectura Indis debet eſſe prorſus innoxia: vnde ad propria commoda miniſteriis Indorum vti nequeunt magis, quàm ſi Hiſpani eſſent, vt de Commendatariis dicebamus. Si ſecus faciant, præter grauia in eo peccata reperta; reſtitutionis oneri ſubiacebunt.

Aſſertio 4. Circa iuramentum Senatoriũ, præſertim in electionibus.

12 Dico quartò: circa prædictas electiones, & alias, iuramentum ita obligat; quod de fideliter agendo officio; ac præſertim dum de electionibus agitur, ſolent præſtare Senatores, vt ſi indignos eligant, rei ſint violati iuramenti: ſi autem dignos, licèt non digniores, non ita; ſic Diana cum aliis *ſuprà Dicto Quarto.* Fundamentum eſt idem quod de Prætoribus agentes, *Tit. 6. Cap. 1.* iuxta receptiſſimam doctrinam ſtabiliuimus: Iuramentum ſcilicet non addere nouam obligationem extenſiuè, ſed eâ ſuppoſitâ, iuxta ipſam obligare. Cùm ergo Senatores ad electionem dignorum, reiectis indignis, grauiter vrgeantur: ſacrilegi erunt indignos eligentes: & cùm aliàs non obligentur ſecundùm probabilem opinionem ad electionem digniorum, ſaltem ſub mortali eos omittere graue ſacrilegium non erit; immò neque leue, ſi recto animo procedatur iuxta *num.* 10. ſi quis autem manifeſtè deprehendat maiorem alicuius dignitatem, & propter humanum aliquem reſpectum minùs dignum eligat, nullo modo videtur excuſari poſſe à peccato veniali graui, quandoquidem & digniori aliqualem iniuriam irrogat, qui vti melior Reipublicæ pars maius habet ius ad honorifica munera, & inſuper cauſa eſt aliquorum damnorum, quæ Reipublicæ obuenire poſſunt, aut ſaltem minus bonæ adminiſtrationis, quæ vix intelligi poteſt quomodo ſtare ſine damnis multis poſſit, quando, vt alia deſint, ipſa boni diminutio damnum eſt, eius præſertim comparatione, qui ad bonum procurandum obligatur.

In dignioris omiſſione vt peccari contingat.

CAPVT III.

Alcaldiorum obligationes in conſcientiæ foro ſpecialiùs explicatæ.

Scandali in illis circumſtantia ſpeciem mutans.

13 PRima eorum perſonales mores concernit, ne ſcilicet turpibus amoribus implicati, ineptos ſe ad aliorum correctionem reddant. Sint ergo caſti, vel ſaltem cauti, quamuis difficile valde ſit vt turpis poſſit conuerſationis ſucceſſiuus tractus occultari. Scãdalum certè in illis grauius peccatum eſt, nec tantùm aggrauans circumſtantia, ſed mutans ſpeciem ob ſpecialem officij qualitatem; oritur enim non ſolùm ex violatâ communi lege charitatis, aut virtutis ſpecialis, contra quam eſt ſcandalum, ſecundùm diuerſas opiniones; ſed ex eo quòd contra officij propriam inſtitutionem agitur, ad com-

Digitized by Google

commune bonum, & prauitatum correctionem deſtinati. Vnde communiter Doctores circumſtantiam hanc, vt ſpecialem, & ita in confeſſione aperiendam conteſtantur: eſtque prima reſpectu aliarum, quæ vulgari carmine deſignantur, ſcilicet *Quis*. Et ita tenent in ſpeciali, quos adducit P. Fagundez *Lib.* 4. in præcepta Eccleſiæ *Cap.* 4. *num.* 5. licet ipſe non eſſe circumſtantiam, quæ ſpeciem mutet, affirmet, confitendam tamen iuxta ſuam opinionem de obligatione confitendi circumſtantias aggrauantes de qua *Cap.* 2. ſed certè rationem adductam ſpecialis obligationis ratione officij non tangit, ſicut neque alij non pauci, vnde pariter loquuntur de Prælato, & viro graui, quorum praua exempla ſpecialiùs inducunt ad præiudicialem imitationem; cùm tamen certum ſit diuerſæ rationis eſſe obligationem, quę eſt in Prælato, ac iudice, ab eâ quæ in viro graui eſt.

Furtum in iudice non eſſe circumſtantiam notabiliter aggrauantem, probabilis ſententia.

14 Et de furto quidem loquendo, quod Iudex Reipublicæ faciat, ſunt qui cenſeant non eſſe circumſtantiam notabiliter aggrauantem, quia eſt obligationis tranſgreſſio eiuſdem ſpeciei, ſcilicet in genere iuſtitiæ; ex iuſtitiâ enim tenetur quis non furari, & ex iuſtitiâ etiam tenetur iudex ciuium bona cuſtodire; multiplicatio autem obligationum in eodem genere non aggrauat notabiliter, vnde neque violatio ex eo notabiliter aggrauatur, ſicut in faciente plures ſcripturas de eadem re, & promiſſionem infringente. Sic citatus Auctor *ſuprà Cap.* 3. *num.* 2. cum Henrico & Palaeio. Apud eumdem tamen *ibidem*. Ioannes de Medina, & Bartholomæus de Medina; circũſtantiam notabiliter aggrauantem eſſe cenſent, & neceſſariò in confeſſione aperiendam. Addunt tamen priores id intelligendum ſecluſo ſcandalo & quidem cùm ſententiæ iſtæ bonos Auctores habeant, licebit illas in praxi amplecti, & id quod de furto dictum eſt ad luxuriam trãſferre.

Quæ ad luxuriam poteſt trãsferri.

Tenetur enim quis in eo genere prauum exemplum non præbere, ita vt ex eo alij ad ſimilia non ſint veroſimiliter inducendi: quæ obligatio in iudice quidem eſt, ſed ei ſimilis, quæ in viro alio graui; non enim eſſe maior poteſt; niſi quatenus magis ex eo moueri poſſunt, qui viderint, aut ſcierint; atqui hoc non ſolùm in Iudice ſed in alio grãdis auctoritatis contingere poteſt; quòd ſi dicas plus mouere exemplum iudicis, quia cùm ipſe in eo genere apertè delinquat, non poterit alios ſimiliter peccantes corrigere, & ſic luxuriæ regnum propagabitur: id non videtur vrgere, quia totum illud reducitur ad ampliorem peccandi licentiam, quæ circumſtantia non mutat ſpeciem, quia magis, & minùs non variant illam iuxta receptiſſimum axioma. Licebit ergo, vt dixi, commodâ hac adhibitâ explicatione ſententias dictas amplecti.

Sed prior ſententia præfertur, & roboratur.

15 Nihilominus quod aſſerui prius, validiſſimo fundamento innititur, cui non plenè ſit ſatis per adducta: Ratione enim officij ſpecialis obligatio eſt, vt negare poteſt nemo; quia ea non oritur ex communi lege charitatis, nec ſpecialis virtutis Caſtitatis, vt etiam eſt planum, quia illæ rationes ſunt communes omnibus: ergo ex ſpeciali titulo officij: atqui obligatio talis non eſt leuis, cùm circa materiam grauiſſimam verſetur, & ex quâ ſalus populorum pendet; ergo eſt grauis, & ita illius obligationis tranſgreſſio erit mortalis. Vnuſquiſque ergo in ſuo ſenſu abundet: & ſit probabile, quod Doctores citati contendunt, mihi contrarium ſolidiori videtur ratione fundatum & quidem Sancti Patres grauiſſimè inuehuntur in eos, qui in dignitate poſiti, licentiùs peccant, eorum ſpecialem malitiam perpendentes, quia ex officio ad rectè agendum aſtringuntur.

SS. Patres in iudices ſcandala perpetrantes acriter inuehuntur.

Quæ ſanè ponderationes, admonitiones, & increpationes nullius eſſent roboris, quandoquidem rectores populorum ad nihil ſpeciale, quod obligationem ſub mortali inducat, & aperiri in confeſſione debeat, ſunt adſtricti. Talis illa Diui Iſidori *Lib.* 2. officiorum. *Cap.* 5. ſic locuti; *quia fronte ſubditos arguere poterit, cùm illi ſtatim poſſit correptus ingerere: ante docente quæ recta ſunt? quapropter qui negligit recta facere, negligat recta docere.* Sic ille: vnde eſt memorabilis illa Diui Gregorij Magni ſententia: *Paſtoralis curæ Parte* 2. *Cap.* 2. ita ſcribentis: *Rector ſemper cogitatione ſit mundus, quatenus nulla hunc immunditia polluat qui hoc ſuſcepit officij, vt in alienis quoque cordibus pollutionis maculas tergat: quia neceſſe eſt vt eſſe munda ſubeat manus, quæ diluere aliorum ſordes curat; ne tacta quæque deteriùs inquinet, ſi ſordida in ſemens lutum tenet.* Hæc Doctor Sanctus.

D. Iſidorus.

D. Gregor. Magnus.

Quod autem ad materiam iuſtitiæ attinet, non obſtare communem illius rationem diuerſitati ſpecificæ malitiæ, clarè oſtendit P. Petrus Hurtadus. 2. 2. *Diſput.* 173. §. 61. quem Diana adducit *Parte* 5. *Tract.* 7. *Reſol.* 2.

Alcaldij & Senatores grauando Tabernarios vt peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

16 Secunda obligatio, quæ & illis cum Senatoribus communis, ne poteſtate vtantur vt Tabernarios grauent vendenda obtrudentes, inuitis ſanè, quia ſua licet commodè vendere, & maiori pretio coguntur accipere, ad arbitrium tradentium ſoluturi. Et ſolet illis hoc operis quantum eſt compenſari permiſſione multorum quoad vitæ turpitudinem, ſiue quoad officij vſum Reipublicæ noxialem. Eſt ergo in his non ſolùm peccatum, ſed peccatorum aceruus penitus manifeſtus cum obligatione reſtitutionis in ſolidum faciendæ. Quantùm autem & qualiter, iuxta regulas eſt apud Theologos obuias componendum, à peritis Confeſſariis neutiquam ignorandas. Et poterit quidem contingere vt reſtitutionis nulla obligatio ſit; ſi videlicet Tabernarij libenter id onus ſubeant, vt ſibi viuendi ad libitum facultas tribuatur: ſcienti enim & volenti non fit iniuria, vt eſt Iuris regula nemini non notâ. Licet ceſſante obligatione circa Tabernarios, poſſit alia maior remanere; ſi videlicet illi iniuſtitias vendendo commiſerint, quibus compenſationem nequeant exhibere. Tunc enim Senatores & Alcaldij ad reſtitutionem tenentur, quia cùm ex officio ad eas vitandas tenerentur, id minimè præſtiterunt; immo fomentum ſuâ conniuentiâ cumularunt. Habent tamen refugium Bullæ ob incertitudinem debitorum, ſicut de Prætoribus & Commendatariis dictum. Vide etiam *Tit.* 3. *num.* 18.

In permiſſione item ludorum exitialium.

17 Tertia, ne ludorum domos permittant, in quibus grauia crimina committuntur, iuxta diuerſas ludorum & ludentium qualitates: ſunt enim contubernia diabolorum, abominationum ſentinæ, inferorum ſimulacra, & lupanaribus deteriores: in quibus quæ committuntur pecca-

Digitized by Google

ta minùs profectò grauia ſunt; & illa quidem ob vitanda maiora mala aliquando permiſſa: domus autem dictæ nullius maioris mali vitandi intuitu tolerabiles inueniuntur; cùm aliunde multorum & ingentium malorum cauſſæ certiſſimæ comprobentur. Prò quo videri poſſunt ſtatim adducendi. Quòd ſi pretio à iudicibus accepto foueantur, nihil cogitari indignius poteſt in homine Chriſtiano. Quot in illis flagitia ebulliunt, eidem tribuuntur auctori: ſi quæ iniuſtitiæ, onus reſtitutionis inducunt.

Menſas an queant pro ludo exponere. 18 Quarta, circa ludum etiam verſatur, pro quâ nequeunt præfati, ſicut neque Gubernatores aut Prætores, menſas exponere. Et generaliter loquendo de exponentibus illas, ſi abſurda prædicta, communiter accidentia timeantur & multò potiùs ſi experientiâ conſtent, compertum videtur in eo multa mortalia committi. Pro quo videndi P. Molina *Diſput.* 521. §. *Quod attinet* P. Petrus Hurtadus. 2.2. *Diſput* 173.§.406. *& ſeqq.* P. Dicaſtillus *Lib.* 2. *de Iuſtitia. Tract.* 18. *Diſput.* 5. *Dub.* 4. Trullench *Lib.*7.*Cap.*27.*Dub.* 1. Diana *Parte* 2. *Tract.* 15. *Reſolut.* 65. P. Oñate *Diſp.* 131. *num.* 113. Pharaonius *Tract.* 1. *Seſſione.* 11. *Caſu* 22. vt alios omittam. Non defuerunt autem qui licitam talem expoſitionem aſſererent apud Dianam & Trullench, qui dum communem ſententiam tutiorem & veriorem dicit, non videtur oppoſitam penitus improbare. Procedit autem illa iuxta receptam doctrinam de rebus indifferentibus, quæ miniſtrari poſſunt abuſuris iuxta dicta *Tit.* 1. *numer.* 144. *& ſeqq.* *& Tit.* 4. *numer.* 45. Pro quâ & videri præterea poſſunt P. Ægidius. 2.2. *Diſp.* 18. *num.* 114. & P. Granadus ibidem *pag.* 211. *num.* 3. & roborari poteſt ex receptâ ſententiâ de artificibus taxillorum, tabularum, teſſerarum, ſeu taxillorum, iuxta quam non peccant, vt videri poteſt apud Caietanum in Commentario *Artic.* 2. *quæſt.* 169. ad finem. *circa* 3. *Dubium.* 2. 2. P. Dicaſtillum, & alios. Alij autem veroſimiliùs locuti, dum expoſitionem menſarum non reprobant, ſi præfata abſurda caueantur. Pro quo citati, & præterea Card. Lugo *Diſput.* 31. *num.* 6. & P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 207. *num.* 295. *verſ.* 1. quia ex ſe id non habet deformitatem notabilem, cùm ludus ex ſe ſit licitus, & leges de illo loquentes vſu non receptæ. Circa quod P. Oñate aliquid addit neutiquam omittendum, dum ait quòd etiamſi inter honeſtos luſores aliqui miſceantur, qui contra menſas exponentium voluntatem iniuſtè luderent, non eſt eis omnino abſolutio deneganda: quia vitia, vt ſupponitur, contra eorum voluntatem ſunt, & aliàs ludus eſt iuſtus contractus, ſi & pretium pro commoditate exhibitâ ad illum ſit moderatus.

Quid pro illis faciat. 19 Et hæc quidem Gubernatoribus & aliis, de quibus loquimur, fauent, in quorum domibus faciliùs poſſunt ingentia illa grauamina conſcientiæ caueri, dum ipſi aduigilant, & eorum auctoritas poteſt colluſores in officio continere. Quâ ratione ludus in Corpore cuſtodiæ militaris vt licitus admittitur, iuxta Dianam, & P. Oñate *ſuprà*, quia vt milites nihil exorbitans ludendo committant, adſunt Præfecti militiæ. Quòd autem ex eo emolumentum aliquod Gubernatoribus accreſcat, non videtur obſtare, quia gratis à ludentibus tribuitur, dum eorum gratiam eo pacto faciliùs & honeſtiùs aucupantur. Vnde & illi circa hoc ſuos habent defenſores.

Sed plura ſunt contra ipſos. 20 Nihilominùs ſecundùm ea loquendo quæ communiter accidunt, & ex quibus ſolet in ordine ad conſcientiæ grauamen reſolutio deſumi; prædicta menſarum expoſitio non videtur licita ob multa, quæ in illâ non tolerabilia concurrunt. Nam *Primò* ſine delectu ludentes admittuntur. *Secundò* exceſſiuæ ludo exponuntur quantitates, vnde grauia in familias præiudicia reſultant. Et quidem cùm in Caſtellâ ſtatutum lege ſit ne quis vltra duos Regales ludo exponat; quod in Indiis poſſet ad octo, aut etiam ad duos octiregales extendi: quomodo non abſurdiſſimum ſit, & notabiliter deforme; vt in domo eius, qui adminiſtrandæ iuſtitiæ, & legum obſeruationi præficitur, immenſæ ludo quantitates exponantur. Licet enim leges dictæ non videantur vſu receptæ; oſtendunt tamen grauia inconuenientia in earum tranſgreſſione. *Tertiò* quia ludus per maiorem noctis partem protenditur, vnde vxorati minùs ſerò in ſuas ſe domos recipiunt, cùm grauiſſimâ earum moleſtiâ, & litium interminabilium occaſione. *Quartò.* Lucrum Gubernatorum eſſe immoderatum ſolet, vt ſatis notum. Vnius ex minoribus huius Regni ciuitatis Prætor, cùm per biennium ob litem illi intentatam abſuiſſet: indoluit ex animo quadraginta mille octiregalium ſe lucrum propter interceptum ludum amiſiſſe. *Quintò.* Nam cùm ij, qui ludere quæſtuoſiùs poſſunt, viri potentiores ſint, vt ad ludum afficiantur, viuere vt libuerit permittuntur: neque illi ſolummodò, ſed quicumque ad eos poſſunt pertinere. *Sextò.* Quia cùm Magiſtratus communiter vxorati ſint, & filias maiuſculas habeant, tot intrantium congreſſu periculis exponuntur, & illæ vt aliquid à ludentibus accipiant, ad eos accedere non verentur, & ab ipſis indecenter contrectari. *Sextò.* Quia Eccleſiaſtici ad ludendum admittuntur, & modum illi circa ſubſtantiam & conditiones ludi tranſgrediuntur. *Octauò.* Nam importunis precibus ſolent plures ad ludendum adduci: quo euentu, ſi perdunt, obligatio reſtituendi ſubeſt, iuxta probabiliſſimam ſententiam, quam cum multis amplectitur P. Thomas Sancius *Tomo* 1. *Conſiliorum. Libro* 1. *Cap.* 8. *Dub.* 9. & eſt iuxta mentem omnium ſi importunitates cum metu adhibeantur, vt accidere frequentiùs poteſt; quando ad id per ſe, aut per alias inuitant magiſtratus. Pro quo videri poteſt doctrina Cardinalis Lugo *Diſp.* 31. *citata*, *num.* 28. iunctis iis, quæ habet *Diſput.* 22. *num.* 148. Tandem (vt alia omittam) quia in hoc magna ciuium offenſio, & ſcandalum intercedit, & valde vileſcunt ſic agentes, in eorum oculis, vti homines peſſimæ conſcientiæ, quibus priuata lucra potiora iuſtitiâ ſunt; & omni communis boni reſpectu.

Modus præiudicialis compellendi ad ludum, & obligatio reſtitutionis ex illo. 21 Et hæc quidem fere communia ſunt, cùm ſint alia quandoque, quibus abſurditas cõmercij huius aggeratur. Cõtingit enim mirabile aliquid, in oculis multorum, vt ſcilicet qui perdunt, perdant, & qui lucrantur non lucrantur. Quia ſcilicet lucrantibus non permittitur, vt pecuniam ſecum tollant ſed in arcâ concluditur, vt ſic ad craſtinum ludum redire compellantur. Quod quidem in iis,

Digitized by Google

ſis, qui ex ludo non viuunt, ſed rariùs in eo ſe exercent, cum graui iniuſtitiâ videtur eſſe coniunctum; forſitan enim non rediret quis, & timore non recuperandæ pecuniæ redit, vnde ſi redeat, & perdat, obligatio reſtitutionis emergit, quia talis metus contractum inuoluntarium reddit. Pro quo P. Sancius *ſuprà, num.* 3. & 7. licèt autem ſint qui probabiliter ſentiant attrahentem ad ludum, quomodocumque id faciat, etiamſi per iniuriam, non teneri ad reſtitutionem eius, quod lucratus eſt; quia abſolutè voluntarius ludus fuit, & ſicut perdere potuit, ita & lucrari, & lucrans ad reſtitutionem minimè teneretur; quod ſecùs accideret, ſi contractus eſſet nullus, vt videri poteſt apud P. Molinam ſic tenentem *Diſput.* 516. illi tamen de colludente loquuntur, non de attrahente modo dicto, licèt ratio videatur ſimilis, quæ reuerà non eſt; eò quòd vſu pecuniæ ſuæ priuatus ſit omnino inuoluntariè & huic coactioni metus eſt amiſſionis adiunctus, & ad hunc modum alia adinueniuntur quotidiè conquirendi per ludum artificia, auctore diabolo: in quibus iniuſtitia vngues ſtatim oſtendit ſuos, ex quibùs eam dignoſci operoſum non ſit, & ita confeſſarij officio ſuo poterunt ſatisfacere, ex principiis communibus, & ſententiis per Doctores Claſſicos approbatis. Vnde nos ad alia.

De obligatione circumeundi noctu ciuitatem, cum notanda doctrina.

22 Quinta obligatio eſt circumeundi noctu ciuitatem, & ſubmouendi quidquid occurrerit noxiale. Circa quod docti aliqui ita ſentiunt, vt licet iuramentum circa cuſtodiendas leges præceſſerit, quod ad ſpecialem illam, de quâ loquimur, ſe extendat, non tamen ſit periurus miniſter publicus, ſi noctu poſt ſignum nolæ inueniat per vrbem, etiam cum armis, ſibi notos, & conſanguineos, & illos abire ſinat, cùm ea ſit conſuetudo, & vſus receptus; dummodo certò ſciat nullum damnum ab ipſis alicui inferendum. Quod etiam habet locum quando nobiles inueniuntur, præſertim ſi ex eorum delatione detrimentum aliquod timeatur: non enim obligat iuramentum cum notabili periculo, vt eſt ſententia communis. Sic P. Fragoſus *Pag.* 524. *verſ. Accedit*, citans P. Leſſium *Lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 10. *num.* 76. vbi nec verbum; & licet videatur de miniſtro iuſtitiæ loqui, qui magiſtratus non eſt, cùm ab obligatione accuſationis ob metum excuſet: re tamen vera de Iudicibus, & Magiſtratibus loquitur, vt patet ex contextu, & magiſtratus etiam timere aliquando; atque ex timore aliquid obligatorium prætermittere poſſunt, ſi inde illis ſpeciale detrimentum immineat; dummodò Reſpublica ex eo notabile detrimentum minimè patiatur. Aliquid ergo ob ſimultatis, tumultus, iniquas capitulationes vitandas nobilibus poteſt indulgeri. Alios autem ob pretium aliquod, & reſpectum humanum, non attingere, & in turpi commercio inuentis diabolicam indulgentiam ob largitionem concedere, piaculum eſt, quod vtinam poſſint tales per ſacras indulgentias expiare.

De obligatione circa ludos publicos.

23 Poſtrema (vt prætercam alias ad prædictas reuocandas) circa ludos publicos verſatur; vt taurorum agitationes, equeſtres velitationes, cannis pro lanceis adhibitis, comedias, & ſimiles, & quod ad iſtas attinet, nihil eſt, quod pro Indiis occurrat ſpeciale: circa ludos autem dictos ſintnè liciti, quod ad equeſtres velitationes attinet: dubitari nequit de quibus ſimiliter dicendum nihil pro Indiis peculiare haberi. Quoad agitationes verò taurorum peccare profectò dicti Magiſtratus poſſunt, ſi eorum vſum frequentiorem inducant; cùm conſtet in Indiis cum ſpeciali periculo Indorum exerceri: quod ex naturâ rei illicitum eſt, & ſpecialiter à Clemente Octauo in Bullâ omnium circa hoc temperatiſſimè prouidetur; pro quo videndus P. Thomas Sancius *ſuprà dub.* 31. *num.* 2. & 12. Vnde & poterat dubitari an generaliter peccatum graue ſit illud permittere, ad ſupremos etiam Magiſtratus referendum. Quod equidem mihi ita videtur; ſed nihilominùs aſſero illis circa hoc non eſſe ſcrupulum iniiciendum, quia ad nihil deſeruiet, niſi eſt qui bonâ procedunt fide malam habere incipiant, & eâ non obſtante iuxta conſuetudinem operentur, quamquam & futuros plures pro certo haberi poſſit qui conſcientias Magiſtratuum omnino ſint ſecuras reddituri, quicumque autem ludi ſint, pro expenſis in illis faciendis collectas facere, & Officiales inferiores, ſeu mechanicos artifices irremiſſibili exactione grauare, ſicut & rerum ad vſum quotidianum in victu, & aliis opportunarum venditores, non videtur quomodo poſſit cum iuſtitia componi. Licèt enim aliquorum ſententia ſit ciuitatibus collectas eſſe licitas, dum à Rectoribus pro communibus neceſſitatibus fiunt, & ita vſque ad certam quantitatem in regnis Hiſpaniæ conceſſæ, vt cum aliis tradit D. Eſcalona in Gazophylacio *Part.* 1. *pag.* 160. *num.* 6. illæ tamen non ab aliquibus, ſed ab omnibus attentâ ſingulorum facultate exigendæ ſunt, vt docent communiter Doctores, & inter alios Sylueſter, Viualdus, Sayrus, Duardus, Bonacina, quos adducit, & videtur ſequi P. Palaus *Tomo* 6. *Diſput.* 3. *Puncto* 6. *num.* 3. quandoquidem eos citat, nec contradicit; ſed neque contradicere poteſt, cùm ſit communis explicatio, pro quâ etiam ſtat P. Thomas Sancius *Tomo* 1. *Conſil. lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 1. *n.* 2. & alij.

De agitatione taurorum.

Collecta pro ludis qualiter facienda.

24 In eo autem non eſt certa eorum ſententia, quod per Bullam quæ exiſtimant non excommunicari collectas imponentes *Excommunicat.* 5. id quod poteſt ex ipſâ collectæ explicatione probari: cùm enim per eam non imponatur onus improportionabile ciuibus, ſed ab illis iuxta menſuram facultatum exigatur, nulla in eo eſſe inæqualitas poteſt, & ita neque iniuſtitia, ſicut accidit in aliis exactionibus: & præterea collecta eſt ad actum vnicum, & ita tranſit; cùm tamen exactiones aliæ ſoleant æternare. Quæ cùm ita ſint; collecta quæ ſolos ordinarios artifices, & viliores venditores grauat, pro exigentium arbitrio, prorſus videtur iniuſta: pro quo auctores quamplures adducit Diana *Tomo* 1. *Tract.* 3. *Reſolut.* 2. proportionabilitatem tamquam certiſſimam neceſſariam ſtatuentes. Quòd ſi dicatur id quod ab illis colligitur eſſe ſufficiens, & ita non oportere collectam ad alios extendi id quidem tunc ſtare poterit, quando ij, qui hoc anno contribuerunt, anno ſequenti nihil tribuunt, & ita currentibus annis ea ſeruetur proportio, vt tandem omnes partem oneris conſtet ſuſtinere: & ſatis quidem videtur abſurdum, vt ditiorum, ac potentiorum voluptas pauperum ſudoribus diſpo-

In Bullâ Cœnæ non comprehenſas, etiamſi exceſſiuæ ſint: & exceſſus explicatur.

diſponatur, qui eam, quam tribuunt partam ſudore pecuniam omnibus habent ludis Circenſibus potiorē. Licèt autem iniuſtæ huiuſmodi collectæ ſint, non videntur excommunicatione citatâ comprehenſæ, quia de illis non eſt ſermo. Quod etiam ex aliâ poteſt probabili doctrinâ ſaluari; quod ſcilicet cùm facultas eſt ad genus aliquod exactionis, per exceſſum in illâ non incurritur excommunicatio prædicta. Sic Nauarrus, Hugolinus, Cardinalis Toletus, P. Filliucius, Sayrus, & P. Reginaldus, apud P. Palaum *ſuprà num. 6.* cùm ergo collectæ Parlamentis, Capitulis, an Conciliis ciuitatum liceant, excommunicatione præfatâ non comprehenſas probabiliter aſſerendum. Pro quibus non amplius.

CAPVT IV.

Senatores Vrbani an abeſſe poſſint ad cœtum vocati in Indiis. Vbi de peculiaribus quorumdam muneribus.

Aſſertio 1. abſolutè negans.

25 Dico primò: Generaliter loquendo; nequeunt Senatores vocati ad cœtum, abeſſe, nullo extante iuſto impedimento. Id clarum; quia officio deſunt in re magni momenti, vbi ſcilicet de communi bono ciuitatis agitur, & idoneis officialibus eligendis.

Aſſertio 2. & ſub mortali.

Dico ſecundò: obligatio talis eſt ſub mortali. Conſtat ex ratione adductâ; quia ſcilicet cum hoc onere officium ſuſcepit, cuius prærogatiuis fruitur; qui autem ſentit honorem, etiam onus ſentire debet vt eſt regula iuris notiſſima.

Aſſertio 3. ſed non ſemper.

Dico tertiò: ſemel aut iterum ſine legitimâ cauſſâ abeſſe, quando nihil agendum, pro quo abſentis ſuffragium magni momenti eſſet, graue peccatum non eſt. Probatur; qui vocat non vrget ſuo præcepto, & aliàs abſentia in præiudicium boni communis non cedit; ergo non eſt vnde eſſe mortale peccatum queat.

Aſſertio 4. neque omnes, ſed meri Senatores.

26 Dico quartò. Qui in Capitulis Indiarum meri Senatores ſunt, magis ſpeciali obligatione ad aſſiſtendum cœtibus tenentur, quando ad illos conuocantur. Aſſertio hæc ſupponit in Capitulis Indiarum eſſe aliquos, qui meri Senatores non ſunt, quod reuerà ita eſt: ſunt enim officia quædam, quæ à Rege iis venduntur, & vt maioris æſtimationis ſint, Senatorum cætui adſcribuntur, cum voce, & voto, vt dicitur, in Capitulo, & aliis Senatorum prærogatiuis. Et hi quidem cùm dignitatem Senatoriam velut acceſſoriam habeant, in cuius conceſſione non onus illis, ſed honorem conferri Regis videtur intentio; inde eſt vt de onere id ſumere poſſint, quod ipſis placeat, & ita ad cœtum venire pro libitu: non ſic autem meri Senatores, qui onus non acceſſoriè habent, ſed ex primariâ officij inſtitutione, & ita ad cœtum venire grauiter obligantur: quæ autem officia ſint illa, in quibus onus acceſſorium eſt, ſatis ipſis habentibus conſtat, ſicut & aliis Senatoribus. At nonnulla proferamus; talia videntur Protoſcribæ maritimi, Depoſitarij, Protectoris bonorum defunctorum, Adminiſtratoris cenſuum Indorum, Præpoſiti Haberiæ, & alia, quæ videmus in diuerſis Prætoriis & ciuitatibus nouiter exoriri.

Aſſertio 5. etiamſi ſuffragio nihil obtineant frequentius.

27 Dico quintò: qui vocatus ad cætum ire renuit, eò quòd frequenter illius ſuffragium nullius momenti eſt in ordine ad bonum publicum; non ideò deſiſtere prorſus poteſt; ſi merus Senator ſit. Ratio eſt; quia licèt frequentur id accidat, non eſt tamen moraliter certum ita futurum ſemper, cùm in Reſpublicâ Chriſtianâ zelus boni publici ſaltem in aliquibus non ſit res penitus deſperata: mutari enim in melius poſſunt, & eius exemplo minùs dociles prouocari. Ad auctoritatem etiam Reipublicæ ſpectat; vt in eius cætu Cato aliquis, aut Fabius inueniatur. Itaque aſſiſtentia talis prodeſſe poteſt, nocere nequit: ergo ad illam ratione officij tenentur vt in plurimum Senatores.

Aſſertio 6. ſecus, ſi certum ſit in caſu ambiguo.

28 Dico ſextò: ſi certò ſciatur in Capitulo concludendum aliquid pro re iniuſtâ, quæ ſcilicet in notabile damnum Reipublicæ cedat, & vnus tantùm ſit pro iuſtitiâ certans, non peccabit mortaliter ſi non veniat. Sic à fortiori tenent, qui id etiam aſſerunt quando concludendum ſcitur à maiori parte, de quibus ſtatim. Probatur; quia aſſiſtentia in hoc caſu non deſeruiet ad damnum repellendum, neque ad alium magni momenti effectum: ergo non eſt mortale illam denegare: neque obſtat quod dudum eſt à nobis dictum *Aſſertione præcedenti*: nam de frequenti abſentiâ eſt ratio diuerſa: quod autem ad auctoritatem Reipublicæ attinet, per abſentiam ipſam habetur; dum enim quis adeſſe renuit; ſatis oſtendit cœtus iniquos ſibi diſplicere, vt dicere cum Iacob poſſit: *In Conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea. Geneſ. 49. verſ. 6.* *Gen. 49. v. 6.*

Aſſertio 7. non tamen cùm à maiori parte concludendum, pro contraria aliis ſtantibus.

29 Dico ſeptimò: etſi probabile ſit idem dicendum quando conſtat concludendum à maiori parte; ſic enim tenent Ledeſma, Valerus, Nicolaus Garcia, quos adducit, & ſequitur Diana *Parte 1. Tractat. 3. Reſolut. 18.* Oppoſitum tamen videtur verius, & ſolidiori innixum fundamento: quod tenent Cardinalis Paleotus, Molfeſius, & Madariaga apud eumdem. Probatur; quia Senatores tenentur vt poſſunt pro bono publico certare, & ita adeſſe quando eorum præſentia magnæ eſſe vtilitati in ordine ad illud poteſt; atqui in hoc caſu ita contingit; ergo debent aſſiſtere. Maior eſt certa, & Minor oſtenditur: nam licet pro parte contraria concludendum ſit, valde tamen intereſt, vt qui pro iuſtificata ſuffragantur, plures pro ſe habeant, ſic enim ad ſuffragandum liberiùs incitantur, & eorum ſuffragia multis innoteſcunt. Vnde Reſpublica gaudet, & meliora ſibi promittit; tum etiam quia ſic vitatur ſcandalum, quod multis datur videntibus ciues, & ciuium iuratos patronos, aut contra Rempublicam agere, cuius bonum debebant procurare; aut non audere ſic agentibus reſiſtere; & ita omnes quæ ſua ſunt quærere, non quæ IESV Chriſti; id eſt quæ pauperum, quæ oppreſſorum, quæ ſub impoſitionum oneribus, congementium. Tum denique: quia licet concluſio pro re iniquâ videatur certa; poteſt tamen aliter accidere; vt non ſemel eſt experientiâ comprobatum:

Digitized by Google

probatum: dum auditis Senatorum zelo boni publici exardeſcentium rationibus, alij, qui in partem propendebant contrariam, in melius commutantur. Vbi nequit dici alios priùs ſuffragaturos; nam cùm ante publicatam determinationem locus ſit retractationi, ſemper eſſe ſpes poteſt dictæ mutationis. Quod ſi ſuffragia ſint ſecreta, id eſt multò certius: nam multi qui exteriùs vnum dicunt, aliud in foro ſecreto perficiunt. Vnde quando ſic res peragenda eſt, numquam eſt de bono ſucceſſu penitus deſperandum. Quod tandem comprobari ex Regiis Auditoribus poteſt, qui deeſſe nequeunt, cùm circa aliquid deliberandum eſt, in quo eorum ſuffragium nihil pro cauſſâ profecturum iudicatur.

CAPVT V.

Circa obligationes Fidelis-Executoris.

Fidelis-Executoris quod munus.

30 SOlet officium hoc à Rege vendi, & vni tantùm, quæ ad illud ſpectant, conuenire, ſæpe ſæpiùs autem ad Vrbanos Senatores pertinent annuatim ſeruientes. Illorum autem munus eſt: annonaria prouiſio, viſitatio, & taxatio victualium, quod per Regia reſcripta eiſdem reſeruatum: de quibus agit Dom. Solorzonus *lib.* 4. *Cap.* 1. *num.* 19. In quo quidem frequentia ſolent admiſceri peccata; & in primis, ſi panis *Verbi gratia* pretium ita taxetur, vt nullum, aut valde exiguum lucrum piſtoribus relinquatur, licet bono videatur fieri zelo, ſed non ſecundùm ſcientiam. Ex eo enim fit panem minoris ponderis vendi, & in graues ſcrupulos vendentes incidere: & cum minore pondere deprehenſo mulctantur, iniuſta eſt condemnatio, & ita duplicia damna patiuntur. Fit etiam ex eo plures ab illo minimè lucroſo artificio deſiſtere, & ſic Rempublicam inde plus detrimenti capere, vnde emolumentum quærebatur. Et hoc quidem licet rariùs accidat, eſt tamen ita accidere mihi penitùs exploratum. Nec dici poteſt annis, quibus triticum viliùs emitur, plus lucrari, & ita minus lucrum ſequentis anni eo pacto compenſari. Non enim in hoc genere modus talis compenſationis admittitur, quia eſt circa res, quarum pretium variatur, & ſemper illud attendendum eſt ſecundùm præſentem ſtatum; vbi aliter non fuerit pactione firmatum. Cùm ergo triticum hoc anno cariùs ematur; iniquum eſt piſtores compellere, vt eodem pretio, aut fere eodem, panem vendant; vnde moderatum illis debet lucrum aſſignari: id quod eſt omnium ſententiâ manifeſtum: & ita obligatio reſtitutionis, ſi ſecus factum fuerit, conſequenter aſſerenda.

Circa piſtores notanda doctrina, vt lucrum aliquod ex officio habeant: & de obligatione reſtitutionis, ſi ſecus fiat.

31 Dico ſcienti & volenti non fieri iniuriam, & ita cùm nullus piſtores ad commercium tale compellat, ſi ipſi illud cum onere prædicto ſuſcipiunt, nulla ex eo obligatio in Reipublicæ moderatoribus reſultabit. Sed contra hoc eſt: nam licet tales ſpontanei ſint, nihilominus pro vtilitate publicâ laborantibus merces condigna debetur. Faciunt enim voluntarij id, quod ſi non facerent, aut ipſi aut alij facere cogerentur: ne refugium panis, omnium maximum, Reipublicæ deeſſet. Sicut ergo iniuria fieret illi, qui compelleretur officium dictum exercere nullo, aut ſatis exiguo lucro, & obligatio inde reſtitutionis emergeret, ſic etiam in caſu, de quo eſt ſermo, dicendum: licet in priori propter violentiam pretium deberet augeri; non quidem minuendo panis pondus, ſed aliquid per modum mercedis tribuendo, quæ diurno labori reſponderet, aut priuilegio alio, quod eſſet pretio æſtimabile, iuxta illius voluntatem. Accedit quod iam inſinuatum eſt, cùm de rerum pretio agitur, iniuſtitiam Reipublicæ adminiſtratores committere, ſi illud citra iuſtum conſtituant, & ad reſtitutionem teneri, quia damni multiplicis cauſſa ſunt, etiamſi ij, qui vendunt, voluntariè vendant, quia in eo vendendi modo inuoluntarium aliquid admiſcetur, ex neceſſitate vrgente. Cùm enim artificium ſuum quiſque habeat multis expenſis inſtructum, aut aliud vitæ quærendæ genus, cui iam aſſueuit; duriſſimum eſt ad noua diuertere: & ita cùm vtuntur aſſuetis exiguo lucro, quia ſic Magiſtratus vrgent, neceſſitatis planè imperio compelluntur. Pro quo eſt doctrina P. Leſſij *Lib.* 2. *Cap.* 12. *n.* 63. vbi ait quòd ſi preſſus neceſſitate famulus exiguò conuenit, quia dominus ampliùs dare noluit; tunc quòd operam ſuam multò pluris valentem tam paruò locet, non ſponte facit (ſicut ſi quis neceſſitate preſſus paruò vendat rem aliquam magni pretij) tenetur ergo dominus ſupplere ſtipendium ad æquiualentiam. Sic ille, ſtatim addens hoc debere intelligi: ſi dominus tali ſeruitio egebat, vel ſi magnum ex eo capiat emolumentum: tunc enim merces non minuenda, iuxta Nauarrum *Cap.* 17. *num.* 108. *& ſeqq.* Pro quo & iam P. Dicaſtillus *Libr.* 2. *Tract.* 2. *Diſp.* 9. *num.* 147. cum aliis. Atqui piſtorum opera valde eſt neceſſaria Reipublicæ, vt conſtat, & magnum ex eâ emolumentum capit. Licet autem doctrinam P. Leſſij non omnes videantur amplecti, dum affirmant famulos in neceſſitate conſtitutos poſſe minori pretio conduci: re tamen verâ non contradicunt: volunt enim minori quidem pretio conduci poſſe; iuſto tamen, attentâ vtilitate, quæ domino ex labore eius accreſcit, ſecundùm communem æſtimationem. Pro qua conciliatione adeſt Bonacina *Diſput.* 3. *de Contractibus. Quæſt.* 7. *Punct.* 4. *n.* 6. Quidquid autem de hoc ſit, aliunde eſt certiſſima noſtra poſitio, quia ſcilicet opifices, & victualium venditores pro Reipublicæ bono ab eadem inuitantur, ex quorum defectu grauia pateretur incommoda, & ſic non vt voluntarij habendi ſunt, quorum viteſcant operæ, ſed vt pro neceſſitate vocati: & ita congruum eſt illis pretium pro operis & victualibus aſſignandum, cuius violatione onus reſtitutionis ſupra ſe tollant neceſſe eſt nimiùm iuſti Magiſtratus. Vnde eſt etiam communis Doctorum ſententia Mercatores poſſe plus exigere ratione officij: pro quo videri poteſt Bonacina *ſuprà Quæſt.* 2. *Punct.* 4. *num.* 30. apud quem alij.

P. Leſſius.

Famulo debetur iuſtum ſtipendium etiam ex neceſſitate ſeruienti.

Sed minùs quàm inuitato.

Mercatores plus petere poſſe ratione officij.

32 Sed hoc rarius; cùm ſit illud profectò frequentius, rerum pretia exceſſiua permitti, vel iniuriâ, vel vtilitatis alicuius intuitu, aut humano alio reſpectu. Id quod non raro accidit ex revendentium copia, quos non prohibent, quia ad potentiores nundinatio eorum pertinet, vel quia ſua ipſi vendere excedenti pretio cupiunt,

Grauius peccatum in exceſſu pretij non curato.

& ita alios ſuo ſinunt arbitrio procedere, ſuo pariter proceſſuri. Sic Reipublicæ faciem mutatam aſpicimus, & decreſcentibus ciuium facultatibus, contra naturæ ordinem rerum pretia ſublimata. Et damnum cùm videamus vſquequaque diffuſum, an ſeriò de remedio, ſerò licet cogitetur, penitus ignoramus. Doctorum omnium ſententia eſt pretium aliud eſſe legitimum ſeu legale, vulgare aliud, illudque tale dici quia à lege definitum, ſiue à Principe, aut legitimo alio Superiore, vt à Senatu, &c. Rogo iam an tale pretium ſit abſtractum aliquid, aut vniuerſalis Platonici adinſtar, quod numquam ſit ad vſum, etiamſi neceſſitas vrgeat, aduocandum? Quod cùm dici nequeat, & aliquando vſus ſtatuendus, cur non modò? Si neceſſitates pro eo requiritur, quando maior? Sed dolendum quòd voces iſtæ ſerò nimis ſint ad eorum peruenturæ aures, ad quos cura iſta dirigitur. Sed ſi ij non audiunt audient alij; & quod præſentibus & locis & temporibus prodeſſe nequit, aliis & locis & temporibus profuturum confidamus, *Naturæ imperio gemimus*. Iuuenalis Satyra. 16. Sed gratiæ beneficio conſoluemur.

CAPVT VI.

Generalis Depoſitarij obligationes pro foro animæ.

Ex qua culpa Depoſitarius generalis teneatur.

33 COnimuniſſima hoc loco quæſtio, ex quâ culpâ teneatur, cùm eſſe lata, leuis, & leuiſſima queat. Et quod ad forum exterius attinet, cùm in caſus contingentiâ res ſit ad tribunalia deferenda, & ibidem iuxta circumſtantias, quas expendi oportebit, iudicandum; non eſt cur hoc loco circa illud prolixius quidquam adiiciamus. Teneri de leui multi dicunt, quando depoſitio in deponentis & Depoſitarij commodum cedit: alij de leuiſſima: pro quo videri poteſt P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 27. *Dub.* 3. Si verò in ſolius Depoſitarij, communis reſolutio eſt de leuiſſima teneri, vt videri apud eumdem poteſt, & alios paſſim. Sicut quando in ſolius deponentis commodum, ſolùm delata. Qualis autem in facti contingentia fuerit, valde eſt difficile explorari: vnde iudicium, varietate aliàs opinionum extante, arbitrarium eſt futurum: cùm aliunde etiam emergat difficultas, ex eo ſcilicet quòd difficilis probationis ſit quando depoſitio in vnius tantùm, aut vtriumque commodum cedat. Et in Generali Depoſitario, cùm ſtipendium pro cuſtodiâ lege taxatum accipiat, ex quo in rigore Depoſitarius non eſt, cùm talis mercedem non accipiat, vt notant Doctores, & habetur in. *L.* 1. §. *Si veſtimenta. D. Depoſiti.* non videtur dubitari poſſe depoſitionem ad illius commodum pertinere: vnde & officium tale magno obtinetur pretio, & inter Reipublicæ præcipua computatur. Quòd autem in eius commodum non tantùm cedat, videtur facilè oſtendi poſſe ex eo quod tale officium non eſt propter Depoſitarij commodum, ſed propter vtilitatem publicam inſtitutum: & eorum, quorum bona depoſita ſunt, res vtiliter agitur, dum in tuto collocantur. Quòd ſi depoſitio pœnalis ſit; tunc aut alterius, cui adiudicanda ſunt bona, negotium geritur, aut certè Fiſci. Per hoc ergo poteſt Depoſitarius, ſi quidquam infauſtum occurrerit, ſe tueri.

Ex mortali tantum teneri oſtenditur.

34 Quod verò ad forum animæ ſpectat, mihi ſatis eſt veroſimilis eorum opinio, qui cenſent ex ſola mortali culpa Depoſitarium teneri, ſi depoſitum pereat, aut graue detrimentum patiatur. Pro quo eſt D. Thomas. 2. 2. *quæſt.* 62. *artic.* 6. *in Corp.* vbi de Depoſitario loquens ſic concludit: *Propter hoc ſi ei ſubtrahatur res abſque ſuâ culpâ, non tenentur ad reſtitutionem: ſecus autem eſſet ſi cum magna ſua culpa rem depoſitam amitteret.* Sic ille. Quod & eâ mihi ratione perſuadeo: nam obligari aliquem ad compenſationem damni, pœna grauiſſima eſt: ergo nequit leui culpæ reſpondere. Quod pœna ſit, ſatis conſtat: nam ideò culpa præſupponitur. Et quòd illatio ſit certa; ex eo liquet, quia inter culpam leuem, & pœnam grauiſſimam non eſt proportio, quæ tamen debet inter culpam, & pœnam iuſtam inueniri, vt omnes fatentur, & dictat ratio manifeſta: nam aliàs aliqui gradus pœnæ infligentur immerenti, quandoquidem culpæ vnus aut alter reſpondet; vt ſi merenti duodecim verbera, infligantur centum, nonaginta efficiunt immerentem. Ideò ita deciſum in vtroque iure; ſcilicet in *L. Sancimus. C. de pœnis, & in Cap. vt Clericorum, de vitâ, & honeſtate Clericorum.* Quòd ſi dicatur hoc haberi ratione contractus, in quem quis voluntariè Conſentit, & ita ſcienti, & volenti nullam fieri iniuriam, nec propriè haberi rationem pœnæ, licet culpam præſupponat; quia reſtitutio non eſt pœna, ſed obligatio ex violatâ iuſtitiâ orta. Contra eſt, quia etiamſi contractus ſit, ex nullo capite haberi poteſt velle quempiam ſe in foro animæ ad recompenſandum damnum obligare. Deinde: quòd obligatio recompenſationis ſit in odium culpæ, manifeſtè probatur: nam ſi culpa nulla ſit, omnes fatentur vix quopiam renuente apud Pharaonium *Tract.* 2. *Seſſione* 4. *Caſu.* 10. nullam eſſe obligationem. Vnde *L.* 1. §. *ſæpè, ff. Depoſiti* caſus fortuitos excipit, quia in illis culpa nulla interuenit. *Sed etiam culpã, & cuſtodiam præſtet non tamen caſus fortuitos.* Verba illius ſunt: culpa ergo non tantùm materialiter ſe habet, ſed formaliter in ordine ad obligationem. Et licet obligatio reſtitutionis eſſe dicetur, hoc ipſum pœnale eſt; obligari ſcilicet ad reſtituendum id, quod culpâ leui tantùm periit, aut damnificatum eſt; & vt demus pœnam non eſſe, eſt tamen onus grauiſſimum, quod quidem humanæ leges in exteriori foro conſtituere potuerunt, non ita in conſcientiâ, quia ex eo grauitas oneris geminatur: quod nequit præſumi de eximiâ ſic diſponentium pietate; ſi aliàs demus id eorum non tranſcendere poteſtatem.

D. Thomas

Pœnam debere culpæ proportionari.

Pro fortuitos nullam eſſe obligationem.

Auctores reſolutioni fauentes.

35 Qui diſcurſus videtur eſſe clariſſimus, vnde ſententiam iſtam communiter iam Theologi amplectuntur, ſaltem tamquam probabilem, quibus credendum potiùs in negotio conſcientiæ, quàm Iuriſperitis, & ita pro illâ adduximus *Titulo* 3. *Cap.* 9. *num.* 65. Cardinalem Lugo & Baſſæum alios referentes, & P. Amicum, videndum etiam pro Depoſitario *Diſput.* 29. *de Iuſtitia. num.* 10. quæ & valde placet Remigio, *Tract.* 2. *in ſeptimum præceptum.* §. 31. ac P. Dicaſtillo *Lib.* 2.

Digitized by Google

*Lib.2.Tract.3.num.*413. qui ſe remittit ad *Tract.* 8. *num.* 37. *& ſeqq.* vbi de Depoſitario. Sicut & Thomæ à Ieſu in Cap. *Non dicatis, Parte* 3. *Cap.6.* in fine: & ante alios eam eleganter, & robuſtè firmauit P.Leſſius *Lib.2. Cap.7. Dubit. 6.* vbi generaliter loquitur de obligatione reſtitutionis ortâ ex damno dato, *Dubitatione autem 7.* magis in ſpeciali de damno in officio. *Dubitatione autem 8. num.* 43. vbi magis in ſpeciali agit de Depoſito, affirmat leges obligationem ſtatuentes pro culpa leui, non videri quoad forum conſcientiæ receptas:, nemo enim, qui pignori, vel rei conductæ putet ſe maiorem cuſtodiam debere ex iuſtitiâ, quàm dominus ipſe adhibere ſolet. Addit tamen *num.*45. contrariam ſententiam eſſe communiorem, & ordinariè in praxi ſeruandam. Probabilitatem etiam ſententiæ oppoſitæ recognoſcit: *Cap.17. num.11.* referens ſe ad dicta *Dubitatione 8. citatâ*: & quidem ratio ab eo adducta *citato cap.7.num.27.* aut hoc probat, aut pro aliis nullius momenti eſt: ſic enim arguit, *quando ſolùm culpa venialis commiſſa eſt, non eſt actus perfectus in ratione iniuriæ, ſed imperfectus, ergo non inducit obligationem reſtitutionis ſaltem perfectam, quâ aſtringatur ſub peccato mortali: non enim poteſt obligatio maior eſſe in ſuo ordine, quàm fuerit iniuria, ex quâ naſcitur, in ſuo.* Sic ille; quis autem non videat rationem iſtam etiam pro damno in contractibus contingente concludere? Quid ſi in illis vim non habet, neque generaliter habebit; dici enim poterit eſſe actum imperfectum, ſed voluntarium, & cùm abſolutè damni cauſſa fuerit, obligationem ex eo reſtitutionis oriri. Quæ ſolutio eſt inſufficiens; ſed ei tamen ſimilis eſt, quæ ad damnum in contractu ſecutum applicatæ poteſt adhiberi. Culpa enim leuis Depoſitarij actus imperfectus eſt, ad quod ineptè dicitur eſſe abſolutè cauſſam damni, & ita ad reſtitutionem obligari: quia hoc, ſicut aliud, poteſt confutari ex eadem imperfectione actûs. Quòd ſi recurratur ad leges, non ceſſat inſtantiæ vis: nam leges propter actum imperfectum in foro interno nequeunt onus imponere, quo mortaliter conſcientiæ grauentur: ideò enim pro peccato veniali nequit maior excommunicatio fulminari. Videatur etiam Pharaonius *Tract.2.Seſſ.3. Caſu* 9. in fine.

P. Leſſii ratio, cuius expenditur vis.

Depoſitarius an vti rebus depoſitis queat.

36 Quibus præiactis; quæ ad Depoſitarios videntur generaliter pertinere, circa Indicos id video frequenter accidere, vt rebus ſibi in depoſitum traditis ad ſua commoda vtantur, & de recompenſatione non admodum videntur eſſe ſoliciti; itaque mancipijs, iumentis, & alijs prædia colunt ſua; & mirum in modum locupletantur; in quo qualia conſcientiæ grauamina interueniant perquirendum: & communis reſolutio eſt: Depoſitarium non poſſe depoſito vti contra domini voluntatem. Sic habetur in *L. ſacculum. D. depoſiti.* Pro quo & videri poteſt Bonacina *Tract.3. de contractibus, quæſt.14. Puncto 1. num.3.* P. Molina *Diſput.* 524. P. Leſſius *Cap. 27. citato Dubit.2.* P.Gaſpar Hurtadus *Diſput. 10. de contractibus, difficult.2.* & alij communiter de contractibus agentes: qui ſunt ſanè quamplurimi, apud quos aliquæ exceptiones ſunt. 1. Si Depoſitarius bonâ fide exiſtimet id non diſplicere domino, etiamſi reipſa diſpliceat; dummodò non conſtet diſplicere poſt præcedentem vſum, & in eo procedatur. 2. Ex domini expreſſâ, aut tacitâ conceſſione; tacita autem veroſimilibus fundanda coniecturis pro re contingenti ponderandis. 3. Quando depoſitum eſt res conſumptibilis vſu vt triticum, vel pecunia, & depoſitarius certus eſt habiturum ſe tantumdem quod reddat, cùm depoſitum repetetur: in quo aliqui peccatum veniale eſſe dicunt: ſed certè aut mortale eſſe debet, ſi vſus in re magni momenti ſit, aut nullum: nam vſus talis contra voluntatem domini, eſt peccatum mortale abſolutè loquendo, nec Depoſitarius ſpeciale ius ad illum habet, cùm res depoſita alterius ſit, neque ipſe dominium proprietatis, aut vtile habet. Quod ſi proptereà mortale peccatum eſſe negatur, quia nullâ violentiâ à domino res aufertur, & ex vſu nullum patitur detrimentum, ex eo fit nullum eſſe peccatum: ſi enim tale eſſet, ideò certè, quia contra voluntatem illius non eſt; aliàs eſſet peccatum mortale: vel quia licet contra illum ſit; eſt tamen irrationabilis talis voluntas; quando autem talis eſt, nullum eſt peccatum de illâ non curare. Quod aliunde oſtendi poteſt, ex eo ſcilicet, quòd ea, quæ functionem accipiunt, cùm in depoſitum traduntur, non debent eadem numero reddi, & ita dominium earum, in depoſitarium tranſit, & conſequenter vſus eſt licitus, iuxta ea quæ adducit P.Oñate *Tom.2.Diſp.* 54.*n.*15. 4. Addi poteſt limitatio quando non vſus eſſet noxius deponenti, vt ſi depoſita putreſcerent, aut ſerui otioſi penitus manerent. Quo euentu non ſolùm licet, ſed obligatio eſt procurandi ne damna dicta ſequantur; ſi quid autem in eo ſpecialis laboris abhibitum, compenſatio eſt debita facienda.

Id lege prohibitum.

Exceptiones quædã.

Et ſine veniali ſtari poſſe.

37 Iuxta hæc ergo ſatis compertum eſt; depoſitarios Indicos non poſſe depoſitorum vſu diteſcere generaliter loquendo; ſi autem depoſitum pecuniæ ſit, & non clauſa, aut obſignata, cùm functionem accipiat, lucrari per eam poſſunt iuxta nuper dicta; reddenda tamen illa eiuſdem omnino valoris, & perfectionis, vel quod intereſt compenſandum: non tamen ſi non reddatur, lucrum ex ea factum cedit deponenti, quia vſus fuit veri domini: & vt non talis eſſet, fuit fructus induſtriæ, vt aliàs dictũ eſt de Regiis officialibus, & Prætoribus aliiſque. Quod videtur extendendum ad pecuniam, etiam ſi clauſa, & obſignata tradatur: quâ erit vti illicitum, ſed non reſtituendum lucrum, ſi nullum inde damnum emergat lucro compenſandum. Et conſequenter idem dicendum de rebus aliis fungibilibus; ſi enim per eas negotietur, lucrum negotiationis acquiret, etiamſi lex aliqua ſit negotiationem prohibens, iuxta dicta etiam, cùm de præfatis ageremus. Videatur P. Molina *ſuprà.* Circa iumenta autem vſus non licet, & eſt obligationi compenſationis obnoxius, ſi ex labore detrimentũ alicuius conſiderationis accipiant, vt ordinariè contingit, dum onera ſubire coguntur; aut modis aliis laborare. Id quod circa ſeruos non ita videtur faciendum; quia iumenta ſecurè, & cum vtilitate domini in paſcuis, aut ſtabulis relinquuntur; cùm tamen ſerui non debeant otioſi relinqui. Laborent ergo quia & manducant, & de aliis ad vitam neceſſariis à Depoſitario prouidetur, & vt ſcrupuli ceſſent, labor ſit mercedi reſpondens, & merces labori, vt ſcilicet maior non ſit, quàm ſit illius pretium

Magis in ſpeciali quid liceat aut non liceat explicatur.

Quid circa ſeruos.

Digitized by Google

Pretium ad neceſſaria pro victu reuocatum. Cùm autem labor multò eſſe maior ſoleat, quàm qui ſolo poſſit victu compenſari; quandoquidem vix quarta pars pretij ſoleat victui laborantium reſpondere: ſatis ex eo apparet depoſitarios ad ſuperabundantium pretij reddendam obligari.

L. 1. D. Depoſiti.

Pro quo eſt *Lex* 1. §. *Si quis. D. Depoſiti.* vbi ſic dicitur: *Si quis ſeruum cuſtodiendum coniecerit fortè in priſtinum; ſiquidem merces interuenerit, cuſtodiæ puto eſſe actionem aduerſus priſtinarium ex conducto.* Vbi id Doctores tradunt, & exornant, & colligitur ex doctrina generali eorum, dum docent in his, quæ habent vſumfructum, vt *equus, veſtis,* &c. debere depoſitarium reſtituere valorem talis vſus, ſi contra Domini voluntatem vtatur: illud enim *& cætera* ſeruos manifeſtè complectitur. Adducit autem pro eâ Bonacina *ſuprà*, Doctores plures, dicens illos ita docere cum S. Thoma 2.2. *q.*63. *art.* 6. cùm tamen in eâ quæſtione talis articulus non ſit. *Articulo* autem *ſexto, quæſt.*62. in quâ de reſtitutione agit, & depoſitarij mentionem inſerit, de quâ *num.*34. nec verbum quidem de rebus habentibus vſumfructum; ſed in re clarâ non eſt cur diutiùs hæreamus; ſicut neque circa alia, quæ vt dixi, communia ſunt, vt non ſit opus pro Indiis plus aliquid contuliſſe.

CAPVT VII.

De Miniſtris Vrbanorum Senatuum.

De maiori Alguacello.

38 INter primarios Alguacellus maior ciuitatis numeratur, de quo iam dictum *Titulo* 4. *Cap.* 19. §. 1. dum de Alguacello maiori Prætoriali dicta ibidem ad Vrbanum ſunt etiam referenda in iis, quæ ferè communia ſunt. Illud tamen hoc loco oportet adieciſſe, in Indiis faciliùs ſolere maiores Alguacellos à ciuitatibus abeſſe, & alios ſuo loco relinquere, in quo id agendum, quod Regiis eſt ordinationibus conſtitutum, circa eorum approbationem.

Ex ſubſtituti prauo vſu quando teneatur.

Quæ licet id ſit, ſi illi officio deſint, & eorum incuria, aut lucri auiditate, aliove humano reſpectu, quidquam circa carceratos accidat, ex quo damnum alicui ſequatur, ab iiſdem reſtitutione factâ compenſandum. Approbatio enim non ſuffragatur: vt liber ille ab eâ obligatione remaneat, quando damnum nequit à ſubſtituto exigi, non habente vnde reddat: non enim debet approbatio plus prodeſſe ipſi damnificanti ſubſtituto, quàm eidem ſubſtituenti prodeſſet, ſi damnum ſimile eo præſente, & cooperante contingeret. Suâ ergo culpâ damnum accidit, qui ineptum ſubſtituit; quod ſi approbatio extitit, qui approbarunt ſunt ab eodem decepti, licèt forſan bona fide proceſſit, & ita electio in eius debet caput retorqueri: & quod ad forum externum attinet, ita quidem fiet, & debet fieri, quando tertij damnum extat: ſi autem bona fides extitit, poterit doctrina adducta capite præcedenti ſe tueri: quia ſcilicet grauis culpa abſuit: non erit bona fides, quando de ſufficientiâ ſubſtituti dubitauit; quia dubium bonam fidem excludit; cùm de inchoanda poſſeſſione agitur, iuxta ea, quæ adducit P. Leſſius *Lib.*2. *Cap.*6. *num.* 10. cùm aliis ita communiter pro certo ſtatuentibus; & hoc eſt quod ordinariè contingit, dum ſubſtituentes, de ſubſtituentium ſufficientiâ plenam notitiam non habent, ſed priuato aliquo reſpectu ad electiones huiuſmodi permouentur.

Dubium bonam fidem excludit.

Circa Alguacellum notabiliter impeditum dubitatio.

39 Vbi & dubitari poteſt (quamuis & dubium hoc commune ſit, ſed occaſione caſus contingentis diſcutiendum) quid faciendum quando maior Alguacellus eſt notabiliter impeditus, ita vt ad ea, quæ muneris ſui ſunt, & hominem exigunt expeditum, diu noctuque valentem, ad ea quæ occurrunt, aut occurrere poſſunt promptum miniſterium exhibere. Ad quod quidem dicendum videtur dubio procul talem debere alium ſubſtituere, qui ſatisfacere officio poſſit: vel ſi hoc ipſe renuat, ſupremus magiſtratus id præſtare poterit competenti ſalario, ex iis, quæ ad proprietarium ſpectant, deſignato.

Debere per ſubſtitutũ ſeruire.

Licèt enim Regio Miniſtro non ſeruienti ob infirmitatem integrum debeatur ſalarium iuxta Regias ordinationes, neque ad eum ſpectet ſubſtitutum aſſignare; id quidem in illis ſingulare eſt, quia ſic legi diſpoſitum, & talium officiorum prouiſiones ad Regem penitus ſpectant: quod ſecus accidit in prædictis, qui ſeruire per ſubſtitutos poſſunt, & ſtipendium ab exerciti officij, & variis eius functionibus vendicant, quaſi quotidianas diſtributiones. Itaque tenentur ſeruire, & non ſeruiunt, quorum tamen ſeruitium eſt neceſſarium Reipublicæ; ergo debent, cùm poſſint, ſupplere defectum. Aut ergo quærant gratis pro amicitiâ facientem officij honore contentum, aut ſi non inueniant qui velit ſeruire gratis, raræ enim ſunt iſtæ aues in terris, cùm alia emolumenta partiantur. Et in auditoribus Regiis, aliiſque maioribus Officialibus alia eſt ratio præter dictas, vt cum illis agi benignè debeat, quia ſcilicet quando ægrotat vnus; alij ſunt qui eorum ſupplere miniſterium poſſint, quòd ſecus euenit in iis, qui ſingulares ſunt, etſi eorum miniſterium deſit, eo ſit Reſpublica penitus caritura.

Diuerſa ratio in Auditoribus Regijs, & alijs nonnullis.

Vnde & ſimiliter eſt de Prætoribus dicendum, qui ſi impediti ſint, locum tenentes debent deſignare, & cum eis emolumenta diſpartire. Pro quo videri poteſt P. Fragoſus *Tom.*1. *Pag.*420. *num.*61 *verſ. Excuſatur:* vbi ex grauibus ſcriptoribus firmat impeditum eatenus non priuari ſalario, aut etiam officio, quatenus ſeruire poteſt per ſubſtitutum à ſe deſignatum. Quamuis de Regiis Auditoribus alia ſit ratio, de quibus *ibidem.*

Sed non in Prætoribus.

Procuratoris Vrbani obligationes.

40 Eſt autem in Senatu Vrbano Procurator, qui ſcilicet pro ciuitate ſtet, ſi forſan contra illam Senatores aliquid moliantur, & vt ea, quæ vtilia illi eſſe vtcumque poſſunt in Capitulo proponat, & apud omnes qui iuuare ad id poſſunt; quia ſuperiorem gubernationem exercent, negotia proſequatur. In quo quidem graue poteſt per iniuriam peccatum irrepere: dum officium tale perfunctoriè geritur, & cùm multa occurrant, pro quibus ſolicitudo deſideratur, nihil de illis curatur. In quo etiam peſtis auaritiæ ſe poteſt ingerere: ſi ob intereſſe aliquod, aut omiſſionis, aut commiſſionis peccatum admittatur; & obligationem Procuratoris eſſe ſub mortali; & ex iuſtitiâ commutatiua, ita vt non poſſit à proſecutione deſiſtere, communis ſententia firmat: cuius violatio obligationem reſtitutionis inducit. Pro quo textus, & Auctores adducit P. Oñate

Eſſe ſub mortali & ex iuſtitia.

Tom. 2.

Digitized by Google

Tom. 2. *Diſput.* 45. *num.* 55. Quod quidem Indicis Procuratoribus ſeriò, & frequenter inculcandum, in quibus, quæ ad commune bonum ſpectant ſomniculosè tractantur; & quidem cùm in Procuratore ad cauſſam ſpecialem alicuius priuati conſtituto, obligatio præfata militet, inde licet coniicere quanta ſit illa, quæ in Procuratore reſidet, ad totius ciuitatis vtilitatem deſignato, & quamuis ſtipendium non habeat ſpeciale, non ideò ceſſat obligatio, quandoquidem ſic cum ciuitate contraxit, & in eo etiam caſu obligationẽ dictam eſſe probant adducta à P. Oñate, *ſuprà.* cùm aliàs dici poſſit Procuratorem talem non carere emolumentis, habet enim honorificam ſedem, & immunitates alias; cùm etiam ciuis ſit de communi vtilitate participat, quam pro communi ſolicitat; ex iuſtitia ergo, & cum obligatione reſtitutionis ad officij implementum obligatur.

Aduocati Capituli mera conſcientia.

41 Cui affine eſt officium Aduocati capituli vrbani; circa cuius electionem peccari grauiter poteſt, dum minùs ſufficiens eligitur ob priuatum aliquem reſpectum, quia ſcilicet vir nobilis; cùm tamen talis ſit, vt nullus eum ex ciuibus ad cauſſam momenti alicuius eligeret defenſorem. Huic certè ſalarium ſoluitur, quod periti ſſimo redderetur; in quo manifeſta eſt iniuſtitia cum reſtitutionis obligatione; quandoquidem ſalarium non à Capitularibus ex ſuis facultatibus ſoluitur, ſed ex bonis ciuitatis. Quòd ſi contingat negotium magni momenti, alius aduocatus quærendus, cui & ſalarium tribuendum; ex quibus conſtat ciuitati detrimentum non leue comparari. Aduocatus ergò quicumque ille ſit iura ciuitatis ita tueri debet, vt non deſiſtat ab eâ curâ vitandi laboris cauſſâ. Et dicens in caſus contingentia aliquid non eſſe probabile, aut licet probabile ſit, parum tamen probabilitatis habere, vt nequeat victoria in lite ſperari: cùm tamen ſint certę expenſæ faciendæ. Hæc namque ſiue non ſint, ſatis liquet quàm ſint contraria iuſtitiæ, & quale onus reſtitutionis inducant. Poſſunt autem vera putari, quia libri non conſulti, in quo ſimilis eſt conſcientiæ clauus. Quòd ſi poſt adhibitum ſtudium aliquid probabile appareat licet minùs probabile quàm oppoſitum, id ita Capitulo proponendum; eius autem erit decernere an intentanda lis ſit, audito Aduocati conſilio, qui & ad illud poſt libros, conſcientiæ ſincera dictamina conſultabit.

Notanda doctrina.

Non debet autem ex eo quòd ius ciuitatis minùs probabile ſit, illud acſi nullum eſſet prætermitti; quia id quod minùs probabile Aduocato videtur, poterit forſan à iudice probabilius iudicari, & ita pluribus adductis tenet P. Fragoſus. *Tomo* 1. *pag.* 728. *num.* 262. pro quo etiam & Diana *Parte* 2. *Tract.* 13. *Reſolut.* 4. Pharaonius *Tract.* 1. *Seſſione* 3. *Caſu.* 9. & 10. & Cardinalis Lugo *diſp.* 41. *num.* 8. Nec de Aduocato plura, pro quo alia dedimus *Titulo* 4. *num.* 214. *& ſeqq.*

De Capitulo Tabellione.

42 Suus item eſt Tabellio in Senatu vrbico, qui à Capitulo nomen adſciſcit, & dicitur ſcribanus Capituli, atque inter alios per honorificum officium, qui publici, Regales, aut de numero dicuntur, vnde & magno emi pretio ſolet: & de eorum obligationibus; quatenus ſcribanij ſunt, videri ſpecialiter poteſt P. Fragoſus *ſuprà Diſput.* 13. *lib.* 4. §. 11. vbi multa congerit, & de eorum peccatis præſertim agit. *num.* 286. *& ſeqq.* videantur etiam dicta à nobis *Titulo* 4. *n.* 404. *& ſeqq.* & de capitulari ſpecialiùs loquendo, peccat ille, ſi vocatus vt Capitulo adſit, & acta conſcribat, ire renuat priuatis commodis impeditus: & peccatum quidem graue eſt, quia in re momenti magni ſuo deeſt officio.

Quid circa iuramentum.

Quòd ſi ſciat nihil, quod momenti ſit alicuius, in Capitulo tractandum, & ire detrectet, non videtur grauiter peccare, quia ex eo nullum bono publico ſequitur detrimentum. Obedientia autem illa non eſt talis, vt ſub præcepto Capitulares iubere cenſeantur. Quòd ſi ſub pœnâ præſtiti iuberetur, adeſſe, videndum, an iuramentum ad id ſe extendat, vt videtur extendi, cùm de exequendo fideliter officio ſit. Hæc enim pars officij eſt, Capitulis ſcilicet adeſſe; licet aliàs obligatio non videatur adeò rigeroſa, quia ſicut ſecluſo iuramento, non eſt obligatio grauis, cùm res tractanda parui momenti eſt, ita & iuramento poſito, quòd vt ſæpiùs dictum, intelligendum eſt præſtari iuxta præcedentem obligationem, vt ſcilicet grauem, grauiorem reddat, non autem vt ex leui grauem. Præterquam quòd iuramentum videtur ſe extendere ad omnia prædicta, ſed ad fidelitatem, vt nihil falſum ſuo teſtimonio firment; & ad ſtipendium, vt nihil vltra taxam admittant. Si autem res magni momenti ſit, & ex abſentiâ ſcribanij non concludatur id, cuius defectu damnum aliquod ſubſequatur, ad reſtitutionem teneri, iuxta receptiſſima principia eſt; de quibus à nobis dictum variis in locis. Videatur ſpecialiter P. Gaſpar Hurtadus *Diſp. & diffic. vltima de iuſtitia* §. *Circa fidelitatem.* P. Fragoſus *ſuprà. n.* 275.

De nouiter inuentis officijs.

Nec plura de illis, ſicut neque de aliis nouiter inuentis officiis, de quibus *num.* 26. circa quorum obligationes, & aliorum nouiter creandorum, iuxta dicta philoſophandum eſt; vix enim aliquid ita implicatum occurret, vt vel ad conſcientiæ obligationem non ſpectet ob legis circa illud poſitionem, & tunc rei grauitas perpendenda eſt, & inconuenientia ex tranſgreſſione; vel propter reſtitutionem ex damno dato, aut titulo alio pro quo multa ſunt à nobis non leui diſcuſſione propoſita. Quæ ergo ad vnum ex dictis officium ſpectant, ad alia transferenda, & in mitiorem partem ita inclinandum, vt præcipui Theologiæ duces propter vnius, aut alterius ſummiſtæ nouum inuentum minimè deſerantur. In quo certè magni noſtris his temporibus notantur exceſſus, quos oporteret cenſoriâ virgâ ſupremorum in hac materia Iudicum cohiberi. De quo aliàs, vt iam ad alia.

Digitized by Google

TITVLVS IX.

DE CONSVLATV MERCATORVM, ET ALIIS AD INDICOS CONTRACTVS SPECTANTIBVS.

Erectio Tribunalis pro Mercatoribus, & qualiter in Indijs etiam nobiles eſſe tales poſſunt.

1 MErcatores in Indiis, ſi non præcipua, præcipuæ proxima portio ſunt, de iis loquendo, quæ ad ciuilem ſtatum pertinent: quia cùm plurima ex Hiſpaniâ in Indias, & non pauca ex Indiis in Hiſpaniam tranſuehantur, in hoc commercialis vitæ genere, & validiſſimo & neceſſario, multæ hominum myriades occupantur. Quando etiam intra regna ipſa Indiarum, quæ eſt earum opulentia, vt diuitias parent, multi nundinationum auidi reperiuntur. Hinc factum vt mercatura nobilitati non officiat, niſi quando in tabernis, quas *Teendos* dicimus, actu perſonaliter exercetur. Quod eſt conforme *L. Nequis* C. *de dignit. liber. lib.* 12. & iuribus aliis. De quo Tiraquellus *de Nobilitate. Cap.* 27. *num.* 7. *& ſeq.* & *Cap.* 33. *num.* 19. & fuſiùs *Cap.* 10. *per totum*; & alij, quos adducit D. Solorzanus. *Lib.* 4. *Cap.* 1. *num.* 10. & in Politicâ *Lib.* 5. *Cap.* 1. *Col.* 1. & Hæuia *in labyrintho Cap.* 1. *num.* 28. Vnde videmus multos ex præcipuis mercatoribus Equeſtrium Ordinum inſignibus decoratos, ſancti ſcilicet Iacobi, Calatrabæ & Alcantaræ, quibus maior Hiſpaniæ nobilitas gloriatur. Quia verò quæ ad contractus ſpeciales ſpectant, meliùs ipſi quàm ordinarij Iudices norunt, optimo rerum noſtrorum conſilio ſpeciale ex ipſis Tribunal erectum cauſſis huiuſmodi decidendis, in quo vnus præſidet Prior, & Conſules duo, qui annuatim eliguntur. Habent autem primam tantùm inſtantiam, nam ab illis ad Regium Auditorem pro eo deſignatum appellatur, de quo diximus *Titulo* 4. *num.* 92. & de cuius erectione & authoritate neceſſariâ ad illud, videndus Ioannes de Heuia in *Citato labyrintho contractuum lib.* 2. *Cap.* 15. circa illorum ergo obligationes, & contractuum quorumdam genera in Indiis peculiarium oportet inquiramus. Pro quo ſit

CAPVT I.

Qui iudicandi modus in Conſulatu debeat obſeruari.

Circa modum iudicandi difficultas propoſita.

2 RAtio dubitandi eſt, nam vel iudicandum eſt ex æquo, & bono, & vt dictat ratio naturalis; ſic autem multoties eueniet vt contra leges ſcriptas iudicetur, quæ quidem contrariæ rationi naturali non ſunt, & falluntur ſæpe homines aliter iudicando. Si autem ſecundùm leges ſcriptas, earum ſunt Mercatores ignari, & congruentius eſſet ab ordinariis iudicibus iſta tractari. Licet autem Aſſeſſorem habeant litteratum, non videtur fieri ſatis, quia id ipſum indicat à litteratis iudicibus meliùs cauſſas huiuſmodi terminandas, cùm tandem non Aſſeſſoris ſit iudicium, ſed eorum, qui de legum intelligentiâ parum ſciunt. Accedit multa apud eos impunè manifeſtari, quæ coram ordinariis Iudicibus non poſſent, quia contraria legibus ſunt, in quibus contractari non poſſe iubet *L.* 3. *Tit.* 24. *lib.* 5. *nouæ compilat.* quæ extra regiſtrum exportata, & ſic alia, quia ſic illi contrahunt, & in eò poſſunt controuerſiæ commerciales excitari. Quæ quidem non videntur quomodò poſſint aptâ ratione componi. Nihilominùs

Aſſertio 1. Conſulatus conuenientiam ſtatuens & oſtendens.

3. Dico primò: Tribunal dictum æquiſſimo potuit iure fundari. Probatur ratione iam dictâ de experientia Mercatorum circa ea, quæ ipſi tractant, quandoquidem vnicuique ſuâ in arte credendum eſt vt dictum à nobis *ſuprà*, & prætereà, quia commercium non debet pro rogatione litium impediri: cùm ſit illud valde Reipublicæ neceſſarium: id autem ita contingeret, ſi omnes circa ipſum lites, ad ordinaria tribunalia eſſent deferendæ, in quibus omnes iuris ſolemnitates, & ſubtilitates adhibentur; cùm tamen in conſulatu procedi debeat *breuiter & ſummariè, veritate inſpectâ & bonâ fide ſeruatâ*, vt illius ordinationes ſtatuunt, & pro quibus bene Heuia *ſuprà num.* 37. Ex quo foret, vt lites aliæ in ordinariis tribunalibus agitari ſolitæ nimiùm quantum retardarentur; nam Mercatores vti potentiores ſua vellent priùs tractari negotia, & frequentiùs obtinerent. Accedit hoc pacto auaritiæ iudicium occaſiones præcidi; quod periculum in iudicibus ex eodem gremio non imminet, quia ſua ipſorum agunt negotia cùm iudicant, iudicandi cras ab iis, quos hodie contigerit iudicari. Præterquam quòd cùm homines diuites ſint, ſubornationibus non ſunt obnoxij, vt litterati eſſe ſolent, quotidianâ auri prurigine laborantes.

Qualis in eo procedendi modus.

Aſſertio 2. Modum iudicandi non debere eſſe legibus contrarium.

4 Dico ſecundò. Modus iudicandi in conſulatu non debet eſſe legibus contrarius. Id clarum; quia quod pro bono publico inſtitutum eſt, non debet in boni publici detrimentum redundare: nihil autem maius detrimentum bono publico afferre poteſt, quàm legum ſtabilita tranſgreſſio, & publica ſententia confirmata. Ad hoc autem Aſſeſſoris peritia deſeruit, vt ſcilicet leges faciat manifeſtas, quarum obtentâ notitiâ, prudenter poſſunt iudices, adiunctâ experientiâ, & conſuetudine apud ipſos, quod meliùs viſum fuerit iudicare. Quod ſi quidquam minùs iuſtitiæ conſonum ab eiſdem fuerit pronuntiatum, à iudice appellationis poterit emendari. Vbi autem lex nulla expreſſa pro caſus contingentiâ ſit, ſatis apparet conueniens, ab illis ex æquo, & bono cauſſas tractari iſtas, qui ſuas probatas conſuetudines, & leges quaſi conuentionales habent, ſeu ſtylum generaliter receptum; quæ quidem attenderentur, ſi leges circa hæc conſtituendæ eſſent,

Digitized by Google

eſſent, & ita quaſi leges viuæ apud eoſdem ſunt regula iudicandi.

Quomodo id ſtat cum praxi, quæ contrariũ videtur amplecti. Vbi notanda aliqua.

5 Illud tamen, quod de non quintatis, nec regiſtratis dicitur; ſpecialem videtur difficultatem habere; & dici ad illud poteſt, intentionem Regis ad prædicta non extendi, ex Mercatorum autem conuentione, ita ſtabilitum, qui iudicio tali ſeſtaturos conuenerunt, eò quòd aliter non poſſent controuerſiæ iſtæ componi; ita vt cum effectu iuſtitia ſua cuique redderetur. In quò quidem licet approbatio Regis non ſit, eius tamen videtur eſſe permiſſio, non enim poſſunt iſti ſupremi gubernatores ignorare. In caſibus autem prædictis non debet appellari, quia appellatio eſt à Iudice legitimo in cauſſâ, in quâ vt talis procedit Regiâ auctoritate; quod tamen in dictis caſibus non accidit, & valde indecens eſſet, vt Regius Auditor circa ea ſententiam ferret, quæ per leges Regio ſunt Fiſco adiudicanda. Addo non videri cur non etiam dici poſſit Conſulatum poſſe auctoritate Regiâ de præfatis iudicare, quia illa ad Regem non pertinent, niſi poſt ſententiam: cùm ergo talia ſint, & ex eo quòd iſte potiùs quàm alius illa poſſideat, nullum Rex patiatur detrimentum; & aliàs conueniens ſit cuique quod eſt ſuum reddi, cùm id iuſtitia exigat; meritò dici poteſt id minimè Regiæ voluntati repugnare. Vnde, & appellari etiam poterit ob eamdem rationem, quia ſi iuſtum eſt ius ſuum vnicuique reddi, & iuxta Regis voluntatem circa illud in primâ inſtantiâ iudicatur, benè etiam iudicari in ſecundâ poterit. Per quod non tolletur quò minùs Rex poſſit rem circa quam lis vertitur, ſi aliàs apprehenderit, ſibi penitus vendicare. Sic ergo hic dicendi modus non improbabilis.

CAPVT II.

In quibus Iudices Conſulatus grauiter peccare contingat.

Peccare grauiter iudices litium prorogatione.

6 PRimò id accidere poteſt, quando contra Tribunalis huius inſtitutionem lites nimium protelantur. Conſtat ex dictis *num.* 3. cauſſæ enim in illo debent breuiter, ſummariè, & veritate inſpectâ terminari. Si ergo anni tranſeant, & adhuc ſub iudice lis eſt, quomodo finis inſtitutionis Tribunalis huius obtinetur? Quis autem non videat in hoc grauiter delinqui, cùm ex eo præter graues litigantium moleſtias, & multiplices expenſas, illis, qui ius fundatum habent, rebus ſuis vti non liceat, aut ſi in poſſeſſione ſunt, eâ frui pacificè denegetur. Ex quo habetur etiam reſtitutionis obligatio, quæ tunc datur, cùm negligentia eſt manifeſta; & negligentia quidem tunc conuincitur, quando tenetur quis intra tempus præfixum à lege vel ſtatuto, aliquid perficere, & non fecit; iuxta ea, quæ adducit P. Fragoſus *Tom.* 1. *pag.* 943. *num.* 80. *in vtroque verſiculo.* Licèt autem non ſit per legem aut ſtatutum præfixum tempus ad cauſſas, in conſulatu decidendas; cùm tamen breue generaliter præſcribatur, dum per annos deciſio protrahitur, ſufficienter videtur negligentia comprobari. Niſi caſus aliquis rarus obtingat, in quo nequeat præſcripta breuitas obſeruari.

Quando negligentia ſit imputabilis in ordine ad reſtitutionẽ.

Aſſeſſoris iudicium vt ſequi teneantur.

7 Secundò: in eo grauis eſſe lapſus poteſt, ſi iudices ſuo nimiùm iudicio fidentes, Aſſeſſoris Concilium non attendant, & quidem vbi lex non fuerit, iuxta quam debeat in iudicio pronuntiari, non erit graue peccatum in diſſenſu, quando aliàs æquitate inſpectâ, & ſtylo attento, Aſſeſſoris iudicium minùs veroſimile iudicatur. Vbi autem res magis videtur ad ius ſpectare, Aſſeſſoris iudicium non vexari, ſine graui ſtare culpâ nequit: niſi fortè Aſſeſſor ipſe iudicium ſuum tantùm vt probabile proponat. Tunc enim licebit illud non amplecti; vel ſi magis probabile affirmet: quia etiam tunc diſſentire licebit, eò quòd id, quod attento iure magis probabile eſt, æquitate & ſtylo attentis poſſit eſſe practicè conuenientius; vt omittamus modò ſententiam eorum, qui affirmant iudices poſſe ſecundùm minùs probabilem ſententiam iudicare, quam tenent plures apud Dianam *Parte* 2. *Tractat.* 13. *Reſolut.* 3. P. Fragoſus *Tomo* 1. *Pag.* 450. *verſ. ſecunda propoſitio.* Baſſæus *verbo Conſcientiâ, num.* 16. *verſ. Nihilominus.* Cardinalis Lugo *Diſputat.* 37. *de Iuſtitiâ num.* 117. varios caſus referens, in quibus id liceat. Et alij, qui tamquàm probabile id amplectuntur, quando probabilitas eſt ex parte iuris, & non ex parte facti; vt omittam inquam, quia id in iudicibus, de quibus agimus, ſpecialem videtur habere difficultatem, eò quòd debeant bona fide, ſeu iuxta æquitatem, non attentis iuris ſolemnitatibus & ſubtilitatibus, iudicare; non videtur autem bonâ iudicare fide, & ex æquo, & bono, qui eo, quod ſibi veroſimilius apparet, prætermiſſo, quòd minùs eſt veroſimile anteponit: illud enim de maiori probabilitate, & rationibus anteponendi opiniones, ad iudices ſpectare videtur, qui circa hoc philoſophari ſubtiliùs poſſunt, & obligationis ſuæ terminos penetrare. Sciunt namque id, quod inſpecto iure ſibi apparet verius, forſitan non eſſe tale, quia alij circa hoc acutiùs videre poſſunt, & tales fortè eſſe illos, qui ſententiam minùs probabilem communiter iudicatam confeſtantur. Qui diſcurſus in hominibus mercaturæ deditis communiter eſſe non poſſunt: ſunt tamen aliqui ingenio præcellentes, quas experientia, lectio, & litteratorum commercium ſatis habiles reddiderunt; de quibus non aliter, quàm de litteratis iudicibus iudicandum. Et Ioannes quidem de Heuia curiâ Philippicâ, & labyrintho contractuum celebris, hoc pacto doctrinæ eſt mirabilem ſupellectilem aſſecutus, qui ſcholas frequentauit numquam, immò nec latinæ linguæ videtur plenam notitiam habuiſſe.

Iudices iuxta minùs probabilem ſententiam iudicare poſſe qui ſtatiant: quod in iudicibus Conſulatus generaliter non probatur.

Ioannes Heuia vnde profecerit.

Peccare grauiter illos iuriſdictionẽ ampliando.

8 Tertiò, in eo iudicum iſtorum graue eſſe peccatum poteſt, ſi iuriſdictionem extendant; hoc enim eſt illam vſurpare, & ſic iniuriam ſupremo iudici facere. Poteſt autem id non raro contingere, cùm mercatura plures habere conſequentias poſſit, & ad multos eius reſpectus extendi. Debet ergo aut certò conſtare de iuriſdictione in ordine ad caſum occurrentem, aut ſaltem probabiliter. Vbi cùm quæſtio de mero iure ſit, videtur locum habere doctrina nuper adducta de minùs probabili opinione. Quæ ex eo ſecurior redditur in præſenti, quia bono communi magis expedit, vt cauſſæ ad mercaturam pertinentes à Conſu-

Minùs probabilem opinionem aliquando præferendã.

Digitized by Google

Conſulatu decidantur ob rationes dictas: & quando opinio aliqua æquitati fauet, alteri præferenda eſt rigori iuris adhærenti, per ea, quæ adducit Heuia *num.* 37. & quando tale quid accidit, non eſt dicendum ſine iuriſdictione iudicari; quia Rex in caſu probabilis opinionis illam conferre credendus eſt; ſicut de Pontifice tradunt communiter Theologi, ſciente eſſe opiniones circa Sacramentorum adminiſtrationem, iuriſdictionem requirentem: quæ ſi reipſa verà non ſit, Sacramentum erit multoties nullum, quod præſertim in Sacramento Pœnitentiæ accidit. Non eſt tamen credendum id ita velle Pontificem; & ita doctrina talis videtur approbata, & iuriſdictionem conferri ne Sacramentum irritum toties ſit, & animæ fidelem adeò graue, & irreparabile quandoque detrimentum patiantur. Quamuis hoc non omnino certum ſit, vnde non vrgente neceſſitate per planiora, quæ & ſecuriora, gradiendum. De quo benè Baſſæus *ſuprà num.* 10. *verſ. Ceterum.*

Iuriſdictio quomodo à Rege & Pontifice cùm probabiliter agitur, conferatur.

Clericos nō poſſe in Conſulatu conueniri.

9 Quartò peccant grauiter, ſi cauſſa Clericorum, aut Religioſorum iudicent, contra quos lites apud ipſos intentantur. Contrarium tenet Heuia *ſuprà num.* 27. Mexiam, & Azebedum adducens; ita vt ſi Clericus mercaturam exerceat; non poſſit iuriſdictionem declinare. Sed eſt illud omnino à veritate alienum; quia Clericus immunitate omnimoda gaudet, & caſus iſte neque in iure, neque in Doctoribus ob declarationem aliquam Pontificam, aut rationis ſimilitudinem communiter exceptus inuenitur; quidquid duo citati ſine fundamento ſignificent. Verùm quidem eſt Clericum negotiatorem, ſi ter admonitus non deſiſtat, perdere immunitatis priuilegium, quoad bona, quæ Eccleſiaſtica non ſunt, in ordine ad gabellæ volutionem, & alia ſimilia laicorum ſtatuta, de quo Doctores à Diana adducti *Parte* 1. *Tractat.* 1. *Reſolut.* 47. *& Parte* 3. *Tractat.* 1. *Reſolut.* 47. & tunc poſſe coram ſæculari Iudice conueneri multorum ſententia eſt, quamuis alij à Diana adducti *Reſolut.* 45. *citatâ* contrarium ſentiant, dicentes tantùm poſſe coram Eccleſiaſtico Iudice conueniri. Sed hoc non eſt ad propoſitum: nam pro amiſſione immunitatis extat aperta deciſio Pontificis *in Cap. Ex litteris, de vita, & honeſtate Clericorum.* Sed in primis ſeruanda forma eſt de trina monitione, de quo tamen Auctores citati non videntur curare. Deinde. Textus ille iuxta narratiuam procedit, in quâ dicitur de Clericis negotiatoribus quod, *nolunt ſtatutis patriæ (quibus quoties expedit, ſicut laici, ſe tuentur) in negotiationum ſuarum quæſtibus ſubiacere.* Quæ ſunt mera illius verba: eſt autem valde diuerſum de non ſeruatis patriæ ſtatutis agi, aut litem quamlibet circa negotiationes occurrentem intentare. Iuxta hæc ergo ex deciſione prædicta potiùs firmatur noſtra, & prorſus vera poſitio; nam exceptio firmat regulam in contrarium: ſi ergo pro immunitate amittenda ſolus præfatus caſus admittitur, alius, de quo loquimur, omnino diuerſo debet modo iudicari, vt ſcilicet minimè exceptus habeatur. Circa hoc ergo non videtur poſſe dubitari: vnde Clericus, & Religioſus declinare poſſunt iuriſdictionem.

Clericus negotiator quando fori priuilegium amittat.

Cap. Ex litteris, de vita & honeſt. Cler.

Graue eorum peccatum in iudicando contra iura Regia.

10 Tandem in eo eſſe graue peccatum poteſt, ſi iura Regia ſtudeant ſuis ſententiis defraudari: hoc enim contra inſtitutionem huius Tribunalis eſſe videtur; per quam quoddam eſt quaſi pactum ſtabilitum, vt ſcilicet illi circa res ſuas iudicent; ſic Rege liberaliter annuente, & ipſius Regis nullum ex tali iudiciali foro detrimentum iura legitima patiantur. Et hoc eſt quod *num.* 4. dicebamus, non poſſe contra leges iudicari, cùm iniquum videatur ſemper contra Regium patrimonium in ſententiis ire, & confidentiam eius temerari. Niſi fortè circa aliqua probabilis opinio ſit minùs Regi fauens, tunc enim iuxta dicta *num.* 8. procedendum neque credendum eſt id contra illius non eſſe penitus voluntatem, quandoquidem opiniones tolerat, quæ eo ipſo, quòd probabiles ſunt, poteſt iuxta illas iudicari. Et certè quod vna via videtur tolli, per aliam recuperatur: opulentia enim commercij in magnum Regij patrimonij commodum militat, cùm inde iurium accretio, inde donatiua pro temporibus neceſſitatis habeantur. Et hæc pro Conſulatu ſatis, quæ ad animæ forum ſpectant, pro aliis autem citatus Heuia conſulatur; vt iam ad ſpeciales in Indiis contractus veniamus. Nec omnes proſequi poſſibile eſt, quando & plurimi ſunt, & aliqui pro diuerſitate regionum prorſus ignoti, ex iis autem quæ circa præcipuos quoſdam dicenda ſunt, ad alios poterit vtilis conſequentia deriuari. Sit ergo pro illis

rium defraudatione Regalis, contra illa iudicando.

CAPVT III.

De contractu argentearum pinnarum.

Quid pinnæ.

11 EX argento puro antequam quinta pars Regi ſoluatur, & in maſſam redigatur grandiorem Regio ſignaculo conſignatam, pinnę diuerſorum ponderum conficiuntur, quarum commercium communiſſimum apud Mercatores habetur. Sunt tamen circa illud aliqua difficilia, & ita videndum, quid in eo liceat, quidue poſſit conſcientias prægrauare. In primis ſtatuendum eſt vt certum pinnas huiuſmodi aliarum mercium more diuerſa pro tempore pretia ſortiri. Licèt enim per leges iam pridem ſtatutum ſit vt argenti Marcha, vulgo *Marchus*, ſit argenti valoris regula, & Marcha iuxta legem habeat octo vncias, quæ faciunt ſexaginta quinque regales, *L.* 1. *Titul.* 21. *Lib.* 5. *Compilationis.* Nihilominùs vſus inualuit, vt Marchiæ valor fixus non ſit inter Mercatores, vnde ſecundùm accidentia temporum variatur: idque non ſolùm in Indiis, ſed etiam in Hiſpaniâ, quod ſuo modo etiam in auro contingit. Circa quod dubitari nequit, quin ſit licitum, quandoquidem ita communi vſu receptum, quì maximè iuxta naturam rerum eſt, & aliarum rerum vſui conformis; ſicut enim ferrum, æs ſtannum, & alia metalla fixum pretium non habent, ſed iuxta raritatem, aut copiam, aliaſque rationes occurrentes variatur; ita & in argento, & auro ſimiliter affirmandum: leges autem fixum pretium ſtatuentes, de argento hoc pinnario non loquuntur, cùm in eo prohibeant contractus celebrari, vt dictum *num.* 2. cuius pretium valde inferius eſſe ſolet, eò quòd Regia marcha valorem augeat, cuius & aliæ rationes eſſe ſolent.

Earū pretium non eſſe fixum, & quare.

Marcha vt valoris regula.

12 Hac

Digitized by Google

Pinnas anticipata ſolutione emi poſſe; & doctrina pro eo generales.

12 Hac ergo pretij varietate ſtāte ſolent Mercatores minerariis ad expenſas ingentes, quæ in eruendo argento, & ad ſuam puritatem redigendo fiunt, anticipatam pecuniam tradere, eo pacto vt in pinnis ſibi perſoluant, deſignato pretio, cùm pecunia traditur, quidquid de pretio ſit, quod traditionis tempore ſint habituræ. Vbi quidem contractus emptionis, & venditionis eſt, & ita iuxta ea regulandus, quæ Auctores de eo dicunt, cùm res anticipatâ ſolutione emuntur, pretio in ipſo contractu conſtituto; ſi enim ita emantur vt currenti debeant pretio dari, nulla eſt in eo contractu difficultas. In eo autem, de quo agimus, pro certo habeo eſſe omnino licitum, etiam quando veroſimiliter creditur traditionis tempore plus eſſe valituras & cùm ſit contractus plus etiam valeant. Quæ quidem iuxta ſatis probabilem ſententiam ſunt, quam circa emptiones huiuſmodi tenent doctiſſimi ſcriptores, ex quibus P.Molina *Diſp.*360.P.Leſſius *Lib.*2.*Cap.*21.*Dub.*7.P.Gaſpar Hurtadus *Diſp.* 2.*de Contract. diffic.*6. Card Lugo *Diſp.*26.*n.*109 *& ſeqq.*P. Oñate *Diſp.*64.*Sect.*1.2.*&* 3. Bonacina *Diſp.*3.*de contractibus, quæſt.*2.*Puncto* 4.*num.*20.qui alios adducunt. Et vt aliàs rationes, quæ ab illis adduntur, omittam, illa in præſenti certè militat, quæ ex periculo pacti non implendi deſumitur. Quando enim periculum eſt amittendi pretij, aut partem illius, licet viliùs emere, iuxta receptiſſimam ſententiam, pro qua citatis aliis P. Buſembaum in Medulla circa *præceptum.*7.*Cap.*3.*Dub.*7.*n.*8.*&* 9. Atqui ita in caſu noſtro contingit: Minerarij enim rarò implent, quod promittunt quia multis obligatam habent fidem, multorum ſubſidiis indigentes: vnde & Gubernatores ipſos videmus huiuſmodi cōtractibus implicatos, querelis ob fraudatam fidem onuſtos & magnas pati, Deo ſic altè prouidente, iacturas, vt malè parta malè dilabantur.

An ab iis, qui Minerarij non ſunt, nequeat ſunt aliquæ emi habituri.

13 Præter contractum dictum, qui cum Minerariis iniri ſolet, alius eſt ſimilis, qui circa pinnas etiam fit, ſed cum iis, qui Minerarij non ſunt, neque cum illis vllum commercium habent: dantur enim illis pecuniæ, vt reddant pinnas aſſignato tempore, pretio, vt de contractu præcedenti diximus, conſtituto: Quod ſi non reddant pinnas, reddent pecunias cum augmento vſque ad valorem pinnarum tunc futurum; & videtur quidem licitus ob ſimiles rationes eis, quæ pro illo, qui anticipata ſolutione fit, à Doctoribus adducuntur, aut potius eaſdem: ſic enim arguunt:

Rationes pro eo, quæ & pro emptione anticipata ſolutione.

Primò: quia anticipatâ ſolutione ementes, patiuntur iacturam lucri, quod intermedio tempore poſſent ſuæ pecuniæ vſibus obtinere. *Secundò:* quia res tradenda poſt aliquot menſes, minùs valet emptori, quàm ſi ſtatim illi traderetur: res enim præſens multas habet opportunitates, quas non habet futura. *Tertiò*; eſt ratio à nobis adducta, periculi inquam perdendi pretium: homines enim commercium huiuſmodi exercentes, dubiæ fidei eſſe ſolent, ergo licitus eſt contractus talis. Rationes iſtas adducit P. Leſſius cum aliis, non eſt autem opus vt omnes in contractus quoſlibet quadrare debeant, quæ pro alio adducuntur, quælibet enim vtriq; communis videtur ſufficere nam vbi eſt eadem ratio, eadem eſt & iuris diſpoſitio, iuris inquam non poſitiui tantùm, ſed etiam diuini ad forum conſcientiæ pertinentis.

Vnde illicitus contractus dictus videatur.

14 Sed aliunde contractus dictus videtur minimè licitus, ſed planè vſurarius, vtpotè in quo ratione mutui lucrum obtingat; nam iſte à quo pinnæ dicuntur emi, tradendæ poſt aliquot tempus, neque habet, nec creditur pinnas habiturus; ergo verè, & propriè non vendit, Patet conſequentia; quia deſiit propria ratio venditionis, quæ eſt permutatio mercis pro pretio; cùm ergo accipiatur pecunia cum augmento reddenda; mutuum ſanè eſt, cum auctario, & ita contractus vſurarius. Si dicas pretium pinnarum eſſe incertum, & poſſe tempore deſignato traditioni minoris emi, quàm fuerint emptæ tempore anticipatæ ſolutionis: id certè nequit ſuſtineri, nam ex eo caſus deſtruitur; dicitur enim quòd ſi non reddat pinnas is, qui pretium anticipatum accipit, eò quòd illarum copia non ſit, debeat reddere pretiũ currens. Cùm ergo earum tanta copia ſit, vt minoris emantur quàm fuerit pretium anticipatè datum, ſatis manifeſtè apparet non eſſe rationem cur non reddat pinnas, cùm poſſit eas pretio tali emere, vt in contractu lucretur. Quando ergo pretium anticipatè ſoluitur, ſupponitur id, quod frequenter euenit, & moraliter conſtat euenturum, pinnas ſcilicet plus valituras; & ita huic contractui applicatur doctrina illa de anticipatâ ſolutione: ſic enim quæſtio proponitur, An ſcilicet liceat minoris emere, ob anticipatam ſolutionem, vt videri apud Auctores poteſt. Si ergo incertum ſit quale ſint habituræ pretium, ſitque moraliter contingens, vt minùs valeant, non videtur eſſe difficultas, vt videri poteſt apud P.Leſſium *Lib.*2. *Cap.*20. *num.*145. Præterquam quòd non ſit ſatis argumento ex eo procedenti, quòd in contractu dicto non ſit propria ratio venditionis, cùm non ſit permutatio mercis pro pecuniâ, nec futura ſperetur quando pretium traditur.

Vrgetur ex contractu ſimili in tritico & ſimilibus cum notanda doctrina.

15 Roboratur, & explicatur. Nam ſi quis ad alterum accedat, & petat ab eo mutuum, renuatque ille; dicat tamen daturum ſe, ſi in tritico ſoluat meſſis tempore pretio currenti, cùm tamen ille prædium non habeat, nec aliunde tale commercij genus, vſura in eo videtur intercedere; datur enim mutuum cum obligatione huiuſcemodi; ideò enim apponitur, quia creditur ſic petentem non habiturum triticum, & ita redditurum quod accepit, & præterea intereſſe, ex eo quòd triticum non reddat, cùm obligatio illa ſit pretio æſtimabilis; ponitur ergo pro mutuo obligatio contra rationem mutui propriam, vnde vſuræ incurritur turpitudo. Itaque triticum non emitur, quia neque eſt, neque futurum ſperatur: ſi enim eſſet moralis potentia ad illud, etiamſi quis non ſit agricola, & animus reddendi adſit, contractus eſt licitus, iuxta ea, quæ adducit Diana *Part.*1. *Tract.* 8. *Reſolut.* 26. Vnde non traditur pecunia niſi mutuò, quia contractus alius eſſe nequit, & additur obligatio, ex quâ redditur vſuraria.

Vſura quid & applicata caſui definitio.

Quæ doctrina eſt communiſſima apud omnes agentes de vſuris, & ex definitione vſuræ conſtat, iuxta quam dicitur lucrum ex mutuo. Hoc autem quod in caſu prædicto euenit, ſimiliter in eo, de quo agimus, inuenitur. Cùm enim homines pecuniâ opus habeant, nec mutuam inueniant, modo prædicto ſe obligant, alieni prorſus in cogitatione ſuâ à pinnarum traditione; ſicut & pecuniam tribuentes, qui probè ſciunt quid ſit euen-

Digitized by Google

euenturum; vnde vſurarij deprehendantur: ab eo namque, quod veroſimiliter euenturum creditur, vſuræ qualitas innoteſcit: vnde ſi quis tradat mutuò certas menſuras tritici, accepturus tot alias tempore quo plus creditur valituras, ſi ita recipiat, vſuram committit, vt docet P. Leſſius *ſuprà num.* 152. & cum conditionibus ab eodem explicatis non videtur poſſe negari, licet ſint aliqui generaliter aſſerentes, in mutuo ſemper poſſe exigi eamdem menſuram, ſeu idem pondus rerum: intelligendi enim ſunt cùm is, qui mutuò dedit, rem non erat leuaturus, aut incertum erat pretium futurum tempore ſolutionis, & mutuatarium ad non ſoluendum ante certum tempus obligauit.

Fit ſatis adductis pro contraria poſitione.

16 Quæ autem pro aduerſâ parte ſunt adducta, non vrgent: loquimur enim de contractu iuxta ea, quæ ſecundùm ſe dicit, alia autem, aut nimiùm probant, aut mutuo etiam poſſunt conuenire. Prima enim ratio eſt ob lucrum ceſſans, & tertia ob periculum amittendi pretium: quæ quidem accidentaria ſunt, & in mutuo poſſunt reperiri, iuxta ſententiam communem; ſecunda autem ex eo, quòd res præſens multas habeat opportunitates, quas non habet futura; probat ex mutuo lucrum poſſe accreſcere, quia pecunia præſens ſimiliter plures habet opportunitates: ergo qui eâ ſe ſe alienat, dum mutuam tradit, aliquid propterea lucrari poteſt. Quod conſtat quàm ſit à Catholicâ doctrinâ alienum, iuxta quam vſuræ non licent; licerent autem ſi ob carentiam pecuniæ fas eſſet lucrum reportare. Pro quo videndus Cardinalis Lugo *Diſput.* 25. *de Iuſtitia num.* 17. qui ſententiam quorumdam vti falſiſſimam reiicit, dicentium pro obligatione non repetendi mutuum poſſe aliquid vltra ſortem accipi, quod amplexus eſt Caramuel *in Theologia morali num.* 799. *& ſequenti.* Quod ſi non amplexus ex integro, ſatis amplectendi animum indicauit; dum adeò veroſimile conatur oſtendere, & ad rationem oppoſitam, deſumptam ex proprio mutui conceptu, ſolutionem eſt ſuo iudicio ſufficientem meditatus. Sed ſit hoc vtcumque probabile, vt nonnullis videtur apud Caramuelem; in noſtro certè caſu non videtur habere locum: quia in eo non paciſcitur iuxta illud, vt ſcilicet tradens anticipatè pecuniam, ex eo lucrum velit; quia ſe obligat ad non repetendam vſque ad certum tempus, quod quidem deberet in pactum deduci; ſed alio diuerſo modo contractum emptionis præſeferente.

Ob carentiam pecuniæ nil poſſe accipi, vbi notata Caramuelis ſententia.

Obiectioni fit ſatis.

17 Si dicas: ergo rationes adductę non ſunt efficaces ad probandum licitum eſſe minoris emere anticipatâ ſolutione, quandoquidem duæ ex illis etiam mutuo communes ſunt, & alia multùm probat, ac propterea nihil: reſponderi poteſt nobis non incumbere omnes Auctorum rationes pro reſolutionibus probabilibus defendere, cùm non ſemel plures earum inefficaces reperiantur, & pro opinione dicta aliæ profectò ſunt ſatis genuinæ: vt meritò propter illas, accedente grauium ſcriptorum auctoritate, debeat valde probabilis iudicari. In caſu autem noſtro illæ non habent locum, vt videri poteſt apud P. Leſſium in tertiâ, & quintâ ratione, quarum prior ex eo deſumitur, quòd ſicut modus vendendi creditò, inducit multitudinem emptorum, & ita facit pretium creſcere; ita è contrario modus vendendi ſolutione anticipatâ facit pretium decreſcere, quia pauci ſunt, qui hoc modo emant, & plurimi qui vendant. Secundo: quia ſi res ſolùm vendi poſſent pretio currenti, res tempore traditionis minùs valerent ratione copiæ. Et quia venditores paſſim merces ingerunt, præſertim ſi terræ fructus ſint, ob vitandos ſumptus in illis colligendis, & conſeruandis, & ob neceſſitatem pecuniæ ad ſoluenda debita, quæ tunc inſtant ob expenſas circa eoſdem. Quæ quidem pro caſu præſenti non militare omnino perſpicuum eſt.

Validiores rationes pro contractu anticipata ſolutionis.

Diſcuſſa obiectio.

18 Si dicas: ex hoc ſequi neque rationem à nobis adductam pro caſu priori, quando cum Minerariis contrahitur, eſſe legitimam; quia ex eo quod eſt valde accidentarium contractui, deſumitur; ſcilicet ex periculo amittendi pretium. Reſpondeo abſolutè loquendo ita quidem eſſe, ſed quia periculum tale ita certum eſt, vt raro abſit, iuxta illud rectè poſſe argumentum procedere, vbi non de metaphyſicis rationibus agimus, & à circumſtantiis penitus abſtractis, ſed ſecundùm circumſtantias ſemper moraliter adhærentes. Ne autem ex eo ſolùm probare videamur; addi poteſt etiam ratio iam inſinuata: nam vendentes pinnas ſolutione anticipatâ, emptores rogãt, eò quòd pecuniâ indigeant ad expenſas in metallis elaborandis multiplices, & ita cùm vltroneæ merces ſint, vileſcunt; iuxta tritum axioma, & addunt multi *pro tertia parte.*

Notanda ratio pro Aſſertione.

An oppoſita ſit probabilis.

19 Iuxta hæc ergo; non videtur contractus dictus admittendus; an autem probabile ſit illum eſſe licitum, erunt fortè qui cenſeant, & ita vidi ab aliquibus affirmari, qui tamen rem ſeriò, maturè, & per otium non videntur expendiſſe. Nec fauet pro aſſerendâ probabilitate Caramuel *num.* 746. qui cum aliis cenſet licitum eſſe tradere pecuniam ſoluendam tempore meſſis in tritico, pretio eiuſdem aſſignato, quod non debet eſſe currens meſſis tempore. Ille enim de emente agit ab eo, qui eſt ruſticus, & ita qui triticum creditur habiturus. Quod autem addit *num. ſequenti.* obligationem ſcilicet non exigendi pecuniam vſque ad meſſis tempus eſſe pretio æſtimabilem; non eſt abſolutè admittendum, quando mutuum eſt datum vſque ad tempus illud; quia de ratione mutui eſt vt nequeat repeti ante tempus, pro quo datur, iuxta dicta *num.* 15. *&* 16. Eſt enim liberalis quædam donatio pro illo tempore, & in eo ab omnibus aliis contractibus diſtinguitur, qui onerosi ſunt. Sicut autem pro donatione nihil exigi poteſt per modum pretij, ita neque pro mutuo; eſt enim contractus, quem humanæ naturæ ſincerum dictamen inuenit, vt homines ſibi benefaciant nihil amittendo, ſed quod illis non eſt opus pro tempore aliquo tribuendo, recepturi poſt tempus aſſignatum; & ita beneuolentiam generaliter habituri. Quâ explicatione corruit, quidquid à Caramuele, & aliis, ac præcipuè à P. Leſſio *Cap.* 20. *citato, dubit.* 14. iuxta eorum, & non propriam mentem, adducitur aut adduci poteſt. Pro quo etiam videndus Cardinalis Lugo *Diſputat.* 25. *Sect.* 3. vbi ingenioſè ſuo more philoſophatur. Neque Caramuel contrarium aſſeruit *citato loco*; locutus enim de obligatione non repetendi, etiamſi indigeat: quo euentu verum eſt

Pro obligatione non repetendi pecuniam vſque ad certum tempus nihil exigi poſſe. Vbi notanda ratio cur pro mutuo nil poſſit accipi.

Digitized by Google

eſt ratione damni emergentis aut lucri ceſſantis. Nec de pinnis plura modò occurrunt, quæ autem de illis dicta ſunt, ad argenti glebas extendendum, quæ in quauis aliâ formâ, ante quintationem circumferri inter Mercatores ſolent, & ad aurum ſimiliter, ſiue in glebis, ſiue in puluere, vt dicitur, circa quæ tamen quæri vlterius poteſt, & ſit pro eo

Difficultas circa obligationem Legum, quæ perfectionem auri, & argenti præſcribunt, in quibus contractari licet.

Quid per leges circa valorē auri & argēti ſtatutum ſit, vt vſui poſſint adhiberi.

20 PEr leges regni ſtatutum eſt vt aurum trium tantùm legum, vt vulgò dicitur, eſſe poſſit, viginti ſcilicet, & quatuor graduum, quos Characta dicimus, ſeu *qualitates*, & eſt omnium perfectiſſimum; vel viginti duorum, vel ſaltem viginti. Quod ſi aurifices alio vſi fuerint infra gradus prædictos, pœna amiſſionis eiſdem imponitur in Pragmaticâ Regum Catholicorum *die* 25. *Iulij anni* 1499. *cap*. 3. *quæ eſt lex* 4. *Lib*. 5. *Titulo* 24. compilationis. Pro argento autem eſt lex eorumdem 12. *Aprilis anni* 1488. *&* 1. *ac* 2. *in citato libro & Titulo*, & aliæ quæ habentur *toto Titulo* 22. vbi ſtatuitur debere illud habere vndecim nummos, vulgo *dineros* & quatuor grana, nec poſſe aliud ab Argentarijs ad opera adhiberi, vnde nec Regia Marcha ſignari. Nummus autem, ſeu denarius, vt alij vocent, non ſignificat monetam aliquam, ſed gradum perfectionis argenti, iuxta minutiſſimas diuiſiones, vſque ad grana, quæ iuxta pondus grani triticei ſolitæ regulari: quamuis per legem 3. *citato Titul*. 22. conficiendorum granorum noua forma præbeatur. De quâ exactiſſimâ diuiſione agit ex profeſſo Michaël de Roxas in libello, quem inſcribit. *Iardin de en ſayadores*, & ante illum Matienzus ad citatas leges poſt Couarruuiam exactiſſimum, & eruditiſſimum tractatorem, cuius ille ſe labore profeciſſe ingenuè profitetur. Qui in *Gloſſa* 1. *Circa legem* 4. *citatam Titul*. 24. *num*. 8. obſeruat circa auri æſtimationem, & argenti diuerſam in Indiis haberi rationem ab eâ, quam leges generaliter præſcribunt, ſed certè quoad communem Marchæ æſtimationem vix eſt in quo diſcrimen videatur: *num. etiam* 7. aduertit Marchum, ſeu Marcham argenti non ſignatum Regiâ Marchâ minoris æſtimari pro quinta parte, quæ ſcilicet Regi debetur. Cùm ergo leges ita circa auri, & argenti æſtimationem ſtatuant, videndum qualis ex illis conſcientiæ obligatio ſuboriatur. Circa quod

Aſſertio 1. *peccare grauiter artifices fraude vtentes circa illum.*

21 Dico primò: ſi aurifices, & argentarij auro, & argento viliori vtantur, quàm ſit per leges permiſſum, & illud vti legitimum vendant juxta gradus deſignatos, peccant mortaliter cum obligatione reſtitutionis. Id quod omnino apparet manifeſtum; quia rem vilem pro pretioſa vendunt in quo eſt fraus cum iniuſtitia coniuncta.

Aſſertio 2. *ratione præciſè legum, non eſſe graue peccatum.*

Dico ſecundò: ob præciſam violationem legis non videtur eſſe in caſu dicto mortale peccatum. Probatur: primò ex communi doctrinâ de lege ciuili pœnali non obligante in conſcientiâ. Tales autem leges pœnales ſunt, vt ex eorum tenore conſtat. Si dicas magnum ex eo detrimentum Reipublicæ ſequi, dum aurum vile pro pretioſo obtruditur, & ſimiliter argentum. Contra hoc eſt, quia non eſt verum prædicta obtrudi, quandoquidem iuſto pretio venduntur. Deinde aurum, & argentum ignobiliora non fruſtrà natura produxit, vt debeant tamquam viliſſima alia tractari, aut penitus abiici. Cùm ergo ſeruire debeant humanis vſibus, in illis ſi iuſtè omnia fiant nullum eſt Reipublicæ detrimentum. Et hæc ſit ratio ſecunda.

Aſſertio 3. *idem ſtatuens circa valorem in non ſignatis Regiâ Marchâ.*

22 Dico tertiò: valor legibus deſignatus non obligat in conſcientiâ in auro & argento Regiâ Marchâ non ſignato. Probatur: quia leges de illâ non loquuntur, vt conſtat, quandoquidem illud prohibent in ordine ad contractationem.

Aſſertio 4. *non ſignata minoris non eſſe valoris pro quinta parte.*

Dico quartò: Aurum, & argentum non ſignatum Regiâ marchâ non habent minorem valorem ſignatis pro quintâ parte vt ex Matienzo poſitum *num*. 20. Ratio eſt; quia quandoquidem leges de illis non loquuntur, æſtimatio ſumenda eſt ex vtilitate, quam illa pro humanis poſſunt vſibus exhibere: deficiente enim legitimo pretio, ſuccedit naturale, juxta omnium ſcribentium doctrinam. Nec dici poteſt per legem haberi, ex eo quòd auro & argento ſignatis per leges eſt valor aſſignatus, & ita conſequenter non ſignatis, ex quibus quinta pars debetur Regi, vnde non debet cum alijs æſtimari: nam licet debeatur Regi, qui ita contrahunt, exiſtimant in conſcientiâ non deberi, & illis non minoris commoditatis eſt id, quod ſignatum non eſt, quàm id, quod ſignatum, immò & frequenter maioris, vt annorum proximorum experientia comprobauit. Prætereà: non eſt verum etiamſi quinta pars detrahenda ſit, valorem eſſe, qui reſpondeat quatuor ex legis taxatione: quandoquidem lex circa hoc non determinat, & ſecundùm temporum contingentias poteſt humanis vſibus plus aut minus deſeruire. Vnde cùm valor pinnarum proximis annis vſque ad ſexaginta ferè regales excreuerit, modò quadraginta, & octo venduntur; multò certè maioris quàm ſi quintæ tollatur partis valor; Marchus enim argenti ſignati ſexaginta ſex regalibus, & ſex marapetinis æſtimatur; iuxta eumdem Matienzum; vnde detractâ quintâ parte valor deberet eſſe quadraginta trium regalium, & non nihil amplius, quamuis ſecundùm nouiores ordinationes Marchus tantùm habeat ſexaginta quinque regales, vt videri poteſt apud D. Eſcalonam *ſecunda parte Gazophylacij pag*. 129. *num*. 2. Non eſt autem credibile Reges noſtros ita voluiſſe argenti non ſignati valorem conſtituere, vt contra communem æſtimationem adeò inferior remaneret: non eſt ergo fixus & ſtabilis, vt ne fas ſit à puncto illius fixo declinare. Et hæc pro contractu pinnarum, iam pro aliis ſit

Marchi ſignati quis valor.

CAPVT

CAPVT IV.

De Contractu argenti ſignati Regiâ Marchâ, vulgo de Barras.

23 Circa Barras Regiâ eſt ordinatione diſpoſitum; vt mille argenti pondera non excedant, vel quod centum & viginti Marchos tantùm habeant, & quod iuxta hanc menſuram Regia iura in tranſuectione ſoluantur: vnde circa hoc reſoluenda occurrit

DIFFICVLTAS I.

An ſit graue peccatum Barras maioris ponderis efficere, quàm Regiâ ſit ordinatione diſpoſitum.

Aſſertio 1. affirmans, quando eſt notabilis exceſſus.

Dico primò. Regij Officiales qui effectioni Barrarum adſtant, grauiter peccant, ſi Barras effici ſinant ponderis notabiliter excedentis, & cum reſtitutionis obligatione. Probatur; quia ſuo officio deſunt in re magni momenti iuxta Regiam æſtimationem. Sic enim pro Barrâ excedentis ponderis eadem Regi iura ſoluuntur quæ pro habente pondus lege diſpoſitum: vnde Regia defraudantur iura, & ita Officiales fidei datæ deſunt in contractu, quem ineunt cùm ad officium admittuntur, curandi ſcilicet Regias vtilitates, vt Rex eorum infidelitate nihil minùs habeat, quàm quod ipſi ſoluendum legibus ordinatur. Quod quidem iuxta communem doctrinam eſt, de quâ ſæpiùs.

Aſſertio 2. negans, etiam non talis, nec frequenter.

24 Dico ſecundò: ſi Barrarum pondus aliquantulum excedat, idque non ſemper, ſed ſemel, aut iterùm fiat, non videtur in eo graue peccatum eſſe. Ratio eſt; quia in eo videtur ratio legis ceſſare, ne ſcilicet iura Regia in tranſuectione fraudentur, in maiori enim illo exceſſu parum eſt, in quo defraudatio eſſe queat, vnde non eſt veroſimile Regis voluntatem eſſe ad obſeruantiam ita rigidam obligare; ſi fortè etiam poteſt, de quo ob materiæ leuitatem meritò poſſit dubitari. Quando autem id eſſet frequens, alia eſt ratio, quia ſic ex multiplicatione Barrarum notabilis eſſe poteſt Regiorum iurium defraudatio.

Aſſertio 3. qui Barras fieri curant vt peccent.

25 Dico tertiò. Qui Barras ſibi fieri curat cum notabili exceſſu, eatenus peccare poteſt, quatenus Officiales Regios ad peccandum inducit. Quòd ſi illis non conniuentibus, tale aliquid fiat, non videtur in eo graue eſſe peccatum, quia ſolutio Regalium iurium pro tranſgreſſione incertum eſt an in conſcientiâ obliget, & vt obligatio aliqua ſit, ea non eſt lege iſtâ, de quâ loquimur, impoſita, ſed aliâ; contra quam tantùm itur, quando cum effectu iura negantur: & contingere etiam poteſt, vt Barra numquàm tranſuehatur, ſed vel ad monetam ſeruiat, vel aliis vſibus applicetur.

Aſſertio 4.

Dico quartò. Aliquando ſine vllo ſcrupulo Barræ exceſſiui ponderis tranſuehi poſſunt ſolutione communi habentium pondus lege præſcriptum. Probatur; quia multoties Barræ minoris ponderis tranſuehuntur, & tamen eadem iura pro illis ſoluere compelluntur tranſuehentes, ac ſi ponderis præſcripti eſſent. Propter quod Conſulatus Limanus apud Regem de hac eſt iniuriâ conqueſtus, & ad Proregem reſcriptum, vt circa hoc opportunè prouideret. Cùm ergo iuſta circa hoc compenſatio eſſe queat, non ſunt ita facientes violatæ iuſtitiæ vllatenus arguendi.

DIFFICVLTAS II.

Contractatio Barrarum quomodo eſſe licita poſſit, quandoquidem per legem determinatum valorem habent.

Barrarum valorem non poſſe variari, quæ videtur oſtendere.

26 Videtur equidem non licere, ita vt valor varietur, & vendi, ac emi more aliarum mercium. Ideò enim moneta vendi maiori aut minori pretio nequit, quia illum habet lege præſcriptum ſicut & alia, quorum valor proptereà dicitur conſiſtere in indiuiſibili, ad diſtinctionem valoris naturalis, ſeu vulgaris, qui latitudinem habet iuxta receptiſſimam doctrinam. Accedit Barras cenſeri monetas, cùm ſint argentum Regio ſignaculo conſignatum cum valoris determinatione: nihil enim aliud videtur ad rationem monetæ neceſſarium, licèt non ita vſualis ac aliæ; deſeruit tamen ad contractus ampliores, vnde & monetam eſſe plures cenſent. Nihilominùs

Aſſertio 2. contrariũ ſtatuens, & licitum eſſe contractũ.

Dico primò. Licita eſt contractatio Barrarum pretio intra latitudinem iuſti variato: ſic eſt vſu receptum, & non ſolùm vulgari opinione, ſed doctorum, ac piorum aſſenſu, & vſu comprobatum. Pro quo præſertim Heuia *in labyrintho Cap. 6. num. 7.* Probari poteſt primò ex ipſo vſu; qui cùm eorum eſt, qui in arte ſint periti, & à doctis, & piis approbatur, nihil eſt vlteriùs dubitandum. Deinde: res pretio æſtimabiles, prout magis, & minus ſunt humanis vſibus vtiles, poſſunt habere pretij varietatem; atqui hoc in Barris contingir, vt experientiâ conſtat, & modò à 42. vſque ad 35. valor earum eſt imminutus, eò quòd immenſa quantitas vitiatæ monetæ in Barras redacta ſit, ſic metallo à cupri ſuperfluitatibus expurgato; ergo licita eſt in illis contractatio.

Nec obſtare determinationem valoris per legem.

27 Neque obeſt valorem habere determinatum per legem: nam id non tollit quò minùs per cambium permutari poſſit pretio variato: hoc enim & in monetâ accidit, cuius pretium maximè omnium determinatum eſt; & nihilominùs per cambium permutari poteſt variato valore; quia vnum genus monetæ alio eſſe vtilius poteſt; & ita communiter admittunt Doctores, & videri pro eo poteſt ſpecialiter P. Leſſius *Lib. 2. Cap. 23. Dubit. 12.* Cardinalis Lugo *Tomo 2. de Iuſtitiâ, Diſp. 28. num. 8.* vbi ait omnes Doctores Theologos, & Iuriſtas eiuſmodi lucrum approbare. Indiuiſibilitas ergo valoris legalis non tollit varietatem ratione maioris, aut minoris vtilitatis, quam lex non attendit, niſi in ordine ad aliquos effectus. Sic ergo cùm quis monetam cudere vult, Barræ debent ſecundùm valorem legalem admitti, & cùm Rex ſoluit ſimiliter, qui ſalaria non in pecuniâ,

Digitized by Google

Vnde pretij indiuiſibilitas deſumatur.

nia, ſed in paſta, vt dicitur, ſoluit Officialibus maioribus; & quidem totum hoc pretij negotium qualiter debeat accipi vſus declarat, iuxta quem deprehendi facilè poteſt, vbi indiuiſibile ſit, vbi latitudinem habeat, non obſtante indiuiſibilitate.

Barras non eſſe monetam.

28 Non eſt autem certum id, quod initio difficultatis dicebatur, Barras ſcilicet eſſe monetam: id enim plures negant; ex quibus D. Eſcalona *pag.* 127. *num.* 2. & probari quidem poteſt: quia Regium ſignaculum non adiicitur vti monetæ, ſed vt conſtet habere legem valoris, aut valorem legis, & quintam partem eſſe Regi ſolutam. Sic enim & argenteis vaſis, aut aureis ſolet apponi, quando accidit illa quintari, vti annis præcedentibus eſt ordinatum, licet id generaliter non potuerit executioni mandari. Cùm ergo ex Regio ſignaculo videatur tantùm aſſumi aſſertionis prædictæ fundamentum, videtur ſanè leuiſſimum: ex materiâ enim ineptè arguitur quandoquidem argentum, licet materia accommodata monetæ ſit, ex ſe tamen ad illud eſt prorſus indifferens: ſicut plumbum, & cuprum, ex quibus etiam moneta fieri poteſt. Accedit, valde improportionatam molem videri, vt moneta eſſe poſſit, idque ſine exemplo: vnde vt moneta deberet credi, oportuiſſet id omnino apertè declarari; cùm tamen oppoſitum videamus.

Non ſatisfieri ſi ſolutio in iis fiat.

29 Dicò ſecundò. Siue Barræ dicendæ ſint monetæ, ſiue non, qui debet, non ſatisfacit in foro conſcientiæ Barras tribuendo, ſi creditor illis non ſit contentus. Conſtat quia ſolutio talis eſſe debet, vt conſtituat æqualitatem, cùm ſit actus iuſtitiæ commutatiuæ: atqui ſtare poteſt, vt non ſit æqualitas Barras pro ſolutione tribuendo, quia poſſunt illæ minoris eſſe pretij, & minùs vtiles notabiliter creditori, quàm pecunia; ergo non ſit ſatis per eas obligationi ſolutionis; & hoc licet moneta ſint, quia debitor debet ſoluere in monetâ, quæ licet non ſit eiuſdem ſpeciei, habeat tamē eumdē valorem fixum in ordine ad vtentiū cōmoditates: vnde ſolutio magnę quantitatis nequit apud multas regiones fieri in pecuniâ æreâ, propter incommoditatem accipientis, quod in Italia ita ſeruari affirmat Bonacina *Diſp.* 3. *de ContraEtibus, q.* 2. *Puncto* 1. *n.* 2. & in Luſitaniâ certa tātùm pars admittitur, vt ibidem lege diſpoſitū, de quo P. Rebellus. *Parte* 2. *Lib.* 11. *Quæſt.* 2. *n.* 7. Sed quidquid de æreâ monetâ ſit, propter legem Hiſpaniæ quæ ſolutionem fieri poſſe ait in quacumque moneta, etiamſi aurea, vel argentea non ſit, dummodo ſit in Regno vſualis, vt videri poteſt. *L.* 6. *Tit.* 14. *Lib.* 6. *Compilat.* Omnes tamen ſupponunt, aut potiùs aduertunt pecuniam debere eſſe eiuſdem valoris, ita vt Creditor tantumdem accipiat, in minuta moneta, ac in alia metalli pretioſioris, ita vt circa hoc nullus dubitet, nec poſſit dubitare. Videndus Azeuedus ad dictam legem, & Matienzus, qui cum plurimis, quos adducit, generaliter loquitur, cùm vtiliori monetâ ſoluitur, quod fieri poſſe ſtatuit *L.* 9. *Tit.* 11. *Libri* 5. ad quam ille. *Gloſſa* 4. *num.* 8. *&* 9. illa enim ſemper limitatio addenda: *Modò valor non minuatur.* Cùm ergo Barra minoris valoris ſit, quando ſit ſolutio, eadem de illâ eſt ratio, ac de moneta minutiore. Vbi non obſtat quod de pretio legali dici poteſt, quandoquidem valor alius, qui præcipuè attenditur in ordine ad contractationem Barrarum valde imminutus eſt. Quòd autem hoc ita ſit, ex eo redditur manifeſtum; quia Rex ipſe per Officiales ſuos vendere Barras ſolet maiori pretio, quàm ſit legale, eò quòd illud valde ſoleat accreſcere inter Mercatores, vt annis proximioribus occaſione abrogandæ monetæ, quia generaliter vitiata, omnes conati ſunt, vt abolitionis edictum eos minimè pecunioſos inueniret, & ita Barras emere certatim ambierunt; quæ tamen occaſione aliâ non multò poſt ad prædictum 35. à 50. ſunt redactæ.

Non in qualibet moneta fieri illam poſſe.

Quid in Hiſpaniâ.

In quacumque euentu monetam æqualis valoris eſſe debere.

Circa Barrarum valorem peculiaris diſpoſitio.

30 Quia verò hæc tanta pretij diminutio præiudicialis poterat eſſe commercio, & non admittentibus creditoribus, grauia inde debitoribus incommoda reſultare, dum ad ſolutionem adiguntur: edicto publico cautum eſt, vt ſolutiones fieri in illis poſſent, ſed cum aliquâ diſtinctione; nam Barræ ex puro argento & numquam ſignato vt moneta eſſet vſualis, factæ; valorem lege taxatum retinere debent, quadraginta ſcilicet duorum argenteorum ponderum, quæ dicuntur, *Enſayados.* Aliæ vero ex argento ſignato, ſed non vitiato factæ, quadraginta tantùm: & huius edicti vis hucuſque perſeuerat, iuxta quod poteſt debitor creditorem compellere vt ſolutionem admittat, ſicut reipſa multi compelluntur. Mercatores autem hoc modo ſolutionis vti generaliter renuunt, quia id ſibi minùs honorificum reputant, eò quòd creditum videatur vacillare.

Edictum, iuxta quod creditores coguntur admittere Barras, an ſit iuſtum.

31 Vbi quæri poteſt an edictum tale conſcientias ſoluentium ſecuras reddat, quandoquidem adeò grauia detrimenta creditores patiantur? Et ſimile quid extat inquirendum, etiam Edicto huiuſmodi ſublato: quoad pretium legale: eam ſi quis ſoluat iuxta illud, creditor admittere cogitur, quia & Rex ipſe iuxta pretium tale ſolutiones admittit, vnde non videtur in eo diſcrimen poſſe conuenienter conſtitui, & iuſtitiam Edicti talis veroſimilem reddit, quod habet P. Rebellus *ſuprà*, vbi adducens ordinationem Luſitanam, iuxta quam in quacumque monetâ ſatisfieri poſſe debito monetæ præſtantioris deciditur, & teneri creditorem ad acceptandum; etſi ſpecialis pactio de ſoluendo in ſpecie certæ monetæ præceſſerit; eam defendit contra Pinellum, qui iniuſtam dixit; quia iacturâ illa, quam creditor ſubire cogitur, ex fine boni publici poteſt honeſtari, & congruentiam ibidem pro eodem adducit, addens *num.* 8. extra Luſitaniam idem poſſe probabiliter defendi propter ſimilem receptam conſuetudinem, vt teſtatur Gloſſa *in l. ſi quis argentum C. de donationibus.* Cùm conſuetudo vim legis obtineat; ipſe autem oppoſitum probabilius cenſet, vbi ſimilis lex non fuerit, & ita non obligari creditorem in foro conſcientiæ ad acceptandam alterius materiæ pecuniam, quando de certa materia conuentio præceſſit, vt Pinellus, & Couarruuias cum pleriſque aliis aſſerunt, dicentibus conſuetudinem illam vbique gentium ſeruari ſolitam, non obtinere vim legis, quia ex vrbanitate tantùm & benignitate creditorum profecta: quæ in dubio pari non debet extendi vt obligationem in foro conſcientiæ inducat, cùm ſit ſtricti iuris quoad interpretationem, vt eſt Doctorum communis ſententia. Iuxta hæc ergo: edictum, de quo loquimur, iuſtificatum videtur, ſaltem probabiliter, vnde qui ſoluunt, probabiliter

Pro eo adducitur ſententia P. Rebelli circa monetam.

Qui probabilius cum aliis contrariā cenſet.

Digitized by Google

ter etiam poterant manere in conſcientiâ ſecuri. Circa quod

Aſſertio 3. Edictum ad Conſcientiæ forum etiã ſpectare, vt probabile confirmatur.

32 Dico tertiò. Probabile videtur Edictum prædictum ad conſcientiæ forum etiam ſpectare, ita vt ſoluens ſecurus in conſcientiâ maneat. Probatur ex dictis nuper, & prætereà, quia prodiit à legitimâ poteſtate, & intuitu boni publici: quod quidem ſi ad conſcientiæ exonerationem non prodeſſet, parum profectò vtile videretur, immo nociuum potiùs eſſet, cùm ex eo conſcientiæ manerent nodis inextricabilibus implicatæ. Accedit, ſecluſo edicto poſſe creditores cogi ad acceptandam ſolutionem iuxta valorem legalem, vt Mercatores, qui iudices in conſulatu fuerunt, vti certum admittunt; quod & in ſolutionibus, quæ Regi fiunt, vidimus etiam obſeruari. Quoad Barras autem inferioris materiæ valorem aliquãtulum immutatum, rationi videtur conforme, & ita etiam iuxta illum admittendas conſequenter potuit imperari. Vt autem tam lex, quàm edictum æquitati conſonum vlteriùs oſtendi poſſit, eſt ratio; quòd ſcilicet non videtur in eo notabilis eſſe iactura: nam ſicut creditor compellitur ad acceptandam ſolutionem, ita & ille compellere ſuum creditorem poteſt, vt ſimiliter acceptet. Quod ſi creditorem non habet, poteſt Barras ſeruare, & expectare tempus, in quo valor illarum augeatur: hoc enim frequenter euenit, vt ex adductis conſtat. Solùm videtur eſſe inconueniens in multis piis operibus, quæ hoc pacto videntur deteriorari: ſunt enim pro illis cenſus inſtituti, qui ſi oblatis Barris, quando illæ inferioris pretij vulgaris ſunt, redimantur, redditus ceſſant, quia non ſunt, qui Barras etiam viliori pretio velint; vel ſi volentes ſint, in eo contractu nimiumquantùm deperditur. Quòd ſi in tempus, in quo plus valituræ ſperantur, reſeruentur, toto eo ſpatio, aut Miſſæ, aut Orphanorum ſubſidia, aut Monialium alimenta; aut eleemoſynæ, duram ſatis ceſſationem habebunt. Sed hæc non videntur vrgere, quia cenſus talibus ſunt euentibus obnoxij; cùm enim redimuntur, non eſt facile ſecurum cenſuarium inuenire, & ita opera pia interdum ceſſant, & frequentes deteriorantur per cenſuariorum mutationes: quæ iacturæ compenſantur nouorum piorum operum adiectione; cùm enim quotidianæ ſint hominum mortes, multa etiam bona opera quotidiè inſtituuntur. Sed occaſione dictorum inſurgit.

Inconueniens obiectum.

Cui ſit ſtati

DIFFICVLTAS III.

Contractatio Barrarum quatenus Eccleſiaſticis prohibita videatur. Vbi caſus ſpeciales.

Abſolutè Eccleſiaſticis eſſe prohibitã, cum generalibus limitationibus.

33 NOn dubium contractationem Barrarum Eccleſiaſticis eſſe prohibitam, ſicut & rerum aliarum, quæ negotiationis nomine in Iure comprehenduntur, & iuxta Doctorum receptas explicationes debent practicari: adhibitis etiam limitationibus, quas docti aliqui ſubiiciunt, de negotiatione per alios, non frequenti, ex vrgenti neceſſitate, & ſi quæ ſunt aliæ de quibus videri poteſt. P. Rebellus *Parte 2. lib. 9. Quæſt. vltima Sect. 2.* P. Comitolus *Tomo 1. Lib. 1. Quæſt.* 53. P. Leſſius *Lib. 2. Cap. 21 num. 6.* P. Filliucius *Tract. 35. Cap. 1.* Cardinalis Lugo *Diſp. 26. de Iuſtitia Sect. 3.* P. Fagundez *Lib. 5. De Iuſtitia. Cap. 12. num. 1.* P. Dicaſtillus *Lib. 2. Tract. 9. Diſp. 1. n. 245.* Diana *Parte 1. Tract. 8. Reſolut. 72. & 73. & Parte 4. Tract. 1. Reſolut. 28. & Parte 5. Tract. 1. Reſolut. 27. & Parte 7. Tract. 10. Reſolut. 21. & Parte 9. Tract. 7. Reſolut. 69.* P. Molina *Diſput. 342.* Bonacina *Diſput. 3. de Contractibus, Quæſt. 1. Puncto 5. num. 18. & ſeqq.* P. Gaſpar Hurtadus, *Diſp. 2. de Contractibus, Difficul. 17.* & alij de contractibus agentes. Et id quod ex ſe videbatur omnino compertum, ſpecialiter declarandum iudicarunt Prælati docti, qui in Ciuitate Argentinâ ad Concilium Prouinciale conuenerunt, cuius tunc erat Archiepiſcopus Illuſtriſſ. Dom. D. Ferdinandus Arias de Vgarte, pietate inſignis, & rerum experientiâ ſingularis, vt de eius vitâ liber vulgatus atteſtatur.

Et in Concilio Prouinciali Argentino ſi declaratum.

An emi poſſint vt ſoluatur in ipſis, commodo notabili.

Hac ergo veritate conſtanti, in Controuerſiam vocatum fuit, an Eccleſiaſtici emere Barras poſſint, non vt vendant, ſed vt ſoluant; quod poteſt dupliciter contingere: Primò, emendo pretio inferiori, animo quidem non vendendi, ſed ſeruandi in tempus aucti valoris, & tunc eis vtiliter vtendi, ſine venditione tamen, ſoluendo inquam debita, vel emendo aliquid, quandoquidem, & pretium eſſe poſſunt. Secundò emendo vt emptis ſtatim quis ſoluat; aut aliquantò poſt, etiamſi pretium earum non accreſcat, obligando creditorem vt ſolutionem accipiat iuxta pretium legale, ex quo commodum non leue conſequetur. Et pro vtraque parte ratio aliqua ſtatim occurrit, vt liceat quidem, quia in hoc non eſt negotiatio ſacris canonibus prohibita, de quâ præſertim *Gelaſius in Cap. Conſequens* 88. *diſt.* verbis illis: *Clericus ab indignis quæſtibus abſtinendum, & ab omni cuiuſlibet negotiationis ingenio ceſſandum.* &c. Eſt autem negotiatio emptio rei, vt cum lucro immutata vendatur: vt videri poteſt apud citatos; ante illos autem ſic tradidit D. Thomas 2. 2. *quæſt. 77. art. 4. ad 1. & 2.* & in hoc vltimo ſic loquitur. *Non quicumque cariùs vendit aliquid, quàm emerit, negotiatur; ſed ſolùm qui ad hoc emit: vt cariùs vendat.* Sic ille: cùm ergo in caſu noſtro, licet quis Barras emerit, non ea vendat, ſed eis ſoluat, aut emat, non videtur contra prohibitionem facere, vt colligitur ex D. Thoma nuper adducto *ad Tertium*, vbi de Eccleſiaſticis loquens, eam illis negotiationem prohibitam docet, quæ ab ipſo fuerat explicata, & non alia. Quibus additur: Barras eſſe monetam ſecundùm multorum exiſtimationem, in qua videtur eſſe Caramuel *num.* 814. & faciunt etiam quæ habet Cardin. Lugo *in Reſponſis moral. Lib. 6. Dub. 11. num. 6.* & ita cùm per eam ſolutio fit, aut aliquid emitur cum aliquâ vtilitate, meliùs apparet in eo venditionem non exerceri. Cumque aliàs Canones prædicti pœnales ſint, non debent vltra proprietatem verborum extendi: iuxta vulgatam iuris regulam, quòd pœnæ ſeu odia reſtringenda ſint, fauores ampliandi, quæ & eſt Scriptorum communis doctrina vnde etiamſi eadem ſit ratio, vel etiam maior, non extenditur diſpoſitio. Pro quo plura adducit exempla Diana *Parte 2. Tract. 3. Miſcellaneo. Reſolut. 66.* & eſt ſatis notabilis reſolutio cõplurium apud ipſum circa præcipuam difficultatem, de quâ *ibidem* agit, Videndus etiam Marius

Pro affirmante parte arguitur.

Cap. Conſequens.

Quid negotiatio.

D. Thomas.

Pœnas non extendi, etiamſi maior ratio ſit. Sicut & odia.

Digitized by Google

rius Antoninus *Lib.*1. *variarum, Reſolut.*69. *num.* 2. & *Lib.*3. *Reſolut.* 9. *num.* 4. vbi caſui, de quo ibidem aptatur *Lib.*4. §. *Totus. D. de damno in feſto:* quod *vbi verba non conueniunt, nec conuenit diſpoſitio.*

Pro contraria arguitur.

34 Vt verò licitum non ſit, occurrit ſtatim ipſa ſpecies casûs, quæ negotiationem præſeferre manifeſtè videtur; emitur enim, & non emptione pro neceſſariis vitæ, ſed pro habendo lucro, in quo maximè conſiſtit negotiatio. Quod oſtenditur ex D. Thomæ doctrinâ *ſuprà*, in corpore; vbi ait duplex eſſe genus commutationis rerum: vna enim eſt quaſi naturalis, & neceſſaria, per quam fit commutatio rei ad rem, vel rerum, & denariorum, propter neceſſitatem vitæ, & talis non propriè pertinet ad negotiatores, ſed magis ad œconomicos, & politicos, qui habent prouidere, vel domui, vel ciuitati de rebus neceſſariis ad vitam. Alia verò commutationis ſpecies eſt, vel denariorum ad denarios, vel quarumcumque rerum ad denarios, non propter res neceſſarias vitæ, ſed propter lucrum quærendum. Prima autem commutatio laudabilis eſt, quia deſeruit naturali neceſſitati. Secunda autem iuſtè vituperatur, quia quantùm eſt de ſe deſeruit cupiditati lucri, quæ terminum neſcit, ſed in infinitum tendit. Hæc S. Doctor: iuxta cuius doctrinam habemus contractum, de quo loquimur, ad priorem ſpeciem commutationis non ſpectare, quia non eſt propter neceſſitatem vitæ: ergo ad ſecundam, & ita eſſe propriam negotiationem; quod & declarat illius finis, quia eſt propter lucrum, licèt prætextus alius aſſeratur.

Negotiationis ratio magis explicata. *D.Thom.*

Euaſio ex eo quòd nō ſit venditio nullo oſtenditur.

35 Neque eſt alicuius momenti quod dicitur, finem ſcilicet non eſſe venditionem rei immutatæ, ſed vſum vtilem rei emptæ ſine illâ: nam talis emptio eò tendit vt lucrum habeatur, ſi enim non attenderetur illud, neutiquam emeretur; eſt autem omnino materiale, & impertinens, quòd commutatio per propriam venditionem fiat, aut alio modo, quandoquidem lucrum ex re immutatâ prætenditur; vnde Doctores, cùm negotiationem prohibitam definiunt, obſeruant nomine venditionis, permutationem etiam intelligi, quæ venditio non eſt ſecundùm receptam emptionis & venditionis acceptationem: nam negotiatio & fuit, antequam eſſet pecunia, & eſt apud gentes plures, apud quas non eſt vſus pecuniæ; & quis dubitet ante inuentos nummos negotiationem eſſe potuiſſe, quandoquidem nummiſma, vt aduertit D. Thomas *ſuprà Art.*1. *in corpore, ex Ariſtotele* 5. *Ethicorum cap.* 2. ad hoc inuentum eſt, vt eſſet menſura quantitatis rei datæ ſecundùm eius vtilitatem? Quod etiam ex adductis conſtat: nam in permutationibus poteſt eſſe lucrum, & ita illæ ſeruire cupiditati, quæ terminum neſcit, & in infinitum tendit. Leue ergo videtur effugiū, quod ex venditione deſumitur. Videatur P. Leſſius *ſuprà Verſ. Negotiatio.* Qui negotiationis nomine permutationem incluſam, vti certum ſtatuit. P. Rebellus, *ſect.*1. vbi id tamquam præſuppoſitum indubitabile proponit, ſic dicens: *Quæſtio ergo procedit de permutatione, quæ fuit pecuniæ ad pecuniam, aut rerum ad pecunias, aut rerum ad res, non ad vitæ neceſſitatem, ſeu ad lucrum, quæ propriè negotiatio dicitur.* Sic ille, quæ & eſt diui Syluestri. *V. Negotiatio num.*1. Cardinalis Lugo *ſuprà Theſauri Indici Tom. I.* *num.*21. idem cum P. Leſſio vti certum ſupponit in explicatione definitionis propriæ negotiationis. P. Molina *Diſput.* 339. *in principio*, ſimiliter loquitur verbis illis: *aut alio permutationis genere acquirendo rem aliquam, illamque non mutatam cariùs vendendo, aut alio aliquo modo cum lucro permutando.* ſimiliter *verſ. Sequenti.* & etiam *immediato*, vbi preſsè, & propriiſſimè negotiationem ait eſſe in permutatione ob lucrum, cùm res immutata diſtrahitur. *Idem intellige de commutatione, &c.* & alij; qui quidem cambium inter proprias negotiationes enumerant, quod & res ipſa ſatis perſpectum reddit; nulli enim magis ſolliciti negotiatores campſoribus, & magis lucri inſtantes; & tamen in cambio venditio non eſt, ſed mera permutatio pecuniæ pro pecuniâ cum loci diſtantiâ.

Permutationem negationis nomine cōprehenſam. *P. Rebellus.* *P. Molina.* *Vnde & cambium.*

Nil iuuare quod Barræ moneta nō ſint.

36 Siue ergo Barra moneta non ſit, ſiue propriè talis, ex eo nihil videtur pro excuſatione legitimâ talis contractûs haberi: nam & circa monetam eſſe negotiatio poteſt, vt conſtat in cambio, vbi obiter notare iuuat Caramuelis lapſum ſed venialiter fortè, dum iuxta audita proloquitur ſub alio cœlo poſitus; quamuis id quod res eſt, potuiſſet facilè in tabulis Geographycis peruidere, aut in narrationibus Indicis nemini non obuiis: ſic ergo ſcribit *num. illo.* 814. *Reſpondeo. In Portubello (inſula eſt maris Oceani, ad quam ſtatutâ die omnium Indiarum mercatores appellunt) vix monetam cuſam cognoſci. Mercium traduntur ſarcinæ, & maſſæ & aureæ & argenteæ (Barras eas nominant) recipiuntur: non enim tempus ſufficeret tanta argenti numerandæ, ſi minutæ partes traderentur. Barræ illæ tribus aureis millibus nonnumquàm æquiualent: & facili negotio huiuſcemodi calculis, vel maximum numerum æqualis Antuerpiæ, Amſtelodami, loco pecuniæ etiam Barras tradi, & recipi vidi. Sed & Barræ ſigillatæ ſunt, & videntur ab alijs monetis ſolâ differre magnitudine. Reſolue igitur ad venditionis, & emptionis rationem requiri metallum ſignatum.* Sic ille: ſciat ergo qui legerit, Portunbellum non eſſe inſulam, ſed terram firmam, Peruuij ſcalam; eò non omnes Indiarum Mercatores appellunt, ſed ex Peruuio aliqui, & Panamenſi tractu: neq; ſtatuta appulsûs dies eſt, ſed cùm claſſis Regia ex Hiſpaniâ aduenerit. Non vix ibi moneta cognoſcitur, ſed immenſa illius copia conſpicitur. Barræ tribus millibus aureis æquiualentes nullibi extant. Quod Amſtelodami loco pecuniæ dentur, & recipiantur, id quidem veriſſimum; ſed dolendum ſanè eſt ad inimicos armandos, multorum ex Hiſpanis Mercatoribus auaritiam arma potentiſſima miniſtrare. Vtinam Regij miniſtri videant, & pergant vel ſerò de remediis prouidere. Barrarum ſigillum non ſufficere, vt pecunia dici poſſint iam vidimus *num.*28.

Caramuelis lapſus circa illas; & alia.

Soluens quomodo dicatur negotiari.

37 Id autem in quouis poteſt aliqua conſtitui, ſcilicet eum, qui ſoluit, non negotiari, quia neque contractum init, ſed debito ſatisfacit, vim certè nullam retinet: nam licet verum ſit tunc non perfici contractum, perficitur tamen negotiatio, quia emptio eo fine facta eſt vt ſcilicet ſoluendo lucrum habeatur. Quòd ſi ea ratio quidquam valeret, ſequeretur ex eâ eum, qui multas merces emit, & reſeruat, vt ex eis lucrum referat, ſed ſine venditione, dum ſoluit eiſdem, non negotiari; quod conſtat quàm ſit abſurdum. Merca-

Mercator vnde dictus.

tores certè non à vendendo, ſed ab emendo tales dicuntur; mercari enim emere eſt; inde enim negotiatio dicitur mercatura, quia ſcilicet emitur ex fine lucrandi; vnde negotiatio à Syluestro *ſuprà* definitur; *Commutatio ob lucrum*, & quidem ſi actio quæuis in negotiatione per ſe ſumitur negotiatio non erit. Qui enim emit non dicitur negotiari, quia ſola emptio non eſt negotiatio, & qui vendit ſimiliter; quia vendere ex ſe negotiari non eſt. Debent ergo actiones iſtæ coniungi, & vna cũ reſpectu ad aliam cõſiderari, quatenus emere ad lucrandum, & lucrari ex eo quod emptum eſt, & immutatum traditur, integrant negotiationem. Hinc eſt vt in Cap. *Eijciens* 2. *diſt.* 88. vbi ex D. Chryſoſtomo negotiationis explicatio proponitur, licèt de venditione facta fuerit mentio, quia communiter per illam exercetur, nullâ tandem de ipsâ factâ mentione ſic tandem definiatur: *Qui comparat rem, vt illam ipſam integram, & immutatam dando lucretur, ille eſt mercator, qui de templo Dei eiicitur*. Sic ille: quamuis verum ſit homiliam illam, ſcilicet 38. *in Matthæum* non eſſe D. Chryſoſtomi; quia opus imperfectum in Matthæum non eſt Doctoris tanti, ſed alterius non ſanę in omnibus doctrinæ, vt obſeruauit P. Maldonatus, qui permitti ait ſicut alia antiquiorum, de quo aliàs. In hoc certè Doctores communiter ſententiam illius capitis approbarunt, quod ſatis nobis ad præſentem poſitionem. Et in *eodem cap.* ex Caſſiodoro in *Pſalm.* 70. ſic negotiatio definitur: *Quid eſt aliud negotium, niſi quæ poſſint viliùs comparari, cariùs velle diſtrahere?* vbi negotiatio non eſt per venditionem explicata, ſed per verbum amplioris ſignificationis.

Negotiationis definitio ex Syluestro.

Ex Cap. Eijciens alia.

Ex Caſſiodoro item.

38 Neque tandem quidquam vrget, quod de pœnali lege dicebatur, non extendenda ad caſum non expreſſum ſecundùm verborum proprietatem; id enim damus; negamus tamen non expreſſum caſum, de quo eſt diſputatio, quandoquidem iuxta receptiſſimam intelligentiam venditio in definitione negotiationis appoſita quamcumque commutationem lucratiuam comprehendit: nec in præſidium aſſertionis huius opus eſt ad doctrinam quamplurium & grauiſſimorum ſcriptorum recurrere, aſſerentium legem pœnalem extendi ad caſum non expreſſum, quando ratio eſt eadem, de quo dictum *ſuprà*: quia non eſt omnino certa, licèt valde probabilis. Id autem quòd à nobis dictum non videtur poſſe negari, quòd ſcilicet negotiatio non dicat neceſſariò venditionem, licèt per eam explicetur; ſed exempli gratiâ poſita ſit vti frequentior, ſecundùm neceſſariam intelligentiam ex auctoritate ſcriptorum eam vt certam approbantium, vtpotè neceſſariò applicandum cambio, in quo propria negotiatio eſt. Quando enim legis alicuius intelligentia talis eſt, vt non poſſit ad ſpeciem, quam exprimit, arctari, quia conſtat alicui alteri, conuenire, non eſt opinio circa intelligentiam dictam, ſed omnimoda certitudo. Quemadmodum ea non *ſi quis ſuadente diabolo*. Excommunicationem ſtatuit in eum, qui manus violentas in Clericum iniecerit. Vbi tamen dici nequit arctandum illum ad id, quod exprimit, manuum ſcilicet iniectionem; quia communis intelligentia illum cum limitatione dictâ non recepit, & conſtat eum, qui non manibus, ſed pedibus Clericum percutit, excommunicatione ligari, vnde cùm de manuum iniectione tantùm loquitur Canon; id exempli gratiâ poſitum, quia frequentiùs eſt, debet ab omnibus affirmari: & tamen Canon dictus pœnalis eſt, & eximiè quidem pœnalis: quia tamen fauorabilis ſtatui Eccleſiaſtico, dictam ampliationem accipit; & quia aliàs ferè redderetur inutilis, cùm iniurijs janua aperta remaneret. Videatur Bonacina *Tomo* 2. *Diſput.* 1. *Quæſt.* 1. *Puncto* 8. *num.* 23. & 24. communem doctrinam proponens, & exemplum accommodatum in lege imponente cenſuram contra ſurripientes centum aureos, quę extenditur ad æquiualens: nam aurei, gratiâ exempli poſiti ſunt, & certè ſi ad aureos tantùm dirigeretur, ferè inutilis eſſet, cùm aureorum ſubreptio rara ſatis ſit, & erga eos ſoleat contingere, qui non multùm eâ ſubreptione læduntur, vt lædi alij poſſunt, quibus aurei vix ſunt de facie noti.

Non fieri extenſionē legis pœnalis.

Quando in illâ verborum nō debeat tenori ſtari, ſed ampliori debeat.

Congruum exemplum aliari adiectum.

39 Cùm ergo hæc ita ſe habeant, & ſententia negans licere contractum, adeò ſit robuſtis fundamentis ſtabilita, illi videtur penitus adhærendum, vt meritò dubitari poſſit, an oppoſita poſſit aliquatenus probabilis iudicari, & ita quidem cenſuêre nonnulli, ſed neſcio an re penitus inſpectâ, & Auctoribus de hoc ex profeſſo agentibus conſultatis; nam & mihi probabilis viſa eſt, vbi primùm eſt controuerſia propoſita, pro quâ & nonnihil addidi, quod eſt viſum conſideratione dignum: modò autem non audeo talem pronuntiare: nam pro intrinſecâ probabilitate nihil ſolidum occurrit. An autem ab extrinſeco illi concedenda ſit, viderint alij; ego enim nulli detrahere inconſideratè pergam, quod auctoritatis doctrina & pietas conciliauit. Addam tamen caſus aliquot, in quibus circa contractationem iſtam poſſinţ Eccleſiaſtici ſecurâ conſcientiâ verſari.

Reſolutio difficultatis.

40 Primò; ſi quis emat Barras non animo lucrandi expreſſo, & directo, ſed vt ſecuriùs ſuas cuſtodiat facultates; pecuniæ ſiquidem facilè ſurripi poſſunt, non ita Barræ; aut etiam ne ad mutuationes frequentes compellatur, cùm excuſationem habeat obuiam, ſcilicet ſe non habere regales. Sic autem emptis illis; ſi occaſio aliqua occurrat vendendi, & lucrandi in illis, id licitè facere poterit; exemplo eius, qui emit pro ſuo vſu aliqua, ex quibus ſi nonnulla ſuperſint, poteſt illa cum lucro vendere, etiamſi præuiderit id ita poſſe contingere, & ſpem ſic faciendi habuerit. Quem caſum vrget Cardinalis Lugo *ſuprà n.* 32. in Procuratore Conuentus; quia finis principalis non fuit lucrum, ſed prouiſio, defectibus, qui contingere poſſunt, occurrens.

Prima circa illam limitatio, ſi non emantur animo lucrandi.

41 Secundò: poteſt quis Barras emere ſi in illis fiat ipſi ſolutio debiti, quam nequeat aliter obtinere niſi cum magno incommodo; tunc enim emptio interuenit, quia de pretio eſt conuentio, & pro illis datur id, quod erat debitum; & licet etiam ſic contrahere, vt ſperet quis ſe illa aliquando cum lucro venditurum. Huius ratio eſt eadem, quæ caſus præcedentis, ſcilicet tunc intentionem principalem ad lucrum non dirigi, ſed ad recuperationem debiti. Quod intelligendum etiam ſi quis non emeret, niſi ſperaret lucrum dictum; quia adhuc tunc intentio principalis de illo non eſt; applicando etiam doctrinam Cardinalis Lugo, de quâ nuper.

Secunda, cùm in illis fit ſolutio.

42 Ter-

Digitized by Google

Tertia, cum ex fine tranſuectionis, etiam cum ſpe lucri.

42 Tertiò. Idem licet ſi quis iter facturus ob commodiorem exportandi modum Barras emat, quia moneta in magnâ quantitate cum incommodo tranſportatur: & hoc quidem cum ſpe lucri alicuius; & tunc erit certius, quando eodem modo emerentur illæ, etiamſi lucrum nullum ſperaretur; per accidens enim ſe habet; non tamen obſtat ſpes dicta lucri, ita vt ſi quis non ſperaret illud, non etiam emiſſet, quia tunc etiam intentum præcipuum non eſt lucrum ſed cōmoditas tranſuectionis, vt ſpes illa ſit quaſi remouens prohibens, non autem finis emptionis, vt citatus Auctor loquitur. Quod etiam ſuadetur ex eo quod ex D. Thomâ adduximus *num.* 34. ſcilicet eàm commutationem eſſe lucro ſeruientem, & ad negotiationem pertinere, quâ non emitur aliquid ad neceſſitatem vitæ pertinens, ſed ad fouendam cupiditatem, quæ terminum non habet. In caſu autem noſtro emptio non habet originem à cupiditate, ſed à neceſſitate, vt ſcilicet vitetur incommodum tranſuectionis, & ita in eo negotiatio propria non exercetur, ſed commutatio talis ad prius genus pertinet, de quo S. Doctor.

Quarta, vt neceſſaria commodius emantur, cum notanda pro Religioſis doctrina.

43 Quartò. Poterit Prælatus Religionis, aut Procurator domus eius nomine Barras emere, ſi intelligat in Portubillo, aut Hiſpaniâ plus valituras, vt ex iis venditis neceſſaria comparet, quæ in Indiis cariori pretio comparantur. Nam in hoc caſu turpis lucri cupiditas non exhibet cōtractibus originem, ſed ab œconomicâ prouidentiâ, iuxta D. Thomæ doctrinam *num.* 34 adductam, proficiſcitur; & aliàs venditio alibi fit, vbi ſcandalum eſt nullum, & occaſio ceſſat diuerſionis à diuinis officiis; necnon per alios exercetur; quod licere, vbi ſcandalum non eſt, & diuerſio dicta ceſſat, Doctores adducti tenent. Poteſt autem ſpecialiter accidere, quando ad emenda Æthiopica mancipia ad prædiorum culturam neceſſaria, aliquis deſtinatur. Vbi etiamſi ille Religioſus ſit, & per ſe vendat, videtur ſine graui culpâ ſtare poſſe, quia venditio talis reſpondet emptioni, quæ non directè ob lucrum; ſed ob commoditatem comparandi neceſſaria celebrata eſt: vnde ad primam claſſem commutationum reuocanda eſt, de quâ D. Thomas, & non negotiator; ſed prouidus diſpenſator talis eſt Prælatus appellandus. Quod & poteſt cuilibet alteri Eccleſiaſtico applicari.

Vltima, cum lucrum ex primaria intentione non quæritur Vbi & obſeruanda quædam.

44 Tandem. Generaliter loquendo tum Barrarum contractatio licebit Eccleſiaſticis, quando lucrum ex primariâ intentione non venit, ſed ſecundariò, aut quaſi remouens prohibens, niſi adſit ſcandalum; vt inconueniens aliud oriatur. Quod quidem non ſolum in Barris, ſed etiam in aliis rerum contractabilium generibus affirmamus, ob adductas rationes. Neque in Religioſis hoc ſemper damnandum, quamuis videantur illi ad maius in hac parte exemplum teneri, quàm clerici ſæculares: vt conſtat *ex Cap. ſed nec, Ne Clerici, vel Monachi.* Nam eorum neceſſitates ſunt multò maiores, quibus dum non conſulitur à Prælatis, grauiſſimis inconuenientibus ianua aperitur: vnde non eſt credibile velle Pontifices, Canonum ſacrorum Auctores, prædictos œconomiæ ſolicitudinis modos illis prohibere, qui nihil ſtudioſiùs curat, quàm vt Religionis ſtatus in regulari obſeruantiâ conſeruetur. Non quòd indecens aliquid admittendum ſit, vt commodum inde Religioſæ obſeruantiæ procuretur: neque enim facienda ſunt mala vt eueniant bona; quando ſcilicet indecentia talis eſt, vt poſitiuam ex ſe repugnantiam habeat cum virtute; ſed quòd id, quod ex ſe tale non eſt, licet ob ſtatus Eccleſiaſtici decorum per ſacros Canones eſt prohibitum, ob illius aliquando maius bonum poſſit exerceri. Quòd autem indecentia pugnans abſolutè cum virtute non ſit, ex eo præter alia oſtenditur, quia in concilio Elibertino facultas conceditur Clerico negotiandi intra Prouinciam vbi degit, non tamen extra. Sic *Canone* 29. & hoc referens P. Bauny *Tom.* 3. *Lib.* 1. in Epitome *Tract.*2. *Cap.*6. *verſ. ſed etiam* ita ſubdit: *eâ tamen* (facultate) *ſi Chryſoſtomo, & Auguſtino credere animum induxerit, numquam in Ordinis ſui dedecus, ſtatuſque vtitur.* Sic ille, indicans vbi dedecus Ordinis, & ſtatus non eſt, vt in caſibus dictis, non eſſe damnandum vſum talis facultatis; ſed de hoc aliàs. Videantur dicta *Titulo* 5. *Cap.* 7. §. 2.

Negotiatio qualiter Eccleſiaſticos dedeceat.

Et permiſſa aliquando.

P. Bauny.

CAPVT V.

De Contractu Argenti viui.

Circa pretium argenti viui difficultas. Et quidam reprobatus contractus.

45 Actum de illo *Titulo* 1. *Cap.* 12. & multa adiecta *Titulo* 5. *Cap.* 10. in cuius fine de contractu egimus, qui inter Minerarios, & Mercatores eſt frequentiſſimus, & an iuſtus attentâ præſertim pretij improportione poteſt meritò dubitari, & quod ad obligationem ſpectat non diſtrahendi metalli, ſed Regi pro ſtatuto pretio tradendi, iam vidimus quid poſſit veroſimiliter affirmari. Quod autem nimia improportio in pretio ſeruetur, non videtur iuxta iuſtitiæ poſſe leges tolerari. Et olim quidem maior erat improportio: cùm enim quintale metalli huius quingentis argenti ponderibus æſtimaretur, iuxta quod pretium emebatur à Rege, anticipati emptores inde viginti detrahebant contra omnem rationem, & conſuetudinem, Scriptorumque doctrinam. Erat enim pretium tale infra infimum, quod omnes condemnant Claſſici Doctores eâ ratione: quia hoc eſſet lucrari aliquid ſupra ſortem ex vi mutui impliciti: qui enim ſolutionem anticipat, implicitè mutuat, & poſteà dum ei res empta pluris valens, traditur, implicitè fit ei reſtitutio cum vſurâ: nam illud incrementum, quo res pluris valet, quàm pretium, datur ex vi pacti præcedentis propter anticipatam ſolutionem, id eſt, propter vſum pecuniæ tanti temporis. Qui eſt optimus diſcurſus Patris Leſſij *Lib.*2. *Cap.*21. *num.*59. quod vrgeo: nam iſte ſi pecuniam illam mutuam daret, cum pacto tamen ſoluendi lucri ceſſantis pro triginta, aut quinquaginta, immò pro centum, viginti augmētum non acciperet, ergo quemadmodum ſi triginta daret, non poſſet viginti amplius accipere, ita neque in contractu dicto, quandoquidem ſi non quinquaginta in pecuniâ accipit, id tamen ei redditur, quod valet quinquaginta, vnde accipit ſortem triginta, & viginti. Inſuper pro anticipatione, quæ eſt nimis exorbitans vſura, & ita tunc homines doctiſſimi cenſuerunt.

Vſura quomodo in anticipata ſolutione.

Digitized by Google

In inæquali pretio contractus dictus non probandus apparet.

46 Succeſſu verò temporis pretium quintalis adauctum, & contractus aliquantulùm temperatus, vt tertiâ parte minus pretium anticipatum ſit, quàm legitimum, iuxta quod Regi traditur. Vt vidimus citato *Cap.* 10. *num.* 83. quod licet minus de iniuſtitiâ habeat, non videtur tamen eidem adæquari; quia rationes factæ poſſunt applicari ſimiliter, eò quòd videatur infra infimum, & quia ratione lucri ceſſantis habitâ, nullo modo poteſt exceſſus ille ſaluari. Si enim centum non reſpondent iuxta ſtylum forenſem viginti pro ceſſante lucro, ſed multò minùs: quomodo ſtare queat, vt ſexaginta reſpondeat lucrum viginti? Attentâ ergo præcisè ratione contractûs non videtur id poſſe ſaluari. Quibus addi poteſt communis Doctorum ſententia circa lucrum ceſſans, neminem ſcilicet ad illius compenſationem obligari, niſi fuerit in pactum expreſsè deductum. Pro quo videri poteſt P. Rebellus *Parte* 2. *Lib.* 8. *Quæſt.* 7. P. Leſſius *Lib.* 2. *Capit.* 20. *Dubit.* 11. & alij. Cùm ergo de lucri ceſſatione nihil in contractu iſto dicatur, non debet pretium minui ratione illius. Præterquam quòd de contractu tali loquimur ſecundùm ea, quę illi iuxta propriam rationem conueniunt, non verò ex accidenti: & vt demus imminutionem pretij dictam ratione accidentium iuſtificari: illa non adeò magna videri poſſunt, vt tantam poſſint inæqualitatem excuſare.

Pro lucro ceſſante quando obligatio.

Sed ſunt qui ſuſtinendum cenſeant. Et prima pro eo ratio ex eo quod eſt contractus vtilis Reipublicæ, & tales non debent facilè reprobari.

47 Sed his non obſtantibus ſunt plures qui contendant non deberi contractum iſtum condemnari; iis omnibus attentis, quæ in illo interueniunt, & ſunt, Primò, ſic eſſe communiter receptum, & ab ipſis, qui eum exercent, aliiſque vſurarium non cenſeri. Contractus autem tales præſertim ſi vtiles Reipublicæ ſint, condemnandi non ſunt, vt admonent Doctores, & in ſimili habet P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 23. *num.* 57. vbi de certo Cambiorum genere loquens, ait illa damnanda non eſſe, licet vſuraria videantur, eò quòd ſolùm ratione longioris temporis maius pretium poſtulatur; cùm omnes paſſim illis vtantur: inter quos multi viri probi, & conſcientiæ religioſæ qui ſi iuberentur abſtinere, ſoli laxioris conſcientiæ illis vterentur; quo fieret vt pretia Cambiorum iſtorum creſcerent, & cum magno Reipublicæ incommodo valde intenderentur: neque enim vmquam obtineri poterit; vt Mercatores non pluris æſtiment conceſſionem longi temporis, quàm breuis. Sic ille loquitur, caſui præſenti accommodatiſſimè, cuius ſentiendi modum alij probant.

Secunda quia Minerarij rogant, & ſunt merces vltroneæ.

48 Secundò: quia Minerarij Mercatores rogant, eò quòd ſi pecunia illis anticipata deficiat, non poterunt in labore ſuo progredi. Quando autem vltroneæ merces ſunt, & rogantur emptores, vileſcunt merces pro tertiâ parte, vt ſuperiùs dictum, immo & pro medietate: pro quo Auctores adducit Diana *Parte* 1. *Tract.* 8. *Reſolut.* 53.

Tertia ex periculo ſolutionis, iuxta receptam doctrinam.

49 Tertiò: quia Mercatores ſe exponunt periculo amittendi pretium, eo quòd Minerarij rarò ſtent promiſſis. Quando autem periculum tale eſt, poteſt aliquid de pretio detrahi, vt eſt communis opinio, de qua dictum *ſuprà num.* 12. & pro quâ Auctores congerit Diana nuper adductus *Reſolut.* 57. quantùm autem debeat tale periculum æſtimari, ex circumſtantiis pendet, vt meritò hoc locum habeat, quod P. Leſſius *n.* 47. adductus *in fine dubitationis* aſſeruit, ſic locutus: *verùm vtrum lucrum ſit moderatum, an non excedens, non eſt Doctorum determinare, ſed proborum virorum in arte illa peritorum. Hoc tantùm affirmo, hunc contractum ex formâ ſuâ iniquum non eſſe.* Sic ille.

P. Leſſius.

Quarta ob maius lucrū. Quod non admittitur.

50 Quartò. Quia in contractu, in quo aliqua ex præfatis occurrunt, contingit maius lucrum, vt in eo, de quo P. Leſſius *num.* 58. in quo Mercatores 36. in centum intra vnum annum lucrantur: quem citatus Auctor probat, vt nuper ex eo poſuimus. Rarò autem continget ad eam ſummam conſcendere, vt experientiâ conſtat; pro quo ea quæ diximus in fine citati *Capitis* 10. conſulenda: praxis enim illa ſatis oſtendit quàm ſit iſte contractus dubiæ fidei, vt numquàm totum id Mercatori reddatur, de quo præceſſit pactum. Dantur ergo quatuor cùm debeantur decem, & aliquando plura; & quandoque vix aliquid Mercator aſſequitur, & ſuo quidem meritò. Quis enim nõn renuat, ſi modicum illi prudentiæ ſuccurrat, talibus ſe fallaciis implicari.

Probabilitati contractus dicti obiecta non obſtare.

51 Iuxta hæc ergo probabilitas dicti contractûs apparet; contra quam non vrgent adducta: iam enim vidimus pretium ex circumſtantiis explicatis iuſtum videri; & licet lucrum ceſſans non ſit æquale, ſi vtrumque ſimpliciter conferatur: benè tamen qualitatibus eorum attentis. Nam lucrum decem moraliter certum tanti æſtimatur, quanti lucrum incertum viginti, & fortè etiam ampliùs; quando præſertim experientia talem incertitudinem comprobauit; & inſuper circumſtantiæ concurrunt aliæ, vt in contractu lucrum excreſcere poſſit pretij imminutione; quia rogatur emptor, & alia, quæ diximus. Quod autem de lucro ceſſante, non deducto in pactum, dicebatur, verum eſt, vt non debeat in particulari ſolui, quando ſolutio ſine culpâ differtur, aut pecuniam mutuans nihil de illo meminit. Quando autem illo inſpecto pretium taxatur, & venditor plane conſentit; alia eſt ratio; in ipſâ enim pretij taxatione reſpectus ad lucrum ceſſans habetur. Quamuis dici etiam poſſit in hoc contractu non attendi ad lucrum ceſſans, ſed ad alia; ex quibus pretium cum prædicta tertiæ partis detractione taxatur. Licet generaliter loquendo doctrina illa de improportione pretij per comparationem ad lucrum optima ſit, ad intelligendum ſcilicet exceſſum iuxta modum explicatum: quod valde diuerſum eſt à reſpectu lucri in taxatione pretij; à reſpectu inquam lucri, quod Mercator talis reipſa erit habiturus. Licet enim quis Mercator non ſit, nec de lucris cogitet; ſi pecuniam eodem modo tribuat, ſimili modo poterit contrahere, eodem inquam pretio, quia & rogatus emit, & periculo ſe exponit; quod & in aliis contractibus accidit, eodem enim pretio emere poſſunt, qui Mercatores non ſunt, licèt in ordine ad venditionem priuilegium aliquod Mercatoribus plures Doctores attribuant, vt cariùs ſcilicet emere ratione officij poſſint.

Lucrum ceſſans quomodo debeat in pactum deduci.

Notanda doctrina.

Circa venditionem aliis factam; præter Regem, diſquiſitio.

Occultè vendentes & ementes

52 QVando Mercatoribus venditur, qui Regi vendunt modo dicto *Titulo* 5. *num.* 84.

grauiter peccare probatur.

num. 84. licitum eſſe contractum, eò quòd ex parte Regis pactio non impleatur, veroſimile ſatis eſt ex dictis *ibidem num.* 81. Difficultas tamen eſt: quando occultè vendunt alijs, nam cùm illis venditur, in Regias tandem apothecas infertur, vnde Rex nullum patitur detrimentum, neque bonum publicum, ad quod legibus iſtis attenditur. Cùm autem occultè diſtrahitur, aliter euenit, priuatur enim Rex emolumentis magnis: ex argento enim; quod beneficio hydrargyri colligitur, iura Regia non ſoluuntur, & præcipuè quinta pars; ſicut neque ex hydrargyro ipſo, ex quo quintum deberi conſtat ex dictis *Titulo citato num.* 80. & quidem contractum inter Regem, & Minerarios intercedere, cui ſtari vtrimque debeat, dictum *citatis locis.* Vt autem Mercatores ab eo onere ſint exempti, dum ex parte Regis non adimpletur exactè promiſſio; non ſunt laxandæ penitus habenæ, ſed quantùm ſatis eſt, vt illi ſatisfacere ſuo officio poſſint, ſine Regis & boni publici detrimento. Atqui ad hoc ſufficit venditio Regi facta, ſic enim pretium legitimum accipiunt: ergo tranſgreſſio contractûs non debet ad diſtractionem quamlibet, cùm detrimentis dictis propagari, quibus accedit, occultis iſtis emptoribus grauiſſimas eſſe pœnas impoſitas, & ita videntur grauiter peccare, non ſolùm illi, ſed in peccato participes; quibus pœnæ item imponuntur amiſſionis bonorum, & mortis. Quando autem pœnæ tales ſunt, peccare grauiter tranſgreſſores communiter tenent ſcriptores. Hinc aſſerunt Cardinalis Lugo *Diſp.* 31. *num.*6. P. Molina *Diſp.*521. *verſ. Quod attinet.* P. Fragolus *Tomo* 1. *pag.* 247. *num.* 295. & alij, peccatum lethale eſſe menſas ludi exponere, attentâ acerbitate pœnarum, ſi illæ non vſu ſint receptæ. In caſu autem noſtro, licèt quoad mortem numquàm ſint executioni mandatæ, quoad confiſcationem autem bonorum, quæ apud reos inueniuntur, quando metallum apprehenditur, obſeruari ſolent: vnde non videntur à reatu culpæ lethalis excuſandi.

Leges pœnales quando grauiter obligent.

Oppoſitum quæ videatur veroſimile oſtendere.

53 Nihilominùs ſunt qui excuſent, viam ad id veroſimilem conquirentes, ne tot homines remedio deſtitutos relinquant, quos difficillimum fuerit ab eo contractandi genere, quo ſibi, & familiæ de neceſſariis conſulunt, reuocare: & fundamentum excuſationis eſt iam inſinuatum, Regem ſcilicet pactioni non ſtare, etſi illi hoc modo ea, quæ ad opificium illud neceſſaria ſunt, non quærant, minimè in eo proceſſuros: neque ſat eſt Mercatoribus vendere modo explicato; vt metallum in Regias inferatur apothecas, quia illi non adeò copioſè emunt, vt pro neceſſariis ſufficiant, nundinationibus aliis intenti. Sunt etiam qui maius pretium offerant, & non per menſtruas exhibitiones, ſed vnica, eaque numeroſa. Licèt autem magna ſit pœnarum acerbitas, rarò tamen ad earumdem excuſationē deuenitur. Et ita quod de pœnis exponentium menſas ludo dictum eſt, eas ſcilicet non obligare ſub mortali, quia non ſunt vſu receptæ, præſenti etiam caſui venit applicandum. Verum quidem eſt aliquando circa aliquem minùs cautum ſeueriùs agi, ne leges iſtæ penitus videantur abrogatæ; ſed id rarò accidit, & ita non videtur ſufficiens judicium obligationis ſub mortali. Pœna quidem mortis, triremium, perpetui carceris, aut confiſcationis bonorum omnium, numquàm imponenda, quæ ad terrorem tantùm videtur ordinata. Amiſſio autem metalli ipſius, & aliorum bonorum, quæ ſimul exportentur, non adeò grauis eſt, vt propter inſigne lucrum, ex contractu tali non poſſit aliquis ſe periculo incurſionis exponere. Sic enim periculoſæ nauigationes, militia, & artes aliæ cum periculo, non quidem omnino certo, ſed aliquali, eò quòd non ſemper, aut ferè ſemper, ſed aliquando fatale aliquid accidat, exercentur: non ergo contra charitatem propriam eſt, quâ ſe quiſque diligere debet, præfato ſe periculo exponere; ſeclusâ obligatione legis: quæ aliàs non videtur eſſe ſub mortali, quandoquidem vſus illius benignitatem declarauit.

Pœna grauis nō ſemper indicii obligationis.

54 Quod autem de Regis detrimento dicebatur, eius eſt miniſtris imputandum, dum contractui non ſtatur. Commune autem bonum non videtur ex eo præiudicium pati, cùm potiùs videatur augeri: cùm metalli diſtractio pro argento colligendo ſit in diuerſis mineralibus, cuius prouentus, vnâ aut aliâ viâ in Regis, ac regni opulentiam cedunt, vnde Rex non debet penitus inuitus, ſicut nec læſus, æſtimari. Ad eum modum, quo de diuinâ voluntate loquitur D. Thomas 1. *part. quæſt.* 19. *art.*6. *in corpore*, quæ ſemper impletur, etiam cùm mala ſibi diſplicentia fiunt; ita enim loquitur: *Quod recedere videtur à diuina voluntate ſecundùm vnum ordinem, relabitur in ipſam ſecundùm alium. Sicut peccator, qui quantùm eſt in ſe, recedit à diuinâ voluntate peccando, incidit in ordinem diuinæ voluntatis, dum per eius iuſtitiam punitur.* Sic ille: licèt autem tranſgreſſor legis dictæ non relabatur in Regiam voluntatem per iuſtitiam, relabitur tamen, dum illi militat, regni opulentiam promouendo. Poteſt ergo ſententia iſta vt probabilis ſuſtineri, dum res iſtæ aliter non diſponuntur.

Ex Regijs detrimentis nihil euincitur.

Diuina prouidētia exemplo.

D.Thom.

Circa pretium difficultas.

55 Eſt illud lege præſcriptum, & cùm indiuiſibile ſit, non videtur poſſe variari iuxta communem ſententiam. Nihilominùs res aliter ſe habet; licèt enim Regi iuxta pretium conſtitutum vendant, aliis tamen vt poſſunt Metallarij tradunt ordinario pretij incremento. In quo quidem non maior videtur eſſe difficultas, quàm in Barris argenteis, de quibus dictum *num.* 17. Rex autem pretium determinans pro ſe tantùm legem ſtatuit, magnâ adhibitâ moderatione: vnde nihil de pretio vulgari curauit, prohibitâ contractatione: non enim ad eum ſpectat pretia rebus prohibitis aſſignare. Illa ergo ſecundùm communem æſtimationem ſtatuenda ſunt, ſicut & de argenteis pinnis dictum *n.* 11.

56 Dixi Metallarios vendere vt poſſunt, quod intra latitudinem iuſti pretij intelligendum, iuxta communem ſententiam. Quamquàm in hoc non ſit illis peculiaris ſcrupulus iniiciendus: difficilè enim explicari poteſt quantitas valoris, vnde vnicuique bonâ fide agenti relinquitur: neque obſtat dictis, quod habet P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 2. *num.* 14. ſcilicet ſi pretium legitimum ſit minus, vulgare maius, non eſſe licitum exigere vulgare, ſed ſolum legitimum: quia hoc cenſendum

Metallarios vendere poſſe vt volent, ſed intra latitudinē iuſti pretij.

Digitized by Google

dum eſt verum rei pretium à Magiſtratu defini-tum, ne excedatur. Iuxta illum ergo videtur dicendum pretij vulgaris taxationem falſo iudicio inniti, & ita non curandum, ſed ſtandum iudicio Magiſtratûs, qui ſapientium conſilio adhibito, & ſemotis affectibus iudicauit. Sic enim hoc accipiendum eſt: nam ſi magiſtratus ſine conſilio pretia imponere pergat, nihil faciet, & poterit illius ſententia repudiari. Eſt tamen illud difficile: quia aliàs non eſſet ſimul pretium vulgare & legitimum: cuius contrarium ſupponitur à præfato Auctore; quia pretium vulgare iuxta datam explicationem pretium non eſt, cùm non innitatur veritati. Quòd autem verum pretium ſit conſtat ex præcedenti reſolutione eiuſdem Patris *num.* 13. vbi ait, quod ſi pretium legitimum maius ſit quàm vulgare, ordinariè non eſt licitum exigere pretium legitimum; quia ordinariè pretium taxatur in gratiam emptorum, vt non excedatur; non autem vt infrà non deſcendatur, ſi circumſtantiæ varientur, & communis æſtimatio minoris faciat. Iuxta quam doctrinam pretium vulgare eſt verum pretium, & de illo conſequenter loquitur in ſecundâ aſſertione: non ergo Magiſtratûs taxatio ita punctum veritatis attingit vt pretium vulgare debeat penitus falſum reputari. Aliàs reſolutio prior ſtare non poterit, iuxta quam pretio legitimo vulgare anteponendum affirmatur. Poſito ergo pretio legitimo, non ideò vulgare ceſſat, ſed impeditur: vnde ſi legitimum ceſſet, ſtatim vulgare ſuccurrit, quod idem fuerat antè legitimi poſitionem, quia communis æſtimatio ſemper eſt eadem. Vnde ſi quis ignorans pretium legitimum, iuxta vulgare contrahat, non eſt ad reſtituendum obligatus. Immò etiam ſi non ignoret, idem dicendum graues ſcriptores affirmant, ex quibus P. Molina *Diſput.* 364. *Verſ. Conueniunt Doctores, & Diſput.* 365. *Verſ. Ex his, & ex quinque.* P. Rebellus eius doctrinam adducens, vt quæ magnam probabilitatem habeat *Part.* 2. *lib.* 9. *quæſt.* 2. *n.* 14. & alij.

Circa pretium legitimum & vulgare obſeruatio peculiaris.

Quid pro caſu præſenti ſpeciale.

57 Quidquid autem de hoc ſit in rebus alijs, in caſu noſtro non videtur vrgere illa P. Leſſij doctrina, aliorumque, quia illorum ratio non habet locum: pretium ſiquidem taxatur à lege in gratiam emptorum, quorum ita vtilitati conſulitur, quod equidem ita euenit in argento viuo, quatenus in gratiam Regis pretium illius determinatum eſt, licèt reipſa maius ſit; quia vt tale ſit reſpectu Regis aliqua conſiderantur, propter quę conueniens ea moderatio fuit. Quemadmodum pragmatica tritici ſolet eſſe diuerſa reſpectu exterorum, & indigenarum, de quo ſcriptores in materiâ de Contractibus, & pro quo P. Molina *Diſput.* 346. P. Leſſius *ſuprà num.* 30. P. Thomas Sancius *Tomo* 1. *Conſiliorum, Lib.* 1. *Cap.* 7. *Dub.* 4. *num.* 6. *& Dub.* 5. *num.* 10. Cardinalis Lugo *Diſp.* 26. *num.* 62. & alij. Atqui emptoribus nullam gratiam facere voluit, quandoquidem emptionem illam exoſam habet; & ita pretium vulgare, & non legitimum ceſſaret, vulgare eſſet multò maius, vnde etiam ſtante illo poteſt & hoc locum habere, quamuis communem ſententiam de obligatione pretij legitimi aliàs teneamus.

Exteris carius vendi poſſe.

De obligatione alia ex Contractu prædicto reſultante.

58 CVm Minerariis argenti viui Indi ad laborioſum illud opificium tradantur, obligatio illis imponitur, vt quotannis vndecim quintalia, ſeu centilabras pro ſingulis capitibus reddant à Rege iuxta taxam dictam emenda. Quia verò labor eorum ad plura præualet, venditiones illæ anticipatæ fiunt; quarum non ſemper ſunt fortunati ſucceſſus. Multoties ſiquidem labor ſpei non reſpondet, & ita non habent, quo poſſint Regi pariter, & emptoribus ſatisfacere; cùm tamen inſtent iſti, & ſibi debitum reddi contendant. Quia verò reddi non eſt poſſibile in ſpecie, vrgent dandum ſibi tantum pecuniæ, quantum ſufficiat ad emendam quantitatem eamdem, quæ tunc quidem, non ſecundùm legale pretium, ſed ſecundùm vulgare eſt menſuranda, quia non inuenient, qui velit pro legali vendere, & ita qualecumq; vulgare ſit, iuxta illud dicunt ſatisfactionem faciendam, vt ſeruentur indemnes: cùm communis doctrina ſit eum, qui eſt in morâ ſoluendi, ad reparationem damni teneri creditori, cuius eſt cauſſa. Sic accidit vt Metallarij vel non ſoluant, & ſic conſcientiæ grauamen incurrant; vel ſoluant quidem, ne creditum amittant, hinc inde conquirentes & ſe nouis oneribus prægrauantes, & emptores lucrum immane reportent, centum ſcilicet pro centum. Circa quod operæ pretium erit pro iuſtitiâ aperiendâ laboremus.

Praxis Metallariorũ, vnde difficultas.

59 Et in primis ſi Metallarius veroſimiliter ſibi perſuaſit non futuram ſibi tantam metalli copiam, vt & Regi, & emptoribus ſatisfacere poſſit, ad recompenſationem integram tenetur, ſi conſtet emptorem ab alio empturum, qui contractum adimpleret. Tunc ſiquidem dolo malo cauſſa damni eſt, aut lucri ceſſantis, non ſecùs, ac ſi volentem contrahere cum aliquo, eum per fraudem à contractu, ex quo certum eſſet lucrum habiturus, reuocaret. In quo dubium eſſe nequit, quia hoc pacto iuſtitia commutatiua manifeſtè violatur, & violatio talis per reſtitutionem debet ad æqualitatem reuocari. Et ita hæc eſt communis regula à Doctoribus de reſtitutione agentibus aſſignata. Pro quâ videri poſſunt P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 12. *Dubit.* 18. Bonacina *de reſtitutione Diſp.* 1. *quæſt.* 2. *Punct.* 12. & plures apud ipſum. P. Molina *diſp.* 340. *verſ. Quamuis ſine re.*

Quid pro illa in caſu vno tenendum.

Regula pro obligatione reſtitutionis.

60 Non tamen ita ex integro obligatio reſtitutionis eſt, vt debeat reſtitui, quidquid hic & nunc neceſſarium eſt ad metalli quantitatem emendam. Et ratio eſt; quia non erat certum, ſi cum alio contraheret, eum fidem contractûs ſeruaturum. Sicut enim hic, cum quo contraxit, ſtare contractui non potuit, poſſet & alter, & licet veroſimilius eſſet alterum non defuturum contractui, id tamen omnimodam certitudinem non habuit, & in hoc præſertim genere frequentes caſus occurrunt, quibus ſpes ſolet ſucceſſus deſiderati fruſtrari. Vnde circa hoc prudentis conſilium adhibendum, & pro hoc ſtat communis ſcriptorum ſenſus, viderique citati poſſunt. Prior quidem *num.* 123. vbi ait fraude impedientem

Moderatio adhibita cum doctrina de impediente aliquem ne bonum aliquod conſequatur, & qualiter ſpes æſtimanda.

Digitized by Google

nem teneri ad reſtitutionem, quanti iudicio prudentis ea ſpes ſic impedito valebat. Poſterior autem *numer.* 1. *verſ. Verumtamen eſt.* ita ſcribit: *Verumtamen eſt in hac reſtitutione faciendâ habendam eſſe rationem circumſtantiarum: vt videlicet attendatur bonum à quo alter fuit impeditus: non fuiſſe bonum in re, ſed in ſpe, dependens à mutabili voluntate collatoris: bonum autem in ſpe minus, valet, quam in re.* Sic ille, pro ſe adducens P. Molinam. P. Vaſquez & communem aliorum ſenſum.

Si bona adſit fides, ad compenſationem non teneri, qui contractui non ſtetit.

61 Quando autem Metallarius bonâ fide contraxit, ſed ſpei non ſucceſſit euentus, teneri in conſcientiâ ad compenſationem damni, aut lucri ceſſantis, probabiliter poteſt negari, iuxta dicta *Titulo præcedenti num.* 34. circa Depoſitarium, non ſcilicet teneri niſi ex mortali culpâ. Doctores autem ſic tenentes generaliter loquuntur de damno ex contractibus prouenienti, quorum eadem eſt ratio. Pro quo ſunt etiam plures, quos adducit & ſequitur Diana *Parte* 1. *Tract.* 8. *Reſolut.* 43. & *Parte* 2. *Tract.* 15. *Reſolut.* 49. id generaliter aſſerentes de moroſo inculpabiliter debitore. Pro quo & videri poteſt P. Amicus *Diſput.* 20. *de Iuſtitia num.* 93. Item obligatio compenſationis aut oritur ex contractus ipſius naturâ; aut ex ſpeciali contrahentium conuentione, vel ex lege aliquâ poſitiuâ. Non primum, quia contractus emptionis, & venditionis ſine tali obligatione ſtare poteſt; vt conſtat, cùm conſiſtat tantùm in commutatione mercis, & pretij, quod reddendum iuſtitia cogit, ſi venditor contractum nequeat adimplere. Nec ſecundum, quia de tali conuentione non conſtat; & vt conſtaret, dubitari poſſet, an obligaret, ſi pro tali obligatione pretium aliquod non fuerit conſtitutum. Quod ſic probo; nam cùm obligatio ſpecialis ſuperadditur contractui, nouum eſt etiam pretium adiiciendum, vt eſt communis doctrina; pro quâ Cardinalis Lugo *Diſput.* 26. *numer.* 180. Neque tertium quia lex talis non eſt, etſi aliqua eſſe dicatur ex ciuilibus, vt *L.* 2. §. *Non vtique, & L.* 4. *ff. de eo, quod certo loco.* eam non obligare in conſcientia probabiliter dici poteſt, iuxta dicta *Titulo præcedenti num.* 35. eò quòd vbi grauis culpa non eſt, nequeat grauamen improportionatum imponi, & mortali tantum reatui correſpondens, & ita de legibus iſtis ſentit Cardinalis Lugo *Diſput.* 18. *num.* 28. qui *numer.* 35. Dianæ, & aliorum ſententiam complectitur.

Cùm obligatio ſuperadditur contractui, pretium etiam adijciendum.

Ex euictione roborata petitio.

62 Quod etiam à ſimili probari poteſt ex communi doctrinâ, de quâ etiam citatus Cardinalis *ibidem num.* 158. circa euictionem, quando res aliena vendita eſt; ſi enim quis ſciens eſſe alienam vendidit, tenetur in conſcientia ad intereſſe, & damna emptori, & rem ipſam tradere vero domino poſt redditum pretium emptori. Si autem ignorans vendidit, cognitâ veritate, tenetur quidem reddere pretium emptori, non tamen ad intereſſe, vel damna. Eſt autem ſimile in caſu noſtro, dum quis vendit quod ſuum reuerà non eſt, quia neque reuera eſt aut erit, & ita ad damna, & intereſſe non tenetur, ſed ad pretij accepti redditionem.

Item ex caſibus fortuitis, pro quibus ceſſat obligatio.

63 Item ex receptiſſima alia doctrina, de qua pluribus citatis, Bonacina *de Contractibus Diſput.* 3. *Quæſt.* 1. *Puncto* 6. *num.* 21. dicunt enim, quòd quando res aliena perit caſu fortuito, accipiens non tenetur ad reſtitutionem, ſiue rem acceperit in ſui, ſiue alterius contrahentis, ſiue in vtriuſque vtilitatem, excepto tamen pacto, culpâ, & morâ: atqui in caſu, de quo loquimur, ſimile quid eſt, quia vel caſu fortuito metalli extractio non fuit, aut fortuito ſimili, dum id, quod veroſimiliter ſperabatur iuxta ordinarium rerum curſum, ſuâ eſt expectatione fruſtratum: ergo ſimiliter dici poteſt nõ eſſe obligationem ad damna, & intereſſe, ſed ad pretij ſolutionem.

Et ex doctrina alia circa moroſũ traditorem rei venditæ.

64 Præterea, eſt ſententia alia, quam vti iuri communi conformem proponit, & complectitur P. Molina *Diſp.* 368. verſ. *Tertia concluſio.* Vbi ait quòd ſi emptor pretium tradat, & venditor in morâ ſit tradendi rem venditam, tenetur ad omne intereſſe intrinſecum rei illius. Vt ſi tempore, quo res erat tradenda, plus valuit, & poſteà vel deterior eſt facta, vel decreuit in pretio; non verò ad intereſſe extrinſecum, quale eſt lucrum ceſſans, aut damnum per accidens, vt ſi mancipium fame periit. Tunc ſic. In caſu noſtro res tradenda nullum habuit intereſſe intrinſecum, quia non enti nullæ ſunt proprietates; ergo ratione illius nihil debetur, & aliunde nihil etiam eſt debitum ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis: redditione igitur accepti pretij res videtur abſoluta.

Contraria poſitio eſt communis apud Doctores, ob pactum tacitum.

65 Nihilominus communis ſententia contrarium tenet, quia vt ait P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 16. *num.* 33. contractus tacito conſenſu videntur ſic intelligendi, vt videlicet poſt terminum tenearis ſoluere, vel damna emergentia compenſare; niſi fortè interim in grauem neceſſitatem incideris &c. Pro quo & *Cap.* 20. *num.* 69. ait, quòd quando in contractibus conſtituitur terminus ſolutionis, vel rei exhibendæ; initur tacitum pactum, vt non ſoluens teneatur ad intereſſe, defectu ſolutionis obueniens, iuxta leges citatas *num.* 61. *ſequenti* autem *numer.* 70. caſum impoſſibilitatis excipit, quando impotentia eſt inculpabilis, non tamen ob detrimentum graue rei familiaris. Vnde mirum eſt à Diana pro ſua ſententia citari quem ad vnguem ſequitur Trullench *Lib.* 7. *Cap.* 19. *Dub.* 8. ex eodem principio id tenet P. Molina *Diſput.* 315. *num.* 2. quoniam eo ipſo quòd terminus ſolutioni præfigitur, tacitè, ac virtute cenſetur interuenire pactum, quòd debitor teneatur ad intereſſe; ſi non ſoluat. Iam enim tunc qui dedit, inuoluntariè illo priuatur. Eum cum aliis ſequitur P. Oñate *Diſp.* 107. *n.* 17. & 18. P. Sa *V. Mora n.* 2. pro eodem videtur ſtare, quatenus firmat ſententiam iſtam vſu Mercatorum receptam. Si ergo recepta vſu, pactum videtur tacitum intercedere, & quòd in noſtro caſu recepta ſit, vſu eſt etiam manifeſtum: ſoluunt enim qui poſſunt, cùm tamen ad id per iudices non compellantur quia cauſſæ iſtæ lucem tribunalium reformidant. Et vſum quidem talem, ac tacitum pactum, conuenienter illi inducere potuerunt, quia probatio moræ inculpabilis eſt ſæpè difficilis, & in eo cauſa communis agitur: ſicut enim quis ad intereſſe compellitur, poteſt & ille debitores ſuos compellere. Et in caſu noſtro licet facilè probari poſſit metallum ſufficiens defuiſſe; poteſt tamen emere ab aliis, & ſic emptori ſatisfacere, vnde non eſt ad caſus impotentiæ, velut ad tribunal ſuperius prouocandum.

P. Leſſius.

P. Molina.

P. Sa.

Creditorem poſſe

66 Quod vrgeri vlterius poteſt ex iis, quæ

habet

Digitized by Google

debitorem vſque ad executionem vrgere. Ex quo confirmatio, ſicut ex venditione ſub haſta.

habet P. Molina *Diſput.* 754. vbi licet propter graue detrimentum, quod ad impotentiam reducitur, exiſtimet debitorem excuſari à reddendo debito; addit tamen creditorem ſine peccato poſſe eumdem vrgere, vſque ad executionem faciendam, & venditionem bonorum ſub haſtâ, in quo venditionis genere grauia debitoribus detrimenta congeruntur. Cùm ergo executione vtentes non peccent; ſignum eſt ſic inter Mercatores in vſu haberi, vt excuſationes inculpabilis moræ non admittantur; etiam quando adeò rigido medio ſolutio eſt debitorum vrgenda. Quia ſcilicet in eo communis cauſſa vertitur, dum qui executione vexantur, debitores etiam ſuos poſſunt executione vexare. In caſu autem impotentiæ non eſt mirum, ſi obligatio in conſcientiæ foro non ſit. Quod ſecus accidit in eo, de quo agimus, in quo impotentia non eſt, licet grauamen aliquod adſit: vndè ſatis eſt rationi conforme Mercatores eo modo contrahere, & ita obligationem iuſtitiæ ex non adimpletione reſultare. Eſt ergo vtrumque probabile, & de Hydrargyro ſatis. In fine addendum quod poſt hæc ſcripta comperi, cuſtodiæ Minarum præpoſitos metallum occultè extrahere, & vt poſſunt vendere: quod aliqui ex eo iuſtificant, quia tacitus conſenſus Minerariorum eſt, ex quo omnis ceſſat difficultas. Vnde conſulendus vſus. Quòd ſi in bona fide ſint, nihil mouendum, quia ſuccedet alia, & cum eâ peccatorum copia. Vide *Titul.* 1. *num.* 124.

CAPVT VI.

De contractu circa Indos pro Mineris aſſignatos.

Praxis circa Indos minimè toleranda ex auaritiæ peſte.

67 QVia de Indis Metallariis notanda quædam occurrunt, & de iis præſertim qui in Minerâ ſat celebri argenti viui laborant, poſt contractus circa illud operæ pretium erit diſcuſſionem iſtam ſubiciamus: ſolet namque circa Indos, qui ex diuerſis Prouinciis ad metalla effodienda deſignati ſunt, contractus talis exerceri; vt ij quibus illi dantur, non Indos, ſed pecuniam pro eiſdem accipiant, & certum ſtat vt non pretium habent, iuxta Prouinciarum diſtantiam: ita vt pro quolibet capite quinquaginta argenti pondera, ſiue octiregales quandoque accipiant, pro bimeſtri, & multoties ampliùs; & plerumque accidere, vt perſonaliter euntes prohibeantur, & deterreantur, effregenturque; teſtis eſt D. Eſcalona in Gazophylaico *Libr.* 1. *pag.* 45. vt ſit occaſio mittendi iudicem à Gubernatore, qui per Prætores Prouinciarum faciat eos, qui ex aſſignatis deſunt, pecuniâ compenſari, iuxta taxationem dictam, aut fortè maiorem.

Per reſcripta Regia damnata.

68 In quo quidem adeò aperta iniuſtitia eſt, vt nequeat contractus talis in quæſtionem reuocari. Id quod Philippus Tertius Rex noſter ſuo Regio reſcripto *Anni* 1620. *die* 15. *Iulij*, quod integrum proponit citatus D. Eſcalona *pag.* 44. his eſt verbis proteſtatus, de Indis agens Potoſini montis Minerariis aſſignatis. *Que mas de la tercia parte de los Indios, que eſtan repartidos para la labor de las minas del dicho Eexxo, no lan de ſubir à trabajar à ellas porque los Mineros, à quien eſtan repartidos, los releuan de ello, por cobrar ſiete peſos deâ ocho reales cada ſemana por cada Indio de los que ſe quedan, diciendo que con eſta plata alquilan otros Indios que trabaſen: y que aunque es verdad que algunos lo hazen, los mas en general ſequeduan con la plata, y no lleuan quien trabaje en lugar de los Indios: lo qual demas de ſer coſa que ni en conſciencia, ni en Iuſticia ſe debia permitir, era ocaſion paraque los dichos quintos ayan venido en tanta diminucion.* &c. Pro quo & alia videnda apud Dom. Solorzanum *Tom.* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 17. *num.* 10. *& ſeqq.* & in Politicâ *Lib.* 2. *Cap.* 18. §. *La ſegunda & ſeqq.* vbi reſcripta alia refert, & grauitatem peccati cum reſtitutionis obligatione perpendit, addens nūdinationem aliam Indorum, dū ij, qui eos ad Minerarum laborem accipiunt, aliis vendunt iuſto pretiū in Regia iam ſchedula præmiſſum. In quâ tamen compenſatio pretij videtur approbari, ſi is, qui pro aliquo pretium accipit, ſubſtituat alium, cùm tamen in acceptione pretij dicti ſuaſit etiam difficultas.

Quando compenſatio videatur approbari.

Reſtitutionis obligatio quando manifeſta ob impeditos malitiosè Indos.

69 Et quidem quando Indi à labore prohibentur, & vt non veniant accurratur, pretio eorumdem accepto, reſtituendum illud Indis eiſdem, omnino exploratum eſt: quia ſic pretium dictum imburſans, nullum habet titulum ad illius acceptionē. Si aliquis enim eſſe poteſt, ille profectò, qui ex aſſignatione reſultat, pro labore in Mineris exhibendo, & ſibi vtili futuro: atqui labor ceſſat: ergo & ceſſat titulus. Neque ab Indis compenſatio aliqua exigi poteſt, per quos non ſtat laboris huiuſce defectus, cùm venire, aut redire inuitis accidat, & eſt iuris regula manifeſta, quòd: *cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet; quo minus conditio impleatur: haberi perinde, ac ſi impleta fuiſſet 66. in 6.* Regi autem ob defraudationem quintorum non deberi reſtitutionem aliquam, videtur ex citato reſcripto probari, dum ait: *lo qual de mas de ſer coſa que ni en conſciencia, ni en Iuſticia ſe debia permitir, era ocaſion paraque los dichos quintos &c.* Vbi quod ad quintos attinet, non ad obligationem iuſtitiæ refertur, & ita neque obligatio reſtitutionis inde videtur reſultare.

Cap. Cùm non ſtat. de reg. Iur.

Regi faciendam oſtenditur.

70 Nihilominus id non videtur poſſe negari, quia Indi ſub eâ conditione traduntur; & licet dici poſſit quintorum obligationem aliquantulum minuendam, quia expenſæ maiores iam ſunt, & Mineræ tenuia emolumenta ſuppeditent, quod tamen Rex abſolutè iuribus iſtis defraudari tutâ conſcientiâ queat, minimè poteſt ſuſtineri. Qui ergo in cauſſa eſt vt illis priuetur, ad reſtituendum iuxta prudentis arbitrium obligatur. Neque Regium reſcriptum obligationem in hoc iuſtitiæ negauit, ſed ea generaliter aſſerta, magnum illud Regij patrimonij detrimentum expreſſit, in quo conſtat aliàs iuſtitiam violari. Quemadmodum neque in prædictâ quintorum expreſſione obligatio conſcientiæ adiecta eſt, de quâ præmiſſum. *Que ni en conſciencia.* Et tamen negari nequit quin grauamen aliquod conſcientiæ ſit, quia fides Regi præſtita violatur, bono communi præiudicium infertur, & cauſſa eſt vt Regij vaſſalli plus impoſitionibus grauentur, dum magnum illud quintorum ſubſidium deficit, & pariter maſſa integra, ex quâ illa extrahuntur, pro communi bono ſummopere valitura.

71 Iam

Cõpenſatio praxi recepta multorum iniuſta comprobatur.

71 Iam quod difficile dicebamus, ſcilicet pretium pro Indis accipere, quos ex aſſignatione deeſſe contingit, ex eo ſuadetur, quia Indus non debet dare niſi quantum labor eius æſtimatur; cùm ergo multò minoris æſtimetur iuxta Regiam taxationem, iniquum videtur adeò exceſſiuum pretium reportare. De quo dixi *Titulo* 1. *num.* 135. *& ſeqq.* Nec dici poteſt eos pretium libenter offerre, & ſcienti, ac volenti non fieri iniuriam: quia in eo Indi ſuam redimunt vexationem; eorum ad inſtar, qui ob neceſſitatem vſuras ſoluunt: vnde non eſt verum ſcientes, & volentes eſſe, eo voluntatis gradu, qui ad huiuſmodi ſufficiat: eſt enim voluntarium mixtum, vt communiter Doctores dicunt. Et quis non videat inhumanum eſſe Indum laborem ſuum diurnum pondere argenteo redimere, & ſummam ingentem pro diebus pluribus ſuæ obligationis accreſcere, cuius vniuerſum peculium vix ad illam ſoluendam ſatis eſſe queat?

Circa quã aliqua obſeruatione digna proponuntur.

72 Verùm hæc erit qui audiat quiſpiam, ſed qui exaudiat nullus, cùm præſertim citata ſchedula circa hoc nullum iniicere ſcrupulum videatur. Erit tamen tunc indubitabilis reſtitutionis obligatio, quando ſic ſoluentibus Indis, inueniuntur alij, qui minori velint pretio laborare. Item quando labor eius, qui eum pretio redimit, non erat talis futurus, qualis eius, qui ex argenteo octi-regali conducitur; hi enim robuſti & experti ſunt, & vno die plus emolumenti præſtant, quàm alij duobus, adoleſcentuli, & inexperti; non eſt ſimile pretium exigendum. Vnde cùm Caciquij pro aliquibus perſonaliter non comparentibus, qui eſſe plures ſolent, pretium redemptionis offerant, non debent ſecundùm numerum æſtimari æqualiter, quia in illis multi ſunt viribus inæquales, vt non poſſint conductitiis exæquari. Quæ quidem nimis delicata aliqui reputabunt, qui ad maiora non hærent: ſed iuſtitia delicata res eſt, cùm omnem profliget iniuriam, æqualitatem inducat. Et in hoc quidem non leue aliquod detrimentum vertitur, ſed ſanè ingentia, dum de iniuriis puſillorum agitur, & grandi pro redemptione labores pretio diſceptatur.

CAPVT VII.

Contractus alius Indis & Hiſpanis Metallariis vſitatus.

Fruſtra argenti ab Indis metallarijs ſubrepta an liceat emere publicè expoſita, iuxta prætium quotidianum.

73 Solent Indi in fodinis argenteis laborantes, cùm diues eſt vena, fruſta quædam metalli cum terrâ permixti ſeligere, & ſibi occultè reſeruare. Quæ autem occultè ſuſtulerunt, publicè vendenda committunt, niſi fortè etiam per ſe ipſos vendant: quæ quidem Metallarij emunt vt poſſunt, ſicut & Indi vt poſſunt, vendunt, & numquàm magno pretio; quia non ſunt rerum iſtarum delicati æſtimatores. Circa quem contractationis modum iam pridem iteratæ & ſeriæ ſunt habitæ conſultationes, quia res conſideratione digniſſima videbatur.

Partis negantis fundamenta.

Vt enim non liceret, communia, & certa fundamenta ſuccurrebant, ſcilicet portiones illas metallicas eſſe furtiuas, & ita non emptibiles: res enim furtiua vendi nequit, cùm debeat domino reſtitui, & ita neque emi. Item quia per talem venditionem non transfertur dominium, quod eſt apud dominum rei furtiuæ, & ita venditio eſt nulla. Prætereà: ementes fiunt participes criminis venditorum, quia venditio ſtare ſine emptione nequit. Quo pacto etiam illorum peccata fouentur, quia ſi non eſſent emptores, non eſſent qui vt venderent furarentur. In caſu item præſenti maximum videbatur inconueniens; quia Indi recentis fidei videntes ſua furta emi, & ita non reprobari, exiſtimare poterant licitum eſſe furari. Quid enim furari non liceat, ſi licet argentum? Et argui quidem hoc dilemmate poteſt. Aut Indi peccant, aut non peccant in huiuſmodi ſubreptione: ſi primum, eorum debet peccatum impediri; ſi ſecundùm, debent corrigi, & impediendo contractationem dictam efficaciter edoceri. Et vt demus iuſtificari poſſe ſubreptionem ex eo quòd Indi exiſtiment hoc pacto ſuum laborem compenſari, cui merces eſt ſatis exigua conſtituta: id certè locum non habet in Indis conductitiis, quibus ſtipendium proportionatum tribuitur, & iſti vtpotè expertiores talia furta frequentiùs ſolent committere: & ita cùm eorum furta cum aliis in mercatu concurrant, non debet generaliter eorum contractatio tolerari: & multò minùs frequentari. Deinde ad huiuſmodi contractum permittendum nulla eſſe videtur ratio momenti conſiderabilis; quia neque bono publico vtilis eſt, nec Regi, & facilè poteſt prohiberi.

Pro affirmante rationes.

74 Nihilominùs ſuos habuit contractus iſte defenſores, vnde & auctoritate publica toleratus, pro quo iſtæ eſſe rationes potuerunt.

Prima: etſi prohibeatur, Indos ab huiuſmodi ſubreptionibus non deſtituros, & vendituros occultè, eſſe autem vtilius, publicè talia furta vendantur, ne ſcilicet argenti copia extra Mineralia, in quibus ſunt furta communia, deferantur.

Secunda: etſi Indi furando peccent, à dominis tamen Minerarum debita iſta remitti, dummodò publicè vendantur; ſic enim facilè recuperare oblata poſſunt; vel etiam vt Indi promptiores hac indulgentiâ in labore ſint.

Tertia: quia multoties Indi in hac ſurreptione non peccant, putant enim ſibi licere aliquid reſeruare, quod ſatis exiguum eſt comparatione eorum, quæ aliis ſuo labore comportant. Sicut non peccat vindemiator, qui racemum comedit, aut poma colligens, ſi aliquorum comeſtione laborem alleuiet collectionis, & quidem labor effoſſionis adeò eſt magnus, & horrore plenus, vt non ſit mirum putare Indos iſta ſibi leuamenta licere.

75 Quarta: quia etiamſi peccare contingat, id ex erroneâ conſcientiâ deſcendit, neque oportet eos circa hoc pleniùs inſtruere, nè ad maiora audaciam ſumant: vnde maius peccatum minoris permiſſione cauetur. Si enim manifeſta quandoque peccata ex tali fine tolerari poſſunt, cur non etiam illa, quæ peccata reipſa non ſunt, niſi quatenus ex erroneâ conſcientiâ perpetrantur. Sic frequenter cùm ſerui in Confeſſione de furtis ſe accuſant Dominis factis, Confeſſarij non dicunt apertè in illis non peccare, etiamſi reuerà non peccent, quia domini illis neceſſaria non tribuunt, ne, ſi illis ea aperiatur via, ad inconceſſa perten-

pertentent, cùm difficile ſit intra lineam ſe iuſtitiæ continere.

76 Quinta: nam peccatum tale in Indis non conſtat eſſe mortale: quia licet furari prædicta vt malum quid apprehendunt; non tamen ordinariè in rebus talibus malitiam lethalem aduertunt, ſed quod diſſonum rationi: vt norunt ij, qui cum eiſdem agunt & eorum indoles non diu & ſolerter exculta facilè perſuadet. Quando autem quis eo modo operatur, non peccat mortaliter, iuxta valde probabilem opinionem, pro quâ Doctores adducit Diana *Parte* 5. *Tractat.* 5. *Reſolut.* 31. licèt P. Torres *in Selectis pag.* 152. vocet improbabilem: Quando autem peccatum veniale eſt aliquid, facilè occurrere ratio conuenientiæ poteſt, vt licitus poſſit eſſe contractus.

Facere quod vt malum tātum apprehenditur, non eſſe mortale.

77 Sexta: quia qualecumque peccatum in furtis talibus accidat, qui emit non cooperatur, dum ignorat an quod hic & nunc venditur, ita furtiuum ſit, vt qui vendit nequeat transferre dominium, & actu peccet vendendo. Indis enim multæ iniuriæ fiunt, pro quibus facere compenſationem poſſunt: ad laborandum enim ſupra vires vrgentur ſæpiùs, laboris ſpatia protrahuntur, & merces generaliter eſt tenuis. Pro quo eſt doctrina P. Thomæ Sancij *Tomo* 1. *Conſiliorum*, *Cap.* 7. *Dub.* 3. *num.* 4. de magiſtris ſartoribus fragmenta vendentibus. Et licet conductitiis maior ſolui ſoleat, quia tamen ij pauciores ſunt, non eſt iuxta illos iudicandum, ſed iuxta alios, quorum eſt potiùs commoditas attendenda, ſicut in aliis contingit: ſic enim multa religionis opera publicè fiunt pro fidelium pietate fouendâ, cùm tamen certum ſit aliquos ex illis ad flagitia occaſionem ſumere, & in ciuili gubernatione ludi publici proponuntur pro communi ſolatio, quibus abutuntur plures, quorum non habetur ratio, ne communitas debitâ ſibi recreatione fraudetur. Et in eo genere, de quo loquimur, eſt notanda ſententia P. Sancij *loco nuper adducto*, *numer.* 5. de vendentibus fragmenta ſerica, in quo maior pars iuſtè vendentium attenditur, & ita emi poſſunt.

Fragmenta ſerica vt queãt emi.

78 Septima: quia ea, quæ furto ablata ſunt, poſſunt multoties emi, quando non eſt ſpes dominum ea recuperaturum. Pro quo videri poteſt P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 21. *Dub.* 8. *Dicto* 3. & P. Molina *Diſput.* 118. §. *Illud poſtremò*. Quod præſertim accidit quando publicè venditur. Vbi dici nequit cooperationem eſſe ad peccatum alterius, quia, vt citati, & alij idem tenentes explicant, ex eo quòd quis non emat, non euitatur vendentis peccatum; erunt enim alij plures emptores. Quæ ratio licet difficilis videatur aliquibus, eſt tamen ſatis probabilis, & hoc ſufficit ad negotium præſens, in quo eadem eſt ratio, non ſcilicet inueniendi domini eius, quod venditur.

Furto ablata quãdo emi poſſint.

79 Tandem: quia Minerarij ſcientes furta hæc ſibi fieri, poſſent Indis dicere vt ſibi redderent, & ſe illis aliquid donaturos. In quo quidem non peccarent: tum quia ſuam redimerent vexationem; tum quia abſolutè non ſuaderent peccatum, ſed peccati minorationem: dum enim domino redduntur prædicta, etſi ſub præfato onere, minus peccatum committitur, quàm ſi alijs venderentur. Ex quo fit emere etiam poſſe quando publicè venduntur, ſic enim minus peccatum Indi committunt, quàm ſi venderent aliò exportanda, ex quo ad dominos peruenire non poſſent; quod tamen in publicâ venditione contingere valet; quia licet incertum ſit quid in particulari ad ſingulos pertineat: dum tamen vnus hoc, & alter illud, emunt, ſi non ſuum, ſaltem æquiualens tandem aſſequuntur.

80 Iuxta hæc (quæ quidem apud nullum pro vtraque parte expenſa deprehendi) dicendum forſan aliquibus viſum fuit ſine conſcientiæ ſcrupulo poſſe contractationem talem non ſolùm permitti, ſed etiam ex parte ementium frequentari: ſed contraria & communis ſententia deſerenda non eſt, vtpote efficaciſſimis fundamentis fulcita.

Reſolutio quæſtionis.

CAPVT VIII.

An Mercatores Indici poſſint merces vltramarinas pro libitu vendere, vel pretium illis valeat per publicam poteſtatem imponi.

81 QVando merces abundant, vix vlla ſcrupulo ratio ſubeſt, tunc enim omnia moderatè venduntur, quod ſibi vtilius reputant Mercatores: ſi enim generaliter pretium augeretur, emptores eſſent rariores, & paucioribus eſſent contenti, vt videmus temporibus accidere caritatis: ſic autem merces deteriorarentur, & multi in iis aſſeruandis ſumptus fierent, ac frigeſceret contractatio. Vnde experientia oſtendit moderatum pretium eſſe commodius, & eo pacto plus Mercatores diuitari. Eſt autem difficultas quando abundantia ceſſat claſſium retardatione, qualis diebus proximis, in quibus rerum pretia nimiſquantùm excreuerunt, & Magiſtratus nihil pro communi vtilitate moliuntur, exiſtimantes fortè id ampliùs expedire: vt Mercatores ſcilicet lucris competentibus non fraudentur, ex quorum opulentiâ Regiorum iurium copia dependet, communibus neceſſitatibus occurritur, pia opera confouentur. Sed certè oportet diſcutiamus: poſſunt enim in illis multa iuſtitiæ non conformia deprehendi.

Quid de præſenti ſtatu, & Mercatorum ſtylo.

82 Pro quibus ſtatuendum in primis id quod Doctorum conſenſus firmat, pretium rerum aliud eſſe vulgare, ſeu naturale; aliud legitimum; illud autem non pro cuiuſque libitu debere conſtitui; aliàs naturale & vulgare non eſſet; ſed tot eſſent pretia, quot capita. Debet ergo illius iuſtitia ex prudentium iudicio deſumi, omnibus quæ pro temporum varietate occurrere poſſunt, expenſis. Pro quo videri poſſunt P. Molina *Diſput.* 348. P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 15. *Dub.* 2. & 3. Trullench *Lib.* 7. *Cap.* 20. *Dub.* 1. Nauarra *Lib.* 3. *cap.* 2. Couarruuias *Lib.* 2. *variarum*, *cap.* 3. *num.* 1. & 4. qui plures adducunt, & multò plures P. Oñate *Diſput.* 63. *num.* 59. Erit autem prudens tunc iudicium, quando attento pretio, quo Mercator emit, moderatum ei lucrum relinquitur. De quâ moderatione cùm non ita in particulari Doctores agant, illud pro aſſignatione illius videtur deſeruire, quod apud Mercatores de more habetur circa lucrum ceſſans, quod ordinariè

Pretium vulgare qualiter conſtituendum.

Peculiaris obſeruatio circa illud.

Digitized by Google

nariè ad ſeptem aut octo pertingit, & ita cùm pecunia mutuò traditur cum onere ceſſantis lucri, iuxta eam ſummam ſolet computari, quòd dicitur dari ad damnũ. Eſt ergo moderatum lucrum ſimile, cùm per contractus adquiritur in ordinaria contractione. Solent autem aliquando tales circumſtantiæ concurrere, vt lucrum ceſſans multò ampliùs æſtimetur. Numquam tamen adeò excedit, vt quinquaginta pro centum tribuantur, & multo minùs, centum pro centum. Tale ergo lucrum vltra moderationem eſt in extraordinaria etiam contractatione; ſi certis in hac materia principiis velimus attendere, & non Mercatorum cupiditati blandiri.

Ad Magiſtratum ſpectare pretia rebus imponere ad vſum ſpectantibus frequentiorem.

83 Quia ergo cupiditas malus eſſe conſiliarius ſolet, circa hoc debet Magiſtratuum prouidentia vigilare. Adhibendum ergo eorum Mercatorum conſilium, qui & periti, & Dei ſint timore conſpicui; multi enim tales inueniuntur. Eſt enim certum ad Magiſtratus ſpectare, rerum pretia ſtatuere, non ſolùm quæ ad victum pertinent, ſed etiam aliarum, quæ ad ordinarium vſum conferunt; quia omnium eadem eſt ratio: & ſicut in agricolis poteſt frugum pretium augere cupiditas, ita & in Mercatoribus, in quibus maior eſſe illa ſolet, vt meritò de ipſa Caſſiodori ſit illud vſurpandum: *In immenſum iactata rapitur, ſi iuſtitiæ ponderibus non prematur. lib. 4. variar.* 39. Pondere ergo iuſtitiæ pretia rerum ſunt omnibus attentis ſtatuenda; circa merces omnes ad neceſſitates hominũ conducentes. Vnde Auctores generaliter loquuntur de mercibus, vt videri poteſt ex multis, quos adducit Couarruuias *Lib.* 3. *Var. Cap.* 14. *n.* 3. Videantur etiam P. Molina *Diſp.* 364. & præſertim verſ. *Dubium eſt.* Vbi in ordine ad pretij taxationẽ frumentum, & coriũ pro calceis iungit. Card. Lugo *Diſp.* 26. *Sect.* 4. qui *n.* 49. adducit Doctores aſſerẽtes valde conueniens eſſe vt pretia rerum taxentur, quæ ad vitam hominum magis neceſſariæ ſunt, & ne Mercatorum arbitrio relinquantur. Mercatoribus ergo pondera iuſtitiæ præcipuè imponenda ſunt. Et licet ſint, qui apud eumdem Cardinalem cenſeant non expedire pretia rebus imponere, quia tempore abundantiæ non eſt opus illis, & neceſſitatis tempore non ſeruantur; fatentur tamen poteſtatem Magiſtratuum ad talem pretij impoſitionem extendi, & obligare quando rationabilis eſt attentis circumſtantiis: neque ad ſola victualia coarctari, vt videri poteſt apud P. Rebellum *ſecunda parte. lib.* 9. *quæſt.* 2. *num.* 4. & 5. qui non negat abſolutè conuenientiam taxationis pretij, vt illi adſcribit citatus Auctor, ſed quatenus per accidens ſolet vitio hominum inutilis reddi, neque alia eſt mens Nauarri pariter citati in Manuali *Cap.* 23. *num.* 88. vnde poſitio noſtra communi omnium Scriptorum eſt calculo comprobata; pro qua etiam poteſt conſuli P. Thomas Sancius *Tomo* 1. *Conſilior. lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 4. *n.* 11. vbi poteſtatem taxandi ad omnia ſe extendere ait, ſed præſertim ad ea, quæ vitæ neceſſaria ſunt. Pro quo & P. Oñate *Diſp.* 65. *Sect.* 2.

Cupiditas frenanda Mercatorum.

Obligat taxam, cum eſt rationabilis.

De vltramarinis mercibus eamdem eſſe rationem.

84 Et hæc quidem communis, & inconcuſſa doctrina ad eas etiam merces pertinet, quæ vltramarinæ ſunt; nam in illis ſicut pretium eſſe vulgare poteſt, ita & legitimum. Attentis enim nauigationis laboribus, periculis, & expenſis, conſtat illas communem æſtimationem non excedere, & iuxta illam prudentium iudicio poſſe commutari, vnde & per publicam poteſtatem earum pretium definiri. Omnia prædicta æſtimationis motiua augent quidem æſtimationem; ſed in illa ſui ſunt certi fines. Quemadmodum in iis, quæ è longinquis regionibus per terram adducuntur certa æſtimatio eſt, & non immenſa. Non eſt autem alia ratio eorum, quæ per mare tranſportantur; quod quidem minoribus ſumptibus conſtare ſolet, & etiam periculis; cùm manifeſtum ſit id quod aliàs inquit Apoſtolus 2. *Cor.* 11. *v.* 26. *In itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine*, &c. & Auctores quidem de pretio loquendo exceptionem vltramarinarum mercium nullam faciunt, ſed de illis generaliter pronuntiant; cùm conſtet innumera eſſe, quæ per mare tranſuehuntur. Et nauigatio quidem adeò facilis reddita eſt ad ordinaria commercia, vt ſine horrore vllo ſuſcipiatur. Nec ſolùm generali illas locutione comprehendunt, ſed in particulari de illis agunt; & videri poteſt apud P. Molinam *Diſput.* 348. in principio; & in fine. verſ. *Quando de nouo*, vbi agit de pretio ligni Braſilici, & de iis, quæ ex Indiâ aſportantur, & quomodo taxandum ſit. Scotus item, Maior, Couarruuias, Medina, & Conradus apud eumdem ibidem, §. *Ex dictis* de Mercatoribus agunt, qui infortunia naufragiorum patiuntur. Sicut & Bonacina *Diſput.* 3. *de Contractibus, Quæſt.* 2. *puncto* 4. *n.* 29. & quomodo pretium ex eo augeri, aut non augeri queat: & negantium ſententiam amplectitur P. Leſſius *Cap.* 21. *numer.* 29. & Cardinalis Lugo *num.* 41. non ergo poteſt circa hoc eſſe dubitatio, Quibus præiactis

85 Dico primo. In Indiis non poſſunt Mercatores pro libitu vendere, ſed debent pretij rationem habere, quæ generaliter aſſignatur; non quidem iuxta ipſorum Mercatorum commune iudicium, quod cupiditas elicit, ſed iuxta prudentem conſiderationem; de qua dictum. Iuxta hæc ergo iniquæ venditiones ſunt, in quibus non ſolùm centum pro centum, ſed & bis centum, & ter, ac quater lucrantur, vt modò videmus, quando vna ceræ libra vltra ſex octiregales venditur, vno vendi ſolita cum non exiguo lucro, nullis circa hoc genus nouis factis expenſis, ſed raritate aliquâ inductâ ob Claſſium retardationem. Et ad hunc ferè modum in aliis accidit. Quod ex dictis redditur manifeſtum, & prætereà ex eo quòd ea quæ ex Indiis in Europam aſportantur moderatum pretium habent, vt nuper dicebamus, & argentum, atque aurum Indicum more aliorum ſimilium metallorum æſtimatur: ergo & è conuerſo in iis, quæ ex Europa aduehuntur idem eſt prorſus aſſerendum.

Aſſertio 1. In Indijs Mercatores pro libitu vendere non poſſe.

86 Dico ſecundò. Non expedit vt omnibus mercibus pretium legitimum imponatur: ſic P. Molina *Diſput.* 364. verſ. *Dubium eſt* Cardinalis Lugo *Diſputat.* 26. *num.* 50. & alij citati *num.* 83. Ratio eſt: quia taxatio pretij in tanta mercium diuerſitate eſſet valde difficilis. Tum etiam, quia Doctores agentes de conuenientia taxationis pretij, dicunt eam tunc contingere; cùm circa ea verſatur, quæ ad vſum hominum ſunt neceſſaria: atqui quamplurimæ ſunt merces,

Aſſertio 2. Pretium rebus omnibus non eſſe à publica poteſtate taxandum.

ces, quæ voluptati, aut vanitati potiùs, quàm neceſſitati ſeruiunt: ergo circa illas non eſt opportuna taxatio. Hac ratione lapidibus pretioſis, & quibuſdam aliis, de quibus P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 15. *Dubit.* 3. pretium nullum aſſignatum eſt, & ita poſſe vendi pro vendentium libitu, multorum ſententia eſt, quamuis contrarium teneat citatus Auctor, & Cardinalis Lugo *num.* 47. cum aliis. Sic etiam non eſt cur debeat Gubernator de pretio curare quo vlna lintei Cameracenſis venditur, quod modò ad duodecim octiregales excreuit: nec de garapinis, exquiſitâ purpurâ pro palliis nobilium, galeris caſtoreis, & ſimilibus, quorum excedens pretium poteſt aliquando vtile cenſeri Reipublicæ, vt ſic vanitati, & voluptati minùs ſeruiatur.

Nonnulla exprimuntur.

Aſſertio 3. In aliis eſſe conueniens oſtenditur.

87 Dico tertiò. In mercibus aliis quarum vſus eſt neceſſarius, valde expediens eſt pretium à Magiſtratibus aſſignari: Tales ſunt, lintea communis vſus, panni diuerſorum generum, in quibus villoſi funeribus ſeruientes, ſericum non exquiſitum, cera, ferrum, papyrus, & alia quæ poterit prudens Magiſtratus conſilio peritorum adhibito examinare, an ſcilicet ex neceſſariis ſint, vel Mercatorum arbitrio relinquenda: & quidem in cerâ, cùm illa diuino cultui præſertim deſeruiat, inhumanum, & irrelligioſum videtur eam pretio exorbitante diuendere, & diuendentium cupiditatem ſine habenis currentem non frænari. Vbi non eſt quòd timeatur hoc pacto occultandas merces, & maiora futura Reipublicæ detrimenta. Quo euentu abſtinendum à taxatione Doctores aduertunt, vnde & eas nonnulli non eſſe conuenientes dicunt de quo *num.* 83. nam licet poſſit accidere vt aliquandiu occultatio fiat, non poteſt eſſe diuturna, quia valde eſſet Mercatoribus nociua. Deinde pœnis compelli ad vendendum poſſunt, & eorum apothecæ viſitari, quæ omnia rectè cederent ſi diuini ſeruitij, & boni publici zelus in gubernantibus cerneretur.

Partis aduerſæ rationes expunctæ.

88 Neque illa quæ *num.* 81. ſunt adducta pro excuſanda huiuſmodi remiſſione ſufficiunt: licet enim regia iura ex Mercatorum opulentiâ ſuccreſcant, ciuium tamen decreſcunt facultates, ex quibus ſui etiam Regij prouentus habentur. Neque Rex ita iurium ſuorum requirit augmentum, vt non ſit illi potior vaſallorum ſalus, tranquillitas, & commoda viuendi ratio. Vult ergo corpus Reipublicæ vegetum, & ſucculentum eſſe, licet non impinguentur ſanguiſugæ. Quod autem ad communes neceſſitates attinet, omnino eſt tali modo agendi cōtrarium, quandoquidem illis extantibus tyrannicè agunt, exceſſiuis pretiis plus indigos onerando. Auferunt ergo à multis vt dent paucis, quæ ſuperfluunt, cùm ſatius eſſet multorum indigentiam remiſſione pretiorum ſubleuare. Per quod eſt etiam ad id, quod de operibus piis dicitur, reſpondendum. Pietati namque iuſtitia præferrenda eſt; nec Deo grata ſacrificia ſunt, quæ ex iniuſtis compendiis offeruntur. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino; multi dicunt: quis oſtendit nobis bona?* *Pſalm.* 4. *v.* 6. vbi Mercatorum videtur eſſe vox: *quis oſtendit nobis bona?* id eſt *diuitias.* vt habet Campenſis *in Paraphraſi.* Illis ergo dicitur, vt ita ipſis comparandos ſtudeant, quòd Deo ſacrificia iuſtitiæ poſſint immolare. Hæc enim grata Deo; non illa, quæ ex indigentium exſucto ſanguine proferuntur.

Pſalm. 4. verſ. 6.

Aſſertio 4. obligari ad reſtitutionem vt ſuprà vendentes.

89 Dico quartò. Mercatores exceſſiua pretia reportantes, non ſolùm peccant grauiter, ſed ad reſtitutionem obligantur. Hoc eſt conſequens ad prædicta, & tenent omnes Auctores citati, & alij, quos ipſi adducunt, ſiue de pretio legitimo ſiue de vulgari loquamur. Cùm enim in hoc violatio iuſtitiæ commutatiuæ interueniat, & aperta rapina, dum id, quod non eſt debitum, contra ementium acquiritur voluntatem, per reſtitutionem debet talis inæqualitas ad æqualitatem reuocari. Videatur præter adductos Bonacina *ſuprà.* verſ. *Non tamen.* Quia verò innumeri ſunt qui his indigentiæ temporibus vendunt, vt poſſunt, quique ab eo lucrandi progreſſu, propoſito iniuſtitiæ, & conſequenter damnationis ſcopulo, in quem paſſim impingunt, non poterunt auocari, videndum an via ſit aliqua, quâ ſecurè poſſit eorum conſcientia procedere; quod tunc accidet, cùm probabilitatis aliquid in oppoſita ſententia fuerit deprehenſum: pro quo oportet inſcrutemur.

Circa probabilitatem partis aduerſæ quæſtio.

Rem poſſe vendi pro vendentis libitu, quā cenſuram mereatur.

90 Et generaliter quidem aſſerere rem vendi poſſe eo pretio, quo quis voluerit, quod ſonat *L.* 1. §. *Si heres. D. ad Senatus Conſultum Tabell.* dum in ea dicitur rem tanti valere, quanti emi poteſt, non ſolùm improbabile, ſed erroneum ex Bañez, & Aragon, proponit Bonacina loco nuper adducto: quamuis ipſe nullam cenſuram adhibeat; ſicut neque alij ab eo adducti. Quamuis P. Molina *Diſp.* 351. verſ. *Ad ſecundum.* dicat Iuris-Conſultos quoſdam, qui ita cenſuerunt, erraſſe turpiter: quod aliud profectò eſt à cenſura erroris Theologici, qui eſt hæreſi proximus. Nihilominus ſententia illa ſic generaliter prolata nequit vllo pacto ſuſtineri, licet eam nonnulli tenuerint; de quibus P. Molina *Diſputatione illa in principio*, qui contrariam tantùm proponit vt communem. Sed eſt valde illa diuerſa ab eâ, circa quam verſamur; quando ſcilicet propter mercium raritatem pretia accreſcunt: tunc enim eſt diuerſa ratio ab eâ, quæ pro ſententia dicta generaliter proponitur; quemlibet ſcilicet in euentu quocumque poſſe pro arbitrio vendere, quòd eſſe contra iuſtitiam videtur manifeſtum.

In caſu præſenti nō procedere.

Primum fundamentum probabilitatis ex ſententia circa res non habentes taxatum pretium.

91 Vt ergo in caſu, de quo loquimur, probabiliter liceat, hæc fundamenta ſuccurrunt. In primis: quia Doctores graues docent ea, quæ non habent pretium taxatum à Principe; vel à communi hominum æſtimatione, poſſe quem vendere pretio, quo voluerit; cuiuſmodi ſunt gemmæ, falcones, ſtatuæ antiquæ, picturæ veteres, canes inſignes, & alia. Sic plures, quos adducit Bonacina *ſuprà num.* 25. atqui in caſu noſtro merces non habent pretium taxatum à Principe, neque etiam videntur habere à communi æſtimatione, quia ſi illa deſumenda eſt à peritis Mercatoribus, illi ſunt in hoc modo vidēndi primarij, & ita modum talem videntur approbare, cùm probi aliàs ſint, & timentes Deum; non ergo determinatum communi æſtimatione pretium haberet.

Secundum ex ſententia alia circa damnum.

92 Deinde Doctores etiam graues ſunt, qui affirmant poſſe Mercatores pretium augere, ob ereptam lucrandi occaſionem mercibus aliis, in quibus iacturam paſſi, vt ſi nauis ſit ſubmerſa, in

qua

Digitized by Google

na in mercibus à Mercatoribus toleratu.

quâ illæ aſportabantur, aut capta ab hoſtibus, vel domus exuſta, in quâ aſſeruabantur. Tunc enim damnum illud recompenſari poteſt cariùs vendendo: quæ eſt ſententia Scoti *in* 4.*diſt.*15. *q.*2. *art.*2. ad finem maioris ibidem *q.* 41. & aliorum; non enim ducibus tantis deeſſe aſſeclæ potuerũt. Tunc ſic: Mercatores his retardationis claſſium temporibus grauia damna patiuntur, quandoquidem pecunias otioſas habent, & contractatio friget, vnde & videmus eorum eleëmoſynas eſſe valde tenues, quæ anteà abundantiores videbantur, dum illi lucrorum tenuitatem pro cauſſa reddunt; ergo probabiliter poſſunt damna iſta aucto eorum, quæ vendunt, pretio compenſare.

Tertium ex alia itẽ circa leuitatẽ & imprudentem emptorem.

93 Præterea, ſententia eſt D. Antonini, Angeli, Conradi, & Sylueſtri, quos adducit Nauarra *Lib.*3. *Cap.*2. *num.*30. eum qui ex leuitate mentis, ſeu imprudentia emptoris rem pluris vendit, cõmittere iniuſtitiam, id quod etiam alij communiter tenent. Medina autem apud eumdem, contrarium ſentit, & probat: ſibi enim imputet ſtultus emptor. Cùm autem Nauarra ipſe communem amplectatur ſententiam, ſic concludit: *ſed prior ſententia videtur verior, ſi latitudo iuſti pretij excedatur.* Hæc ille: quibus ſatis oſtendit dictam ſententiam eſſe probabilem, cùm ſuam, & communem tantùm dicat veriorem: & ita intellexit P. Bauny *Lib.*1. *de contractibus quæſt.*12. *verſ. An autem.* Quod & indicat Bonacina *ſuprà num.* 23. *Verſ. Tertiò, Quando.* Vbi cùm ſententiam communem proponat, ſic concludit: *Quidquid aliqui ſentiant in contrarium.* Sunt ergo contrarium ſentientes, in quorum ſententia nihil notandũ deprehenditur, niſi quòd communi, & veriori refragetur. Quis autem non videat eamdem eſſe rationem, quando quis ſpontaneus emit penuriæ tempore? immò maior videtur eſſe ratio, quia in hoc veriùs comprobatur, quod inter regulas iuris habetur; videlicet ſcienti, & volenti non fieri iniuriam: qui enim ex imprudentia emit, non videtur eſſe ſciens, & volens, cùm genus ignorantiæ ſit imprudentia.

Quartum ex venditione ſub haſta.

94 Item in venditione ſub haſtâ illud cenſetur pretium juſtum, quod extorqueri poteſt, etiamſi aliàs res ſecundùm ſe conſiderata minùs multò valeat, de quo diximus aliàs, *Titul.*4. *num.* 43. & *Titul.* 5. *num.* 16. & videri etiam poteſt Bonacina *ſuprà num.*21. *verſ. Ex quo patet:* vbi plures Auctores adducit. Ergo ſimiliter dici poteſt tempore penuriæ. Conſequentia oſtenditur: nam quod ibi facit licitantium fauor, poteſt hic facere generalis neceſſitas, quæ non habet legem; & ita omnes Doctores conueniunt, quando talis eſt, pretia rerum accreſcere. Et licet communiter dicatur in ſubhaſtatione id eſſe licitum quia ſic emens omnino voluntariè emit, & ſciens, ac prudens talem tribuit exceſſum, vnde & donatio præſumitur, cùm neque ignorantia, nec vis, nec fraus, neque neceſſitas cogat: in caſu etiam noſtro idem dici poteſt: & quod ad ignorantiam, vim, & fraudem ſpectat, manifeſtum eſt; quoad neceſſitatem verò eſt ratio facta: quia neceſſitas, de quâ loquimur, pretium auget. Et præterea ſtare poteſt, vt is, qui in ſubhaſtatione emit, ex neceſſitate emat, illi neceſſitati ſimili, quę in mercibus tempore penuriæ occurrit; nec propterea Doctores, qui licitum talem venditionis modum affirmant, illum in tali caſu illicitum pronuntiarunt. Et certè, qui ita emunt contra licitantes, & ſic deſiderium rem comparandi feruidum declarantes, ſatis eo oſtendunt rem ſibi neceſſariam eſſe, & ita frequentiùs accidit.

Ex neceſſitate non videri vrgentem rationem.

95 Quod ſi ſolus titulus neceſſitatis obſtare dicitur, vt non liceat in penuria rerum, quod in ſubhaſtatione: ex eo manifeſtè ſequitur res illas, quæ non neceſſitati, ſed voluptati, aut vanitati ſeruiunt; poſſe à Mercatoribus vendi eo pretio, quod potuerint extorquere. Poterunt ergo delicata lintea, vt byſſum, Ruanum, Cofreſium, Cameracum, vulgo *Cambray*. Purpuram, pannum Anglicum, ſericas telas, quibus delicatiores vtuntur, Puntas Flandricas, ambarum, muſcum, algaliam, mappas Alemanicas, tibialia rarioris texturæ, theriſtra ſubtiliſſima, flammeola, & his ſimilia dicto modo vendere. Si autem hoc admittatur, ex eo ad alia fieri argumentum poteſt, quia difficile eſt gradum neceſſitatis attingere, & cùm penuria circa prædicta eorum pretium auxerit, conſequenter videtur dicendum, pretium aliorum propter eamdem rationem augendum.

Poſtremum ex ſententia Patris Bauny & aliorũ circa fraudẽ intra latitudinem iuſti pretij, & eiuſdẽ Auctoris circa caſum præſentem.

96 Tandem P. Bauny *ſuprà Aſſertione tertiâ*; cùm ſic ſtatuat: *Debet proinde debitor emptori decepto reſtituere exceſſum pretij, in quo ſe læſum queri iuſtè ille poteſt.* & ratione à nobis adductâ, & communi probet, ita ſubdit: *Quia tamen contraria ſententia eſt probabilis propter Auctores, qui illam ſibi defendendam exiſtimant, etſi iuxta eam perſuadendum non ſit pœnitenti, ne reſtituat; dici tamen poteſt ſufficere, ſi hic ex animo cum proximo acturum ſe in poſterùm ſincerè, ac ſine fraude ſpondeat: quia operari ex ſententia probabili in fauorem ſui pœnitentis fas eſſe, tam ipſa ratio, quæ cuique natura eſt inſita, quàm Theologorum Schola ingens Doctorum, ac numeroſa non vltimarum partium turba docet: ſed multorum eſt hominum doctrinâ, & virtute præſtantium opinio, fraudem, quæ intra iuſti pretij limites vendendo admittitur, eò quòd hæc charitati dumtaxat aduerſetur, iuſtitiæ neutiquam, neceſſitatem reſtituendi non parere: hæc ergo, etſi conſuli debeat, non tamen imponi.* Hæc ille: iuxta quæ ſatis apparet quantò id potiùs in noſtro ſit caſu dicendum, vbi nulla fraus interuenit, ſed venditor id apertè petit, quòd iuſtum putat, & emptor ſciens & volens emit; ſciens planè penuriam inducere caritatem. Quod ampliùs vrgebit, ſi addamus leges negantes actionem emptoribus intra medietatem juſti pretij, ſecuros in conſcientia reddere venditores, quod latiſſimè probat D. Eſcobar à Corro *Tractatu de vtroque foro. Art.* 5. *in caſu percelebri poſt. num.* 364. Vbi & multos pro eo Auctores adducit, vt non debeamus P. Bauny doctrinam admirari.

In illius philoſophādi modo quid implexum.

97 Videtur autem prædicti Auctoris concluſio non eſſe ad rem; quia Aſſertio tertia, ſuprà quam eà doctrina cadit non fuerat pro fraude intra latitudinem juſti pretij, ſed generaliter de exceſſu pretij, in quo læſio eſſe poteſt; non ergo aptè & ad rem pro illa concluditur, quando de altera eſt ſermo. Ad quod reſponderi in primis poteſt, quidquid de eo ſit, ad nos non ſpectare defenſionem; ſed an conſequentia in dictis, aut modo dicendi ſit, ipſi viderint, qui dum ſcripta euulgant, ea omnium cenſuræ committunt. Sed in præſenti dici poteſt; licèt Auctor dictus non ſic manifeſtè deduxerit, ex quadam ſententia pro alia

aliâ argumentum inſtruere. Sunt enim qui dicant quòd quando deceptio eſt intra latitudinem iuſti pretij, non eſt contra juſtitiam, ſed contra fidelitatem, vt videri poteſt apud P. Molinam *Diſput*. 351. cuius oppoſitum tenet ipſe, ſicut & P. Filliucius *Tractat*. 35. *num*. 72. Bonacina *ſuprà*, *verſ. Reſpondeo non poſſe*, *nu*. 6. & alij. Iuxta quam ſententiam ait conſulendum eſſe pœnitenti, ſed onus illi reluctanti non imponendum, quia contraria eſt probabilis. Sed ego adhuc hæreo non inueniens multos illos doctrinâ, & virtute præſtantes ita ſentientes, quando vnum tantummodo ſuppreſſo nomine refert P. Molina: quidquid de hoc ſit; ſententia, de quâ agimus, probabilis viſa eſt viro docto, & erudito: ergo non erit damnandus qui iuxta illam in fauorem pœnitentium judicauit. Hanc illis ſalutis aperiamus viam, ne latam illam, & ſpatioſam, per quam filij perditionis ambulant, amplectuntur. Non tamen ſine animaduerſione prætereundum, quod citatus Auctor habet in principio dictæ quæſtionis, vbi ita ſcribit: *Proponi poteſt hæc quæſtio tam de emptoris imprudentiâ, quàm de vendentis malitia, cùm ſcilicet dolo, fraudeque ementem venditor circumuenit; quod facere eum poſſe intra, vel vltra juſti pretij dimidium Scriptores tradunt*. Sic ille; qui ſtatim apponit exemplum, *vt ſi res* valet tantùm decem aureis, deceptio erit vltra dimidium juſti pretij, ſi quindecim & medius exigatur, intra dimidium *ſi duodecim tantùm*. Hoc ergo fieri poſſe ex ſcriptorum ſententiâ proponit, ac ſi id communi eorum ſit aſſenſu firmatum; cùm tamen contrarium ſtatim aſſerat: non ergo ita accipiendum vt verba præſeferre videntur, ſed ita vt ſenſus ſit; quoſdam eſſe ſcriptores ſic aſſerentes; aliàs immeritò ſic ſtatim adderet: *& de vtraque hac deceptione quæritur, an ſit mortalis, & ex ea naſcatur reſtituendi obligatio*. Et immeritò etiam ſtatim eſſe illicitum affirmaret. Quod quidem animaduertiſſe oportet, quia ex vno aliquando boni Auctoris verbo inaduertenter poſito, ſolet occaſio abſurdæ opinionis aſſumi. Sed iam ad alia.

Quid tandem circa probabilitatem.

Auctoris eiuſdem dicta quædã lucidata.

CAPVT IX.

De lucro Ceſſante, & quomodo in contractibus Indicis illius ſit habenda ratio.

Ratione lucri ceſſãtis poſſe aliquid vltra ſortem accipi ſententiam eſſe practicè certam.

98 DE lucro ceſſante frequens apud Auctores mentio de contractibus agentes, ex quibus præ aliis fusè, grauiter & accuratè P. Molina *Diſput*. 314. & duabus ſeqq. & *Diſputat*. 355. & ex nouioribus Cardinalis Lugo *Diſput*. 25. *à num*. 86. ſolidè & ingenioſè, vt ſua ſit laus etiam aliis, qui poſt eum ſcripſerunt ex Societate noſtrâ, aut quorum ſcripta jam anteà, in lucem tamen poſteà prodierunt. Iuxta quos, & alios pro certâ ſtatuenda eſt ſententia, affirmans licitum eſſe cariùs vendere & aliquid vltra ſortem exigere ratione lucri ceſſantis. Pro certâ quidem: non tantùm ſpeculatiuè loquendo contraria probabilis non ſit, quam tenuerunt multi, quos ex aliis congerit citatus Cardinalis Lugo *num*. 87. ſed quia affirmatiua ita eſt vſu recepta, vt de illâ nequeat practicè dubitari, ſed quaſi aliæ, quæ omnino ſunt certæ circa contractus, amplecti; & ita eam tenent quotquot his temporibus ſcribunt, & multis retrò annis ſcripta peruulgarunt. Videantur plures apud eumdem, *num. citat. Verſ. Secunda ſententia*, & P. Becanus *Quæſt*. 4. *de vſurâ*. P. Turrianus 2.2. *Tom*. 2. *Diſput*. 61. *Dub*. 2. P. Palaus *Diſput*. 4. *de Iuſtitiâ*, *Punct*. 5. P. Fagundez *Lib*. 5. *de eadem*, *Cap*. 31. P. Dicaſtillus *Lib*. 2. *Tractat*. 10. *Diſputat*. 2. *Dub*. 4. Malderus *Pag*. 446.

Fundamentum illius in Iure Canonico.

99 Habet autem ſententia iſta indubitabile fundamentum in iure Canonico propter duorum Pontificum deciſiones, ſcilicet Alexandri Tertij in Cap. *In ciuitate de vſuris*. & Gregorij Noni, in Cap. *Nauiganti, eodem titulo*. Prior enim declarat non eſſe contractum vſurarium, ſi quis merces, quas vendit, & vltra quinque libras non valent, pro ſex vendat, ſoluendis eo tempore, quo talem ſunt valorem habituræ. *Niſi dubium ſit res illas plus, minusúe ſolutionis tempore valituras*. Quæ ſunt verba Pontificis. Iuxta quæ ſi ſex accipi poſſunt pro valentibus quinque tempore celebrati contractus, eò quòd plus valituras ſperatur, manifeſtum eſt titulo ceſſantis lucri id fieri poſſe; quia ſi quinque tantùm darentur tempore ſolutionis, venditor lucrum libræ vnius amitteret; & quidem Pontifex ad augmentum illud pretij ſatis eſſe ait, ſi dubium ſit plus minusue ſolutionis tempore valituras. Vnde ſi valde probabilis ſpes ſit, id erit certius: videtur autem difficile, quod ob ſolum dubium ſit tantumdem ſoluendum, quantùm ſi probabilis, ac certitudini æquiualens eſſet ſpes; quia ratio videtur eſſe diuerſa, & ita Doctores communiter tradunt minoris eſſe æſtimandum dubium, quàm ſpem, in quo non videtur eſſe dubium poſſe, quando ſpes veroſimile habet fundamentum. Immò etiam tunc, quia omnimoda certitudo non eſt, aliquid videtur de lucro detrahendum: quia ſpes non æquiualet poſſeſſioni, & ita in *L. Minus* 205. *de regulis iuris*, ſic dicitur: *Minus eſt actionem habere, quàm rem*. Pro quo P. Molina *Diſput*. 316. *Verſ. Hinc iam patet*. Niſi ſpes, vt dixi, adeò certa ſit, vt æquiualeat pœnitus poſſeſſioni; tunc enim communis, & receptiſſima ſententia eſt tantumdem valere, juxta ea, quæ habet P. Leſſius *Lib*. 2. *cap*. 21. *Dub*. 8. licèt oppoſita ſententia ſit ſatis probabilis.

Cap. In ciuitate, de vſuris, expenditur.

Spes quanti æſtimanda, & quid plus quàm dubium.

100 Dici ergo poteſt Pontificem tantùm velle exceſſum illum pretij æſtimandum ſecundùm rationem dubij, in quo plus, & minus valoris ſolet attendi, vnde dictio illa, *Plus minusúe*, eſt ita in vſu, vt applicari poſſit etiam cùm locus non eſt in ordine ad minus, ſi tamen ſit in ordine ad plus, quia in ipſo, quod plus eſt, poteſt eſſe minus, quod tamen non curatur, ſed ſolus exceſſus, ratione cuius dictio talis vſurpatur. Itaque cùm Pontifex ait: *Niſi dubium ſit res illas plus, minusúe valituras*; idem eſt acſi diceret: *Plus valituras*. In ipſo autem exceſſu valoris eſſe plus, & minus poteſt, licèt eſſe nequeat in neceſſario exceſſu ſex ad quinque: ſi ergo dubium eſſet an merces valituræ eſſent ſex libras, aut minùs, non poſſent pro ſex libris vendi,

Senſus verborũ Pontificis in citato Capite declaratus.

Digitized by Google

vendi, quia pretium ſex librarum eſſet incertum, & ita minùs valerent iuxta dicta. Debet ergo dubium eſſe circa valorem vltra ſex : tunc enim meritò ſex peti poſſunt. cùm tamen non ſit dubium minus quàm quinque valituras; ſi enim eſſet, peti non poſſent, quia tunc lucrum eſſet incertum, & etiam damnum ex minori valore; vnde vnum alio compenſatur. Sic ergo breuiùs & faciliùs dici poteſt, *Plus minuſue valituras.* Sic eſſe accipiendum vt ſenſus ſit, plus, minuſue, quàm ſex libras, non plus, minuſue, quam quinque; ſic enim deciſio rationi conſonat, & communi Doctorum ſenſui non contradicit: licet reuerà modus loquendi Pontificis aliud videatur indicare.

Augmentum pretij an habere poſſit. qui merces non erat ſeruaturus.

101 Sed eſt vlteriùs difficultas alia non leuis circa eamdem deciſionem; an ſcilicet ita illa currat, vt augmentum pretij dictum habere Mercator poſſit; etiamſi paratus eſſet merces ſtatim vendere, & reuerà vendidiſſet huic ſex libras promittenti, ſi quinque traderet de præſenti, aut alteri cuicumque. An verò intelligenda ſit pro eo tantùm caſu, quo venditor merces erat vſque ad tempus ſolutioni aſſignatum ſeruaturus. In quo affirmat Caietanus 2.2. *quæſt.*78. *art.*2. *ad* 7. probans, quia in hoc æqualitas pretij ſeruatur in contractu venditionis, qui tunc conſummatur, cùm ſit ſolutio: atqui ſolutio ſit tempore, quo res plus valet, ergo pretium tunc currens eſt attendendum. Nec aduerſari exiſtimat deciſionem. *Cap. Nauiganti*: in quo ſic habetur: *Ratione huius dubij* (ſcilicet circa pretium tempore ſolutionis) *excuſatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, vt amplius, quàm nunc valeant, in certo termino recipiat pro eiſdem: ſi tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.* Ait enim caſum eſſe diuerſum, & Gloſſas vtriuſque capitis perperàm eumdem reputare. Sed contra illum præter Gloſſas eſt communis ſenſus Scriptorum, & videri præſertim poteſt P. Molina *Diſputat.* 355. verſ. *Dubium eſt*, vſque ad finem: vbi ſolidas, & vrgentes rationes adducit. Ego illud ſolùm expendo, quod videtur apertè conuincere. Nam ſi propterea ampliori pretio res vendi poteſt dilatâ ſolutione, quia quando ſoluitur tunc conſummatur contractus, ergo quoties non ſoluitur, non eſt conſummatus contractus, & ita ſiue res ſeruanda ſit, ſiue non, ad tempus eſt ſolutionis attendẽdum. Atqui hoc ſtare non poſſe eſt manifeſtum ex adducta deciſione. *Cap. Nauiganti, ſi tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.* Ergo ſi venditurus, tunc conſummatur contractus, & ita non eſt ad ſolutionis tempus attendendum. Iuxta Caietani ergo ſententiam non alium ſenſum habent Pontificis verba, *ſi tamen ea in tempore contractus non fuerat venditurus*; ac ſi diceret, *etiamſi tempore contractus ea fuerat venditurus.* Quæ eſt omnino oppoſita propoſitio, ſed quam citatus auctor amplectitur, iuxta quem hæc eſt vera: *Plus accipi poteſt tempore ſolutionis, quam res valebat tempore traditionis; etiamſi venditor illam in tempore contractus non fuerat venditurus.* Et ipſa Pontificis verba ſatis clarè indicant tunc contractum perfici, quando res traditur, vocat enim illud tempus contractus; *ſi tamen ea in tempore contractus.* &c. Cùm tamen nullo modo dici poſſit tempore ſolutionis contrahere, vt eſt indubitatum; quia tunc non contrahitur obligatio, licet illi ſatisfiat: eſt autem contractus *vltro citroque obligatio.* Ex quo apparet ſententiam dictam ſolido eſſe fundamento deſtitutam.

Caietani ſententia affirmans reijcitur vti contraria Pontificia deciſioni. in Cap Nauiganti eod. tit.

Contractus venditionis quando conſummatur.

Vtriuſque citati Capitis eamdem eſſe doctrinam.

102 Ex cap. autem *Nauiganti* iam citato idem, quod ex *Cap. In ciuitate* probatur quoad licitum pretij augmentum ex lucri ceſſatione: ideò enim plus accipi poteſt, quàm res de præſenti valeat; quia ſi id tantùm acciperetur, quod valeat, tunc venditor lucrum illud amitteret, quod erat tempore ſolutionis habiturus. Vnde non vrget ratio, quæ pro oppoſitâ ſententiâ adducitur; ſcilicet id, quod non eſt, vendi non poſſe; & ita neque lucrum, quod ceſſare dicitur, quia illud nondum erat. Si enim hæc ratio vim haberet, ſequeretur deciſiones Pontificum adductas eſſe contra iuſtitiam, quia lucrum illud propter quod, plus accipi poteſt, non eſt cùm res venditur. Quod autem ſpes lucri vendi poſſit, explorata res eſt apud ſcriptores, pro quo videri poteſt Ioannes de Medina *Cod. de Reſtitutione Quæſt.* 12. vbi quòd non tantùm ſpes, ſed etiam res non extantes poſſint vendi, & P. Amicus *Diſputat.* 20. *de Iuſtitia. num.* 114. *&* 119. videndus *tot. Sect.* 8. Quòd autem D. Thomas non aduerſetur bene oſtendit P. Molina *Diſput.* 315. in fine, vbi congruam adhibet explicationem, ſicut & alij.

Circa praxim Mercatorum in Indijs difficultas carius creditò vendentium.

103 Quia verò in Indiis caſus dictus contingere poteſt, quòd ſcilicet vendens dilatâ ſolutione plus exigat, frequentiùs quàm alibi, quia Mercatores copiam mercium aliis aliunde venientibus vendunt, eò quòd merces quamplures emant, & inter alios diſtrahant certas earum memorias, quas vocant, aut collectiones: videndum quid circa illos debeat conſuli, aut quid probabiliter procedendo tolerari. Sic ergo vendentes, aut creditò penitus, aut partim creditò, partim præſenti pecuniâ vendunt; cariùs tamen, lucri ceſſantis intuitu. Vbi tamen difficile eſt illud, quòd merces dictas non eſſent vendituri certò, cùm eas vendunt, ſi talis venditor non adeſſet. Quando ergo vendunt, non ceſſat certum lucrum, ſæpiùs enim contingit, vt memoriæ tales diu in apothecis incluſè teneantur. Accedit non eſſe certum, neque probabilem haberi multoties coniecturam de maiori valore, quem ſint tempore ſolutionis habituræ. Iuxta hæc ergo non currit deciſio *Cap. In ciuitate*, etiam ſecundùm fauorabilem ſententiam Caietani. Neque deciſio *Cap. Nauiganti.* quia non conſtat merces iſtas aſſeruandas in tempus, quo plus erant valituræ. Quomodo ergo poteſt modus iſte contractationis adeò vſitatæ ſaluari?

Illius reſolutio.

104 Ad quæ dico inprimis certum videri, ſi tales memoriæ non erant certò ſeruandæ; non poſſe pretium ita augeri, vt tale ſit, quale tempore ſolutionis, ſed quia non erat certum etiam vendendas alteri eſſe, contingens tamen; ſi ex eo alicuius lucri iactura redditur dubia, iuxta dubium debet augmentum pretij moderari; ſpei enim habenda ratio eſt, vt *num.* 100. diximus, pro quo & videndus P. Molina *ibidem* adductus. Et Cardinalis Lugo. *num.* 95. vbi & P. Salas adducit, iuxta quos ſpes non certa eſt pretio æſtimabilis. Iuxta quæ etiam locum habere poteſt deciſio.

Spes non certa etiã, æſtimabilis.

Digitized by Google

deciſio. *Cap. In ciuitate.* vbi de dubio valoris, ſi ita contrahitur, & Caietani ſententia, quæ probabilitate penitus non caret, poteſt ſuſtineri: ſi autem lucri iactura nulla ſit, quia nec ſpes amplioris pretij in poſterum futuri, ex eo titulo iuſtificari venditio nequit, vnde, aut quærendus alius, aut ſi deſit, non admittendus contractus; & ordinariè eſſe ſolet periculum ſolutionis, qui ſufficiens eſt, vt aliàs diximus, & *inferius* dicemus. *Cap.* 10. Etſi non ſint defuturi, qui Caramuelis amplectantur doctrinam, dicentis *num.* 755. pecuniam numeratam plus valere quàm numerandam, & ita Mercatores viliori pretio vendere paratâ pecuniâ poſſe, quàm parandâ. De quo aliàs.

Circa lucrum ceſſans in mutuo difficultas.

In mutuo locum habere reſpectum lucri ceſſantis.

105 IN capitibus citatis non ſunt de mutuo locuti Pontifices, in ordine ad lucrum ceſſans, ſed de venditione; vnde dubitari poteſt an liceat in illo aliquid accipere ratione ceſſantis lucri, & ſunt qui negent; ij videlicet, qui abſolutè negant in contractu quolibet, in quo differtur ſolutio, & in ſpeciali illi, quos adducit P. Molina *Diſput.* 315. *verſ. Innocentius*, qui tamen cum multis aliis contrarium tenet, pro quo etiam videri poteſt Cardinalis Lugo *Diſput.* 25. *n.* 87. P. Bauny *lib.* 2. *de Contractibus Tract.* 6. *q.* 84. apud quem alij, P. Gaſpar Hurtadus, *Diſput.* 3. *de Contractibus difficult.* 9. *Cap.* 10. Caramuel *n.* 750. quam plures congerens. Et multò plures. P. Oñate *Diſputat.* 107. *num.* 37. qui circa conditiones pro eo neceſſarias ſolidè & diligenter excurrit. Liceat Auctorem laudaſſe domeſticum; licet laus eius conſumatiſſimo in opere ſatis eluceſcat. Pro quo eſt etiam praxis receptiſſima, & ratio clara: quia mutuum eſſe tantùm exigit, vt ratione illius nihil exigatur; atqui hoc ſeruatur in caſu, de quo loquimur, quia pro mutuo abſolutè nihil exigitur: ergo nihil fit contra illius rationem; ceſſatio autem lucri onus ſpeciale eſt, quod mutuum ex ſe non dicit, neque mutuans tenetur illud gratis ſubire, quia eſt pretio æſtimabile, & nulla lex obligat, niſi in caſu neceſſitatis non communis, ad illud; immò ſi onus tale mutuantem premeret; id enim eſt contra rationem mutui vniuerſaliter acceptam. Mutuum enim per Dei prouidentiam, & humanæ naturæ reciprocam affectionem inductum eſt inter homines, vt vnus, alium in neceſſitatibus communibus amicabiliter adiuuaret; vnde lex iſta nullum debuit grauamen adiicere, quo homines à benefaciendo retardarentur. Vnde ſciens alium mutuo indigere, non tenetur ad exportandam pecuniam, aut rem aliam in eius domum, ſed ſat eſt petenti dare, quia onus illud exportationis, præſertim ſuis expenſis faciendæ, difficillimam redderet ſubuentionem. Ergo ſimiliter, non eſt obligatio ſubeundi iacturam lucri, quia ſi ita eſſet, valde moleſta, & ita etiam difficilis mutuatio redderetur. Vix enim homines adduci poſſunt ad mutuandum, etiam eâ ſublatâ obligatione, iuxta praxim communiſſimæ opinionis: quid ergo eſſet ſi tale ſibi onus ſubeundum perſuaderent?

Ratio pro eo aperta.

Difficultas ſpecialis pro Indijs reſpectu eorum, qui non habent pecunias expoſitas negotiationi. Et talem non eſſe dationem ad damnum.

106 Hoc ergo fundamento præiacto, & communibus circa illud ac fauorabilibus ſententiis ſuppoſitis, pro quibus citati conſulendi, vt circa Indias aliquid ſpecialibus dicam, video in foro vſitatiſſimum contractum huiuſmodi, qui dicitur *Dar à daño*, dare ad damnum. Vbi licet damnum dicatur, non eſt equidem damnum emergens, de quo poſtrà, ſed mutuum cum præmio ob lucrum ceſſans, quia in eo proportio habetur ad lucrum, quod quis eſſet per negotiationem habiturus: quod communiter, vt *ſuprà* dixi, ſeptem aut octo non excedit. Sed illud difficile, quod ſic dantes negotiationi non vacant, niſi illi, quæ in huiuſmodi mutuationibus exercetur, quia videlicet ſi iſti mutuum ſine præmio lucri ceſſantis datur, amittetur lucrum, quod ex mutuo alteri dato eſſet ſic tribuens habiturus. Per hoc autem non iuſtificari contractum iſtum, ex eo conſtat; quia in tantùm admittitur præmium ob lucrum ceſſans, in quantùm per negotiationem poſſet tale lucrum haberi: atqui mutuum dare non eſt negotiari, ſicut nec beneficium conferre: ergo ratione vnius mutui non dati alteri, nequit in mutuo alio lucri ceſſantis præmium reportari. Qui diſcurſus eſt iuxta communem doctrinam, admittentium pro lucro ceſſante poſſe præmium accipi. Præterea, ſumptâ mutuatione reſpectu huius, & illius, atque omnium, quibus fieri poteſt, ſine reſpectu ad aliquam aliam negotiationem, ex eâ quis lucrum recipit. Ergo abſolutè mutuum eſt cauſſa lucri; quod tamen nullà ratione poteſt admitti. Item. Hæc præſtatio mutui dicitur licita accepto præmio lucri, quia per aliam præſtationem lucri præmium haberi poterat. Tunc vltra. Illa alia præſtatio eſſet licita; quia amitteretur lucrum reſpectu huius; ergo abſolutè loquendo per hanc poteſt lucri præmium accipi, ſine reſpectu ad aliam. Patet illatio. Nam propterea in mutuo poteſt præmium lucri ceſſantis ſumi, quia ceſſat quod per negotiationem haberi poterat, vnde negotiatio ſine reſpectu ad negotiationem aliam ex ſe lucri præmium habere poteſt: ſic ſe habet mutuatio iſta reſpectu alterius; ergo erit per ſe lucratiua. Tandem: tota collectio mutuationum, quæ ab hoc fieri poſſunt, nullum extra ſe lucrum reſpicit, & omnes ſunt eiuſdem rationis, ergo ſicut collectio nullum reſpicit lucrum, ita neque mutuationes in particulari, quia non habent aliam rationem particulariter ſumptæ ac in communi: vnde hoc videtur penitus indubitatum.

Vnde praxis ſic dantium iuſtificari poſſe.

107 Peccant ergo grauiter & cum reſtitutionis onere, qui ex hoc tantùm titulo lucrantur in mutuo; quia vſurarius contractus eſt; pro quo videri poteſt P. Leſſius in Reſolutionibus poſthumis verb. *Mutuis Caſu.* 1. ſed quia multi in hoc genere contractationis ſunt, in quo ſine conſcientiæ remorſu procedunt, & multi eos ſecuros reddunt; eſſetque valde periculoſum velle hunc lucri conquirendi modum abrogare; quærendum an ille alium depoſcit ſuſtineri & videtur quidem ex eo quòd non eſt penitus alienus à propria negotiatione. Qui enim pecunias habet, licet Mercator non ſit, deſiderat eas ſibi eſſe proficuas capitali integro; aliàs breui ad periculum indigentiæ reducendus. Sic ergo deſiderans, & in

& in eo genere non expertus, videt Mercatoribus pecunias à Mercatoribus aliis dari cum præmio aliquo, & ipſe etiam offert nihil cupiens iniuſtum, ſed faciliorem eum lucrandi modum exiſtimans. Quòd ſi non inueniret ſic volentem accipere *ad damnum*, vt dicitur, alium modum lucrandi quæreret, licet nullum in ſpeciali apud ſe excogitauerit; dum neceſſitas non occurrit. In hoc ergo non videtur conſcientiæ interuenire grauamen; & probari poteſt ex eo quod tamquam probabile admittit P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 20. *num.* 95. iunctis præcedentibus probationibus, ex explicationibus à *num.* 90. & abſolutè approbat Cardinalis Lugo *num.* 94. quòd ſcilicet ſi pecuniam quis deſtinauerit negotiationi, non abſolutè, ſed dumtaxat ſub conditione, vt ſi dicat *Vellem negotiari, niſi multi mutuum peterent*; poſſit tunc præmium lucri ceſſantis peti, quia reuerà lucrum ceſſat ex negotiatione, quæ mutuatariis deficientibus quæreretur. Id quod tenere etiam viros alios doctiſſimos affirmat P. Leſſius. Et reuerà tenet P. Amicus *ſuprà. num.* 121. & Malderus. 1. 2. *pag. cit. Dicto.* 5. Poteſt ergo idem ob eamdem rationem in caſu noſtro dici.

Obſeruanda doctrina.

108 Neque obſtare poteſt ſic mutuantes ordinariè quærere mutuatarios, & ita in eorum gratiam à negotiatione non abſtinere, ſed proprij commodi reſpectu. Id enim efficere poterit vt præmium lucri ſit minus, non autem vt non debeat eſſe proportionatum. Et ita tenent P. Leſſius P. Filliucius, & Bartholomæus à S. Fauſto: quos adducit & ſequitur P. Gaſpar Hurtadus *Difficultate* 9. *Citata*, pro quo & P. Leſſius. *num.* 101. adducit Sotum, & Nauarrum, generaliter aſſerentes non obſtare mutuatarium eſſe rogatum vt poſſit de præmio lucri paciſci, qui mutuum tradit, vbi addo non obſtare aliquid inuoluntarij admiſceri, vt cùm Auditores Regij, & potentes alij pecunias ſic tradunt, quandoquidem illæ verè proficuæ ſunt accipientibus. Secus eſſet ſi aliqui anni eſſent ad negotiationes ſteriles, & vellent tales mutuantes idem lucri præmium habere; tunc enim iniuſtiſſimum id eſſet, quandoquidem per negotiationem nihil illis commodi accreſceret, ſi negotiationem vellent exercere.

Non obſtare mutuatarium eſſe rogatum.

Notanda limitatio poſt ampliationem.

109 Poteſt etiam aliter mutuatio eorum qui negotiationi aliàs non vacant, excuſari. Per contractum ſcilicet ſocietatis, cui addatur alius aſſecurationis Capitalis, & alius aſſecurationis determinati lucri, vel per venditionem incerti pro certo, vel per aſſecurationem ab eo, qui pecuniam accipit præſtitam. Hoc eſſe licitum, licet quidam negent, ex quibus Heuia *in labyrintho*, *Cap.* 1. *lib.* 2. *num.* 11. cum Nauarro & Antonio Gomes, pro quo & Pragmaticam quandam adducit; tenent tamen multi, quos adducunt, & ſequuntur Diana *Part.* 1. *Tract.* 8. *Reſolut.* 30. Bonacina *Diſput.* 3. *de Contractibus Quæſt.* 3. *Puncto* 11. Cardinalis Lugo *Diſputat.* 30. *num.* 40. & *ſeqq.* P. Gaſpar Hurtadus *Diſput.* 3. *de Contractibus Difficult.* 17. P. Leſſius *in Reſolut. citatis V. Mutuum. num.* 3. & 5. vbi formam aliam adducit. P. Dicaſtillus. *Lib.* 2. *Tract.* 10. *Diſput.* 2. *Dub.* 21. P. Oñate *Diſputat.* 107. *Sect.* 12. & Pharaonius *pag.* 494. quorum ratio eſt: quia tres dicti contractus ſi cum tertio aliquo celebrentur, liciti ſunt; ergo & cùm eodem, quoniam non eſt vnde id repugnet, cùm in iis iuſtitiæ ſeruetur æqualitas. Si dicatur obſtare naturam ipſam contractus ſocietatis, iuxta quam ſocius non debet ſecuritatem Capitalis habere, periculo in ſocium alterum reiecto, quod & Sixtus quintus ſpeciali conſtitutione prohibuit, quæ incipit, *Deteſtabilis*. Id certè non vrget: quia licet de ratione ſocietatis id ſit, quatenus ſpecialis contractus eſt, non repugnat vt ratione alterius contractus ſecuritas habeatur, qui quidem minimè oneroſus ſocio ſit, vt non eſt in caſu noſtro; quandoquidem qui capitale aſſecurat, id non facit gratis, ſed iuſto pretio accepto. Ex quo colligitur Bullam Sixti Quinti hoc non prohibere; cuius mens eſt grauamen iniuſtum ex ſocietate proueniens amoliri. Cumque tale non inueniatur in caſu noſtro, & ſciret doctus Pontifex graues auctores huiuſmodi contractum approbare, incredibile prorſus eſt voluiſſe illum eumdem prohibere. Vnde id ſibi tantùm voluit, vt aſſecuratio ſine iuſto præmio non eſſet, ſed ex vi tantùm contractûs ſocialis adderetur. Non eſt ergo in contractu dicto proprium mutuum, ſed apparens.

Ex contractu Societatis excuſatio alias iniuſta duobus aliis.

Contractus Societatis quomodo contraria ſit aſſecuratio capitalis.

110 Quantum autem poſt contractus iſtos, ex quibus Mercator multipliciter obligatur, præmium debeat pecunias tribuenti remanere, non poteſt certò definiri. Et communiter quidem ſeptem, aut octo tribuuntur, aliquando minus. Sed certè vltra octo non videtur tribuendum, quando præſertim, & qui tribuunt negotiationi certæ non incumbunt, & qui accipiunt non ſunt item Mercatores. Quo euentu aliter ſentit P. Dicaſtillus, & tantùm videtur habere locum contractus mutui, non autem Societatis: & Cardinalis Lugo ſeptem pro centum in exemplum adducit. Bonacina quinque, alij ſex, Pater Leſſius ſicut & Pater Dicaſtillus octo; & non videri decem prohibendos. Sic *numer.* 5. Caramuel *numer.* 755. duodecim; quod tamen in Indiis tunc tantùm accidere poteſt, quando lucrum magnum occurrit, vt in Portubello accidere ſolet nundinarum tempore; vbi multò maior ſolet eſſe exceſſus; ſed examinandum profectò quàm legitimus: quidam namque ſic pecuniam tribuunt, quia Mercatores ſunt, ſed maius lucrum ſibi accreſcere deprehendunt ex datione ad damnum, quàm ex Mercaturâ, & ita mutuare plus placet, vnde & ingentes pecuniæ copias eò deferunt, lucraturi multum, vel emendo commodè, vel ad damnum tribuendo. In quo quidem vſurarium vitium admiſcetur. Cùm enim præmium lucri in mutuo debeat reſpondere lucro ipſi habendo alias per negotiationem: ſi hoc minus erat futurum, quomodo præmium maius eſt, quod ſine vſuræ labe ſtare nequit? Talis ergo lucrandi peſtis penitus expungenda, quę ad viginti quinque aliquando lucrum extendit, vnde multæ Mercatorum fallaciæ paſſim, cum multorum iacturâ, conſpiciuntur. Sint ergo circa hoc Confeſſarij peruigiles, neque lucrorum iſtorum iudicium pœnitentibus relinquant, quos excæcare, & præcipites agere in foueam perditionis auaritia ſolet.

Circa quantitatem præmij doctrina multiplex. Et quid pro Indijs.

Quid vſurarium, & ita non ferendum.

CAPVT X.

De periculis, quæ habenda ratio in Indicis Contractibus.

CIrca hoc diuerſæ occurrere difficultates poſſunt, ex quibus ſit

DIFFICVLTAS I.

In mutuo ratione periculi an paciſci licitè de aliquo præmio poſſit.

Cap. Nauiganti videri reprobatum lucrum ob aſſecurationem à mutuante factam. Vbi aliqua circa illud.

111 GRegorius Nonus in *Cap. Nauiganti* ſic decernit: *Nauiganti, aut eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, eò quòd ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid vltra ſortem, vſurarius eſt cenſendus.* Sic ille: per quod videtur non habere locum poſſe contractum aſſecurationis, quo mutuans in ſe periculum pecuniæ ſuſcipit, quod ad mutuatarium pertinebat; eò quòd per mutuum transferatur dominium; & ita ſi pecunia pereat, mutuatario perit. Licet autem videatur contractus iſte ineptus, quia cùm pecunia apud alium futura ſit, eâ pro libito vſurum, & qui mutuat nequeat ſpecialem aliquam diligentiam adhibere, vt ſalua ſors ſit, & qui recipit eo ipſo negligentior in eâ cuſtodiendâ reddi poſſit: nihilominus contractus poteſt vtilis eſſe mutuanti, & frequenter contingere in caſibus à Pontifice indicatis; in nauigatione ſcilicet, & nundinis, quando mutuata pecunia maris aut itinerum periculis exponenda eſt: tunc enim mutuans in ſe periculum ſuſcipit, & ita ſi pecunia pereat, eius damno perit, non vt domini, quia dominus mutuatarius eſt, ſed vt aſſecuratoris, qui tamen præmium aſſecurationis recipit, & hic quidem contractus apud noſtrates eſt in vſu, & dicitur dare ad periculum nauis, *dar à rieſgo de Nao.* & ſolet eſſe ad rationem duodecim pro centum. Et idem in Luſitaniâ accidere erga nauigationem Indicam teſtatur P. Molina *Diſput.* 318. quod tamen fieri non poſſe tenet Gloſſa citati capitis, & alij nonnulli.

Ob dubiã fidem, mutuatarij non poſſe aliquid exigi multorum ſententia, & illius fundamentũ.

112 Poteſt autem periculum aliter accidere, quia ſcilicet mutuatarius non eſt perſona, cui plenè confidi poſſit, vnde periculum eſt aut amittendi ſortem, aut recuperandi cum moleſtia, aut expenſis. Id autem non ſufficere, vt aliquid accipi ſupra ſortem poſſit, graues Scriptores cenſent, quos adducit P. Salas *Tract. de vſuris, dub.* 12. *n.* 2. Diana *Parte* 1. *Tract.* 8. *Reſolut.* 37. Cardinalis Lugo *Diſput.* 25. *num.* 79. nec ſine ſolido fundamento: nam mutuatarius aut ſoluturus eſt, vt eſt obligatus, circa locum, & tempus, & ſortis integritatem, aut non: ſi primum, ſolutione ipſa ceſſat omne periculum, & ita non eſt pro quo debeat compenſationem; ſi autem non ſine expenſis, & damnis aliis ſubſecutis ex retardatâ ſolutione, ad illa certum eſt obligari, & ita pro periculo non eſt noua compenſatio facienda. Moleſtiæ autem ſi tantùm conſiſtant in anxietate, & ſolicitudinis internæ tormento, pretio æſtimabiles non ſunt, cùm ſint actus interiores, qui in contractum non veniunt; vnde qui ſoluit, ſed poſt aliquam mutuantis moleſtiam, quia illi ante ſolutionem ſignificauit ſe non ſoluturum ſtatuto tempore, vt illuderet, ſicut auaris fieri ſolet, vel ex alio fine moleſtiam ingereret; non tenetur propterea ad aliquam reſtitutionem. Vbi non videtur ſatisfacere quod docti dicunt, moleſtias non eſſe obnoxias compenſationi, quia non fuerunt in pactum deductæ; ſi autem deducerentur, eſſe pretio compenſandas; nam actus interni non ſunt in genere bonorum æſtimabilium pecuniâ, præſertim in ordine ad contractus: nihil enim tale in vſu eſt apud homines. Quod ex eo vrgere poſſumus: quia ſi quis ex mutuo accepto ingentem lætitiam concipiat, non poteſt mutuans pro illa compenſationem pecuniarum exigere; non aliâ ratione, niſi quia actus interior eſt: ergo idem eſt de moleſtiâ dicendum. Præterquam quòd ſi quid moleſtiæ illatum eſt, gaudio ſolutionis compenſatur.

Pro moleſtia nil videri poſſe recipi.

Gaudio ſolutionis compenſari contra P. Dicaſtillũ.

113 Si dicas cum P. Dicaſtillo *Lib.* 2. *de Iuſtitia, Tract.* 10. *Diſp.* 2. *num.* 254. moleſtiam non compenſari per redditionem rei, ſed ex ſolutione rei mutuatæ iterùm redire delectationem, quam ſi non mutuaſſet, mutuans, & eo ipſo habuiſſet, quo caruit, & modò etiam haberet. Contra eſt: quia reuerà ex ſolutione ſpeciales delectationes ſunt. Prima quia mutuans benefecit. Secunda, quia eo pacto bonum acquiſiuit nomen. Tertia: quia amicum fecit de mammonâ iniquitatis. Quarta; quia pecuniam, aut rem aliam recuperauit; habet enim ſpeciale aliquid recuperatio ad lætitiam conciliandam: non enim tantùm habet, quod habebat ante mutuationem, ſed à periculo liberatum: ſicut ſpecialem lætitiam habet qui poſt lethalem morbum conſecutus eſt ſanitatem: & ſic aliæ. Huiuſmodi autem actus poſſunt eſſe durabiles, cùm tamen moleſtia ob periculum ſolutione tranſierit. Habet ergo illa plenam compenſationem.

Ratio alia vt non liceat lucrũ ob periculum.

114 Item cùm accedit aliquis mutuum petiturus, & non deprehenditur talis, vt de ſolutione poſſit plenè eſſe ſecuritas, repelli poteſt: cùm ergo non repellatur, ſed eius petitioni qui rogatur, annuat, manifeſtum videtur velle dare mutuũ, non obſtante periculo, & ita voluntatem mutui reſpectum ad periculum habere. Atqui mutuum vt tale nequit lucrum reſpicere: ergo nec ratione periculi poteſt intendi. Si dicas duos eſſe contractus, vnum mutui, & alium ob periculum. Id videtur iam dictis ſufficienter impugnatum; quia ſemper reſpectus ad periculum habetur. Et præterea ſi præceſſit contractus mutui, non poteſt contractus alius ſuccedere ex quo mutuatarius grauetur, & mutuum reddatur contractus lucratiuus reſpectu mutuantis, qui tamen in mutuatarij commodum eſt prorſus inſtitutus.

Aſſertio 1. Licere illud.

115 Dico primò. Contractus mutui ſecundùm priorem explicationem ſuſcepti periculi eſt licitus. Sic plures, quos adducit P. Salas *ſuprà Dub* 13. *num.* 1. quos & ille ſequitur. P. Molina *Diſput.* 318. Cardinalis Lugo *ſuprà num.* 77. P. Laymam *Lib.* 3. *Tract.* 4. *Cap.* 16. *numer.* 13. *in fine.* P. Palaus *Diſputat.* 4. *de iuſtitia, puncto.* 18. P. Bauny. *Lib.* 2. *de Contractibus. Quæſt.* 24. Bonacina *Diſput.* 3. *Quæſt.* 3. *Puncto* 5. *num.* 1. Caramuel *num.* 759. & alij. Ratio eſt clara nam contractus

Digitized by Google

tractus talis cum alio à mutuante diuerſo licitus eſt, quia eſt contractus aſſecurationis, ergo & cum ipſo mutuante. Patet conſequentia: quia nulla apparet ratio diuerſitatis. Si dicas primò mutuantem non poſſe obligare mutuatarium ad alium contractum, vt nuper arguebamus. Contra eſt: quia ex eo ſequitur, quod vbi obligatio non eſt, poterit contractus dictus iniri, vnde abſolutè loquendo vſurarius non eſt, & ita hæc bene diſtinguit P. Molina, & iuxta talem diſtinctionem explicari conuenienter poteſt. *Cap. Naviganti*: vt ſcilicet tantùm ſibi velit Pontifex mutuatario non poſſe tale onus imponi: bene tamen ſi in illud omnino vltroneè conueniatur. Aliæ autem explicationes videri apud citatos poſſunt.

Cap. Naviganti ſenſus.

Singularis illius explicatio, ex qua ſententia contraria elicitur.

116 Eſt autem explicatio ſingularis, quam adhibet P. Laymam ex Bernartio de vtilitate legendæ hiſtoriæ: *Lib.* 2. ſub initium; ſcilicet textum dicti capitis eſſe corruptum, & in clauſula vltima illius deficere particulam negantem, per quam ſenſus omnino oppoſitus, & conformis aſſertioni propoſitè redditur. Itaque vbi dicitur *Vſurarius eſt cenſendus*. Legendum eſt, *vſurarius non eſt cenſendus*. Quæ & placet P. Palao, & in eam ait inclinare Fachinetum *Lib.* 2. *Controuerſ. Cap.* 48. Neque illa omnino voluntaria videtur, ſed ex ipſo modo loquendi deducitur, quatenus ſtatim ſic addit Pontifex. *Ille quoque qui dat decem ſolidos, vt alio tempore totidem ſibi grani, vini, vel olei menſuræ reddantur, quæ licet tunc plus valeant, vtrum plus, vel minus, ſolutionis tempore fuerint valituræ, veriſimiliter dubitatur, non debet ex hoc vſurarius reputari.* Sic ille: cùm ergo ſic ſtatuat; ſi in priori caſu vſuram eſſe cenſeret, aliter fuerat locuturus, ſic videlicet: *Ille autem qui dat* & non; *ille quoque*. Nam particula *Quoque* ſimiles caſus iungit, non ſic particula *Autem*, quæ aduerſatiua eſt, ſicut *Tamen*, verò &c.

Impugnatur illa cū ipſius etiam fundamento.

117 Sed certè fundamentum iſtud valde leue eſt, vbi communis Doctorum ſenſus, antiquiſſima exemplaria, Gloſſæ veteres, correcti poſt exactam diligentiam textus, aliter habere deprehenduntur. Neque ob rigidas Grammaticæ leges in ſingulares eſt ſententias abeundum, quando iuxta illas, ſi non cum exacta proprietate, cum ſufficienti tamen poteſt ſenſus receptiſſimus retineri. Quod quidem in præſenti accidit; nam particula *Quoque*, & ſimiles, vt *Etiam*, *itaque*. nō ſemper iungit ſententias quoad ſenſum eumdem, ſed index eſt alicuius ſimilitudinis, ſaltem quia de aliquo genere agitur, in quo conueniunt, licet in aliis ſit differentia. Sic Geneſ. 4. v. 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui.* Vbi quidem ob ſimilitudinem oblationis in genere poſita eſt particula, *Quoque*. cùm tamen in rigore aduerſatiua eſſet collocanda, vt ex verbis textus colligitur; ſignificatur enim Abelem aliter, ac Cainum obtuliſſe, de quo dicitur *verſ.* 3. *Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.* Vbi notant Interpretes Cainum non electa, & meliora obtuliſſe, ſecus autem Abelem, & hoc voluiſſe Scripturam ſignificare, dùm obtuliſſe de primogenitis affirmauit. Dicendum ergo: *Abel autem obtulit de primogenitis.* Sed non ita poſitum, quia particula *Quoque*, ſatis myſterium declarauit. Videatur P. Cornelius ibi. Similiter *Act.* 13. *v.* 52. *Diſcipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu Sancto.* Vbi ſenſus aduerſatiuam particulam requirebat; ſic enim præceſſerat *v.* 50. *Iudæi autem concitauerunt mulieres religioſas, & honeſtas, & primos ciuitatis, & excitauerunt perſecutionem in Paulum, & Barnabam.* &c. Tum ergo diſcipuli gaudio replebantur, & Spiritu Sancto, & ita ſcribendum: *Diſcipuli tamen &c.* Sed vna particula pro aliâ ſubſtituta. Et quidem ſine antiquitatis, & communis ſenſus offenſione, quando de emendatione Textus licentia vſurpatur, ſatiùs fuiſſet loco particulæ, *Quoque*, aliam ex aduerſatiuis ponendam affirmare, ſic enim in ſenſu mutatio nulla, & Textus deciſio inoffensè omnino procedit.

Particula Quoque quomodo ſimilitudinis ſigna.

Geneſ. 4. v. 3. & 4.

Act 13. v. 50. & 52.

Caramuelis aſſerta quadam diſcuſſa, nec probata.

118 Circa quod Caramuel *num.* 759. cùm Textus emēdationem propoſitam maximè probet, non nulla addit, quę operę pretium fuerit adnotaſſe. In primis enim Bernartium vocat Bemarium. Deinde ait iuxta P. Laymam in Textu eſſe apertiſſimum mendum: quod tamen ille non dicit, ſed probat circa hoc Bernartij ſuſpicionem. Arguit vlterius Theologicè, vt nequeat ſententia Pontificis cum negatione conſiſtere, hoc modo: ſi ſine vſuræ culpâ poteſt fieri ſecundum illud, quod Pontifex definit, etiam & illud primum; eſt enim ſumma rationis paritas. Nam ſi hodie cùm menſura venditur duobus ſolidis, poſſum ſine vſuræ labe dare mutuos decem ſolidos, recepturus decem menſuras; maximè, quia cùm dubitem an ſolutionis tempore valituræ ſint duobus, an medio ſolido, me expono periculo perdendi, & lucrandi; atqui ille, qui nauigaturus recipit aliquid vltra ſortem, ſe exponit ſimiliter periculo perdendi & lucrandi: poterit enim vel illud præmium lucrari; vel totum capitale perdere. Igitur ſi Pontifex hunc ſecundum abuſum excuſat, debet etiam excuſare illum primum; vel ſi illum condemnet, etiam hunc: latet ergo mendum, debetque particula, *Non*, tolli, aut poni vtrobique. Quod autem non debeat tolli in ſecundo, ſed debere in primo prætermiſſam reſtitui; ſic probat. Si nauigaturus declarante Adriano Pontifice vltra ſortem recipere non poſſit, declararetur debere ſe exponere periculo perdendi, cum certitudine non lucrandi, ac proptereà declararetur ſtultus. Quis enim gratis, & vltrò vellet ſe talibus periculis exponere? vt igitur æquitas ſeruetur, ſeruetur æqualitas. Nemo tenetur periculum perdendi ſubire, ſine ſpe lucrandi. Sic ille, arguens deinde ex Grammatica.

Contra illa in ſpeciali agitur.

119 Verùm cum bona viri docti venia, aduertere oportuit ipſum nauigaturum non eſſe, qui recipit vltro ſortem, ſed eum, qui nauigaturo tribuit. Item Pontificem declarantem contractum eſſe vſurarium, non eſſe Adrianum, ſed Gregorium Nonum. Argumentum inſuper probat quidem nihil, quia de ſecundo ad primum incongruè arguitur. In ſecundo enim eſt contractus emptionis, & venditionis anticipatâ ſolutione, in quo pretium valoris rei ſecundùm temporum contingentias adæquatur, & directè celebratur in ordine ad vtilitatem ementis, qui & lucrari, & perdere in illo poteſt; in primo autem eſt contractus mutui, qui ad commodum dantis non dirigitur & ex ſe gratuitus eſt. Neque eſt in eo periculum perdendi, & non lucrandi, quia non eſt contractus

contractus aliorum inſtar, qui ad lucrum ordinantur. Sed non ex eo ſequitur tantùm ſe ad perdendum exponere mutuantem; quia moraliter non ſe exponit, etſi enim quod mutuò datum eſt, pereat, Domino perit, mutuatario inquam, & tenetur integrè ſoluere; licet autem periculum aliquod ſit generaliter loquendo, id non eſt pretio compenſabile, quia ratio mutui ex ſe illud dicit, quod tamen gratis dandum ex Euangelio habemus *Lucæ 6. v. 35. Mutuum date, nihil inde ſperantes*, & habet præterea compenſationem, ex eo quòd apud dominum etiam poterat periclitari; & multoties accidit, vt apud mutuatarium res periculo exempta ſit, quod apud dominum ſubiiſſet. Liberatur etiam cuſtodiendi curâ, quæ ſolet eſſe non exigua, & dilapidationis, quia compertum illud eſt, quod prouerbio noſtro circumfertur; *quantùm ad manum, tantùm ad damnum.* Concedo deinde benè argui ex ſecundo ad primum, ſed non ideò particula negationis tollenda eſt, quia eâ conſtante, poteſt veriſſimus illius conſtare ſenſus; ſcilicet vſurarium eſſe cenſendum contractum, quando mutuatario onus ſoluendæ aſſecurationis imponitur. Cumque & hæc, & aliæ ſatis commodæ expoſitiones à Doctoribus adhibeantur, retentâ negatione, omnino iniuſtè pro illius ſubſtractione pugnatur. Quæ quidem à me ideò dicta ſunt, vt videant ſcriptores, qui alios carpunt, valde ſibi de exacta ſcribendi ratione curandum, quia pro menſura, quâ alios menſi fuerint, illis proculdubio remitietur. Videantur à citato Auctore aculeatiùs, & minùs dignè tanta auctoritate dicta contra P. Dicaſtillum *num.* 778.

Lucæ 6. v.35.

Mutuanti ſua etiam ſunt commoda, quibus mutuationis generale periculum compenſatur.

Aſſertio 2. pro periculo recuperandi mutuatum, poſſe præmium exigi.

120 Dico ſecundò. Pro periculo recuperandi, quod datur, ſiue mutuò, ſiue aliter, poteſt præmium aliquod accipi, antecedente circa illud pactione, ſic tenent plures, quos adducit, & ſequitur Bonacina *Puncto* 5. *citato.* Et præterea P. Palaus *ſuprà Puncto* 17. P. Bauny *ſuprà quæſt.* 29. *&* 37. *Dubio* 2. Cardinalis Lugo *Diſput.* 25. *num.* 81. *& ſeqq.* P. Gaſpar Hurtadus *Diſput.* 3. *difficult.* 20. P. Becanus *Quæſt.* 5. *de Vſura.* P. Onate *Diſput.* 107. *num.* 30. & magis ex profeſſo *Sect.* 8. P. Dicaſtillus *Diſput.* 2. *citatâ, n.* 224. *& ſeqq.* Malderus 2.2. *pag.* 449. *dub.* 14. P. Turrianus *in ſelectis Cent.* 1. *Dub.* 84. *& alibi.* Caramuel *num.* 769. Vbi multos congerit. Ratio eſt; quia periculum eſt pretio æſtimabile, vt conſtat ex contractu aſſecurationis communiter probato. Vnde ſi quis non vellet mutuò dare, niſi daretur ei ſecuritas, & alius aſſecurator daretur, ſic faciens pro dato ſibi aſſecurationis pretio, nihil in eo contrahendi modo iniuſtum miſceretur. Ergo quemadmodum alter aſſecurationis pretium haberet, ex quo mutuum ſupra obligationem ſortis ſoluendæ, onus aliud ſoluendi aſſecurationem ſecum ferret, ita & mutuans quod alter erat habiturus exigere poteſt, eò quòd aſſecurationem non petat, volens in ſe periculum amiſſionis ſuſtinere, nam mutuatarius non plus grauatur, quàm ex aſſecuratione licitè petitâ.

DIFFICVLTAS II.

121 VBi ſingularis occurrit quæſtio: an ſi mutuatarius aſſecurationem offerat ab alio factam, poſſit mutuans eam non acceptare, ſed velle in ſe periculum ſuſtinere per additionem alicuius ſupra ſortem, & videtur iuxta dicta *Aſſertione præcedenti* reſpondendum, quia eſt onus mutuatario impoſitum, qui poteſt aſſecuratorem gratuitum forſitan inuenire. Sed vrgeri poteſt in caſu, quo aſſecurator talis non ſit, ſed cui idem pro aſſecuratione ſoluendum ſit, quod mutuans tamquàm præmium exigit; tunc enim non videtur illi onus ſpeciale imponi Nihilominùs idem videtur dicendum, quia etiam eſt onus pretio æſtimabile, & ita inueni poſt hæc ſcripta ſentire Caramuelem, *n.* 777. *verſ. vlt.* & certè cùm iam mutuans de ſecuritate nō curet, animus vſurarius aperitur, dum plus ex mutuo habere deſiderat, & non titulo ſecuritatis, quæ offertur, & ita ratione mutui palliati.

An idē dicendum, ſi mutuatarius offerat aſſecurationem.

DIFFICVLTAS III.

122 DIxi de tali præmio paciſcendum, quod quando periculum in venditione accidit, facile eſt aucto pretio. Vbi & ſpecialis difficultas occurrit, an emptor, qui ſcit ratione periculi ſibi pretium augeri, ſolutionem ſuo tempore præſtans, poſſit augmentum illud pretij retinere. Nam cùm ſit probabilis opinio, vt vidimus, quæ affirmat accipi nō poſſe aliquid ob titulum dictū, conſequenter videtur dicendum non eſſe obligationem ad ſoluendum. Aliunde autem cùm pretium rei ſit totum illud, & ſub ea ſit pretij deſignatione contractum, voluntaſque contrahentium pro lege fuerit, non videtur de eo quidquam tolli ſine iniuſtitia poſſe. Nihilominus prius eſt probabile, dummodò de titulo aucti pretij conſtet, & de augmenti quantitate.

An mutuatarius poſſit in caſu, dicto augmentum retinere.

DIFFICVLTAS IV.

123 IN mutuo autem, quia ſolent petentes perſonarum ſuarum dubiam pro ſolutione fidem abſcondere, & tales ſe exhibere, quibus poſſit plenè confidi, inde oritur dubium, an debeant quando ſoluunt aliquid ſupra ſortem adiicere; quia reuerà is qui mutuauit, id non feciſſet, niſi cum præmio periculi, & ita inuoluntarius fuit, vnde videtur debere illi aliquid ſupra ſortem reddi, quo nequit contra ſuam priuari voluntatem. Circa quod P. Gaſpar Hurtadus *ſuprà* ait etiamſi adſit periculum, plenè ſatisfacere mutuatarium ſolutione ſolius ſortis; efficere tamen iniuriam inchoatam, & quaſi in viâ, ipſi mutuanti dictum ignoranti periculum, ſi non aſſecuret ſolutionem ei faciendam abſque moleſtiis. & expenſis; cui vtpotè inchoatæ, & non perfectæ, non tenetur poſteà ſatisfacere; vt tamen ab ea iniuria, & peccato excuſetur, tenetur ſolutionem quoad ſubſtantiam, & quoad moleſtias, & expenſas aſſecurare, vel aliquid pro periculo tempore mutui conferre, vel poſteà ſoluendum in pactum deducere. In quâ doctrinâ verum quidem eſt

De iis, qui ſimulant ſe tales eſſe, cui poſſit fides in mutuatione.

P. Gaſparis Hurtadi ſententia.

Vt admittenda illa.

Digitized by Google

eſt iniuriam non eſſe perfectam, quoad ſortis amiſſionem, & ita concedi poteſt, ſolutione iniuriam huiuſmodi compenſari, ſic enim mutuans nihil minùs habet. At quoad lucrum ex periculo alia diuerſa obligatio videtur, & ita iniuria in ſuo ordine perfecta, quandoquidem illo priuatur mutuans contra ſuam voluntatem. Vnde ſi certò conſtaret ita eſſe, forſan alicui videretur, quod deberet compenſatio fieri. De peccato autem eius, qui ſe talem ſimulat, cui poſſit omnino fidi, dubitari nequit; quia rem alienam exponit periculo.

De Moleſtia.

Aſſertio 3. Pro moleſtia interna nihil poſſe exigi.

124 Dico tertiò. Pro moleſtia in recuperando debito, quæ ſolùm ad actus internos reducitur, non videtur quidquam poſſe exigi: ſic qui de periculo negant, & ſpecialiter P. Dicaſtillus *ſuprà num.* 250. oppoſitam ſententiam vocat improbabilem ſpeculatiuè, & moraliter in praxi pernicioſam, cùm tamen eidem ſubſcribat *num.* 254. vt illi obiicit Caramuel *num.* 778. *citato.* Probatur autem ex dictis *num.* 112. Aliud ergo eſt periculum, aliud moleſtiæ, vnde non benè illud ad moleſtias reducitur, quarum eſt cauſſa, & nihil eſt aliud, quàm damnum imminens amiſſionis rei, aut retardandæ poſſeſſionis: & non eſt annexum mutuo, ſed generale aliud, de quo *num.* 119. Ex quo patet ad obiectionem *num. eodem.* Fuit autem ſententia Ioan. de Medina *Quæſt.* 32. *de Reſtitut.* 5. *Inde infertur* aſſerentis, ſi graue & moleſtum alicui ſit pecuniâ carere, poſſe eo titulo aliquid exigere. Quam Trullench *Lib.* 7. *Cap.* 19. *Dub.* 12. non improbabilem reputat, & abſolutè amplectitur P. Dicaſtillus *ſuprà num.* 257. & etiam non ſtante moleſtia P. Leſſius in Mercatoribus. Verb. *Mutuum, num.* 9. *in Reſol. poſthumis.* Sed P. Onate *Diſput.* 107. *num.* 149. ait eſſe contra fidem generaliter de Medinæ ſententia locutus. Qui certè Auctorem non videtur legiſſe, vt ex citatione etiam apparet: vnde non eſt illius curanda cenſura.

Sententia Ioan. Medina immeritò cenſuratam.

Specialis argumenti enodatio.

Ex non aſſecurato præmio in mutuo arguitur, & ſic ſatis peculiari doctrina.

125 Eſt illud contra præcipuam Aſſertionem: nam ſi pro ſecuritate exigi aliquid poteſt, vt decem pro centum, pro decem ſecuritate etiam poterit aliquid peti, & pro eo aliud, & ſic in infinitum, & ita pro centum dabitur præmium infinitum, quod cùm dici nequeat, fatendum eſt pro periculo Capitalis nihil debere, ſicut nec pro periculo præmij debetur. Ad quod dico pro ſecuritate decem nihil deberi, quia illa ſufficiens præmium, etſi non plus ſecura, cenſeri debent. Hoc enim pendet ex hominum æſtimatione, & modo contrahendi. Vbi dicunt aliqui poſſe peti fideiuſſorem pro decem. Sed quidem ſi pariter detur pro Capitali, eſt implicatio in eo; dato enim fideiuſſore ceſſat periculum: quia tamen facilè poteſt fideiuſſor inueniri pro decem, non ita pro centum, ea reſponſio poterit ſuſtineri pro eo caſu. Licèt etiam ſit difficilis, niſi ex decem aliquid detrahatur, datâ iam ſecuritate: minùs enim valent incerta quàm ſecura. Argumentum autem ſi quam vim habet, tantùm eſt in eo caſu, in quo pro decem non ſit maior ſecuritas quàm pro centum: & ad id ſufficienter reſponſum eſt.

Caramuelis ſubtilis quædam ratiocinandi ratio nō admiſſa.

126 Contendit autem Caramuel *num.* 771. rem hanc ſubtiliorem eſſe, quàm Doctores de illa agentes exiſtimant & *num.* 773. affirmat pro ſecuritate præmij, quando non eſt maior quàm Capitalis, poſſe præmium exigi, & pro præmio præmij præmium aliud in infinitum. Addit autem *num.* 774. omnia illa præmia ſecundaria, licèt infinita ſint ſyncathegorematicè, non peruenire ad octauam partem primarij, pro quo computum arithmeticè ſubdit factâ calculatione. Sed ad rem moralem labor iſte ſuperuacaneus apparet, & duæ iſtæ Aſſertiones in præfato Auctore videntur eſſe pugnantes inter ſe: Prima num. 773. *Si Antonius pro præmio non det ſecuritatem ſufficientem, pro periculo præmij poterit adhuc ſecundum præmium exigere; & pro periculo ſecundi tertium, & ſic in infinitum.* Secunda num. 776. *In præmijs non datur infinitus proceſſus. Ratio eſt; quia vltra minimam monetam non proceditur.* Sic ille. Adde. Si præmia ſecundaria accedant, licèt non perueniant ad octauam partem primarij: ergo ſunt exceſſiua reſpectu illius. Patet; quia illud eſt decem pro centum: & ita proportione ſeruatâ pars decima debebat eſſe præmium ſecundarium in tota præmiorum collectione: octaua ergo exceſſiuum eſt.

CAPVT XI.

De damno emergente circa Indicos contractus.

Pro damno emergente aliquid poſſe exigi certa ſententia.

127 Alius eſt hic titulus, propter quem aliquid ſupra ſortem exigi poſſit, iuxta communiſſimam ſententiam, pro quâ plures congerit Caramuel *ſuprà numer.* 756. & videri præterea poſſunt Bonacina *Diſput.* 3. *quæſt.* 3. *Pun.* 4. Trullench *Lib.* 7. *Cap.* 19. *dub.* 8. Malderus *in* 2. 2. *Pag.* 444. P. Turrianus 2. 2. *Tomo* 2. *Diſput.* 61. *Dub.* 3. Pharaonius *Tractat.* 2. *Seſſ.* 13. *Caſu* 1. P. Molina *Diſput.* 314. Cardinalis Lugo *Diſput.* 25. *Sect.* 6. P. Gaſpar Hurtadus *Diſp.* 3. *de Contractibus, Difficult.* 8. P. Amicus *Diſput.* 20. *de Iuſtitiâ, Sect.* 7. P. Fagundez *Lib.* 5. *de Iuſtitiâ, cap.* 31. P. Palaus *Diſput.* 4. *de Commutatiua. Puncto* 17. P. Bauny *Lib.* 2. *Tractat.* 6. *Quæſt.* 30. *& ſeqq.* P. Filliucius *Tractat.* 34. *num.* 83. P. Dicaſtillus *Lib.* 2. *Tractat.* 10. *Diſput.* 2. *Dub.* 7. P. Oñate *Diſput.* 107. *Sect.* 1. P. Eſcobar de Mendoza *in Theologiâ morali pag.* 349. P. Buſembaum *Lib.* 3. *Tractat.* 5. *Cap.* 3. *Dub.* 7. *num.* 10. vt alios omittam. Qui obſeruant, vix aliquo diſſentiente apud P. Molinam, damnum tale non deberi, niſi fuerit deductum in pactum, dummodo ſolutio fiat tempore deſignato; quia fortè mutuatarius eo cum onere non acceptaſſet. Si dicat fortè accepturum, & ita pro eo dubio aliquid deberi; quam difficultatem Auctores non tangunt. Dicendum id non obſtare, quia melior eſt tunc conditio poſſidentis, & iuxta rationem, quam mutuum ex ſe dicit, iudicandum, dum mutuans nihil de obligationibus aliis adiicit, cùm poſſet adiicere. Et communibus

Digitized by Google

nibus difficultatibus circa damnum emergens omiſſis, circa Indias occurrit

An ſit obligatio pro illo ex obligatione nõ repetendi mutuum.

128 Primò, ſolere aliquos lucrum ex mutuo quærere nomine damni, qui tamen nullum videntur ſpeciale timere. Vbi quæri poteſt an pro obligatione non repetendi mutuum, etiamſi ratio vrgens occurrat, poſſit aliquid exigi. Licèt enim de ratione mutui ſit, vt non repetatur ante tempus deſignatum, id non videtur currere, cùm ratio inopinati euentus occurrit: hæc enim videtur eſſe mutuantium mens, cùm id tradunt, quod ſibi non fore neceſſarium pro tempore mutuationis arbitrantur. Et aliud iuxta humanam conditionem præſumi nequit; quòd ſcilicet velit quis damnum pati, cùm habeat apud alium id, quo damno poſſit obuiare. Et ita videtur tenere Caramuel *num.* 765. ſpecialiter de mutuo locutus, quando pro ſolutione eſt terminus aſſignatus. Videndus etiam *num.* 743. vbi obligationem non repetendi, etiamſi indigeat, ait eſſe pretio compenſabilem. Et etiam P. Molina: licèt enim *Diſp.* 299. §. *Si certus*, aſſerat quòd ſi terminus præfixus fuit ad redditionem mutui, illud intra talem terminum debeat reddi; alioquin mutuatarius ad damna omnia tenebitur, etiam lucri ceſſantis, quæ ex morâ ſecuta fuerint; & non debere reddere anteà etiamſi petatur. Et §. *Quando ſolutioni* addat, quòd quando terminus præfixus non eſt, mutuatarius debet illud ſoluere quando mutuans repetierit; non verò ſi ſtatim petat, circa cuius ſpatij determinationem nonnulla tradit: ſubdit tamen ſic: *Niſi fortè ſuperueniat ſufficiens cauſſa, quæ cogat ſtatim repetere.* Quæ limitatio pariter currit, ſiue terminus præfixus ſit ſiue non, quia vtrobique ratio eſt eadem. Et ita intelligendum quod ex profeſſo probat *Diſput.* 308. §. *Eſt tamen, &* 314. §. *Interrogabis, & ſeqq.* Pro quo & P. Amicus *num.* 98. P. Dicaſtillus *Dub.* 8. Malderus 2.2. *Pag.* 449. *Dub.* 15. & alij.

Pars affirmans vt queat ſuſtineri.

P. Molina.

Ex commodato comprobatio.

129 Quòd & probari poteſt ex ſententiâ eiuſdem P. Molinæ circa commodatum, pro quo *Diſput.* 294. vbi cum Angelo, & Syluestro aſſerit, quòd licet obligatio ſit non repetendi illud ante tempus, pro quo commoditas conceſſa eſt, etiamſi petatur; quin potiùs ſi commodatario ſine libero ipſius conſenſu auferretur, accipiens tam in conſcientiæ foro, quàm in exteriori, teneretur ad intereſſe damnorumque reſtitutionem, vt Ius Canonicum, & Ciuile tradit: nihilominùs ſi commodanti detrimentum aliquod inopinatò occurat, cui non poſſit, niſi commodatum repetendo contrariè, poſſe ita facere in vtroque foro, propter voluntatem præſumptam commodantis: ſic enim de omnibus eſt ſingulis præſumendum, iuxta quod rei ipſius natura docet. Pro quo & P. Palaus *Diſput.* 3. *de Iuſt. Commut. Puncto* 5. P. Dicaſtillus *Lib.* 2. *Tract.* 7. *num.* 8. aliique. Cùm ergo in mutuo eadem ratio ſit, idem videtur pariter aſſerendum. Neque Cardinalis Lugo, qui *Diſputat.* 25. *num.* 17. ſententiam, admittentem poſſe aliquid accipi pro obligatione non repetendi mutuum, falſiſſimam dicit, in hoc caſu loquitur, ſicut nec alij: non ergo obligatio talis eſt mutuo adſtricta, & ita pretio æſtimabilis debet indubitanter iudicari.

Reſolutio affirmatiua cũ valde obſeruanda doctrina.

130 Cùm ergo pars iſta videatur profectò probabilis, & ita ſe tueri poſſunt mutuantes, quamuis neque contractum ſocietatis inire velint cum triplici illa obligatione, de quâ dictum *num.* 109. in quo nec propria ratio mutui eſt, neque ad lucrum ceſſans habeatur reſpectus. Quia verò euentus iſti inopinati rariores ſunt, non debet præmium æquale eſſe illi, quod propter probabile periculum peti poſſet, vt videtur clarum; & quia rariſſimè his temporibus aliquod periculum recuperationis abeſt, licèt illud notabile non ſit; titulus iſte præfato poteſt adiungi, & ex vtroque maioris præmij exactio juſtificari. Non videtur autem neceſſarium, vt hoc expreſsè in pactum deducatur, ſed eo ipſo, quòd à perſona, quæ ab vſuratum cupiditate reputatur aliena, & moribus Chriſtianis viuit, aliquid more ſolito ratione damni petatur; intelligendum eſt ád non petendum debitum ante tempus deſignatum obligari, quandoquidem alius non apparet titulus, quo præmium peti poſſit, & ita intelligendum eſt propter illum peti, vt in ſimili ait P. Dicaſtillus de contractu trigemino, de quo *ait num.* 109. cum aliis. §. 440. Poterit ergo mutuatarius negare illud, ſi anteà petatur, nec propterea ad damna ſecuta obligari. Quod etiam probabiliter dici poteſt, etiamſi mutuum ſine obligatione aliquâ ſpeciali fuerit datum, ſed cum termino præfixo ſolutionis: quia eo ipſo non poſſe ante illum repeti, etiamſi quidpiam inopinatum obuenerit, eſt probabile, & illud defendit Nauarrus in *Manuali Cap.* 17. *num.* 182. ob ius comparatum ad vſum; quo primari nequit à commodante, ſicut neque donatarius re donatâ, quidquid donatori ſuperuenerit, qui debuit prouidere ſibi pro talibus ſucceſſibus, & dum non prouidit excipiendo illos, viſus eſt nullum ſibi ad repetitionem ius reſeruaſſe.

Probabilis ſententia repetitionẽ negans in omni euentu.

Gubernatores an licitè mutuas pecuniam exigãt à Mercatoribus, vt Regij theſauri quẽ tranſmittunt, copiã augeant, nullo lucro reddito.

131 Secundò: ſolent Indici Gubernatores, vt theſaurum Regium augeant, qui quotannis in Hiſpaniam tranſmittitur, magnam pecuniæ copiam à Mercatoribus mutuam accipere, ſed ſine præmio aliquo lucri, aut damni. Et quæri meritò poteſt an id liceat, licèt ſoluendam curent ex tributis, & iuribus aliis, quæ in Regias arcas frequenter afferuntur. Ratio autem dubitandi eſt: quia Mercatores non habent otioſam pecuniam, & ita dum eâ priuantur, lucrum eorum ceſſat, & damnis ſe non leuibus exponunt, pro quibus tamen nullam recompenſationem accipiunt, niſi fortè expenſarum in recuperatione; nec videtur dici poſſe id ſponte facere, quia vix eſt qui non faciat inuitus, & cum metu cadente in conſtantem virum, ne ſcilicet irâ Gubernatorum prouocent, à quâ non eſt appellatio, niſi ad patientiam: vnde & poſſunt grauiora ſibi damna ſubuenerit: & vt metus grauis non ſit, leuem ſufficere ad inducendum obligationem in conſcientiæ foro, quando ille tantùm eſt, qui dat cauſſam contractui, graues Auctores tenent, de quo dictum *Titulo* 7. *num.* 22.

Deciſio cũ non contemnendis animaduerſionibus.

132 Ad hoc dicendum videtur, ſi non omnino gratuitò talis mutuatio fiat; obligationem inde ad lucra, aut damna reſultare, ſicut contingeret quolibet alio ad ſimilem actum compellente. Iuxta receptiſſimam doctrinam de obligatione talis quando mutuum eſt coactum. Pro quo & in ſpeciali loquitur P. Molina *Diſput.* 315. *in principio,* vbi inter alia exempla coacti mutui, &

obliga-

Digitized by Google

obligationis ad lucra, & damna reſultantis; iſtud ſubiicit, ſi vaſallus ideò Regi, aut alteri Domino temporali mutuum det, quia meritò timet fore ab eo vexandum, aut graues moleſtias ab eo paſſurum, niſi mutuum illi det. Pro quo & Sotus *Lib. 6. de iuſtitia, quæſt.* 1. *art.* 3. *Concluſ.* 3. in eadem caſûs ſpecie loquens. Rarus autem eſt, qui omnino gratuitò tribuat, & ita iuxta id, quod generaliter accidit, iudicandum. Sunt autem aliqui nimis opulenti, qui nequeunt totâ, quam habent, pecuniâ negotiari, & ſi mutuum det mutuum eis reſtat, quo poſſint damno cuilibet ſuperuenienti obuiam ire. Et hi ſolent gratuitò mutuare Regi, quia ſic gubernantium gratiam ſibi ad multa neceſſariam aucupantur; vnde talibus præmium nullum tribuendum præter illud, quod ipſis eſt ex gratitudine debitum, aut debito alio, qui iuſtitiæ non ſit. Pro quo Auctores videndi apud Bonacinam *Diſput.* 3. *de contractibus Quæſt.* 3. *Puncto* 2. *num.* 6. 7. & 8. nec eſt contrarium quod cum aliis addit *num.* 9. eum eſſe vſurarium mentaliter, qui dat mutuò pecuniam Principi, ſperans lucrum ex mutuo tamquàm pretium, & in recompenſationem non gratuitam, nec liberalem: ſiue principaliter ſperet, ſiue minùs principaliter; ſiue aliàs non eſſet mutuatarius ſine eâ ſpe, ſiue etiam mutuatarius fuiſſet ob amicitiam, vel ob alium finem. Loquitur enim de mutuante ob recompenſationem non gratuitam, qualis non eſt ea de quâ loquimur; ſperare enim commodum ex mutuo etiam pretio æſtimabile, dummodò ex iuſtitiæ debito, non ſit tribuendum, ex mente omnium, vt ipſe ait, tradit Caramuel *num.* 740. vbi plures allegat; cuius, & doctrina alia ex *num.* 736. conſonat; ſcilicet poſſe mutuum dari obligando aliquem ad id, quod aliàs tenetur facere. Quod & docet P. Filliucius *Tract.* 34. *numer.* 94. cùm ergo Rex debeat gratificari ſibi ſubuenientibus, non erit contra rationem mutui ſi propterea ipſi tribuatur.

Bonacina.

Sperare commodũ ex mutuo vt liceat.

133 Quod autem ad expenſas attinet, & damna ex mora ſolutionis ſecuta, poſſe compenſationem exigere in conſcientiæ foro, certius eſt quàm vt debeat pluribus demonſtrari. Poterunt ergo ſic fraudati vti compenſatione in iis, quæ occurrent. In quo quidem gubernantium conſcientiæ videntur onerandæ, vt ſoluant, ſcientes Regium patrimonium iis compenſationum periculis à Mercatoribus veroſimiliter faciendis exponendum. Dici enim nequit Gubernatores, dum mutuum exigunt, vt theſaurum annuum impinguent, negotium Regis vtiliter gerere; cùm enim id, quod mutuò accipitur ſit quàm primùm ſoluendum, quod in præſenti eſt auctum, anno eſt ſequenti, è Regio theſauro detrahendum, & ſemper arcæ Regiæ immenſis debitis onerandæ: quod quidem non videtur iuxta Regiam eſſe voluntatem. Rex ergo hac ratione nihil plus habet, & alioqui damna compenſationum patitur: ſunt ergo illa gubernantium illaudabili procedendi modo tribuenda, & ita Regio patrimonio ſua integritas per reſtitutionem iuxta prudens faciendam arbitrium, tribuenda. Quod tunc ceſſabit, ſi reſtitutio damnificatis fiat, vnde ſperari poſſit eos à compenſationibus ex Regiis iuribus faciendis abſtenturos. Sed quis erit, qui ita reſtituat? videtur ſanè Rex commodiſſimè facere, dum à ſupremis Gubernatoribus in Hiſpaniam redeuntibus donatiua poſtulat, ſic enim, & ſibi conſulit, & eorum conſcientiis, ſcienter, aut inſcientium conſiliis circa Regium patrimonium oneratis.

Compenſatione vti quomodo dicti creditores poſſint pro damnis & expenſis circa ſolutionem.

134 Tertiò: ob vitiatam pecuniam annis proximè elapſis, cuius & modò dolendi effectus ſentiuntur; in dubium vertitur; quomodo ſit ei ſoluendum, qui mutuum dedit ante abrogationis edictum. Pro quo videnda, quæ diximus *ſuprà Cap.* 4. *difficult.* & controuerſum valde eſt, an famâ extante edicti proferendi circa imminutionem valoris poſſit fieri ſolutio totidem argenteis, quot mutuò dati fuerunt, cùm iam minoris eſſe valoris videantur eo ipſo, quòd proximè ſint ſuum valorem amiſſuri. Modò enim ſunt minus vtiles, quia non erit, qui vendere pro illis velit iuxta valorem priſtinum, neque ad alios contractus admittentur. Aliunde autem dum de imminutione valoris edictum non extat, videntur priſtinum retinere, vnde & creditores compelli poſſunt vt accipiant; circa quod

Circa vitiatam pecuniam difficultas, cùm ſoluendum mutuum.

135 Dico primò, ſi mutuans pecuniam vitiatam erat ſeruaturus vſque ad tempus publicationis edicti, neque in mutuationis actu aliquid fuit circa ſolutionis modum in ſpeciali conuentum, ſatisfacit qui totidem argenteos reddit, etiamſi minoris iam valoris ſint. Hoc tenent non ſolùm qui exiſtimant fieri ſatis reddendo eamdem quantitatem, quos adducit Caramuel. *num.* 730. ſed etiam ex iis quidam, qui aliter circa id ſentiunt, vt Syluester. *v. Vſura. Quæſt.* 15. quatenus affirmat, quòd non licet mutuare pecuniam, quam ſcio breuiter minuendam in valore, vt alia eiuſdem pretij ſoluatur; niſi quando illam mox eſſem expenſurus. Pro quo Alexandrum adducit *in quodlibetis.* Ex quo videtur idem ſentire in caſu, quo quis mutuauerit nihil de mutuatione cogitans; ſic enim cùm ſeruaturus pecuniam eſſet, & non mox expenſurus, nequit pecuniam maioris valoris exigere, vel ab inuito accipere, iam enim haberet lucrum ex mutuo. Quod tamen non ita accidit, cùm pecuniam mox erat expenſurus; quia idem lucrum, quod modò habet, ſic expendens habuiſſet. Pro quo etiam eſt P. Bauny. *Tract.* 6. *Quæſt.* 37. *Dub.* 6. vbi ſic ait: *ſi pecuniæ ad diem, aut tempus, quo earum pretium erit auctius, ſeruaturus erat mutuans, tantumdem à mutuatario petere poteſt.* &c. Habetur ergo ratio in mutuo de ſeruandis pecuniis: & ita ſiue valor creſcat, ſiue diminuatur, eadem eſt habenda ratio; & quidem quando augetur pretium. Ratio cur debeat talis reſpectus haberi, illa eſt, quòd mutuans ex beneficio detrimentum pateretur, ad quod nulla lex obligat, vnde ſua ſibi eſſet damnoſa charitas, vt citatus Auctor arguit, & eſt ſatis compertum: atqui cùm decreſcit valor & tantumdem redditur, ac illud quod mutuans erat ſeruaturus, nullum damnum incurrit; ergo nulla in eo iuſtitiæ violatio eſt, & ita neque obligatio reſtitutionis. Et quidem quod in rebus, circa quas contractus exercentur, habenda ſit ratio temporis ſeruandi, vel non ſeruandi illas, negari nequit; quia ſic habetur manifeſtè in *Cap. Nauiganti.* de vſuris, de quo iam dictum: ergo ſimiliter in pecuniâ, quia quoad hoc eadem omnino ratio eſt. Fateor contrarium tenere Nauarram

Aſſertio 1. *In ea poſſe ſolui ante edictum, ſi erat ſeruanda.*

P. Bauny.

Ex pecunia aucto valore arguitur.

Contrariũ eſſe probabile.

ram *Lib.* 3. *Cap.* 2. *num.* 82. P. Molina *Diſp.* 112. verſ. *Atque hinc* Cardinalem Lugo *Diſputat.* 25. *num.* 124. verſ. *Vltimo.* P. Filliucium *Tract.* 34. *num.* 60. Caramuelem *numer.* 735. vnde negari nequit, quin hoc ſit valde probabile. Contrarium autem vt probabile in Aſſertione propono, ſicut & viſum P. Filliucio, quia magis videtur fauorabile in ordine ad praxim; mutuans enim nihil perdit, & mutuatarius graui ſe onere ex parte liberat; & in præſenti cauſſa magis videtur fauendum mutuatariis, quia magis egent, vnde & eorum anguſtiæ ſubleuandæ. Prærerquam quòd ratio pro ſententia iſta magis videtur vrgere.

Aſſertio 2. Non ſatisfacere ſoluentem infamata pecunia mutuo acceptum.

136 Dico ſecundò. Qui mutuam accipit pecuniam, non videtur ſatisfacere, ſi eam ſoluat quando iam eſt deſtinata mutuationi, in quâ minoris valoris eſt futura, niſi mutuans eam poſſit expendere nihil de præſenti valore perditurus. Ratio eſt: quia nullus hoc pacto mutuum dat, talem ex mutuo iacturam facturus, eſſet enim hoc mutuationem, quæ opportunum eſt indigentium remedium, valde odioſam reddere; & ita minus vſitatam, ex quo grauia incommoda in conuictu humano ſequerentur. Hoc videtur eſſe clariſſimum.

Aſſertio 3. Secus eſſe in debitis alio titulo.

137 Dico tertiò. Quando pecunia eſt mutuationi dictæ proxima, ſatisfacit qui debet aliquid ob alios titulos, niſi nomine alterius agat ſecundùm explicationem ſtatim exhibendam. Pro hoc ſtat communis vſus, de quo oculatus teſtis Caramuel, vt ipſe teſtatur *num.* 728. quando tempore Philippi Tertij in Hiſpaniâ cuprea moneta mutata eſt; huius enim mutationis rumore ſparſo certis coniecturis, magnâ ſolicitudine, & diligentiâ, qui grauabantur ære alieno, venditoribus ſatisfaciebant, ne cogerentur poſteà duplum refundere. Vidimus hoc etiam annis præteritis argenteæ monetæ mutatione vulgatâ, creditores enim per poteſtatem publicam compellebantur ſolutionem acceptare iuxta valorem publicum. Quod quidem meritò fieri potuit, quia ſolutiones debent acceptari cùm fiunt monetâ currenti, quæcumque illa ſit, vt vidimus *n.* 29. Eſt autem moneta currẽs, & vſualis, dum auctoritate publicâ non mutatur. Et licet ob difamationem minoris videatur valoris, eo nõ obſtante poſſunt creditores compelli, vt admittãt, quia & ipſi ſuos etiam poſſunt compellere creditores; eſſet enim magnum inconueniens, ſi ſolutiones non admitterentur, quia contractatio ceſſaret, & rerum neceſſariarum copia non daretur; quandoquidem non eſſent, qui venderent, aut certè multò maiori pretio id facerent. Cùm ergo in contractibus rerum iſtarum retineatur monetæ valor, & qui vendunt eam accipere compellantur; debet item valor idem in ordine ad ſolutiones retineri; non enim aliud æquitas patitur, & monetæ valor debet eſſe idem pro omnibus, quando non eſt auctoritate publicâ variatus. Quòd ſi creditor aliquis ſit, qui compulſus accipere, nequeat iuxta valorem eumdem expendere, quia debitor ipſe non eſt, vt compellere creditorem poſſit, nec cenſum habeat, quem redimat, & ita neceſſarium patiatur detrimentum, id certè per accidens eſt, & ad rationem boni publici parum conducens: nam quandoquidem aliquis eſt detrimentum paſſurus, aut debitor ſcilicet, aut creditor; nihil Reipublicæ intereſſe videtur, quòd vnus potiùs, quàm alius, illud patiatur. Et generaliter loquendo, debitoribus eſt potiùs, quàm creditoribus fauendum, propter rationem adductam. *num.* 135. illi enim inter maiores verſantur anguſtias; vnde illa contra Creditores Dei exprobrantis vox Iſaiæ. 58. v. 3. *Et omnes debitores veſtros repetitis.* Circa id autem quod obſtare poterat ratione piorum operum, diximus, *num.* 33.

Debitoribus quàm creditoribus potiùs fauendum.

Limitatio Aſſertionis notanda pro executoribus teſtamentorum.

138 Limitatio autem in Aſſertione addita, *Niſi nomine alterius agat*; quia contingit, vt teſtator iubeat determinatam aliquam pecuniæ quantitatem in opus pium conferri, quæ ſit apud executorem depoſita, & circa quam nulla eſſe variatio valoris queat. Tunc autem non deerit executor (& talem aliquem nouimus) qui velit infamata pecunia ſoluere, quod legatario ſoluendum. Sed eſt illud omnino à iuſtitiâ, & fidelitate alienum, quia contra manifeſtam teſtatoris voluntatem, & ius legatarij in eadem voluntate fundatum. Eſt item contra leges depoſiti; vnde ſi teſtator debitum repeteret, nullo modò eſſet tali ſolutione contentus. Si ergo teſtatori non fieret ſatis, ergo neque legatario, in quem ille omne ius ſuum tranſtulit. Et ſimile erit, ſi quis; quod à teſtatore in optimâ monetâ accepit, velit Barras tribuendo exequi, quarum pretium forenſe inferius eſt, vt neceſſariò legatarius in illis ſit partem non modicam perditurus.

Aſſertio 4. Circa mutuum cum lucro, & aliam illis eſſe rationem.

139 Dico quartò: quod dictum eſt de ſolutione in ſuperiori Aſſertione, intelligendum etiam in mutuatariis; quando mutuum non eſt omnino gratuitum; ſed cum præmio ob lucrum ceſſans, aut damnum emergens. Ratio eſt, quia contractus tales ordinariè non fiunt in gratiam mutuatarij, ſed reſpectus ad lucrum habetur, & ita non currit in illis fundamentum Aſſertionis primæ, quòd ſcilicet mutuum ſit beneficium, ex quo nullus grauari debet. Quòd ſi contingat in foro exteriori compelli. Sic gratuitò mutuantem admittere ſolutionem, id in foro animæ nihil proderit, vnde mutuatarius ad plenam recompenſationem manebit in Dei oculis obligatus. Sed communia hæc aliis extra Indias ſunt. Ad alia iam ſpecialia veniamus.

CAPVT XII.

Contractus alij Indici percurruntur, præſertim Eccleſiaſticorum.

Circa præcipuos, quatenus ſpeciales ſunt aut ſpeciale aliquid in illis admiſcetur, dictum à nobis, quod eſt viſum opportunum: vnde circa alios breuioribus eſt clauſulis decurrendum; licet in nonnullis diutius inſiſtendum.

§. I.

De contractu circa Cocam.

Religioſi an habere Cocicata queant, id eſt arbores Coca colere.

140 Dictum de illâ *Titulo* 1. *num.* 138. & *ſeqq.* Hic quæro an Religioſi habere poſſint prædia, in quibus arbores iſtæ coluntur, & emolumentis eàrum frui; cùm enim genus iſtud foliorum ea habeat inconuenientia, de quibus

Digitized by Google

bus loco citato diximus, Religioſos, qui omnium ſpirituali bono, ac præſertim Indorum conuerſioni, & in fide promotioni debent attendere; videtur dedecere. Quod quidem ego ſic arbitror, dedecere quidem ob rationes dictas, ſed nihilominus non peccare grauiter, ſi ex donatione alicuius habuerint, neque eam commodè poſſint alienare: dummodò prædia in pago non inſalubri ſint, in quo ſcilicet Indi cultores de vita periclitentur, quorum aliqui inueniuntur. Ratio eſt, quia ea, quæ minùs decent, ob rationes aliquas ſpecialis conuenientiæ ſolent licita reddi. Sic D. Paulus indecens ſibi iudicauit habere, qui alimenta miniſtraret circa euangelij prædicationem occupato, vnde ait 1. Cor. 9. v. 12. *Sed non vſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti.* Et tamen alios Apoſtolos non ita feciſſe ibidem præmiſerat, dicens v. 5. *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi: ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres domini, & Cephas?* Quod ergo minùs decens videbatur, Apoſtoli alij faciebant, quia ad id cogebat neceſſitas; & indecentia illa magnitudine virtutum, & excellentia miraculorum ſupplebatur, vt nullum Euangelio obſtaculum videretur. Exiſtima autem indecentiam fore non tolerandam, ſi Coca in propriis Religioſorum domibus minutiùs eſſet venalis; nam & abuſus illius, non ſine graui nota in Religioſos cœpit propagari.

Poſſe, ſed non decere niſi aliquando.

1. Cor. 9 v. 5. & 12.

§. II.

De aliquibus Religioſorum contractibus, qui negotiationem videntur præſeferre.

Aliqua emi in Indijs ab eis poſſe carius in Hiſpania vendenda, neceſſitatis titulo.

141 Sit hoc ad nuper dicta conſequens, de quo P. Molina *Diſput.* 342. §. *Tertiò obſeruandum.* Vbi ait Religioſos in Indiâ, & Braſilia, nonnullos regionum illarum fructus emere viliori pretio, vendendos maiori in Europa, vt inde quæ illis neceſſaria ſunt empta transmittantur. Quod ipſe Pater probat, quia ad illud neceſſitas cogit; dummodò intra neceſſitatis limites ſe contineant, & non cedat in lucrum, quod eſt neceſſitati tantummodò indultum. Et hanc eius doctrinam alij poſteà ſunt amplexi; pro quâ & auctoritas ſic facientium eſſe poteſt affatim ſufficiens; cùm viri docti, & probi ſint, qui meliùs, quàm alij, circumſtantias rerum noſcere potuerunt. Pro quibus eſt caput. *Multa ſunt, ne Clerici, vel Monachi.* in quo ſic ex Concilio Moguntino: *nec tamen iuſtum negotium eſt interdicendum propter neceſſitates diuerſas, quia legimus ſanctos Apoſtolos negotiatos fuiſſe.* &c. Pro quo etiam t *extra de dicimis* Cap. *dilecti.*

Cap. Multa ſunt.

Religioſos non poſſe agros conducere vt fructus vendant.

142 Illud non ita excuſabile, vendere agrorum fructus quos Religioſus conduxit: quod quidem prohibitum in *Cap. Multa ſunt* citato, verbis illis: *conductores ſæcularium rerum, aut Procuratores.* Vt ibi Doctores intelligunt, & expreſſiùs in Cap. *Peruenit.* 21. *Quæſt.* 3. ex Concilio 1. Carthaginenſi, in quo Nicolaus Papa Epiſcopis Caſtillanis ſic dixiſſe legitur. Verba citati Capitis ſunt: *Decreuit igitur ſancta Synodus, neminem deinceps eorum, hoc eſt, non Epiſcopum, ſiue Clericum, aut Monachum conducere poſſeſſiones* &c. Idem habetur in *Cap. Placuit.* Vbi tamen de Monachis non eſt ſermo. Conſtat autem ex *Cap. Sed nec: ne Clerici, vel Monachi.* Ea quæ quæ ad negotiationem ſpectent, ſtrictiùs Religioſis inhiberi, verbis illis: *Diſtrictiùs autem eum decernimus puniendum, ſi Religioſorum quiſquam aliquid prædictorum auſus fuerit attentare.* Sic ibi ex Alexandro Tertio in Concilio Turonenſi. Cùm etiam in priori Capite expreſſa Monachorum habeatur mentio; nil refert in alio Capite illam non extare, vt eſt manifeſtum; & hoc debent Parochi Regulares attendere quia & prohibitio comperta eſt, & Doctores in ea agnoſcenda, & aſſerenda conueniunt.

Negotiatio illis ſtrictius prohibita.

Limitatio ex fine venditionis fructus.

143 Addunt tamen id contingere quando aliena prædia conducuntur, vt vendantur fructus. Pro quo videri poſſunt P. Molina *Diſputat.* 342. verſ. *Idem dicerem.* Cardinalis Lugo *Diſputat.* 26. *numer.* 29. P. Leſſius *Libr.* 2. *Cap.* 15. *num.* 6. P. Gaſpar Hurtadus *Diſp.* 2. *de Contractibus, difficultate* 17. verſ. *Addimus.* Bonacina *de Reſtitutione Diſp.* 2. *Quæſt.* 9. *Puncto* 2. *num.* 4. P. Dicaſtillus *Libr.* 2. *Tract.* 9. *Diſp.* 1. *num.* 238. & alij, qui communiter addunt ex huiuſmodi contractu debere alcaualam, vel quocumque alio nomine vocetur id, quod ex venditione debetur. Si ergo prædia non conducantur, vt vendantur fructus, & quæſtus ex illis fiat, ſed ex aliis finibus, non currit prohibitio. Ex. g. ſi conducantur, vt propria animalia ibi paſcantur, quia non eſt locus commodus Religioſis vbi id facere poſſint. Quod ampliandum, etiamſi paſcantur vt benè enutrita vendi meliùs poſſint. Vbi & ampliatio alia fieri ſecundùm alios poteſt, videlicet etiamſi animalia emantur, & ibi diutiùs alantur, & curentur, vt ſic per induſtriam meliora reddita vendi cum lucro poſſint. Non enim immutata venduntur, quod communiter Doctores requirunt ad propriam negotiationem; de quo dictum *n.* 33. & melioratio videtur eſſe fructus induſtriæ, quamquàm hoc vltimum difficultate non careat. Videatur Cardinalis Lugo *num.* 29. & 34. & decretum 84. *Congregationis ſeptimæ noſtræ Societatis.*

Notanda exempla.

Et ampliatio conſideratione digna.

144 Item ſi conducantur, eò quòd ad culturam propriorum prædiorũ notabiliter conferant, vel ob paſcua, vel ob aquas irrigationi neceſſarias, vel propter vitanda damna ex vicinis prædiis occurrentia, quæ ſunt ſemper frequentiſſima: ob rixas ruſticanorum, & vicinorũ æmulationes, inſidias, ſuſſurationes, ſimultates. Sic Abraham & Loth, licet cognati, & iuſti. *Non poterant habitare communiter. Geneſ.* 13. *v.* 6. *Vnde & facta eſt rixa inter paſtores gregum, Abram, & Lot. v.* 7. in his ergo & ſimilibus caſibus, licet ex conductis prædiis vendantur fructus, non contrauenitur iuris canonici diſpoſitionibus, iuxta quas ſolùm negotiatio ob directum finem quæſtus faciendi prohibetur, quẽ generaliter Textus damnat, vt videri poteſt tota *Diſtin.* 88. & toto Titulo. *Ne Clerici, vel Monachi*: non autem eum, qui intra rationis continetur limites, & nihil inordinatum aut ſcandalo occaſionem præbens, conſtat præſeferre. Videatur Cardin. Lugo in *Reſponſis moral. Lib.* 3. *Dubio.* 20. *num.* 3. Et quod dictum eſt de Religioſis, etiam de Clericis eſt intelligendum, circa quos tamen aliquid ſpecialius adiiciendum.

Geneſ. 13. v. 6. & 7.

Digitized by Google

§. III.

De Contractibus Clericorum, & ſpeciali pro Indijs prohibitione.

Fructuum decimaliũ conductio Clericis prohibita.

145 Circa prohibitionem in genere videndus Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 60. & 61. & in Politica *Pag.* 170. In particulari loquendo conducere alienos agros Clerici prohibentur, vt vidimus: ex quo nonnulli videntur colligere non eſſe ſibi prohibitam fructuum decimalium conductionem, vnde videmus aliquos contractatione iſtâ, non ſolùm diuites, ſed etiam opulentos euaſiſſe, ſed non eſſe illam licitam videtur omnino compertum. Tum ex Concilio Limenſi 3. *Actione* 3. id ſpecialiter prohibente *Cap.* 21. Tum etiam iuxta id quod Doctores communiter circa prohibitionem negotiationis affirmant. Emunt ſiquidem fructus vt immutatos vendant: neque id titulo aliquo pietatis, aut neceſſitatis honeſtant: & ſupra conductionem agrorum aliquid eſt in eo ampliùs, vnde illa magis prohibita debeat iudicari. Siquidem quando conducuntur agri non ibi emptio aliqua interuenit, quia neque agri ipſi neq; fructus emuntur: in conductione autem decimarum emuntur fructus, qui poſteà immutati venduntur. Si autem mutatio accidat, erit forſitan conductio toleranda, vt ſi Clericus habeat molendinum, & fructus decimales emat, ſiue quoſcumque alios, vt in farinam reductos cum lucro vendat; quod fieri poſſe probabile apparet. Et erunt etiam qui affirment licere illud, etiamſi Clericus proprium non habeat molendinum, ob mutationem in eo factam. Quod tamen non videtur admittendum, quia mutatio illa non eſt effectus induſtriæ ipſius Clerici, neque ex aliquo prouenit, quod eius ſit, eamdemque indecentiam habere videtur, acſi penitus immutati tales fructus venderentur. Pro quo videri poſſunt P. Molina *Diſputat.* 324. *citatâ*, & Cardinalis Lugo *num.* 34. ob multa, quæ adducunt ſimilia, & minimè licere teſtantur. In ſpecie autem caſus præſentis loquitur P. Molina *verſ. Idem dicendum*, de Clerico inquam, qui alieni beneficij fructus conducit. Et idem erit ſi quando decimæ conductoribus traduntur, Clericus conductorem ſupponat, qui ſuo nomine conducat, cùm tamen reipſa Clericus ipſe totum ſit negotium per ſe principaliter peracturus. Verba enim legis amplectitur, ſed contra legis voluntatem faciens, vnde manifeſtũ eſt in legẽ peccare, vt eſt regula iuris notiſſima.

Limitatio ſpecialis.

Reiecta alia.

Epiſcopi circa id diſpẽſare poſſe, & quando ſic facere cenſeantur.

146 Et licet Epiſcopi poſſint Clericis adminiſtrationem aliquam committere rerum dictarum, vt habetur in Cap. *Peruenit* 21. *quæſt.* 3. non ideò poſſunt conductionibus iſtis annuere, cùm prohibitio à ſuprema poteſtate deſcendit, niſi fortè indecentiâ ceſſante diſpenſent, vt videntur poſſe facere, quandoquidem id non inuenitur in ſpeciali prohibitum; iuxta multorum doctrinam. Pro quo videndus P. Thomas Sancius *Lib.* 1. *de Matrimonio Diſput.* 61. *numer.* 3. vbi quamplures adducit. Sed an ex Prouinciali Concilio id prohibenti oriatur ſpecialis impoſſibilitas; dicendum *inferiùs*. Videntur autem multoties diſpenſare Epiſcopi, quia vident, nec prohibent, aut puniunt ſic facientes: taciturnitas enim eius, qui prohibere poteſt, cùm facilè prohibere poſſit, eſt tacita diſpenſatio, vt innumeri docent Auctores apud Ioannem Sancium in *ſelectis diſp.* 44. *n.* 3. Pro quo & videndus P. Palaus *Tom.* 1. *tractat.* 3. *diſp.* 6. *Puncto* 12. *num.* 3. vbi & alios adducit. Videntur autem eâ ad diſpenſationem dictam ratione moueri: quia ſic res Eccleſiæ meliùs tranſiguntur, dum conductores ſecuriores habentur, qui & Prælatos verentur offendere, & quæ congregant, in vſus tandem pios creduntur expenſari; quod non ita in ſæcularibus euenit, vt experientiâ eſt manifeſtum.

Diſpenſatio tacita quãdo contingat.

De Mercatoribus qui ſacros recipiunt Ordines, & remanent Mercatores.

147 Contingit etiam in Indiis Mercatores aliquos etiam bigamos diſpenſatione, vt poſſunt obtenta, fieri Clericos, ſed communi ferè omnium judicio Mercatores remanere, licèt eorum nomine non videantur mercimonia procedere, ſed aliorum, quibuſcum ſocietatem ineunt, vel adminiſtratores ſunt: & vtrumque hoc, ſcilicet ſocietatem inire poſſe, vel per alios negotiari, Doctores plures affirmant, qui videri poſſunt apud Dianam *Parte* 1. *tract.* 8. *reſol.* 71. & 72. & aliis locis citatis *n.* 33. & Bonacinam *diſp.* 3. *de contract. q.* 1. *Puncto* 5. *n.* 19. Addunt tamen ita ſentientes, limitationes aliquas, quas iſti non videntur obſeruare. Quòd ſcilicet pecunia ita tradatur ſocio, ſi contractus ſocietatis initur, vt tota cura illi relinquatur, & ſolius pecuniæ, ac lucrorum communicatio ſit. Ita Card. Lugo *n.* 36. cum P. Molina *diſp.* 342. *verſ. Vtrum autem*, & P. Leſſio *lib.* 2. *cap.* 15 *n.* 6. Syluius 2.2. *q.* 77. *art.* 4. Renatus à Valle apud Dianam *Parte* 9. *tract.* 7. *reſol.* 69. quod & ipſe amplectitur addens cum Card. Lugo, peccatum veniale futurum, ſi aliquantulùm curæ, & ſuperintendentiæ in eo interueniat, quod & prius tradiderat P. Rebellus *Parte* 2. *lib.* 9. *quæſt.* 18. *num.* 8. Præterea dicunt, ſi per adminiſtros id faciant, non debere ita negotiationi intendere, vt quaſi cauſæ principales ſint, quod benè à Renato, & Syluio explicatum amplectitur Diana *ſuprà* in fine. Quẽ influxum ita explicare poſſumus, vt adminiſtri in emptionibus, & venditionibus, cambiis, permutationibus, &c. quoad ſubſtãtiam & modum omnino à Clericorũ voluntate dependeant, ſcribendo, & reſcribendo frequenter, quod facere etiam laici ſolent, dum adminiſtros adhibẽt negotiationibus, quas per ſe ipſos nequeunt exercere. Sic enim habet Regula Iuris in *Sexto* 72. *Qui facit per alium, eſt perinde, acſi faciat per ſe ipſum.* Addunt item, ad negotiationem talem debere iuſtam aliquam ſubeſſe cauſam: ſic P. Leſſius dudum citatus *in fine. verſ. vlt.* Tales autem limitationes non ſeruari ab aliquibus, ex eo oſtenditur; quia Mercatores vt anteà reputantur, & de juſta cauſa non conſtat, neque vlla ſpecialis apparet. Sibi ergo conſulant, rationem dati, & accepti Deo ob ſacerdotalem dignitatem, quam gerunt, exactiſſimè reddituri.

Contractũ Societatis vt inire clerici queant.

Qualiter per adminiſtros negotiari.

Iuſtam pro eo cauſſam requiri.

An ſit talis, ſi ex fine piorum operum fiat.

148 Dubitari autem poteſt an iuſta cauſſa ſit ſi in negotiatione perſiſtant, vt plura acquirant in operibus pietatis expendenda. Ad quod dicendum: ſi negotiatio non penitus per alios exerceatur, ſed ipſi habeant principalem influxum, ita vt Mercatores reputentur, minimè ob finem dictum negotiationem honeſtari, quia per illam eaſdem diſtractiones incurrunt, quas ob fines alios, ſi negotiarentur incurrerent, & illæ ſunt

ſunt, quas ſacri Canones ſtudent iteratis cautionibus remouere. Vide 21. *Cauſſam* per totam quæſtionem tertiam. Deinde ſola neceſſitatis ratio in excuſationem admittitur, vt vidimus ex Cap. *Multa ſunt, ne clerici, vel Monachi.* Scandalum præterea perſeuerat, paucis enim cauſſæ illæ pietatis innoteſcunt; & qui eas norunt, non rectè de huiuſmodi ſolicitudinibus ſentiunt, vt experientiâ conſtat. Si autem negotiatio per alios modo decenti fiat, ſatis iuſta cauſſa videtur prædicta, quia ob pietatem in multis videtur diſpenſari, vt propter orphanorum, & viduarum defenſionem; *aut earum perſonarum quæ maximè Eccleſiaſtico indigent adminiculo, propter timorem Dei*, vt habetur *in Cap. Peruenit 21. quæſt. 3.* vbi de negotiatione eſt ſermo.

Cap. Peruenit, 21. q. 3.

149 Ex quo habemus; quod ſi in Concilio aliquo contra Clericos negotiationi vacantes excommunicatio ipſo facto incurrenda proferatur, illos non liget, qui eâ ſecluſâ grauiter in eo genere non deliquerint, iuxta datas explicationes, quia videlicet non per ſe, ſed per alios, & per alios ita, vt cura eiſdem relinquatur, & conductione bonis reſpectibus honeſtatâ, & talis eſt excommunicatio Concilij Limenſis Tertij. *Actione 3. cap. 4.* In quo ſic poſt alia: *Cui tanto malo, quod & indies latius ſerpere, & Indorum ſaluti vehementer nocere animaduerterit, cupiens pro data ſibi à Domino poteſtate, efficacius occurrere, ſtrictè præcipit, ne quâ perſona Eccleſiaſtica, cuiuſcumque gradus, dignitatiſue ſit, negotiationem Sacris Canonibus toties prohibitam, quacumque arte, coloreûe exerceat, ſi quis autem Clericus mercaturæ operam dederit, præter pœnas à iure, atque Concilio ſuperiore impoſitas, quas innouamus, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat.* Sic Concilium à Sixto V. approbatum; quod cùm de quacumque perſona Eccleſiaſtica loquatur, ſolum ſacris Ordinibus ornatos comprehendit, iuxta communem Doctorum ſententiam, pro quâ videri omnes citati poſſunt. De Beneficiatis autem, in ſacris non conſtitutis, magis dubia cauſſa eſt, & ſunt qui negent obligari, communior autem, & praxi recepta ſententia affirmat, pro quâ videri Auctores poſſunt, quos adducit Bonacina *diſp. 3. de contract. quæſt. 1. Puncto 5. n. 19.* Diana *tract. 8. citat. Reſol. 73.* Card. Lugo *diſp. 26. num. 36.* & alij. Sed cùm probabilis prior ſententia ſit, illâ poterit, qui voluerit, ſe tueri.

Concilij prohibitio vt intelligenda.

Peculiaris Concilij Limenſis 3.

In Minoribus conſtitutos non ligari.

Circa Beneficiatos vtrumque probabile.

150 Religioſos autem prohibitione dicta, & illius pœnis, niſi quatenus eorum aliquæ de jure communi ſunt. non ligari, ſtante illorum exemptione, receptiſſima ſententia eſt, pro quâ videri poteſt P. Suarez *lib. 4. de legibus c. 20.* P. Palaus *tom. 1. tract. 3. diſp. 2. Puncto 1. n. 11.* P. Amicus *diſp. 5. de Iuſtitiâ. n. 341. & ſeqq.* & maximè in ſpecie loquens Nauarrus *Concilio 2. de ſepulturis*, & plures alij, quos adducit & ſequitur Diana *Part. 1. tractat. 10. Reſol. 11.* & alij paſſim: neque obſtat dictum Concilium eſſe à Pontifice confirmatum, etiamſi vera confirmatio ſit, quia confirmatio non ampliat diſpoſitionem, ſed roborat, quatenus maioris facit auctoritatis ex *Cap. Propoſuit, de conceſſione Præbendæ*, circa quod Barboſa *in collectaneis ad dictum caput n. 7. & 13.* Ex his non audiendus D. Villaroel qui *parte 2. quæſt. 12. art. 5. n. 107.* ait Religioſos ligari legibus ſynodalibus, ſeu diœceſanis.

Religioſi minimè comprehenſi.

§. IV.

Circa Parochos Indorum quid ſpeciale ex Concilio Limenſi.

151 VRgentior eſt eiuſdem Concilij deciſio *Cap. 5.* contra Indorum Parochos negotiantes, ſic enim habet poſt grauitatem criminis ponderatam. *Idcirco Sancta Synodus ſub eiſdem pœnis proximo decreto propoſitis, vetat; ne quis Indorum Parochus per ſe, vel aliam interpoſitam perſonam quamcumque, cùm quibuſuis Indis mercaturam exercere præſumat. Inſuper neque pecora quæcumque alere præter neceſſaria ad victum, aut agros colere, aut vehendis mercibus animalia tenere, vel locare: neque Indos ipſos ad mineralia ſibi curanda mittere, vel eorum operam locare; deñique neque cum ipſis Indis negotiari, neque cum alijs per ipſos; qui iſtorum quodlibet egerit, etiam excommunicatione latæ ſententiæ ſe nouerit innodatum.* Sic ibi; vbi quod ad interpoſitam perſonam attinet, juxta dicta *num. 148.* eſt explicandum, quando ſcilicet fit per illam, ſed cum cauſſæ principalis influxu, nam & cauſſa etiam partialis principalis eſſe poteſt, vt ex Philoſophia notum. Dummodò contractus aliàs ex ſe illicitus non ſit, de quo dictum, cùm de Indorum Prætoribus ageremus. *Titulo 6. cap. 1.* Quod de alendis pecoribus dicitur, ad greges pertinet, quos Caſtellæ dicimus *Ganado de Caſtilla.* oues, boues, & capreas; iſta enim ad victum pertinent: non ergo videtur prohibitum, equos alere, & propagationem eorum, ſicut aliorum animalium, accurare. Prætermiſſum ſanè illud, quia in Petuuio nullum eſt inconueniens ex cura huiuſmodi deprehenſum; ſi tamen equæ, & aſinæ aut è contra pariter alerentur ad mulorum, & mularum generationem, maior eſſe difficultas poſſet, quia inde animalia prodeunt prouehendis mercibus apta, quorum retentionem paullò inferiùs Concilium vetat. Si ergo non ad eum effectum, ſed ad vendendum ſimplicitur teneantur, non videtur prohibitio circa illorum generationem vrgere.

Circa Parochos magis ſpecialis.

Quid cùm per interpoſitam perſonam res agitur.

De alendis pecoribus.

152 Agros colere, ſi conducti ſint, iam vidimus non licere: & ita frequenter accidit in Parochis Indorum, qui proprios agros non poſſident. Si autem conducti non ſint, & tantùm pro neceſſariis ad victum coluntur, idem quod de pecoribus indulgetur. Vnde etiamſi agri conducti ſint, idem per Concilium licebit. Vbi non delicata commenſuratione procedendum eſt, vt nihil amplius, quàm quod neceſſarium eſt, colligatur: cùm enim id nequeat omnino exactè cognoſci, neque annorum ſit ſemper vna eademque fertilitas, ad copiam debet conatus dirigi, & licet aliquid vendendum reſtet, id non eſt contrarium deciſioni Concilij judicandum; applicando Doctrinam, quam habet circa emptionem, & venditionem Cardinalis Lugo *Diſput. 26. num. 32.* & eſt etiam aliorum, quod & in pecoribus pariter aſſerendum. Id autem, quod de animalibus pro mercibus vehendis additur, duo genera eorum complectitur. Primum arietum peruuianorum, quos vocant *Ganado de la tierra*, qui cùm ad genus Camelorum accedant, vehendis mercibus aptiſſimi repu-

De cultura agrorum.

De animalibus pro mercibus vehendis.

Digitized by Google

reputantur. Has alere Parochi ſolent,& teneros vili pretio emunt, maiori vendendos. Secundum mulorum, & mularum cum ſtramentis, & ornatu per numeros ductorum *Piaras* appellant. Hæc tenere, & locare non licet; videlicet cuſtodienda,& ducenda per Indos; ſi autem per alios famulos, probabile eſt id licere, etiamſi ad locandum fuerint empta. Quod licet neget P. Molina *Diſput*. 342. in fine, redarguit tamen eum Cardinalis Lugo *num*. 34. quia ipſe P. Molina fatetur poſſe Clericum propria prædia, vel iumenta locare: poſtquàm autem illa emit, iam ſunt propria illius, ſicut ſi domi nata fuiſſent. Quòd verò eo animo emerit, non videtur ſatis; quia licet prædia emerit animo locandi, id non eſſet illicitè negotiari; ergo & idem in iumentis erit, niſi frequentia emptionis ſpeciem negotiationis habuerit. Sic ille arguit.

Locatio vt liceat.

153 Quod ad mineralia attinet, ſatis perſpicuum eſt: ipſe autem modus loquendi indicat de Indis propriæ Parochiæ eſſe ſermonem, dum dicitur nec mitti, nec locari poſſe: illi ergo non poſſunt mitti, qui nec locari: eſt autem manifeſtum alienæ Parochiæ Indos non poſſe locari à Parocho, & ita nec mitti, quod ſatis oſtendit de Indis propriæ Parochiæ eſſe ſermonem, miſſio enim ad ſubiectos ſpectat. Si ergo Parochus minerale habeat, non prohibetur Indorum aliorum vti miniſterio, qui voluntariè voluerint laborare: nequeunt autem habere niſi in illis hæreditario iure ſuccedant, de quo D Solorzanus *Tom*.2. *Lib*.1. *Cap*.16.*num*.61. & in Politicâ *Pag*.170. *Col*. 1. *fin*. cum Indis denique negotiari Parochi prohibentur, quod accidit dum illis vinum, & familiare ipſis poculum, *Chicha*, veſtes, & alia venduntur: aut quas Indi ipſi ex propriis laboribus merces acquiſitas vendere Parochis compelluntur, in quibus non ſolùm multa indigna, & ſordida, ſed etiam iniuſta frequenter reperiuntur. Quod ſi Parochus matrem ſecum aut ſororem habeat, & earum nomine aliquid prædictorum agatur; non ideò videntur excuſandi, cùm conſtet lucrum eorum ad ipſos pertinere. Pro quo videre poteſt P. Rebellus *Parte* 2. *Lib*.9. *Quæſt*.78.*num*.8. Quòd ſi panis vendatur publicè, vbi emi ab aliis etiam poteſt, cuius venditionis lucrum ſatis moderatum eſſe ſolet, & ita etiam valde credibile ad matrem, aut ſororem pertinere, non debent conciliaris decreti tranſgreſſores reputari, & idem eſt de quibuſdam aliis. Negotiari autem per Indos cum aliis tunc accidit, cùm ab ipſis onerata animalia ducuntur, & rerum variarum commercium agitatur. Dum autem, *neque cum aliis per ipſos* dicitur, aliorum nomine non Hiſpani ſolùm veniunt, ſed quicumque alij, etiam Indi; quod contingere poteſt, ſi Parochus Indos Parochiæ ſuæ ad alios Indorum populos mittat, apud quos mercimonium poſſit exerceri. Eadem enim ratio eſt tum auaritiæ remouendæ in Parochis, tum damni temporalis, & ſpiritualis Indorum; qui alienis commodis addicti propria non curant, neque inſtrui plenè de diuinis poſſunt pro ſalute eorum opportunis.

De Indis pro Mineralibus non occupãdis.

Neque negotiandum cum ipſis.

Sicut neque per ipſos.

154 Poſt excommunicationis ſententiam pronuntiatam ſic additur: *Sciant etiam Parochi Indorum mineralium officinas ſiue ingenia, pannorum quoque Laniſicinas, cæteraſque quæſtuarias artes ſibi eſſe penitus interdictas. Neque enim qui Euangelizandi miniſterium ſuſceperunt, Deo ſimul & Mammonæ ſeruire poſſunt.* Hæc Concilium: quæ cùm poſt excommunicationis ſententiam poſita ſint, non videntur per ipſam comprehenſa. Et quidem quæſtuariæ artes non ſunt aliàs Clericis, etiam Parochis interdictæ, quia vbi artificium interuenit, negotiatio non eſt, vt ſæpiùs dictum, & præſertim *num*.33. & mineralium officinæ, ſiue ingenia, licèt alias per Regia edicta Eccleſiaſticis non permittantur; id tamen ob alias ſatis congruentes rationes eſt, & non quia negotiatio in illis poſſit deprehendi, à quâ illi iubentur abſtinere. De officinis autem pro lanificio communis quidem ſententia eſt Eccleſiaſticis non licere, quando lanę ad opificium emuntur, vt videri poteſt apud P. Molinam *Diſput*.342. *verſ. Secundum eſt*. Cardin. Lugo *ſuprà numer*. 43. P. Filliucium *Tractat*. 35. *num*.22. & alios. Si autem lanæ ex propriis gregibus ſint, non eſt ita exploratum vt videri poteſt, apud Cardinalem Lugo. Numquam autem prædictis officinis lanæ non emptæ ſufficiunt, iuxta quod potuit Concilium generaliter loqui communem ſententiam amplectendo.

Quæſtuariæ artes qualiter à Concilio prohibitæ.

In mineralibus non eſſe negotiationem.

Secus in laniſicijs ſi lanæ emantur.

§. V.

Circa Diſpenſationem notanda doctrina.

155 Videndum iam reſtat id, quod in hunc locum remiſimus; an liceat Epiſcopis circa prohibitiones præfatas diſpenſare: & generaliter loquendo videtur licere, ſicut dictum *num*.146. ſi videlicet cauſſa iſta ſit. In facti autem contingentiâ raro talis cauſſa occurret, & ita raro etiam poterit diſpenſatio iuſta reperiri. Aut enim neceſſitas eſt, & tunc non eſt opus diſpenſatione. Aut vtilitas, & tunc per alios poteſt negotiari, quod licere iam vidimus, & præter Auctores citatos id tenet Baſſæus *v. Clericus, num*.14. In Parochis autem Indorum neque neceſſitas vrget, quia ſufficientem habet ſuſtentationem, quod & negotiatio ipſa arguit, quæ non eſt niſi ex ſuperabundantibus inſtruenda. Vtilitas autem nulla poteſt eſſe talis, quæ præponderare queat vtilitati Indorum, à Parochis ante omnes alias exquirendæ, & negotiationibus iſtis conſtat impediri. Quod quidem Concilium eleganter expreſſit citato *Capite* 5. ſic dicens: *Cùm Neophyti iſti ea de cauſſa, tum ſcandalum graue ſuſtineant, tum inſtructionis ſuæ iacturam non mediocrem faciant, dum ab his in temporalibus ipſorum quæſtibus occupantur, à quibus debebant ſpiritualibus incrementis augeri.* Sic ibi. Quæ quidem rationes, & ſcandali ſcilicet, & inſtructionis iacturæ, cùm adeò vrgentes ſint, quis non videat rariſſimè euenturum vt ceſſent, & ſic poſſit negotiatio ſuſtineri? Tum etiam quia cùm diſpenſatio Parocho alicui ab Epiſcopo confertur, impoſſibile eſt eum omnes circumſtantias præuidere in negotiatione futuras, vnde non eſt ſatis generaliter cauſſam aliquam diſpenſandi ſubeſſe pro aliquo actu, & generaliter illam procedere, quia impoſſibile moraliter eſt in omnibus actibus inconuenientia ceſſare. Id autem Parochorum conſcientiæ relinquere, nimis periculoſum eſt. Deſeruire tamen illud ad euitandam excom-

Epiſcopos diſpenſare in prædictis poſſe, ſed raro cauſam iuſtam reperiri.

Concilium idem pro damnis Indorum.

Digitized by Google

Diſpenſationem iniuſtam eſſe validam, ſi non ſit in lege Superioris.

excommunicationem, erit fortè qui cenſeat, iuxta probabilem ſententiam, aſſerentem diſpenſationem iniuſtè datam eſſe validam, quando non eſt in lege ſuperioris. Pro quo quam plures adducit P. Thomas Sancius *Libr.* 8. *de Matrimonio Diſputat.* 17. *num.* 27. Diana *Parte* 1. *Tract.* 10. *Reſolut.* 32. & Recentiores alij communiter. Concilium autem Prouinciale in ordine ad leges condendas, & conſequenter in ordine ad diſpenſationes, non eſſe ſuperius ſingulis Epiſcopis tenet P. Arriaga *Tract. de legibus, Diſputat.* 18. *num.* 57. *& Diſputat.* 29. *Sect.* 2. Verùm hoc non videtur accommodari præſenti caſui poſſe, quandoquidem Concilium approbatum eſt à Sixto Quinto. Quando autem approbatio, quæ & idem cum confirmatione videtur, accedit, Concilium Prouinciale iuxta auctoritatem confirmationis regulandum eſt, vt non liceat in eo, ſicut neque in iure communi, inferioribus diſpenſare, niſi iuſtâ interueniente cauſſâ, ex cuius cauſſæ defectu redditur inualida diſpenſatio, vt citati tradunt, & videri poteſt præſertim P. Sancius *Diſput.* 27. *citata, num.* 30. vbi alios adducit.

Quod caſui præſenti non quadrat, ob Concilij Pontificiam confirmationē.

Sed illam non videri omnimodam, vnde ex eo non plenè concludi.

156 Sed certè, licet prædictum Conſilium approbatum ſit, non tamen videtur confirmatum eo confirmationis genere, quo Prouincialia Concilia ad idem auctoritatis culmen, quo Generalia, ſolent eleuari; iuxta quod non dubitat Cardinalis Bellarminus *Lib.* 2. *de Concilijs Cap.* 5. aſſerere ea errare non poſſe, & oppoſitum proferre temerarium eſſe, erroneum, & hæreſi proximum. Neque etiam alio confirmationis genere approbatum apparet quod inferius ſit; tali tamen vt eius decreta nequeant in Conciliis aliis Prouincialibus abrogari: nullum enim verbum in approbatione extat, ex quo ſimilis auctoritas poſſit conіectari. Neque enim Bulla approbationis eſt pro hoc expedita, ſed Cardinalis Caraſa, nomine Congregationis Cardinalium, Concilio Tridentino interpretando præpoſitorum Archiepiſcopo Limano reſcribit; Concilium dictum à præfatis Cardinalibus, ex ſuo munere, & ſuæ Sanctitatis iuſſu diligenter perlectum, ſic ſubdens: *nunc Synodum prædictam ad Amplitudinem tuam remittum; vbi viſum fuit emendatam atque aptatam, vt eo modo, qui illam acceperit, edendam, & pro iſtorum populorum ſalute, atque Eccleſiaſticæ doctrinæ conſeruatione, omnino curet obſeruandam.* Sic ille: vbi quidem nullum Pontificium præceptum elucet, & Cardinalis ſolius Congregationis nomine loquitur; nullum ex ſe etiam præceptum adiiciens, ſed admonitionem pro eo, quod etiam eâ non extante ab Archiepiſcopo erat diligenter accurandum, Synodum, inquam, ſic emendatam, & aptatam edendam, & pro illius obſeruatione ſpecialem ſolicitudinem adhibendam. Vbi ſi ex eo quòd Pontifex Cardinalibus Congregationis negotium remiſerit, quod ab eis actum eſt videatur approbare, immò & confirmari; talis certè confirmatio ſimplex eſt, per quam non velle Pōtificem rei naturam variare, quamplurium Doctorum ſententia eſt, quos adducit Barboſa in collectaneis *Lib.* 2. *Titulo* 30. *Cap. Porrecta* 6. licet hoc ex illo capite non deducatur.

Cardinalis Caraſæ verba.

Confirmatio ſimplex quid conferat.

Vide infra n. 170.

Quid actu circa præfatam excommunicationem coram Pōtifice.

157 Et per hoc reſponderi poteſt ad id, quod in adnotationibus ante ipſum Concilium propoſitis habetur ſpecialiter circa caſum præſentem. Cum enim Procuratores Cleri Peretienſis validè coram Pontifice inſtaſſent vt excommunicatio dicta tolleretur, Conſilium Regium Indiarum contra ſtetit, & Rex Philippus Secundus iudicio ſe Concilij plenè conformans, ad Pontificem ſcripſit, ſupplicans vt non permitteret tolli, ſed ſuâ illam auctoritate confirmaret. Cui piiſſimæ, & conuenientiſſimæ poſtulationi annuiſſe Pontificem non videtur poſſe dubitari. Confirmauit ergo, ſed modo dicto, quia nihil ampliùs neceſſarium videbatur. Clerus volebat tolli, & pro eo ad Sedem Apoſtolicam appellauit, cùm à Concilio, conuenientiâ proſpectâ, conſeruandam fuiſſet iudicatum. Poſt exactam notitiam, & auditis partibus, ait Pontifex: *non tollatur.* Manet ergo firma, ſicut ſententia quælibet Apoſtolicâ auctoritate roborata. Dum enim Concilium aliud Prouinciale non habetur, clarum eſt vim habiturum decretum tale, ſicut & alia. Quod ſi proceſſu temporis Concilium aliud contrariū iudicauerit, quia diuerſus erit rerum ſtatus, integrum erit Patribus excommunicationem tollere, quia res per eaſdem cauſſas diſſoluitur, per quas nata eſt, vt eſt regula iuris notiſſima. *Cap.* 8. quæ ſine præiudicio melius ſentientium dicta velim, neque vti certa, ſed per coniecturam non penitus inueroſimilem. Sed iam tollendæ excommunicationis cura à Paulo V. ſublata in Bulla, quæ incipit, *cùm ſicut accepimus. Die* 7. Maij. anni 1607. & affertur integra à P. Quintana *Tom.* 2. *Tract.* 6. *Singul.* 5. in ea enim, aliis relictis pœnis in ſuo robore, excommunicationem tollit à Cōcilio Limenſi præſertim impoſitum, ſicut aliàs contra Clericos negotiatores.

Poſſe ab alio Concilio tolli.

Etiam ſublatam à Paulo V.

DIGRESSIO.

Circa poteſtatem diſpenſandi in Decretis Concilij Prouincialis.

Concilium Prouinciale non eſſe quolibet Epiſcopo ſuperius contendit P. Arriaga, cuius fundamenta proponuntur.

158 SEntentiam circa hoc P. Arriagæ *n.* 115. præmiſimus, circa quam tamen operæ pretiūm fuerit nonnihil immorari. Affirmat ille, Concilium non eſſe quolibet Epiſcopo ſuperius, ſed dum aliquid ſtatuunt, quod ſcilicet vim ſit legis, aut ſtatuti habiturum, vnumquemque id circa ſuā diœceſim decernere, quod in diœceſana Synodo poterat, & ſic plures eſſe leges, aut ſtatuta iuxta diœceſum numerum, maiori tamen deliberatione ex Patrum auctoritate, in quibus ſapientia, probitas, & experientia ſolent eminere. Vnde non ſolum quilibet Epiſcopus diſpenſare in ſtatutis, & legibus Concilij poterit, ſed ea etiam abrogare, ſicut poteſt illa, quæ in diœceſana Synodo ab ipſo fuerint definita. Hoc probat *Primo*: quia nullus textus Canonici iuris, ex iis, qui à Doctoribus adducuntur, id probat; immò aliqui contrarium videntur indicare. Sicut diſt. 18. in cuius initio dicitur: *Epiſcoporum igitur Concilia (vt ex præmiſſis apparet) ſunt inualida ad definiendum, & ad conſtituendum, non autem ad corrigendum: ſunt enim neceſſaria Epiſcoporum Concilia ad correctionem; habent tamen auctoritatem imponendi, & inditendi, quod aliàs ſtatutum eſt, & quod generaliter ſeu ſpecialiter obſeruari præceptum eſt.* Sic ibi.

Diſt. 8. *ex Cabilon. Concilio.*

Digitized by Google

ex Cabilonenſi Concilio *Cap.* 6. Alia autem eiuſdem diſtinctionis Capitula nihil ſpeciale ſtatuunt in ordine ad leges ſtatuendas. Quod ſi Cap. vltimum quidquam de legibus innuit, ad diœceſanā eſt Synodum referendum. Caput verò *Concilia* diſt. 17. potiùs videtur ea inualidare Concilia: ſic enim ibi dicitur: *Concilia Sacerdotum Eccleſiaſticis legibus quotannis decreta per Prouincias, quia præſentiam Papa non habent, valitudinem perdiderunt.* Sic ibi ex Symmacho Papa.

Cap. Concilia 7. *diſtinct.*

159 Arguit ſecundo: ex Cap. Nullus Primas 9. quęſt. 3. vbi ſic dicitur: *Si ſine Concilio, & voluntate omnium Comprouincialium Epiſcoporum extra ſuam Parochiam aliquid tentauerit, gradus ſui periculo ſubiacebit, & quod egerit irritum erit.* Quæ deciſio etſi non loquatur expreſsè in caſu Concilij, id tamen videtur ſupponere, quandoquidem requirit omnium Conſilium, & voluntatem, quod commodè fieri non poteſt niſi in Concilio. Tunc ſic: omnium conſenſus requiritur: ergo non eſt maior vis in Concilio, quàm in quolibet Epiſcopo. Euidens eſt conſequentia: quia ſi maior vis eſſet, per illam poſſet quilibet in particulari cogi ad acceptandas eas leges, quæ à maiori parte ferrentur.

Cap. Nullus Primas 9. *quæſt.* 3.

Ex ratione arguitur.

160 Prætereà, argui tertiò poteſt ex eodem Nam maior hæc vis non competit Concilio ex natura rei, ſuppoſito ordine gratiæ, & inſtitutione Eccleſiæ à Chriſto; quia ſtat congregari Epiſcopos, & nullam in ea Congregatione maiorem vim eſſe, neque ad concedendam teneri Pontificem: vt ſi multi ſeculares iudices diuerſarum Prouinciarum conuenirent ad agendum de bono communi, non ideò ex naturâ rei, aut ex conceſſione Principis, cenſerentur habere nouam iuriſdictionem, etiamſi Princeps ipſe hortatus ſit eos ad talem conuentum propter bonum publicum: neque etiam talis maior vis habetur ex conceſſione Pontificis; quia de illa non conſtat, neque neceſſario eſt ad finem, propter quem Concilia talia iubentur congregari: ergo nullo modo eſt talis maior virtus in illis, niſi in ordine ad correctionem, & punitionem criminum non grauiorum in Epiſcopis, vt diſponitur in Concilio Tridentino *Seſſione* 24. *Cap.* 5. *de Reformatione.*

Aſſertio 1. Contrarium vt certum ſtatuens.

161 Dico primò: In Concilio Prouinciali maior eſt vis, & auctoritas in ordine ad leges, & ſtatuta, quàm in ſingulis Epiſcopis: & ita Concilium ſuperius eſt ſingulis Epiſcopis. Hoc eſſe certum affirmat P. Suarez *Lib.6. de legibus Cap.* 15. *num.* 4. & meritò; quia Doctores omnes ita affirmant, aut ſupponunt. Firmat praxis, & Canonica videntur decreta comprobare. Et quidem Concilium Prouinciale poſſe ſtatuta condere, indubitatum eſt, vt ex pluribus Capitibus diſtinct. 8. conſtat. Item ex *Cap. Graue nimis, de Præbendis Cap. Sicut olim de accuſationibus.* Ex Concilio Tridentino *ſuprà Cap.* 2. Tunc vltra. Statuta huiuſmodi tenentur obſeruare Epiſcopi vti à ſuperiori venientia poteſtate, iuxta Canonici iuris diſpoſitionem. Quod in primis conſtat ex *Cap. Epiſcopus, citata diſtinct.* 18. in quo ſic habetur ex Concilio Carthaginienſi 4. *Cap.* 16. *Epiſcopus ad Synodum ire non tardet, ſi non ſatis graui neceſſitate inhibeatur: ſic tamen vt in perſona ſua legatum mittat ſuſcepturus, (ſaluâ fidei veritate) quidquid Synodus ſtatuerit.* Sic ibi: cùm ergo Epiſcopus non adſtans Concilio, quidquid ſtatutum fuerit, ſuſcipere teneatur: manifeſtum eſt Concilio inferiorem eſſe, à quo poteſt per ſtatuta ab eodem obligari.

Poſſe ſtatuta condere, omnes Epiſcopos obligantia demonſtratur.

Cap. Epiſcopus 18. *diſtinct.*

162 Vt autem textus alios communis iuris omittam, iuuat maximè ex Concilio Tridentino rem iſtam apertè demonſtrare. *In Cap.* 2. *citato* ſic habetur. *Epiſcopi, qui nulli Archiepiſcopo ſubijciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum ſemel eligant, in cuius Synodo Prouinciali cum alijs intereſſe debeant, & quæ ibi ordinata fuerint, obſeruent, ac obſeruari faciant; in reliquis omnibus eorum exemptio, & priuilegia ſalua, atque integra maneant.* Hæc Concilium, ex quibus liquet Epiſcopos Concilij ſubiectos eſſe decretis; quandoquidem exempti ad illa tenentur. Pro quo & eſt declaratio Cardinalium ſic ſe habens: *Prætereà ad obſeruationem Decretorum Concilij Prouincialis omnes eſſe obligatos, qui Epiſcopali iuriſdictioni ſubduntur, atque item exemptos in caſibus, in quibus à iure communi, & Concilij decretis, ſpecialiter Epiſcopis, aut Concilio Prouinciali in ipſos poteſtas tributa eſt: contra inobedientes autem iuris remedijs eſſe procedendum.* Sic Congregatio ex recognitione Ioannis Gallamert. Iuxta editionem Lugdunenſem *Anni* 1631. Vbi dici nequit poteſtatem Concilij ad omnes extendi, quatenus illius decreta vim habent à proprio Epiſcopo. Nam eo pacto res erat omnino indubitata, neque declaratione indigens: & ita ſolùm pro Concilij iuriſdictione erga totam prouinciam, & ſubditos etiam exemptos, debuit declarari. Subditos namque exemptos debere parere Epiſcopo in iis, in quibus exempti non ſunt, omnino exploratum eſt: vbi & obſeruandum quod dicitur, *Epiſcopis, aut Concilio Prouinciali.* Eſt ergo diuerſa Epiſcoporum, & Concilij Prouincialis poteſtas, & hæc ad multa ſe extendit, ad quæ Epiſcoporum poteſtas nequit extendi. Quot item ex Cōcilio oſtendi clarè poteſt, dum poteſtates iſtas vt diſtinctas proponit, *Seſſione citata Cap.* 18. vbi de concurſu ad Parochialia Beneficia loquitur, & inter alia ſic ait: *Etſi Epiſcopo, aut Synodo Prouinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum publicum vocentur qui volent examinari:* ſic ibi; eſt ergo diuerſa poteſtas Concilij, & ſingulorum Epiſcoporum in ordine ad ſtatuta.

Ex Concilio Tridentino aperta probatio.

Declaratio Cardinal.

Concilij verba.

163 Pro quo & ſunt aliæ Cardinalium declarationes circa citatum Caput. 5. apud eumdem: quarum prima ſic habet: *non ſolùm Epiſcopi tenentur eligere* (Metropolitanum, cuius Synodo interſint) *vt in hoc decreto; verum etiam prælati inferiores, qui hanc electionem liberam habent; licet eorum Capitula contradicerent: quia Capitula tenentur ad eamdem obſeruantiam decretorum in Concilio Prouinciali conditorum, ſicut ipſi prælati eligentes.* Secunda ita eſt. *Capitula etiam exempta tenentur obſeruare Decreta in Synodo Prouinciali facta.* Ex quibus dilucidè apparet iuriſdictionem Concilij diuerſam eſſe, quandoquidem Capitula ad obſeruantiam Decretorum tenentur, & non ratione immediatæ ſubiectionis ad Prælatos, quæ cùm eorum pugnare nequit exemptione; & quia Prælati ipſi pariter dicuntur ſubiecti. Tertia in hunc modum procedit. *Et notandum, quòd Epiſcopus exemptus, qui Metropolitanum vicinum ſemel elegit, & eius Metropolitanæ Synodo interfuit, non poteſt ab eodem*

Declarationes aliæ.

Digitized by Google

dem Metropolitano compelli, nec cogi ad conſtitutiones in ea Synodo editas obſeruandas. Sic Congregatio cenſuit, & hoc ratione exemptionis: nam Concilium loquitur tantùm de intereſſentia, in reliquis verò ſeruat exemptionem Metropolitanorum. Sic Congregatio. Ex quibus fit Epiſcopos nòn exemptos ad obſeruantiam poſſe compelli, cùm non ſolùm ad intereſſentiam teneantur.

Inter illas compugnātiam non eſſe.

164 Videntur autem prima, & ſecunda declaratio inter ſe pugnare: illa enim ait Prælatos exemptos ad obſeruantiam decretorum teneri; quod tamen hæc negat, redditâ ratione quia Cōcilium Tridentinum loquitur de intereſſentia, in reliquis autem ſeruat exemptionem: quod pariter de aliis videtur accipiendum. Sed certè non ſunt inter ſe pugnantes; vbi primò dicere aliquis poſſit non pugnare; quia prior de prælatis inferioribus loquitur, poſterior de Epiſcopis, quibus Concilium præter intereſſentiam, ſeruari in aliis exemptionem imperat: de aliis autem nihil ſtatuit. Sed perſtat difficultas; quia Concilium expreſsè determinat Epiſcopos exemptos debere ordinata ſeruare verbis illis: *& quæ ibi ordinata fuerint obſeruent.* Ergo quoad obſeruantiam nullo modo illis exemptio ſuffragatur. Habet tamen hoc aptam explicationem, per quam omnis repugnantiæ vmbra remouetur. Tenentur Epiſcopi ad obſeruantiam dictam, quod negari nequit, cùm ita ſit mens Concilij perſpecta; tenentur etiam diligenter curare vt obſeruentur, quòd & à Concilio præceptum. Tenentur item & inferiores alij Prælati: ſed neque illi, neque iſti poſſunt ad obſeruantiam cogi, & compelli. Eſt ergo in Concilio Prouinciali vis directiua, ſed non coerciua, ſicut alibi ſæpè contingit, & in materia præſenti occurrit ſimile in *Cap. Graue nimis, de Præbendis* citato, in quo cùm poteſtas tribuatur Prouinciali Concilio ad corrigendos prælatos, qui indignos ad Beneficia eligunt vſque ad ſuſpenſionem, circa Metropolitani delictum limitatio adhibetur, quòd ſcilicet nequeat illius correctio vſque ad ſuſpenſionem tendere; non quia inferior non ſit, ſed ob præſtantiam dignitatis: inferiorem enim eſſe ex eo conſtat, quia ab eo ad Concilium poteſt appellari. Pro quo Abbas Hoſtienſis, & alij apud P. Sancium *Lib. 8. de Matrimonio Diſputat.* 17. *num.* 36. Quòd autem correctio, immò & coactio in Concilio, ſine ſuſpenſione tamen, ſtare queat, conſtat ex Tridentino: *Seſſione* 23. *Cap.* 18. *de Reformatione* in quo ſic dicitur: *quòd ſi Cathredalium, & aliarum Eccleſiarum Prælati in hac ſeminarij erectione, eiuſque conſeruatione negligentes fuerint, ac ſuam portionem ſoluere detrectauerint; Epiſcopum, Archiepiſcopus; Archiepiſcopum, & ſuperiores Synodus Prouincialis acriter corripere, & ad ſupra dicta cogere debeat. &c.*

Teneri Epiſcopos ad ſtatuta, ſed non poſſe compelli, ſi exempti ſint.

Archiepiſcopus qualiter corrigi poſſit ſicut & Epiſcopi Prouinciales.

Concilium Trident.

Ratio valida pro Aſſertione.

165 Atque ex hoc, & iuribus aliis indicatis, ac præſertim *ex Cap.* 5. *Seſſionis* 24. Concilij Tridentini, alia inſtrui ratio poteſt: nam Concilium Prouinciale eſt ſuperius ſingulis Epiſcopis in ordine ad correctionem grauium delictorum, & alia, de quibus iura loquuntur, vnde eorum quolibet reſiſtente poteſt circa illius correctionem, quæ ſibi benè viſa fuerint ſtatuere: ergo & reſiſtente etiam poteſt ſtatutum aliquod legale condere, quod ad prouinciæ bonum viderit expedire. Conſequentia conſtat: quia ex poteſtate dicta colligitur abſoluta iuriſdictio cum independentiâ ſuffragio ſingulorum: ergo & talis etiam erit in ordine ad ſtatuta. Id quod vrgeo; nam Concilia prouincialia ex præcipuâ Eccleſiæ intentione ad commune bonum prouinciarum ordinantur, & minùs principaliter ad Epiſcoporum correctionem. Vnde Concilium Tridentinum *Cap.* 2. *Seſſionis* 24. citato, fines, propter quos Prouincialia ſolent congregari Concilia, proponens, ſic ait: *Prouincialia Concilia pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controuerſiis componendis, aliiſque ex ſacris Canonibus permiſſis renouentur.* Sic illud. Vbi de Prælatorum correctione nihil expreſſum, licet certum ſit ex ſacris Canonibus, etiam ad eorum correctionem ordinari. Sed quia id minùs principale eſt, ideò non expreſſum, præcipuis aliis declaratis. Tunc vltra. Ergo in ordine ad principalem finem, pro quo ſtatuta eſſe poſſunt, nequit Concilium à ſingulorum ſententiâ pendere. Patet illatio: nam eâ ratione commune bonum facilè poſſet impediri, vt eſt perſpicuum: ſi enim viginti Epiſcopi circa rem aliquam conueniant, & vnus reſiſtat, nihil fiet: immò etſi plures.

Concilia Prouincialia non congregantur præcipuè ob correctionem, ſed ob fines alios.

Concilium idem.

166 Vnde iam efficaciſſimè inſto aduerſæ illius, ac ſingularis ſententiæ fundamentum deſtruendo; ſcilicet ad ſtatuta cōdenda in Concilio Prouinciali omnium Epiſcoporum conſenſum requiri, cuius oppoſitum tenent Doctores de hoc agentes, & videri poſſunt ſpecialiter Cardinalis Tuſchus *Tomo* 2. *Concluſione* 554. & Stephanus Quaranta. V. *Concilium Prouinciale n.* 29. & 30. plures adducens vti certum ſtatuentes in Concilio Prouinciali ex maiori ſuffragiorum numero concludi, ſicut in aliis regulariter contingit. Sententia enim illa quorumdam neſcio quorum, de quâ P. Sancius *ſuprà* aſſerentium in Concilio Prouinciali ſolum Archiepiſcopum habere ſuffragium deciſionum, aboleta eſt, & improbabilis, licet vir doctus illius probabilitatem fundare conetur, ipſe communem ſententiam amplexus, quidquid enim nonnulli ex antiquioribus dixerint, contrarium inuiolabili eſt praxi firmatum. Quomodo autem Caput *ſi Primas.* Contrarium non ſtatuat, ex dicendis conſtabit.

Inſtantia efficaciſſima.

P. Ioannes Perez Monachus.

§. VI.

Poſtrema reſolutio, & ſolutæ obiectiones.

167 Dico ſecundò. Suppoſitâ communis, & fundatiſſimæ ſententiæ veritate, neque Epiſcopi, neque Archiepiſcopus poſſunt pro libitu in lege Concilij diſpenſare, & ſi diſpenſent irrita eſt diſpenſatio: quia in lege ſuperioris. Pro quo ſpecialiter videndi P. Suarez, *Cap.* 15. citato. P. Thomas Sancius *n.* 36. & 37. P. Palaus *Tomo* 1. *Tract.* 3. *Diſp.* 6. *puncto* 4. *n.* 10. & 11. Bonacina *Tom.* 2. *Diſput.* 1. *Quæſt.* 2. *Puncto* 1. *n.* 14. P. Salas *Diſputat.* 8. *de legibus Cap.* 9. *num.* 48 P. Layman *Lib.* 1. *Tract.* 4. *Cap.* 22. *num.* 4. & *Cap.* 7. §. 3. *num.* 8. D. Villaroel *Parte* 1. *Quæſt.* 4. *Art.* 2. *Quin.* 65. addit Archiepiſcopum à Concilio poſſe excommunicari. Si autem iuſta ratio ſubſit, diſpenſare poſſunt, quia talis videtur Concilij eſſe voluntas, pro quo P. Suarez *ſuprà n.* 7.

Aſſertio 2. Neque Epiſcopos, neque Archiepiſcopum poſſe validè in legibus Concilij Prouincialis pro libitu diſpenſare.

Secus ſi cauſſa iuſta adſit.

P. Sancius

Digitized by Google

P. Sancius *num.* 26. & alij communiter, licet id neget etiam Archiepiſcopo Dom. Villaroel *num.* 66. neque obiecta vrgent.

Primum ex obiectis ſolutum. 168 Ad primum enim dicimus extare plures iuris Canonici deciſiones pro auctoritate Concilij, quarum aliquas adduximus; qui autem opponuntur textus facilem habent ſolutionem; & quod ex principio *Diſtinctionis* 18. profertur, nimium probat, cùm ad illud omnes teneantur reſpondere: conſtat enim Concilia Prouincialia non ſolùm ad corrigendum, ſed etiam ad conſtituendum cogi, cùm poſſint condere ſtatuta vt eſſe indubitatum vidimus *num.* 161. Pro quo Honorius ſecundus ita ſcribit de Concilio Nanetenſi à S. Hildeberto celebrato; *ibique corrigenda correxit, & ſtatuenda conſtituit.* Sic ille; & eſt Epiſtola 66. inter Epiſtolas S. Hildeberti. *Tom.* 12. Bibliothecæ Patrum. Debent ergo omnes explicare quomodo ſtare queat, vt ad conſtituendum nequeant congregari. Et dicendum videtur non congregari ad conſtituendum, & definiendum, neque ad id vim habere, quod generaliter omnes poſſit obligare, aut in particulari aliquos, qui alicuius gradus, aut ſtatus ſint; ad hoc enim neceſſaria non ſunt, cùm pro iis quæ ad generale bonum Eccleſiæ, & ſpecialium ſtatuum in illa conducunt, ſatis ſit Pontificum prouidentiâ conſultum. Quòd autem ſtatuere, & definire Concilium Prouinciale poſſit, ex eadem diſtinctione conſtat: tum in Cap. *Epiſcopus* adducto *num.* 161. Tum ex Cap. *Decernimus* ibi: *Quæ eodem anno in Concilio acta ſunt, vel definita eſſe noſcuntur.*

Dicta Concilia ſtatuere poſſe & definire.

Cap. Epiſcopus. Et Ca. Decernimus.

In Cap. Decernimus de Concilio Prouinciali agi demonſtratur. 169 Eſt autem à veritate alienum in eo Capite agi de Synodo diœceſanâ, cùm verba illius ſint expreſſa, & ſic habeant: *Decernimus vt dum in qualibet Prouincia Concilium agitatur.* &c. à Prouincia enim Prouinciale dicitur: quod & contextus ipſe manifeſtat, cùm in eo dicatur conuocandos eſſe ab Epiſcopo omnes Abbates, Preſbyteros & plebem, vt illis referat quæ in Concilio acta, & definita ſunt. Cùm enim Abbates ad Synodum diœceſanam concurrant, & ex Clero quamplures, non erat opus conuocari eos ad notitiam in diœceſanâ Synodo actorum ingerendam. Agitur ergo de Concilio Prouinciali, à quo cùm redit Epiſcopus, id debet intra ſex menſes agere, quod ibidem à Concilio Toletano agendum intimatur. Et ita intellexit Gloſſa: item ex duobus Capitibus præcedentibus manifeſtè conſtat diœceſanam Synodum non eſſe Concilium; nam in priori, ſcilicet *Propter Eccleſiaſticas*, prohibentur Epiſcopi, qui Metropolitani non ſunt, Concilio facere: in ſequenti autem Synodus congreganda præſcribitur. Cùm ergo in finali citato de Concilio in Prouinciâ habito decernitur, compertiſſimum eſt ad diœceſanam Synodum non eſſe referendum.

Synodum diœceſanā non conſeri Concilio.

Cap Concilia 17. diſt. quid ſibi velit. 170 Caput *Concilia ex diſtinct.* 17. eatenus Concilia Prouincialia inualidare videtur, quatenus aliquid ſibi contra Sedis Apoſtolicæ voluntatem vſurpant, & maiora negotia tractant, vt ex ſequentibus conſtat. Item debere illa ante publicationem Sedi Apoſtolicæ præſentari. Pro quo eſt praxis, & declaratio Cardinalium circa Caput 2. citatum *Seſſionis* 24. ſed circa illud eſt non leuis difficultas: nam Concilium Prouinciale, eo ipſo, quòd ligitimè congregatum eſt, & eius ſtatuta nihil abſurdi continent, poteſt ſtatim obligare, confirmatione Pontificis ad id minimè requiſitâ, vt oſtendit P. Suarez *Lib.* 4. *de legibus. Cap.* 6. *num.* 10. & probari poteſt ex Synodo diœceſanâ, cuius ſtatuta vt obligent confirmatione Pontificiâ non indigent, vt in citatâ Cardinalium declaratione dicitur verbis illis: *Mittentes autem ad Sedem Apoſtolicam diœceſanas Synodos laudandi ſunt.* Laudandi inquam ob Sedis Sanctæ reuerentiam, & quia vltra debitum præſtant. Eſt autem maior ratio in Concilio Prouinciali, ob maiorem illius auctoritatem. Ad hæc dico debitum dictum non eſſe tale, vt propter defectum Conſultationis vis obligandi ſit ſtatutis Concilij deneganda, vt adducta conuincunt. Eſt ergo debitum honeſtatis, in quo peccatum aliquod poteſt admiſceri, ſi non illi fiat ſatis. Tum ob reuerentiam debitam Apoſtolicæ Sedi, quam in hoc exhibendam praxis communiſſima perſuadet. Tum etiam quia bono communi non penitus prouidetur: ſtatuta enim dum à Pontifice confirmata non ſunt; poſſunt facilè abrogari, variis ad id titulis conquiſitis, & ſaltem à Concilio alio. Hinc P. Suarez *citato loco* ait ad maius auctoritatis robur, & vt leges immutabiliores ſint, ſolere hæc Concilia confirmationem ſuarum legum à Pontifice poſtulare.

Concilium Prouinciale an vim habeat Sedi Apoſtolicæ non præſentatum.

Cap. Nullus Primas genuinus intellectus. 171 Ad Caput *Nullus Primas.* Dico inprimis verba illius hæc eſſe: *ſi quis Metropolitanus Epiſcopus (niſi quod ad ſuam ſolummodo propriam pertinet Parochiam) ſine Conſilio, & voluntate omnium Comprouincialium Epiſcoporum extra agere aliquid tentauerit, gradus ſui periculo quidem ſubiacebit, & quod egerit, irritum erit, & vacuum.* Sic Sanctus Calixtus Pontifex *Epiſt.* 2. Deinde reſpondeo ibi de Concilio non eſſe ſermonem, ſed ne Metropolitanus circa Parochias ſuffraganeorum ſi intromittat, illis inuitis; vnde omnium Conſilium & voluntas requiritur, ſi de omnium eſt diuiſiuè Parochiis aliquid diſponendum. Vt diſponatur ergo de Parochiâ vnius, non ſufficit Cōſilium, & conſenſus aliorum, etiam in Primate. Quodquidem ex Cap. *Archiepiſcopus. Quæſt. eadem* habetur perſpicuum; ſic enim habetur ibi: *Archiepiſcopus nihil de Epiſcoporum cauſsis aut alijs communibus, iuxta ſtatuta Apoſtolorum, abſque cunctorum illorum agat Conſilio, neque illi aſſumant, niſi quantum ad ſua pertinet Parochias, ſine ſuo conſenſu* &c. Et explicationem iſtam adhibet Gloſſa ſic dicens: dicitur ergo quòd *nullus Primas, vel Metropolitanus debet ſe intromittere de ſpecialibus negotys ſui ſuffraganei, abſque eius licentia, vel voluntate.* Sic Gloſſa, quam promptam, & facilem explicationem, ſi præfatus legiſſet Auctor, comperiſſet ſanè nullum in citato Capite fundamentum pro ſingulari illa ſententia reperiri. *Gloſſa.*

Rationi poſitionis contraria ſit ſatis, quæ non videtur probabilis. 172 Ad rationem vltimam dico ex Conciliorum Prouincialium inſtitutione hoc haberi; nam aliàs ferè eſſent pro communi bono inutilia, quando ex vnius contrario iudicio poſſent ſtatuta conuenientiſſima prorſus impediri, de quo *num.* 165. & vt demus ex ipſâ Conciliorum inſtitutione hoc non haberi; habetur tamen ex diſpoſitione iuris Canonici, cuius circa hoc tot vidimus deciſiones. Quæ omnia ita poſitionem iſtam firmant, vt contraria minimè probabilis videatur. In quo Iudicium P. Suarij libenter complector,

Digitized by Google

complector, qui omnino certam, & indubitatam eam eſſe teſtatur, vt vidimus *num.* 161. Cùm enim certa ſit, oppoſita nequit eſſe probabilis; quod enim certo opponitur, falſum debet reputari, & quod falſum, nequit cum veritatis coniecturis probabilibus apparere. Pro quâ hæc ſatis, ad alia properantibus.

§. VII.

De nonnullis alijs Religioſorum, *& Clericorum contractibus.*

Circa pharmacopolia. 173 Solent apud illos pharmacopolia videri, in quibus ſecularibus pharmaca ex rebus Indicis confecta, & ex Europâ adducta venduntur. Pro quibus

Aſſertio 1. Dico primò. Si Clerici, & Religioſi extra proprias domus genus hoc negotiationis exerceant; idem eſt de illo dicendum, ac de ceteris, de quibus *ſuprà*.

Aſſertio 2. Dico ſecundò, officinam aromatariam habere Clericus poteſt, ſi ipſe eius artis peritus ſit, & medicinalia non emat, vt immutata diuendat. Eſt iuxta dicta, quia eſt fructus induſtriæ, & idem eſt de Religioſis.

Aſſertio 3. Dico tertiò, officina dicta nequit haberi in propatulo, ita vt porta in callem exeat, conſtat: quia id ſine ſcandalo ſtare nequit, videtur enim illud eſſe præcipuum aromata vendentis officium, aliorum more, qui publicas habent tabernas, ſicut de pane cocto ex proprio frumento, qui vendi domi nequit, benè tamen per alios, ex P. Pellizario, & Lezana affirmat Diana *Parte* 11. *tract.* 6. *Reſolut.* 41. *De pane cocto.*

Aſſertio 4. 174 Dico quartò, vbi ſine ſcandalo id ſtare poteſt, vendi poſſunt non ſolùm confecta, à prædictis talis artis peritis, ſed etiam alia immutata, quæ empta ſunt vt neceſſaria proprio vſui, & ſuperfuerunt: non verò ſi ad lucrandum empta ſunt directè, licèt cum aliis vſui proprio neceſſariis. Probatur ex dictis duobus prioribus paragraphis, & videndus præſertim Cardinalis Lugo *Diſput.* 26. *n.* 32. & P. Fagundez *Lib.* 5. *de Iuſtitiâ, cap.* 12. *num.* 2.

Aſſertio 5. & ſpecialiter notanda. Dico quintò, non licet ex Europâ ingentem copiam medicamentorum exportare, vt parte eorum vendita, ſumptus, quos Eccleſiaſtici, ea ad proprium vſum emendo poſſent facere, ſuppleantur. Hoc videtur clarum; quia eſt negotiatio directe ad lucrandum inſtituta: ſatis enim magnum lucrum eſt ſumptus in medicamentis emendis euitaſſe, in eo enim ſic agens fit locupletior. Sicut de illo dicitur, qui bonâ fide aliquid alienum conſumpſit, teneri ſcilicet ad reſtituendum illud, in quo factus eſt locupletior; non ex eo quòd plus aliquid acquiſierit ſemper, ſed quia id habet, quod non fuiſſet habiturus, eò quòd ſumptus facti ab ipſo fuiſſent. Vt ſi ex alieno victum quotidianum facit, ſumptus faciendos in eo habet modò, & ita ratione illorum dicitur locupletior. Ad quem modum ſe habet illa pharmacopolij induſtria: nihil enim per copioſum eorum vſum minùs habet ſic emens, & diſtrahens, cùm tamen in illis magnos fuiſſet facturus ſumptus, & ita ex negotiatione iſta factus eſt locupletior: & quemadmodum ſi quis prædicta, aut alia emeret, & venderet, vt ex iis, quæ ſibi neceſſaria eſſent ad ſuſtentationem compararet, friuola eſſet euaſio, ſi diceret ex eo facultates ſuas non accreſcere, ſed ſuſtentationis commoditatem haberi; eodem pariter modo in caſu, de quo loquimur, eſt judicandum; quia ſicut in priori magnum accreſcit lucrum, dum ſumptus ſuſtentationis euitantur, & facultatum nulla diminutio fit, ita & in alios ſumptus curationis familiæ, qui eſſe ingentes ſolent.

175 Pro reſolutionibus dictis deſeruiunt, quæ habet P. Pellizarius *Tom.* 1. *Tractat.* 6. *Cap.* 10. *Quæſt.* 13. vbi adducit Bullam Vrbani VIII. quâ quæſtuoſas omnes artes Religioſis prohibuit, ſed eam pro Româ tantum voluit obligare. Ex quo habemus quæſtuoſas artes generaliter non eſſe prohibitas. Sed neque Romæ Bulla prædicta vim habuit, quia reuocata eſt multorum potentiorum precibus, qui pharmacopolia Religioſorum valde conuenientia judicarunt, tollenda planè vi præfatæ Conſtitutionis. Addit autem citatus Pater licere illa, quia in ipſis res artificio mutatæ venduntur. Ex quo ſequitur id, quod Aſſertione quintâ probauimus, non licere inquam, officinas dictas, quando ea, quæ emuntur immutata venduntur, niſi juxta Aſſertionis quartæ moderationem. *De Bullâ Vrbani VIII. circa quæſtuoſas artes.*

176 Sunt etiam in Indiis, qui conficiendæ calcis, & laterum coquendorum fornaces habeāt, pro quo Æthiopicorum mancipiorum miniſterio vtuntur, & pro illis

Dico ſextò: licent fornaces prædictæ pro ædificiis Eccleſiaſticorum eas habentium, etſi contingat aliqua vendi, quæ non ſunt pro illis neceſſaria. Sic P. Pellizarius *ſuprà Quæſt.* 14. Ex quo Diana *Parte* 11. *Tractat.* 6. *Reſolut.* 41. & ratio ex prædictis eſt obuia: quia ibi negotiatio propria non eſt, neque aliquid, quod per Epikeiam veniat ſimiliter comprehenſum, vt Auctores loquuntur de quibuſdam *ſuperiùs* explicatis; & præſertim P. Molina *Diſput.* 342. §. *Secundum eſt.* Et quidem ædificare Religioſis licet, & ad hoc miniſterio propriorum mancipiorum vti: ergo & calcem, ac lateres conficere, ex quibus ædificium aſſurgit. Quòd autem ea, quæ ſuperſunt, vendi poſſint, ex eo probatur, quia ſi hoc in iis, quæ immutata venduntur, licitum eſt, quando cum neceſſariis emuntur, & non ex directâ lucri intentione, multò potiùs licebit, vbi ſolius induſtriæ fructus diſtrahuntur. *Aſſertio 6. circa calcis & laterum officinas, pro ædificijs proprijs.*

177 Dico ſeptimò, etiamſi fornaces dictæ non conſtruantur pro ædificiis propriis Eccleſiaſticorum; ſed in eorum terris ad quæſtum ex eiſdem faciendum, & mancipiorum miniſterio, non videtur in eo quidquam Canonicâ lege prohibitum. Id probo ratione nuper adductâ; quia in eo negotiatio propria non eſt, cùm non ſit emptio, & venditio rerum ſine earum mutatione: neque impropria & quæ per Epikeiam prohibita cenſeatur; quia id nullibi expreſſum. Ex ſimilibus autem arguit nequit, quia nullum eſt, quod adæquet, & potiùs ex illis poteſt Aſſertio comprobari. Venam ferri emi non poſſe, vt ex illa ferrum per miniſtros conductos extrahatur, docent aliqui apud P. Molinam *ſuprà* §. *Syluester*, quibus ipſe videtur conſentire, ſi vena nudè ſumatur: *Aſſertio 7. pro alienis etiam vti miniſterio mancipiorum.* *Ex vena ferri argumentum.*

Digitized by Google

tur: non tamen id illicitum reputant, ſi per Monachos ferrum conficiatur. Ratio autem diſcriminis ſumi poteſt ex Cardinali Lugo *ſuprà num.* 34. quia cùm adminiſtri conducti ſunt, eorum operæ emuntur, vt poſteà vendantur: quod tamen in Monachorum operis non apparet. Ex quo argui poteſt pro caſu noſtro, in quo non emuntur laborantium operæ, cùm ſint mancipia; & licet mancipia ipſa empta ſint, eorum tamen operę proximè non emuntur, & mancipia pro multis ſeruire poſſunt, in quibus eorum operæ non venduntur. Et per accidens eſt, quòd labori prædicto applicentur. Idem eſt ſi emantur vuæ, vt per Monachos conficiatur vinum, de quo Cardinalis Lugo *num.* 34. *citato*, & P. Molina, §. *Secundum eſt*, aliique; & verò cùm dicant non licere, cùm id ſit per famulos conductos, de non conductis aliter videntur ſentire. Item emi poſſe iumenta vt locetur, tenet citatus Cardinalis *loco eodem*, de quo & *ſuprà n.* 152. ergo & mancipia, vt ex eorum labore aliquid vendendum eliciatur; non enim maior in vno, quàm in alio, indecentia apparet, & fortè maior eſt in locatione, & reſpectu mancipiorum eſſe poteſt. Quibus addi poteſt praxis proborum, & ſapientium, quæ ſine ſcandalo, immò cum ingenti Reipublicę commodo ſuſtinetur. Iuxta quæ non videtur negotiatio prohibita, ſi nix ad vendendum colligatur, licèt aliter ſentiat Rota apud Dianam *Part.* 11. *Pag.* 609. probabiliter locuta.

Et confectione vini ex vuis emptis.

Ac iumētorum emptione vt locentur.

Quid de collecta niue.

Aſſertio 8. idem ſtatuens, ſi operarij cōducantur.

178 Dico octauò. Idem licet; etiamſi ad operas prædictas conductitij aliqui adhibeantur. Quod probo in primis, quia ibi in rigore non eſt emptio & venditio, operæ enim non propriè venduntur, quia contractus locationis ab omnibus vt diuerſus à contractu emptionis, & venditionis ponitur. Deinde ſi pauciores illi ſint comparatione mancipiorum, non videtur eſſe prohibitionis ratio, quia veluti adiutores mancipiorum adhibentur, quorum operæ præſertim attenduntur; ſi autem aut plures, aut omnes conductitij ſint, ſuccurrit alia ſatis recepta doctrina, de quâ *num.* 33. 147. & 155. Eccleſiaſticos ſcilicet poſſe per alios negotiari, quod de propria negotiatione Auctores affirmant: ergo & impropria poterit per alios exerceri, & ita per famulos conductitios, licèt illis Clericus aſſiſtat, aut Religioſus aliquis præficiatur. In quo quidem non ſeruandæ limitationes omnes illæ, quæ pro negotiatione ſunt appoſitæ; quia cùm ea, de quâ loquimur, negotiatio propria non ſit, neque de illa eſt cum prædicto rigore pronuntiandum. Quod in Religioſis ſpecialiùs currit, qui ob negotiationem huiuſmodi minimè à miniſteriis Eccleſiaſticis abſtrahuntur, quando vni, aut alteri cura committitur: hinc autem aliquantulum diſtrahi ob commune bonum, damnabile non eſt, quia & Prælati, & Procuratores multas patiuntur diſtractiones, quas communis boni reſpectus ſanctificat, quia ſine illis minimè poſſet Religioſa conſiſtere diſciplina.

Quid in Religioſis ſpeciale.

Aſſertio 9. circa figulinas.

179 Dico nonò: licent etiam Eccleſiaſticis figulinę pro omnibus vaſorum generibus, ſicut in Indiis aliquorum vſu receptum, in ordine ſcilicet ad neceſſaria pro ipſis, & etiam ad vendendum. Quod quidem rationes pro aliis, de quibus nuper, adductæ conuincunt, & quidem in hoc plus eſt artis, quàm in aliis, vnde & minus negotiationis in ipſis, & generaliter loquendo, cùm Religioſorum neceſſitates vrgentes ſint, difficilè damnandi ſunt, qui per quæſtuoſas artes ſine ſcandalo, & notabili diſtractione illis ſtudent remedium adhibere; ne ſi neceſſaria deſint, relaxatio irreparabilis ſubſequatur. Vbi & Bonacinæ diſcurſus ſuffragatur *tom.* 2. *diſp.* 3. *de contract. q.* 1. *Puncto* 5. *n.* 19. §. *Tertia ſententia.* vbi ait: quòd cùm negotiatio ex ſe indifferens ſit, non efficitur culpabilis niſi ob prohibitionem; cùm autem nullibi inueniatur prohibitum negotiari per alios, non debet id vti illicitum condemnari: & addit talem indecentiam, ſi qua eſt, non eſſe moralem, ſed ciuilem, qualis eſt illa, quam Princeps, aut alius eximiæ vir dignitatis per alios negotiando incurreret. Sic ille philoſophatur; quæ quidem ad quæſtuoſas artes applicandum: vt cùm ex ſe indifferentes ſint, neque aliàs inueniantur prohibitæ, non debent vt illicitæ traduci, & quod de indecentiâ ab eodē dictum, pariter accommodandum: neque timeri ſcandalum poteſt, vbi ex occupatione tali nullus ad peccandum prouocatur: ſicut neque miniſteriorum in ordine ad bonum ſpirituale fidelium vlla iactura dignoſcitur: futura certè, ſi neceſſaria deeſſent, quæ ita Religioſis tribuenda ſunt, ſicut à Concilio eſt Tridentino diſpoſitum: *Seſſione* 25. *Cap.* 2. *de Regularibus*, verbis illis: *Mobilium verò vſum ita ſuperiores permittunt; vt eorum ſuppellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conueniat; nihilque ſuperflui in eâ ſit, nihil etiam, quod neceſſarium eis denegetur.* Sic Concilium.

Pro Religioſis circa dicta obſeruanda doctrina.

Bonacina.

Qualis indecentia in negotiatione.

Vt prouidendum illis à Prelatis.

Concilium Trident.

§. VIII.

De contractu Æthiopicorum mancipiorum.

180 Contractus iſte licet in Indiis frequens, communis eſt tamen etiam Europæis, vt vix aliquid ſpeciale occurrat pro Indiis diſquirendum, & circa modum eos furtiuè introducendi de fraudatione iurium Regiorum, & miniſtrorum ſubornatione dictum à nobis *Titulo* 5. *num.* 143. Modò id tantum adiecerim, rem hanc adeò eſſe Chriſtianis conſcientiis periculoſam, vt ſi ad regulas iuſtitiæ aptari debeat, vix aliquid occurrat, quo poſſit plena ſecuritas in huiuſmodi contractu reperiri. Pro quo libet ea, quæ P. Thomas Sancius, qui quæſtionem magis ex profeſſo verſauit. Poſt P. Molinam *Diſp.* 34. & 35. cuius & aſſerta proponenda ſicut & P. Rebelli *Lib.* 1. *quæſt.* 10. *ſect.* 1. & 2. & P. Fragoſſi *Tomo* 3. *Diſp.* 22. §. 2. & 3. ſufficiat in medium protuliſſe.

Æthiopicorum ſeruorum nimis periculoſū conſcientijs eſſe contractum.

Ille ergo *Tomo* 1. *Conſiliorum*, *Lib.* 1. *Cap.* 1. *Dub.* 4. poſt aliquot iacta fundamenta iuxta moralia principia communiter recepta, hæc ſubiicit pronuntiata.

P. Sancij circa illum Pronunciata.

Primum, contractationem iſtam, quâ Æthiopes è ſuis regnis adducuntur, eſſe iniuſtam, & cum obligatione reſtituendi libertatem; quia tituli ſeruitutis communiter loquendo ſunt iniuſti, licet reſpectu aliquorum contingat titulum iuſtum extare. Cùm enim qui ſint tales ignoretur, non debent iniuſtè capti, qui multò plures ſunt, ſuâ libertate priuari.

Primum.

181 Secun-

Secundum. 181 Secundum, ſi Mercatores contractantes exactiſſimè examinarent titulos, & deprehenderent eſſe iuſtos, licita eſſet contractatio. Hoc tamen eſſe moraliter impoſſibile; & diligentiam, quam adhibere communiter dicuntur, omnino ſuperficialem eſſe pro comperto habetur; & ita nihil iuuat in propoſito.

Tertium. Tertium; Mercatores qui in magno numero emunt ab aliis, qui ex Æthiopiâ miſeros illos adducunt, peccare mortaliter, & ad reſtitutionem teneri, niſi factâ diligentiâ de iuſto titulo captiuitatis conſtet.

Quartum. Quartum: idem eſſe, quando vnus, aut alter emitur à Mercatoribus, qui eos ex Æthiopia adducunt, propter eamdem rationem. Poſt vnam, autem, aut alteram venditionem factam, non teneri ad talem diligentiam, quia iam non eſt poſſibile cognoſci, quonam titulo captus ſit, & ita diligentia eſſet ſuperuacua.

Quintum. 182 Quintum, Ementem vnum, vel alterum bonâ fide, licet ſuperueniat poſteà dubium an fuerit iuſtè captus, non teneri manumittere, ſi factâ diligentia nequeat veritas deprehendi, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis.

Sextum. Sextum, eum, qui mala fide emit, aut cum dubio de titulo captiuitatis, peccare mortaliter, & ſi non poſſit deponere dubium rationibus probabilibus, teneri manumittere, quia poſſeſſio cum mala fide nihil iuuat, quando eſt alius, qui potius ius habeat, ſcilicet ipſe Æthiops, qui habet ius naturale, & poſſeſſionem ſuæ libertatis. Addit hoc intelligi, niſi is, à quo emit, habuerit bonam fidem; tunc enim cùm in eius ſuccedat ius, non tenetur manumittere. Tandem Palacij ſententiam reiicit aſſerentis, poſtquam tales publicè vendendi exponuntur, non eſſe obligationem vlterioris inquiſitionis circa iuſtum captiuitatis titulum. Sic Doctor ille; ex quibus tamen nihil elici poſſe, quod faueat, ſi inter ſe componantur, & id quod communiter accidit, attendatur, facilè poteſt oſtendi.

Palacij ſententia.

Pronuntiata dicta non videri ſibi cohærere; neque ad iuſtificandum contractũ ſufficere. Vbi circa quatuor priora. 183 Et primum quidem, ac ſecundum apertiſſimè huiuſmodi contractationi repugnant. Et vt primum ſtare debeat, neceſſarium eſt affirmare id, quod in ſecundo de adhibito diligenti examine dicitur, locum non habere. Nam ſi locum habet, & ita debet præſumi; ergo immeritò contractatio condemnatur, quandoquidem præſumptio talis eam poteſt iuſtificare. Non igitur communiter loquendo tale intercedit examen, & ita neque communiter contractatio licet; vnde re ipſa Prima aſſertio nõ eſt à ſecundâ diuerſa, quia prima conditionalem illam de diligenti examine non excludit. Tertium item apertè contradicit: ſicut etiam Quartum in priori eius parte. Limitationem autem minimè eſſe fauorabilem ex eo patet, quia affirmat iam non poſſe diligentiam adhiberi; ergo reſtituẽda eſt libertas. Patet ex primo, & ſecundo: quia contractatio iniuſta dicitur, & cum onere reſtitutionis: ex eo quòd ij, qui adducuntur, communiter loquendo, ius libertatis retinent; qui autem ab adducentibus emunt, maiorem facere diligentiam nequeunt & ita neque emere; ergo poſt vnam, & alteram venditionem id eſt dicendum, quod in prima; quandoquidem vitioſa eſt origo, & vt talis cognita. Præterquam quòd manifeſtum eſt ementes ab iis, qui ex Æthiopiâ adducunt copioſam hanc mercem, de inquiſitione tituli non curare, & multò minùs ſequentes emptores, ergo nequeunt, qui emuntur ſecurâ conſcientiâ poſſideri.

184 Ex quo ſequitur, neque quintum ſtare poſſe, in quo & illi fauet P. Molina *Diſput.* 35. *in fine*, *& Diſputat.* 36. Quando enim poſt bonam fidem ſequitur dubium, licet nulla adhiberi diligentia poſſit, quâ veritas exploretur, poſſeſſio ſtat pro libertate, quia debet iuxta communiter accidentia iudicari; atqui, vt diximus, & probat dictus Pater, communiter titulus ſeruitutis eſt iniuſtus; ergo debet iudicari iuxta illud. Quemadmodum ſi quis rem aliquam bonâ fide emerit, & poſteà ſciat venditam eſſe ab eo, de quo probabiliſſimè præſumitur eam ſurripuiſſe, vt ſi ſit ſeruus, & res pretioſa ſit, aut alius ſimilis, tunc retineri nequit, etiamſi factâ diligentiâ nequeat dominus certus deprehendi; quod quidem iuxta tertium fundamentum eſt Auctoris eiuſdem *n.* 3. vbi cum multis ait; quoties quis bonâ fide aliquid poſſidere cœpit, ſi deinceps iudicet æquali probabilitate ad vtramque partem, rem non eſſe ſuam, ſi factâ ſufficienti diligentiâ non poteſt vincere dubium, poſſe eam retinere, quia in pari dubio melior eſt conditio poſſidentis. Atqui in caſu noſtro non eſt æqualis probabilitas ad vtramque partem, ſed moralis certitudo de iniuſto titulo, aut talis certè probabilitas, quæ dubium ferè vincat; ergo nequit ſeruum poſſidere. *Circa quintum, vbi circa bonam fidem in poſſeſſione doctrina.*

185 Vnde neque ſextum ſtare poteſt quoad eius limitationem, in qua eſt fauorabile; quia emens malâ fide, nequit illam deponere ex bona fide alterius, quæ ex ignorantia procedebat, & in eo ceſſat; ideò enim malâ fide emit, quia ſibi perſuaſit iniuſtum eſſe ſeruitutis titulum; atqui hoc certum eſt, iuxta nuper dicta; ergo nequit malam fidem deponere, cum qua poſſidet. Quemadmodum ſi ſciret rem aliquam eſſe furtiuam, ab alio tamen bonâ fide poſſideri, & eam emeret, non poſſet tali bona alterius fide ſe tueri, ſed reſtituere abſque dubio teneretur. Et verò Sexta concluſio in caſu procedit, quo quis emat cum dubio; an qui venditur iuſtè, vel iniuſtè fuerit captus: quæ quidem non videtur aliis conſonare, quibus contractatio iſta abſolutè iniuſta pronuntiatur, non ob dubium, ſed ob moralem certitudinem. Sed ſit illud de dubio verum, ſemper profectò tale dubium eſt, quia numquam poteſt veritas deprehendi: ergo neque malâ poterit deponi fides, cùm apertè conſtet primam poſſeſſionem à Mercatoribus ementium cum dubio fuiſſe, vel eſſe debuiſſe, vnde vlteriores poſſeſſores nequeunt ad poſſeſſionis titulum prouocare. *Circa Sextum.*

186 Quod autem addit in fine circa ſententiam Palacij, ea, quæ à nobis ſunt dicta, confirmat; ait enim minùs benè illum aſſeruiſſe emptorem Æthiopum, poſtquàm ad nos adducti ſũt, & publicè venduntur, non teneri ad ampliorem inquiſitionem, ſed poſſe opinari licitè vendi, quod ex eo ſic improbat: *quia, (vt probaui) eſt fama communis in oppoſitum.* Tantùm ille. Cùm ergo fama communis in oppoſitum ſit, & de nullo in particulari maior haberi certitudo poſſit, quàm ea, quæ de omnibus communiter habetur, vt experientiâ conſtat: fit ex eo de nullius iuſto titulo *Ex impugnata à præfato Auctore Palacij ſententia, vrgetur.*

non ſolum certum, ſed neque probabilem notitiam ſuccurrere, & ita iniuſtè poſſideri. Et famam dictam à fide dignis ortam probauerat ipſe *num.* 10. bonis adductis teſtibus. Pro quo, & *num.* 2.

Patris Molinæ Pronuntiata, vt faueant, & quàm conſequentia ſint.

P. Molina Pronuntiatum primam poſt tria alia conditionalia.

187 PRimum ex *Diſput.* 35. ſic procedit, negotiationem ementium mancipia ab indelibus eſſe iniuſtam, & iniquam, & omnes eam exercentes eſſe in ſtatu damnationis æternæ, niſi quem fortè inuincibilis ignorantia excuſet, in qua neminem eſſe eorum, audet affirmare. Sic ille in quartâ concluſione, vbi abſolute loquitur; tres enim præcedentes ſunt conditionales. Prima ſcilicet licere emptorem, ſi ij, qui emuntur, bello iuſto capti ſint ab iis, qui illud gerunt, vt contingit aliquando geri à Luſitanis. Secunda licere item ſi ij, qui venduntur ob ſua crimina, in ſeruitutem redacti ſunt, quando crimen tale eſt, vt ſeruitus ſit proportionata illius pœnæ. Tertia etiam eſſe licitum, quando parentes fame preſſi filios vendunt, vt quicumque alij facere poſſunt: vnde ſi hoc inter Æthiopes accidat, iure ſe poſſunt naturæ tueri. Sic ergo cùm præmiſiſſet, concluſione quartâ id ſtatuit, quod iam ex ipſo poſuimus; vbi quidem non loquitur de bello captis à Luſitanis, quod cum aliquibus ex illis gentibus iuſtum eſſe dixerat, *Diſput.* 34. vt cum Angolanis, & ſi qui ſunt alij Mauricæ ſectæ Profeſſores, qui eo ipſo immane odium in Chriſtianos ad omnem hoſtilitatem expromptum præſeferunt. De iis autem, qui bellum gerentes eum aliis eos capiunt, & vendunt, reſolutio dicta procedit.

Secundum.

188 Secundum, dum alia via ad fidem Chriſtianam inducendam in illas regiones non ſuccurrit, fauendum eſſe negotiationi ipſi quantùm ſaluâ conſcientiâ fieri poteſt; quia ſic magnum illud bonum, minimè aliàs conſequentur, è barbaria educti, in quâ brutorum potiùs, quàm hominum more viuere comperiuntur.

Tertium.

Tertium, non aliter ſeruitutem iſtorum, & cuiuſque illorum permittendam, quàm ſi luce clarius eam iuſtam eſſe conſtet, tum quòd libertatis cauſſæ; quippe quæ piiſſima eſt, per ſe ſit ſuffragandum. Tum etiam quòd vt magno eſſet adiumento, vt fides noſtra, moreſque Chriſtiani, in illis locis propagarentur. Addit, temporalia etiam commoda ex humaniori commercio futura, & ſic concludit: *quamuis autem aliud non eſſet lucrum, quàm tutas ab æterno interitu habere conſcientias, hoc vnum ſatis eſſe deberet.* Sic ille, apertè indicans in negotiatione iſtâ conſcientias negotiantium naufragare.

Quartum.

189 Quartum, *Ex diſp.* 35. ad finem, & 36. eum, qui emit ab eo, qui bonâ fide cœpit poſſidere, & poſteà de iuſto titulo dubitauit, non teneri integrè reſtituere, ſed adhibitâ diligentiâ, & non exploratâ veritate, tantùm teneri partem reſtituere, iuxta dubij quantitatem; quia in ius ſuccedit alterius, qui factâ diligentiâ non tenebatur reſtituere, cùm ſit melior conditio poſſidentis.

Quintum.

Quintum vnde *ſuprà*: ementem eum inuincibili ignorantia, ſi pòſtea dubitare incipiat, non teneri reſtituere, ſi factâ diligentiâ dubium perſtet, ob meliorem poſſidentis conditionem; ratione cuius nihil reſtituere tenetur, vnde neque partem, neque totum, quando bonâ fide poſſeſſionem inchoauit.

Sextum, ex *Diſputat.* 36. 5. *Primum & præcipuum* mancipia ex ſuis regionibus aſportata licitè emi poſſe, quia non ſpectat ad ſubditos examinare an merces licitè aſportentur in regnum, ſed ad Principem; cùm ergo ille videatur probare, non eſt circa id ſcrupuloſiùs indagandum. *Sextum.*

190 Cùm talis ſit huius Doctoris reſolutio, qui exactiſſimè rem iſtam inueſtigauit inter Luſitanos ſcribens, & Primum eius pronuntiatum adeò negotiationi huiuſmodi contradicat, affirmat P. Fagundez *Libr.* 2. *de Iuſtitia & iure, Cap.* 2. *num.* 5. & 8. eum illam approbare & abſque ſcrupulo exerceri poſſe pariter affirmare. Quod quidem non video quomodo dici à viro tanto potuerit, eùm mens Auctoris adeò teſtata ab ipſo fuerit relicta, vt nihil magis perſpicuum inueniri poſſe videatur. Vnde P. Palaus *Tract. de iuſtitiâ, & iure, Diſput. vnica de Iuſtitia in genere. Puncto* 9. *num.* 11. negotiationem dictam in prima emptione condemnans, pro ſententia ſua meritò P. Molinam allegat. Cuius quidem Primum pronuntiatum cum P. Sancij primo item conſonet, ſatis apparet ex eo non poſſe pro negotiatione iſtâ patrocinium aduocari; niſi fortè quatenus de bello Captis aliter videtur ſentire, quandoquidem illud eſt iuſtum communi immò & Regiorum Iudicum ſententiâ iudicatum. Sed certè vt dubitari de iuſtitia poſſit, dubitatio ipſius Patris facit, qui *Diſput.* 34. 5. *Paulus verò* ait viſam à ſe inſtructionem, quæ à Rege Sebaſtiano data eſt poſt longam diſcuſſionem in Cõſilio Conſcientiæ, electo Duci contra Angolæ Regem ituro, & ita poſtea ſubiicit: *Quæ Inſtructio, ſicut par erat, fuit exactè ſeruata, neque auaritiâ ducem, ac milites obcæcante, vlla facta fuit illius tranſgreſſio, ſanè nihil erat, quod ampliùs ad iuſtum bellum poſſet deſiderari.* Sic ille: dubius equidẽ de obſeruatâ inſtructione, vbi de auaritiâ eſſe ſatis fundata ſuſpicio poterat, quando bellum illud non tantùm ob vindicandas iniurias, ſed propter argenti fodinas, quæ in eo tractu eſſe fama vulgauerat, potiùs agebatur.

Citatum Auctorem non approbare negotiationem, & oppoſitũ non benè à P. Fagundez affirmari. Vbi de Primo Pronuntiato.

Quid de bello captis ſentiat.

191 Circa ſecundum pronuntiatum meritò quidem annuendum, ſed eum addita præcautione, *quantùm ſcilicet ſaluâ conſcientiâ fieri poſſit.* Non vult Chriſtus fidem iniuriis ſtabiliri; cùm aliàs negotiationi iſti vacantes, fidei negotium non agant, ſed lucri ſtudio ad illam penitus moueantur. Vnde ſi ſcirent eos, quos aſportant, Chriſtianos minimè futuros, ſimiliter aſportarent: non ergo ipſis circa auro pretioſiorem libertatem irrogatæ iniuriæ ex fidei commodo, quod acceſſoriè ſequitur, compenſabiles cenſeantur. Sic infidelium filij inuitis parentibus nequeunt baptizari.

De Secundo. Vbi quòd non eſt iniurijs ſtabilienda.

Quod autem in Tertio habetur, eſt quidem piè, & ſapienter dictum; ſed certè non eſſe neceſſarium pro ſeruitute permittenda, vt luce clarior illius titulus ſit, ex priori eſt pronuntiato deducendum. Cùm enim negotiationi fauendum ſit, quantum ſaluâ conſcientiâ fieri poſſit, non eſt certè neceſſarius titulus luce clarior, cùm ſufficiat eſſe probabilem; tuta enim conſcientia poteſt

Circa Tertium, vbi quòd titulus non debeat eſſe luce clarior ex Auctore eodem contra ipſum.

Digitized by Google

poteſt probabilis ſententia teneri circa titulum huiuſmodi, ſicut circa alia, & de bello eſt ſatis communis ſententia inter Recentiores. Et verò ſi titulus luce clarior ad ſeruitutem permittendam requiritur, bello capti Angolani non poterunt in ſeruitutem redigi, quia iuſtitia illius belli non eſt luce clarior. Vt *numero præcedenti* dicebamus. Videndus P. Rebellus *num.* 13. ex quo P. Fragoſus *num.* 26.

Quarti difficilem eſſe reſolutionē circa emtorem à poſſeſſore, qui poſt bonam fidem dubitauit.

192 In quarto autem eſt difficultas, non enim videtur ad plus teneri, qui emit ab eo, qui bonâ cœpit fide poſſidere, licèt poſteà dubitauerit, quàm ipſe venditor, qui in ius illius plenè ſuccedit. Et ita P. Sancius *citato Cap.* 4. *num.* 15. §. *Nota*, hoc abſolutè aſſerit, ementem eodem iure poſſe ſe tueri; citat autem pro eo P. Molinam citatum, item à ſe, *Lib.* 2. *de Matrim. diſput.* 41. *n.* 28. vbi etiam in ſpecie caſus præſentis loquens, idem tenet, & nullius reſtitutionis obligationem indicit; vnde non benè allegatus videtur P. Molina, qui reſtitutionem aliquam faciendam eſſe præſcribit, & modum, ac quantitem indicat, *Diſput.* 35. §. *Sit nihilominus*; niſi quatenus ait non eſſe obligationem manumiſſionis. Sed cùm probabilis videatur ſententia P. Molinæ; iuxta illam oritur dubium; quomodo circa libertatem ſit partialis facienda reſtitutio, & dici poteſt; faciendam ſeruitiorum diminutione, & meliori tractatione, vt inſtar famuli habeatur. Quòd ſi pretium dare velit dominus, erunt qui iudicent id contra rationem ſeruitutis eſſe; ſed certè non eſt, quia ſerui dominium rerum aliquarum habere poſſint, pro quo plures caſus adducit P. Molina *Diſput.* 38. & ex eo P. Gaſpar Hurtadus *Diſput.* 1. *de iure, Difficult.* 18. ex quibus vnus eſt cùm ei aliquid à domino datur, vt eius ſit; & tale dominium eſſe perfectum, citati affirmant. Pro quo videri etiam poteſt P. Oñate *Tomo* 1. *Diſput.* 4. *num.* 111. Poteſt autem ſeruus id, quod datur ipſi, non admittere, volens conſeruare ius ſuæ libertatis, & vt parte alia pretij datâ ſe redimat; in caſu enim dubiæ ſeruitutis exiſtimo poſſe dominum compelli à judice, vt redemptionem admittat, quia eſt ius illius imperfectum, & eſt maximè libertati fauendum.

De quinto, vbi de mala negotiatorum fide.

193 In quinto nihil eſt, quod negotiatoribus faueat, cùm eorum mala fides à citato auctore fuerit conteſtata; ſic enim loquitur *Diſput.* 35. *Concluſ.* 4. *Omneſque, qui illam exercent, lethaliter peccare, eſſeque in ſtatu damnationis æternæ, niſi quem inuincibilis ignorantia excuſet, in quâ neminem eorum eſſe affirmare auderem.* Sic ille.

Sextū minimè conſonum eſſe Primo, & Tertio.

Denique quod in ſexto dicitur non videtur Primo pronuntiato conformari, pro quo præcedentia verba ex eodem adducta videntur apertiſſimè militare. Si enim Mercatores tales vendere non poſſunt: ergo neque ab eiſdem emi, eadem pro emptore ſtante ratione, quę ſtat pro venditore; quia ſcilicet eorum, qui venduntur, non eſt veroſimilis titulus ſeruitutis. Et quidem vt circa Tertium pronuntiatum vidimus, citatus Auctor ad ſeruitutem admittendam titulum luce clariorum exigit; cùm tamen nihil tale in venditione appareat, quam propterea adeò acerbè condemnat: non ergo emptio licet, vbi ad illam titulus minimè fundatus occurrit.

194 Nec ſatisfacit, quod ait ad ſubditos ſcilicet examen de huiuſmodi mercibus non ſpectare, ſed ad Principem, quem tamen videmus venditionem permittere: nam ſicut hæc ratio non valet vt venditio juſtificata ſit, aliàs vendentes non erunt in ſtatu æternæ damnationis, ita neque ad emptionem. Princeps ergo permittit, quia illi de manifeſtâ iniuſtitiâ non conſtat, vel ſi conſtat, rationes habet vt permittat, maiorum damnorum euitandorum cauſſâ: ſubditi autem, qui ex communi famâ iniuſtitiam agnoſcunt, nec permiſſionis jus habent, nequeunt negotiationem dictam, dum emunt, fouere, illius eſſe conſortes, & non tantùm verbis, ſed factis etiam approbare.

Permiſſionem Principis ad publicam venditionē non ſufficere: In quo deſideratur conſequentia doctrinæ.

Neque item ſatisfacit, quod citato §. *Primum*, & *præcipuum*, adiicit in hæc verba: *Ea autem, quæ à nobis diſputationibus præcedentibus dicta ſunt, licèt perſuadere videantur plurima mancipia aſportari ex illis locis, iniuſtè ſeruituti ſubiecta: non tamen perſuadent omnia, ac proinde de nullo in ſingulari id perſuadent.* Hæc ille: quæ quidem, vt dixi, non ſatisfaciunt, quia cùm plurima mancipia iniuſtè addicta ſeruituti, vendantur, licèt de hoc in ſpeciali non conſtet, debebat tamen poſitiuè conſtare, iuxta ea, quæ idem Pater docet in citato §. *Sit nihilominus, Diſput.* 25. vbi ait peccare lethaliter eum, & cum onere reſtitutionis, qui ſine præuio examine emit aliquid, de quo veroſimiliter præſumitur eſſe furto ablatum. Quæ doctrina communiſſima eſt, & eam caſui præſenti adaptat, vt nequeant Mercatores Luſitani mancipia ab infidelibus emere. Quòd autem præſumptio ſit ſatis fundata, ab eodem oſtenditur §. *Sed iam ad Æthiopum*: vbi probat inter Æthiopes rariſſima eſſe bella iuſta. Cùm ergo mancipia, quæ adducuntur, maxima ex parte talia ſint, & bello capta ab eiſdem Luſitanis perpauca comparatione illorum; ſit planè ex eo peccare lethaliter iuxta ipſum qui ſine examine illa ab eiſdem emunt; aliàs eius diſcurſus eſt prorſus infirmus; quia etiam cùm Luſitani emunt, non conſtat illis hunc, & illum eſſe iuſtè captum, & licet vendentes id affirment, non eſſe illis credendum ſatis conſtat, cùm nullius fidei teſtes ſint. Quòd ſi Mercatores ipſi iuſtum titulum ſeruitutis affirmant, Chriſtiani profectò homines, cùm tamen ordinariè talis non ſit, vt ipſe Pater multis proſequitur; quid de barbaris ad Europæas merſiculas, & pueriles ornatus anhelantibus, æquum fuerit ſentiamus? Ex his ergo, & aliis Doctoris tanti pronuntiatis habemus negotiationem iſtam eſſe damnabilem, vt neque emere Luſitani Mercatores queant, neque conſequenter vendere. Vnde & idem de emptione eorum, qui ab eiſdem emunt, dicendum, conſequentia doctrinæ videtur clariſſimè perſuadere.

P. Molina.

Quod furtiuū præſumitur emi non poſſe.

Pater Rebellus pro Æthiopum libertate vt pugnet: cuius aſſerta proponuntur.

P. Rebellus negotiationi infenſus.

195 SEctione 1. & 2. *Quæſt.* 10. *Lib.* 1. Quidquid P. Molina in deteſtationem negotiationis huius, citatis *Diſput.* 34. & 35. accumulat, libenter complectitur, & corroborat, rationum & narrationum irrefragabilium additis firmamentis, & veritatis quidem pondere, in ea eſt aſſerta compulſus, non veritus illam odium parituram,

turam, dum patriæ affectu oblitus contra Luſitanos fulminat, doctiſſimus, & elegantiſſimus Luſitanus. Sed illius aſſerta videamus.

Primum illius Aſſertum, qui & aliorum.

Numero quarto. Cùm aliis Societatis noſtræ Magiſtris affirmat negotiationem eſſe licitam, ſi Mercatores ordinationes Regias ſeruent de examine circa titulum ſeruitutis faciendo. Secùs ſi alijs modis ſeruos emant, prout facere dicuntur, inſcijs Regijs miniſtris, ad quos iſtud examen ſpectat, quâ ex parte emptio de manu peccatorum non caret ſcrupulo, ſi præſertim accedat veroſimilis querimonia ſerui, quòd iniuſtè ſit factus ſeruus, quamuis regulariter non teneatur herus ſeruo credere, affirmanti ſe iniuſtâ ſeruitute detineri, & modo, quo id factum fuerit, narranti.

Secundum, circa mixtim emptos bona & mala fide.

Addit *num. eodem* ex aliis. Si Mercator contra præſcriptam à Rege formam ſeruos malâ fide emerit, nec pauciores illi ſint reſpectu aliorum, qui ſunt empti bonâ fide, quia forma ſeruata, & omnes ita admixti, vt dicerni non poſſint; omnes manumittendos, quia melior eſt conditio innocentium: ſi autem pauciores ſint iniuſtè empti, omnes poſſe vendi. *Num autem* 5. & 6. juxta propriam ſententiam aſſerit, quòd ſiue numerus dictorum æqualis ſit, ſiue inæqualis, & culpa Mercatorum euenerit, nullum poſſe vendi, quia culpa emptoris non debet cedere in iniuriam innocentis, qui ſibi iacturam debet imputare. Si autem ſine culpâ Theologicâ, mittendas eſſe ſortes inter ſeruos, ex eorum conſenſu; quòd ſi renuant, ad id compellendi à Mercatore, qui dominus eius multitudinis exiſtit, vel ab ordinario Iudice; quia non eſt æquum quempiam damnum adeò graue ſine ſuâ culpâ pati; immò etiam ſi culpa tantùm fuerit venialis; quo euentu proportionatum culpæ tantùm damnum ſubeundum. Et hoc eſſe melius ait, quàm ſi dicatur poſſe omnes vendi, ſed admonitis emptoribus de incertitudine ſeruitutis, quod etiam videtur probabile reputare. Quod ſi circa libertatem dubium occurrat, pro illâ eſſe in vtroque foro judicandum, ſi æquale ſit dubium pro ſeruitute affirmat *num.* 7.

Tertium notanda continens.

196 *Num.* 8. & *ſequentibus*: iniuſtam eſſe negotiationem oſtendit, affirmans, non ſolùm ante emptionem, ſed etiam poſt emptionem, teneri Mercatores indagare veritatem; quia ſunt malæ fidei poſſeſſores; quod ſi indagatione nequeant verum titulum ſeruitutis deprehendere; teneri manumittere. Si autem bonâ fide emerint, ad inueſtigandum ſimiliter teneri: veritate autem non exploratâ teneri reſtituere, iuxta dicta *num.* 192. & præter iniuſtum titulum ſeruitutis, addit iniuſtitiam aliam ex eo quòd miſeri iſti certiſſimo mortis periculo in nauigationibus exponuntur, vt quotidianis experimentis conſtat. Item ex eo quòd plures ad laborandum in auri, & argenti fodinis emuntur, qui labor illis incomportabilis eſt, & ad quem, niſi morte digni, nequeunt condemnari. Addit autem ex P. Suario poſſe licitam eſſe emptionem ad laborem talem, ſi illis talis labor iuſto aliquo pretio compenſetur, & in nauigatione commodè illis prouideatur, vt poſſint reſpirare. Hoc enim ex magno totius orbis commodo ſuſtineri poteſt, dum aurum, & argentum eruitur generaliter profutura: hæc doctus Pater fuſiùs illuſtrata.

Ordinationes Regias non ſeruari vnde apparet grauiter ſcrupuloſa captiuitas iuxta citati Auctoris doctrinam.

197 In quibus placet quidem emptionem eſſe licitam, quando Regia in illâ præſcripta ſeruantur, quod ita doctiſſimi Patres judicarunt. Sicut & ſcrupulum pro non ſeruatis; nec leuem illum ſupereſſe. Hoc enim ea oſtendunt, quæ pro iniuſtitiâ contractus huiuſmodi ab eodem afferuntur. Illa ſiquidem planè oſtendunt Regia præſcripta non ſeruari, vt in talibus videmus contingere. Pro quo eſt id, quod annis his proximis in Paraquariâ eſt actum regione. Luſitani enim Portus S. Pauli indigenæ & Paraquariis finitimi, armatâ manu in eos ſæpiùs irruperunt, & integros populos ad fidem Chriſtianam indefeſſis laboribus Patrum Societatis noſtræ reductos, poſt cædes, & crudeliſſimam vexationem, oppreſſos vinculis in Braſiliam deportarunt; vbi eos vti mancipia, poſtpoſitis humanis & diuinis legibus, neque attentis Pontificiis cenſuris, laboraturos ſine humano ſolatio diu, noctuque, vendiderunt. Vnde pro defenſione oportuit innocentes armari, vt iam non audeant ad prædam huiuſmodi ita confidenter inhiare. Quæ ergo de ſeruatis Regiis ordinationibus apud Æthiopes poſſit præſumptio ſuffragari? Fit igitur ex dictis ſine graui ſcrupulo ſtare non poſſe emptionem apud nos, quando tales ſunt venditores.

Circa venditionem, cùm mixtio eſt, de quâ n. 195.

198 Iam quod ad proximos attinet. Si culpâ Mercatoris accidit, omnes debere manumitti; videtur optimâ ratione fundari. Poſſet tamen numerus iniuſtè emptorum adeò eſſe exiguus, vt non deberet propterea venditio aliorum impediri. Quo euentu iuxta coniecturas agendũ, vt ſcilicet tot extrahantur, quot iniuſtè empti, in quibus veroſimile aliquid appareat, licet non ita fundatum, vt probabilem ſaltem poſſit reddere perſuaſionem: & certè interrogando emptos vix eſt credibile non poſſe veroſimilem notitiam hauriri. Quod autem ad ſortes attinet, valde videtur difficile: iis enim ſtantibus, ſtare etiam poteſt magnam in ſeruitute copiam eorum remanere, qui nullo ad illam titulo poſſunt addici, & conſenſus quidem eorum, ſi detur, non eſt ſufficiens, quia inuiti faciunt inter anguſtias deprehenſi, tali volentes ſe fortunæ committere, dum aliam non inueniunt viam recuperandæ libertatis. Ab hero autem compelli nequeunt, quia non eſt verum eſſe dominum multitudinis, ſed eorum tantùm, qui licitè empti ſunt. Iudex autem Hiſpanus non eſt competens reſpectu innocentium; eo enim ipſo, quòd iniuſtè empti ſunt, alterius fori cenſentur, ad quod ante emptionem pertinebant. Item iudex nullum poteſt innocentem ad ſeruitutem obligare. Videtur ergo res iſta teſtimonio eorumdem dirimenda, & veroſimilibus vtendum coniecturis, vt ſcilicet alij de aliis interrogentur, ab inuicem ſeparati. Poſſe enim querimonias iſtorum eſſe veroſimiles ipſe P. Rebellus affirmat *num.* 4. vt iam vidimus, & adducta quidem oſtendunt, vendi non poſſe admonitis emptoribus, quia iniuſtitia reſpectu innocentium non ceſſat ex eo, qui neque rigeroſo pretio, neque moderato vendi poſſunt, ſicut neque emi. Et quod ille addit de fauore libertatis, hoc videtur probare: quia cùm dubium æquale ſit circa quemlibet illorum, quod ſcilicet, ſeruus, vel non ſeruus, pro ſingulorum eſt iudicandum libertate.

Quid de ſortibus.

Veroſimilibus reſolutio.

199 Quod

Circa alia citati Auctoris dicta.

199 Quod de bona fide ementibus dictum, non poſſe conſequenter admitti, quandoquidem non dubium, ſed moraliter certitudo eſt, conſtat ex dictis *numer.* 184. Nauigationis item pericula eſſe certiſſima ſatis ex adductis conſtat, pro quo & quotidiana experimenta poſſumus cumulare. Sed verò ad ſubſtantiam contractationis illa non ſpectant, & cum iuſta poſſunt emptione componi; quia & in iis, qui iuſtè capti ſunt, talia ſolent incommoda deprehendi. Si autem in nauigatione ſpecialis de illis habeatur cura, pauci etiam periclitari ſolent, vt accidit quando illi ex piorum Mercatorum manibus in aliorum deueniunt poteſtatem. Id autem quod de fodinis auri, & argenti dicitur, tantum habet patronum; vt nequeat quaſi inueroſimile, refutari. Erit autem omnino à ratione alienum, ſi id, quod de iſtis dictum eſt, velit quis ad Indos transferre, qui ad metalla effodienda compelluntur: eſt namque in illis magna diuerſitas: Æthiopes namque iuſto titulo ſerui ſupponuntur, & difficultas de illis eſt, an ſi tales apud infideles ſint, emi poſſint ad auri & argenti fodinas aperiendas: vt Angolani, & alij. Indi autem neque in ſuâ infidelitate ſerui fuerunt, neque fideles facti peioris eſſe debent conditionis. Præterea de ſeruis etiam illis loquendo, cenſuit P. Suarez licitam futuram emptionem, ſi fiat iuſta compenſatio pro eiuſmodi tam extraordinariis, ac periculoſis ſeruitiis, quàm ipſi non niſi irrationabiliter recuſabunt. Atqui Indis nulla talis compenſatio fit; ergo diuerſa eſt in illis ratio: habemus ergo ex Auctore dicto nihil eſſe, quod negotiationi, de quâ agimus, poſſit ſuffragari.

Nauigatio vt præfatu noxia.

Mineris an queat addici. Et quòd Indorum diuerſa ratio ſit.

Quid ſentiant alij, & quid in præſenti cauſſa iudicandum.

Dom. Solorzanus.

200 DOm. Solorzanus *Tom.* 1. *Lib.* 3. *Cap.* 7. *num.* 108. *& ſeqq.* adductis P. Molina, P. Rebello, Auguſtino Barboſa, Soto, Ledeſma, & Mercato; contractationem iſtam, eodem, quo illi gradu, videtur improbare. Pro eodem eſt Nauarrus *in Manuali Latino Cap.* 23. *n.* 96. *& in Hiſpano Cap.* 28. *in additionibus ad citatum num.* 96. *Cap.* 23. Petrus de Nauarra *Lib.* 3. *de Reſtitutione Cap.* 1. *num.* 215. aitſe non audere iuſtificare eum, qui cum ea ſuſpicione, & dubitatione emeret, de quâ Mercatus teſtatur eſſe debere, ob publicam famam iniuſtæ acquiſitionis, *cùm diſcretum ſit, & probabile dubium de iniuſtitia, niſi aliunde veritas iuſtæ ſeruitutis conſtaret*; quæ ſunt illius verba. Franciſcus Garcia *de contractibus. Parte* 1. *Cap.* 17. omnino infenſus eſt iſti contractationi, ſicut & P. Palaus citatus iam *num.* 190. vbi tamen addit poſſe emi ſecunda emptione à Mercatoribus; quod tamen eſt intelligendum, quando præſumptio non eſt in contrarium, iuxta dicta, vt conſequens poſſit eſſe doctrina. P. Fragoſus *Tom.* 3. *Lib.* 10. *Diſput.* 22. *num.* 13. *& ſeqq.* Patrem Rebellum ferè tranſcribit, & *n.* 15. ſtatuit, quòd licet defendi ab iniuſtitia poſſit emptio Æthiopum, quæ fit in Luſitania de manu Mercatorum ob præſumptionem bonæ fidei exportantium; nihilominùs veroſimilius videri, conſideratis circumſtantiis, eam eſſe iniuſtam negotiationem reſpectu Mercatorum in Æthiopiâ ementium. Quod equidem intelligendum eſt ſtante prædictâ præſumptione. Atqui illa communiter ceſſat; ſicut enim Auctores iſti talem præſumptionem non habent ob communem famam, ita & alij communiter habere poſſunt; ita enim publica dicitur: illâ ergo deficiente, non poterit ſtare emptio; videantur, quæ de noxia præſumptione conſcientiarum dictorum Mercatorum idem Auctor adducit *num.* 26.

Nauarrus.

Petrus Nauarra.

Franciſcus Garcia.

P. Palaus.

P. Fragoſus.

Bonæ fidei in vendentibus præſumptionem non ſtare.

Ioannes Caramuel.

201 Ioannes Caramuel in Theologia morali *num.* 440. *&* 441. de Indis loquens ait: poſſe ſeruos effici, quando ab aliis Indis capti, ſiue iuſtè, quia inter eos bella iuſta eſſe poſſunt, ſiue iniuſtè, quia ab eiſdem erant occidendi; quod facere ſolent vt eos comedant; immò & aliquando eorum carnes in macello emendas exponere. Nec poſſe tantùm, ſed etiam debere, ſi poſſint emere: quia debet eo pacto ſubueniri in extremâ neceſſitate conſtitutis: neque eſſe obligationem, vt fiat gratis, quando ſic periclitantes habent, quo valeant ſibi de remedio prouidere, ſcilicet libertatem. In quo quidem aliorum ſententiam ſequitur, quamuis neminem citet, præſertim P. Sancij *Citato Cap.* 4. *num.* 1. qui id iuxta probabilem ſententiam multorum ſtatuit, iuxta quam non tenetur quis gratis ſubuenire alicui, quando id facere alio modo poteſt, vt mutuando, vel commodando. De Æthiopibus autem citatus Auctor nihil ſpeciale tradit, ſed remittit ſe ad P. Sancium, vnde negotiationi iſti non aliter, quàm ille fauet, & ſic parum, aut nihil. Eſt autem in eodem notandum, ita ſcribere initio illius dubij: *cùm videas tot ſeruorum millia ex Indiis in Hiſpanias adduci ſubdubitas, an omnes &c.* de illis ergo cùm reſolutio eiuſdem procedat: in fine circa Nigros id addit, quod diximus. Præter Nigros ergo apertè ſignificat ex Indiis multa ſeruorum millia in Hiſpaniam adduci. Quod tamen à veritate eſt prorſus alienum: Indi enim ſuâ libertate fruuntur, præter Chilenos aliquos bello captos poſt tenaciſſimam, & infeſtiſſimam rebellionem: ex quibus neſcio an aliquis in Hiſpaniam fuerit deportatus. Quòd autem circa eorum infantes videatur Regiam dicere clementiam, ſiue etiam iuſtitiam, dictum *ſuprà Titulo* 1. *Cap.* 11. §. 2.

Extremè laborantí qualiter debeat ſubueniri.

Citati Auctoris narratio non ſubnixa veritati.

P. Fagundez plus alijs fauet.

202 P. Fagundez *Cap.* 2. *citato lib.* 2. *de iuſtitia & iure*, vnus eſt, qui negotiationem iſtam defendendam ſuſceperit, ad omnia, quæ contra illam obiiciuntur, conatus reſpondere. Fatetur tamen, quod negari nequit, Mercatores in Æthiopia ante emptionem mancipiorum debere ſeruitutis titulum examinare: aliàs futuram iniuſtam. Hoc ergo cùm facere debeant, & re ipſa facere credendum eſt; quandoquidem contrarium nequit comprobari. Pro quo etiam facit à Rege in illis partibus miniſtros eſſe deputatos, qui rei huic diligenter aduigilent, quos etiam non licet officij ſui ita incurioſos credere, vt in negotio adeò graui, & conſcientiis grauandis ſupra modum obnoxio, poſtpoſito Dei timore diſſimulent, Deo & Regi pariter infideles.

Aſſertio 1. negatiua circa maiorem ſeruorum partem.

203 Dico primò: negotiatio dicta ſecundùm maiorem partem mancipiorum, qui in illis partibus emuntur, eſt illicita, iniuſta & cum one-

re reſtitutionis. Sic citati, quod & rationes adductæ conuincunt.

Aſſertio 2. negans pariter de copia adductorum.

Dico ſecundò. Mancipiorum copiam à Mercatoribus, qui ea ex Africæ regionibus aſportant, non eſt licitum emere in Indiis, & Europâ. Hoc etiam ex dictis conſtat.

Aſſertio 3. item de vno & altero.

Dico tertiò: neque vnum aut alterum mancipium licet emere ex eiſdem, ſtante ſuſpicione, ob fundamenta dicta. Sic Nauarra *num.* 215. citatus cum Mercado, & ratio eſt clara; quia de vno, & altero an ſit iuſto titulo emptus, ignoratur, ſicut de copia aſportatorum.

Aſſertio 4. generaliter contractationem improbans.

Dico quartò. Generaliter loquendo & iuxta principia dicta, non licere emere huiuſmodi mancipia, etiamſi plures dominos habuerint. Probatur: quia ex multiplicatione dominorum non melioratur titulus ſeruitutis; contra libertatem ſiquidem non eſt præſcriptio, vt habetur communi iure præſcriptum. *L. Finali. C. de præſcriptione longi temporis.* Cùm tamen è contrario mancipium poſſit contra ſeruitutem præſcribere ſpatio viginti annorum, ſi adſit bona fides, etiamſi deſit titulus coloratus, vt conſtant ex *L.* 2. vnde *ſuprà*; & communiter tradunt ſcriptores, & vt benè Mercatus *Citato Cap.* 15. ex infecta origine non poteſt aqua ſana procedere. Videantur dicta *num.* 183.

Contra libertatem non præſcribi, ſecus autem contra ſeruitutem.

Aſſertio 5. quomodò poſſit iuſtificari. Vbi variæ rationes adductæ.

204 Dico quintò. Emptio dicta in Indiis, & Europa iuſtificari poteſt aliqualiter. *Primò*: quia Doctores aliqui, licet eorum quidam inconſequenter ad ſuam ipſorum doctrinam, eam non eſſe apertè damnabilem affirmant, immò & illi fauent, vt P. Molina, P. Rebellus videndus *n.*4. P. Palaus, P. Fragoſus, P. Fagundez. Et alij, *Secundò*: quia ita eſt communi praxi receptum, quæ omnes ſtatus complectitur: Epiſcopos, Religioſos, ſine vllo in hac parte ſcrupulo procedentes. *Tertiò*: quia Rex non ſolùm permittit, ſed & ipſe emit, & vendit, cuius exemplum ſequi integrum eſt vaſallis, cùm in eo debeant iuſtitiæ exemplaria prælucere. *Quartò*: quia Epiſcopi contra furantes mancipia excommunicationes fulminant ad dominorum inſtantiam; eorum ius certum reputantes. *Quintò*, quia cùm mancipia iſta videantur ad ſeruiendum nata, vt multi expendunt, non videtur circa illa eodem, quo circa alios, exactiſſimo iure agendum, ſed minore titulo, dummodò aliquis non penitus inuероſimilis appareat, emptores debere eſſe contentos. *Sextò*: quia pro Indiis adeò ſunt neceſſarij, vt ſine illis ſtare Reſpublica iſta nequeat. Cùm ergo viliſſimi iſti inter homines ſint, diſpenſari cum aliquo requiſito iuris gentium poteſt, ne Indicæ regiones, quarum conſeruatione res Chriſtiana agitur, ab eo cadant ſtatu, qui adeò neceſſarius comprobatur. *Tandem*: quia aſportatio eorum in Indias nequit impediri, quia ad eam permittendam, immò & auctorizandam, Reges noſtri vrgentes habent rationes. Cùm ergo aſportandi ſint, nequeunt ſine magno periculo in ſuâ libertate relinqui, & ita conuenienter ſeruituti addicuntur. Quam quidem illi, licet in aſſiduo labore ſint, non ægrè patiuntur, ſed inter laborandum tripudiare ſolent, dummodò de alimentis prouideatur, & dies habeant à laboribus feriatos.

Diſputata ſuperiùs quo tandem fructu, ſtante vltima reſolutione.

205 Quæ ergo à nobis pro iniuſtitiâ negotiationis huius oſtendendâ non leuiter diſputata, & ſtabilita ſunt, erunt pauci qui practicè complectantur, vltimæ huic Aſſertioni libentius inhærentes; vnde & videri poſſunt illa ſuperuacuè conſtituta. Sed certè pro veritate pugnaſſe, & agonizaſſe pro iuſtitia, vt Scriptura loquitur, non poterit, vt credo, rectè ſentientibus non probari. Sic enim & in ſcriptorum multis eſt cernere, quos pro eiuſdem cauſæ defenſione militantes allegauimus. Quin etiam, qui à nobis dicta deſeruire præterea poterunt, vt mancipiorum iſtorum domini humaniùs cum ipſis agant, ſcientes ius dominij, quod in ipſos ſe habere exiſtimant, eſſe adeò dubium, vt opus ſit in re iſta, ne lumen veritatis obſiſtat, clauſis ferè oculis ambulare. Adaperiat illos vtinam Deus, quos auaritia excœcare ſolet, crudelis Erynnis, in iis, qui, & emunt priùs dura paſſos, poſtmodum duriora. De quique hæc ſatis.

§. IX.

De contractu hydromelici potus apud Indias vſitato.

Vt non liceat Guarapi venditio quæ fundamenta ſuccurrant.

206 DE illo non immeritò dubitatum an ſit licitus, quia Indi, & Nigri eo nimium quantùm vtuntur, eò quòd & ſapidum ipſis, & ſapidum ipſis, & vili præterea pretio conſtat, ſi cum vini pretio componatur. Eſt tamen Indis noxium, quia calidioris illi naturæ feruido hoc hauſtu cum frequentibus morborum periculis incaleſcunt. Vtriſque autem ebrietatem inducit, cuius eſſe ſolent exitus infelices, cœdibus perpetratis; quòd ſi minora damna; talia tamen, quæ non ſine ſanguine ſoleant frequentari: & occurrendum quidem talibus, ſublatâ malorum occaſione, & iuſtitia in Magiſtratibus, & charitas in omnibus videntur poſtulare. Accedit ad doctrinam fidei, de qua cum iſtis agitur, recipiendam, magnum hoc videri obſtaculum, de quo Concilium Limenſe 3. *Actione* 2. *Cap.*20. Ex quo multorum doctrina de licita venditione rerum indifferentium videtur infirmari, quando reſpectu poculi iſtius, ratio ſpecialis ex aduerſo eſt; obſtaculum inquam fidei in regionibus iſtis penitus propulſandum: *quia ſumma eſt ratio, quæ pro religione facit*, vt iura clamant, & dictum non ſemel: Quod ſi ratione illius in multis diſpenſatur, & priuilegia extendi poſſunt, vt eſt multorum doctrina, multò potiùs id agendum, aut omittendum eſt, in quo nullâ eſt opus diſpenſatione, ſed cum omni ſtare lege poteſt, & præcipuè cum charitate, & iuſtitia conſtare. Hinc verba illa D. Pauli *Corint.* 8. *verſ.* 8. *& ſeqq. Neque enim ſi manducauerimus abundabimus, neque ſi non manducauerimus, deficiemus, videte autem ne fortè hæc ſcientia veſtra offendiculum fiat infirmo. Et peribit in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt ſic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis. Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* Nullus autem frater ita videtur infirmus vt Indus, aut Niger ad ebrietatem maximè procliues, neque aduerſus illam fidei conſtantiâ roborati.

1. Cor. 8. v. 8. & ſeqq.

207 Dico

Aſſertio 1. probabile valde eſſe non licere.

207 Dico primò. Valde probabile eſt non licere huius poculi venditionem, non ſolùm eò quòd non liceat res indifferentes abuſuris vendere, qui tales veroſimiliter prævidentur, quæ eſt ſententia eorum, quos adducit Diana *Parte* 1. *Tractat.* 8. *Reſolut.* 41. & aliis locis de quibus *ſuprà Titulo* 1. *numer.* 144. ſed ob rationes nuper adductas. Præterea, quia doctores venditionem rerum indifferentium approbantes, quando abuſus prævidetur, proportionatam cauſſam venditionis requirunt, vt videri poteſt apud Dianam, qui eoſdem adducit: id quod ſpecialiter inculcat P. Thomas Sancius. Non videtur autem qualis eſſe cauſſa proportionata in præſenti queat; & ſola afferri poteſt vtilitas venditionis, eſt enim magna. Atqui ſi hæc ratio valeret, ſemper venditio indifferentium eſſet licita, ſemper enim ex venditione vtilitas prouenit, & ex continuatione illius non poteſt non eſſe magna pro vendentium conditione; & præterea frequentia peccata, & damna alia, de quibus nuper, cum impedimento fidei, adeò magna ſunt mala, vt vtilitas dicta non videatur cum illis habere proportionem. Damna enim ingentia ſunt, non ita temporariæ vtilitates, & deinde illa ſpiritualia, temporalia iſta: inter quæ eſſe proportio nequit, cùm ſpirituales vtilitates temporalibus debeant anteferri; quandoquidem, & vita ipſa multoties poſtponenda eſt ob ſalutem alterius ſpiritualem, vt eſt receptiſſima Theologorum ſententia, ex quo fit proportionaliter eſſe de aliis vtilitatibus philoſophandum, quando inter ſe contigerit comparari.

Res indifferentes quando poſſint vendi.

Aſſertio 2. probabile etiam oppoſitum.

208 Dico ſecundò, venditio talis poteſt probabiliter ſuſtineri. Probatur: primò ex eorum doctrina, qui cenſent res indifferentes poſſe vendi, etiamſi aliqui abuſuri præſciantur nullâ adiectâ limitatione; quando ſcilicet verè indifferentes ſunt, & juxta communem diſpoſitionem ad malum non ordinatæ. Quod præcipuè docuit Caietanus 2. 2. *Quæſt.* 10. *art.* 4. & alij, quos adducit P. Salas de contractibus *Dub.* 47. *Tractatu de emptione, & venditione.* Et Diana *locis citatis*, de quo & nos *Titulo* 1. *numer.* 144. *citato, & ſeqq.* Ratio congrua eſſe poteſt, quia ſi in contractu emptionis, & venditionis, qui omnino neceſſarius ad conuictum eſt humanum, ad prædictum examen vendentes tenerentur, diſcernendi ſcilicet quis ad bonum, quis ad malum vſum empturus accedat, moleſtiſſimus redderetur, vnde non eſt credibile ad illud vendentes obligari. P. Suarez *Diſputat.* 10. *de Charitate ſect.* 4. *in principio.* Duram eorum ſententiam vocat, qui res indifferentes vendi poſſe negant, malo eorum vſu prævisõ; ſtante autem hoc illius judicio, quod eſt etiam aliorum, vix aliqua adduci regula poteſt, iuxta quam debeat id, quod generaliter licet, in particulari illicitum judicari. Vnde idem Pater *num.* 7. ad circumſtantias id reuocat, ſeruato ordine charitatis. Ex quo fit ex ſe licitam eſſe venditionem, & ſolùm ob circumſtantias vitiari poſſe: quod quidem & in rebus ad bonum ex inſtitutione ſuâ ordinatis contingere poteſt, vt ſi quis Roſarium emat, ad hyprocriſim, vel vſus deteriores.

Ratio 1. ex ſententia circa res indifferentes.

209 Secundò. Quia Doctores, vt vidimus, licitam venditionem talem dicunt, quando eſt illius proportionata cauſſa: atqui eſſe proportionatam cauſſam pariter dicunt multi vtilitatem ex venditione ſecutam; quia ſic res propriæ diſtrahuntur, aliàs cum incommodo retinendæ, vt videri poteſt apud eos, quos adducit P. Bauny *Lib.* 1. *de Contractibus*, *Tractatu* 2. *Quæſt.* 11. quibuſcum ipſe ſentit: neque ex eo fit venditionem generaliter licere, cùm ſemper ex venditione vtilitas conſequatur. Poteſt namque communis doctrina cum prædictâ poſitione conſtare: quia multoties ex venditione rei, quæ abuſuro traditur, nulla ſpecialis vtilitas ſequitur: vt ſi quis talis abuſurus accedat emptionem affectans, & alius ſimul non abuſurus, nequit priori vendi, ſi res indiuidua ſit; quia ex tali non venditione nullum patitur detrimentum, quandoquidem non abuſuro vendit. Si autem rerum copia ſit, & abuſuro non vendat, jacturam non venditionis incurrit, ad quod non tenetur, quia jam pro venditione cauſſa rationabilis occurrit.

Ratio 2. ex vtilitate venditionis reſpectu vendentis.

210 Tertiò: quia in ſpeciali caſu, de quo loquimur, ſpecialis etiam ratio videtur ſuffragari. Nam Indi, & Nigri non ſunt cogendi ad ſolius aquæ potum; id enim videretur inhumanum; vinum autem & carius eſt, & ita eorum conditioni non ita conforme, & præterea magis noxium, vt conſtat, cùm & calidius, & aptius ebrietati concitandæ. Poſſunt ergo familiare poculum ſibi commoditiſſimo pretio comparare. Quâ veritate ſuppoſitâ, cogendi non ſunt vt in publico bibant, vt eſt manifeſtum: vnde & conſequenter emere poterunt quas voluerint menſuras ſibi, & ſuis familiolis ſufficientes: nec dicas pro Indis familiarem potum haberi, quem ex Mayzio conficiunt, & eſt eorum conplexioni conueniens, cùm illud de quo loquimur valde noxium judicetur: nam neque omnibus commoditas eſt illius poculi faciendi, ijs præſertim, qui in vrbibus commorantur, & licet vendibile habeatur, inſipidum tamen eſt: vnde ſicut prohiberi nequit illis vini vſus, ita neque illius, qui viliori pretio comparatur: neque illius moderatus vſus noxius eſt, exceſſus autem in re quauis incommodat, qui non poteſt humanâ ſemper prouidentiâ cohiberi. Accedit, prædictos duris laboribus exerceri, & expediens videri ea non tolli eiſdem, per quæ poſſunt laborantes recreari, & ita neque poculum iſtud, quo recreati illi, in laboribus poſſunt læti & infracti perdurare. Cùm ergo in illius vſu abſolutè non appareat turpitudo, illis eſt meritò permittendus, licèt non rarò exceſſus aliqui præter vendentium intentionem miſceantur.

Ratio 3. peculiaris circa ſubiectam materiam.

211 Per quæ patet ad ea, quæ ex aduerſo dicebantur: licèt enim inconuenientia aliqua ex venditione dicti poculi oriantur, illa præter intentionem vendentium ſunt, & per vinum ſolent eadem, aut maiora ſentiri. Cuius venditionem etiam abuſu præviſo licitam aſſerit P. Salas *ſuprà num.* 11. ſtante cauſſâ rationabili ſicut in aliis. Quærendum ſanè à prædictis, ſi potus ille facilior ſubtrahatur, & licet ad fidem plenius hauriendam huiuſmodi potus incommodet, id ipſum & alij facerent, ſtante huius prohibitione: quod autem de comparatione damni

Fit ſatis obiectis.

 ſpiri-

Digitized by Google

ſpiritualis & temporalis dicebatur, eſt quidem verum, ſed cum ſuis limitationibus accipiendum, aliàs multa ex eo ſequerentur, quæ communiter à Doctoribus non admittuntur; vt quòd restitutio damni temporalis fieri poſſit per orationes, aut ſuffragia ſpiritualia; & quòd nullo modo liceat venditio rerum indifferentium, & ſic alia intelligendum: ergo vt nullus damnum alterius ſpirituale intendat ſuæ propriæ vtilitatis intuitu, præbendo cauſſam ex ſe ad illud ordinatam; quod autem vitari ſemper debeat omnis illius occaſio, diuinâ lege non præcipitur: neque ex obligatione anteponendi ſaluationem alterius vitæ propriæ in certis caſibus, benè arguitur, quia pro illis eſt ſpecialis ratio, eò quòd damnum ſit irreparabile; reſpectu autem aliorum non ita; vnde aliæ exceptiones ab illa regula etiam Auctores admittunt. Diui autem Pauli doctrina cum moderatione etiam accipienda; tum quia dici poteſt magnâ ex parte ad perfectionem ſpectare charitatis; & non ad rigoroſam obligationem; cùm conſtet ea, quæ licita ex ſe ſunt, vt manducatio carnis, non teneri quempiam omittere, eò quòd alius inde ſcandalizetur, quando ex vſu eorum commodum aliquod reportat. Vnde P. Cornelius circa *verſum* 8. ait ibi Apoſtolum ad perfectiores ſe conuertere, & eos monere, vt vitent ſcandalum infirmorum. Sed luculentiùs D. Chryſoſtomus in eum locum ita ſcribit circa *verſ.* 13. *Hoc Magiſtri optimi eſt officium ſuo exemplo docere quæ præcipit, & non dicit ſiue juſte ſiue iniuſte, ſed quomodocumque; & non dico, inquit, Idolothytum, quod & propter aliam cauſſam prohibetur, ſed ſi quod licet, & permittitur, ſcandalizat, etiam illo abſtineo, neque vnâ, aut alterâ die, ſed toto vitæ tempore.* Hæc ille, & alia ex quibus conſtat doctrinam illam, quam Apoſtolus ſuo exemplo firmat, ad charitatis perfectionem, & non ad illius rigeroſum præceptum pertinere. Tum etiam, quia in illo Capite non de re indifferenti ſermo erat, ſed de prohibitâ; manducatione inquam eorum, quæ idolis fuerant immolata; hoc enim in eorum templis fieri ſolebat, & ita genus quoddam cultus eorumdem cenſebatur. Pro quo videatur citatus interpres, & alij. Si interim addamus aliud eſſe, quem ſuo exemplo ad aliquid prouocare, de quo in caſu noſtro nihil extat, ſicut in exemplo à D. Paulo adducto; aliud rem indifferentem tradere, commodum proprium ſpectando, quæ ex ſe malum non inducit; & ita non poſſe contra hoc ex doctrinâ Apoſtoli argumentum efformari, qui non agebat de humanis contractibus ad conuictum neceſſariis, ſed de exemplis ad malum inducentibus ſine aliquo vſu licito, qualis eſt in vtentibus poculó dicto, licèt aliquando exceſſus committatur. Et vt plenè hæc non ſatisfaciant, ſunt tamen veroſimilia, & ſufficientia, vt probabilitas ſaltem dicti contractûs poſſit defenſari.

Bonum ſpirituale proximi quãdo debeat temporali proprio præferri.

D. Paulus explicatus.

D. Ioannes Chryſoſt.

Additio peculiaris.

§. X.

De Contractu cum Commendatarijs Mercatorum.

212 CVm Mercatores Indici non poſſint in Hiſpaniam commodè ſemper nauigare, vt inde merces aſportent, pecunias ſuas ſolent aliis eò contendentibus tradere, vt conuenienter implicent & merces emptas adſportent, juſto pro labore, & induſtria pretio deſignato, ad rationem ſcilicet ſeptem, aut octo pro centum, ſiue plus, aut minùs, iuxta valorem, quem ſunt in his partibus habituræ. In quo quidem mille exoriri controuerſiæ ſolent, circa quas nimis quantùm ſolet Conſulatus occupari. Vnde non eſt inſtituti præſentis eas perſequi, ſed non nihil pro conſcientiæ obligationibus adiecisse. Et certè ad illorum intelligentiam non multâ eſt opus diſcuſſione, ſi homines velint juxta illius certa dictamina operari: vix enim à talibus in dubium aliquod inciditur, quod merè conſcientiam attingat, cùm ſatis perſpectum habeant quid juſtitiæ leges poſtulent, & principium illud irrefragabile in eorum ſit conſideratione defixum: non debere quemquam alteri facere, quod ſibi non vellet ab eo fieri. Videant ergo iſti ſi pecunias ſuas aliis pro ſimili functione committerent, quomodo eas adminiſtrandas vellent, & deprehendent ſtatim debere ſe illas vt proprias curare: quæ emunt non debere, quia meliora ſunt, reſeruare ſibi, minùs bona Commendanti reſeruandó: quæ ſibi empta, non eſſe minùs ſecuro committenda nauigio, aut tardiùs ad portum peruenturo: erga eadem non eſſe ſumptus inæqualiter faciendos, vt maioribus quæ aliena ſunt, conſtet propria minoribus; & ſic de aliis. Quod ergo opus ſit pro huiuſmodi quæſtiones prolixiùs agitare, vbi iudex eſt in vnoquoque cauſſam juſtiſſimè diremptur? vt tamen nonnulla amplius eluceſcant,

Commendatarij qualiter conſtituantur.

Omnem ceſſaturam quæſtionē, ſi conſcientia tribunal conſulatur.

213 Dico primò. Si Commendatarius non inueniens eas merces, quas in mandatis habet, alias emat, quibus Commendans ſolebat negotiari, nihil contra iuſtitiam facit, & Commendans tenetur eas admittere, & ſumptus circa illas veroſimiles habere ratos. Quòd ſi alias emat, in quibus non ſolitus negotiari, non tenetur eas admittere, etſi pereant etiam caſu fortuito, Commendatario pereunt, qui tenetur Commendanti plenè ſatisfacere. Sic habetur *L.* 33. *Titul.* 12. *Part.* 3. Vbi Gregorius Lopez, ex quo Heuia in labirynto *Cap.* 4. *num.* 24. Si tamen eodem modo perituræ merces illæ, quas debebat emere, affirmant illi Commendatarium ad nihil tale teneri, etiam in foro conſcientiæ; vt ſi nauigium, in quo erant aſportandæ, diſperijt. Vbi tamen adnotandum eſt, quòd ſi Commendatarius potuit pecunias fido Factori relinquere, & ſic negotium Commendantis vtiliter agere; juxta eam præſumere debuit voluntatem, aliter videtur dicendum; ſic enim pecuniæ non eſſent perituræ. Quod colligitur ex communi ſcriptorum doctrina, iuxta quam, qui in contractu

Aſſertio 1. circa non emeutem, quæ illi in mandatis data.

Quid ſi pereant merces.

Digitized by Google

In contractu delinquens vt teneatur de fortuitis.

contractu delinquit, rem alienam contra domini voluntatem diſpenſans, de caſu fortuito tenetur, pro quo Doctores congerit, P. Oñate *Tomo 2. Diſput.* 43. *num.* 75. Quod intelligendum cum limitatione adducta, quando ſcilicet res non erat ſimiliter peritura: quod quidem in caſu noſtro contingit, & hoc etiam eſt juxta mentem eorum, quos pro Aſſertione citauimus, dum dicunt Commendatarium teneri de caſu fortuito, quando aliter emit, quàm debuit, dictam limitationem addentes, nam illius generalis Aſſertionis, & eius, quam nos poſuimus, eadem ratio eſt, quod ſcilicet non eſſent perituræ pecuniæ illæ, ſiue ſtatu mutato, dum merces in eius locum ſucceſſêre, ſiue ſtatum pecuniæ retinentes, quod ad caſûs ſubſtantiam nihil præſtat.

Aſſertio 2. obligari in conſcientia Commendatarium ad ſimilia, cùm deſignata non inuenit.

214 Dico ſecundo. Quando commendatarius non inuenit merces à commendante deſignatas, non ſolùm poteſt alias emere, inquibus ille negotiari ſolet, ſed in conſcientiâ tenetur. Probatur: quia ſic eſt voluntas Mercatorum, qui numquam pecuniam habere volunt otioſam. Et certè videat oportet commendatarius, id, quod paulò ſuperiùs dicebamus, quid ſcilicet vellet ipſe à commendatario fieri, ſi illi ſuas pecunias commendaſſet. Quis enim dubitet earum implicationem vtilem voliturum? *Vnde ergo, & tu fac ſimiliter.* Quod & in caſu præcedenti applicandum. Habet autem Aſſertio ſuos etiam defenſores, qui communiter affirmant mandatum extendi ad ſimilem caſum, in quo eſt paritas rationis. Et multò potius, ſi eadem; vt videri poteſt àpud eos, quos adducit P. Oñate *ſuprà Diſp.* 44. *num.* 93. & ſimiliter apud complures alios, quos congerit D. Solorzanus *Tom.* 2. *Libr.* 2. *Cap.* 4. *num.* 58. & *ſeqq.* aſſerentes mandatum, quamuis ſtrictè conſideretur, poſſe per æquipollens adimpleri, & veroſimilem mandantis voluntatem ſequendo, dum mandatarius ea facit, ordinat, & exequitur, quæ mandans, ſi præſens eſſet, exequeretur, & idem eſſe de mandato, ac de illis, quæ mandato vicina ſunt. Quæ quidem non ſolum facultatem mandatarij oſtendunt, ſed etiam obligationem: nam ſi poteſt, tenetur; poteſt enim virtute mandati, mandatum autem obligationem inducit, cùm ſit contractus, vt communiter Doctores tradunt, vnde & obligationem parit, quia aliàs inutilis redderetur, quod in præſenti habet ſpecialem rationem, quandoquidem, vt diximus, Mercatores nolunt pecunias ſuas haberi à commendatariis otioſas, cùm & ipſi apud ſe illas otioſas eſſe, ſi lucri occaſio affulgeat, minimè patiantur.

Vide P. Leſſium infrà caſu 12.

Mandatū debere per æquipollens adimpleri.

Aſſertio 3. ſi copia mercium non ſit, non poſſe omnes illas ſibi Commendatarium aſſumere.

215 Dico tertiò: ſi merces quidem ſuppetant, ſed non in ea quantitate, quæ ſufficiat iuxta deſiderium Commendantis, & Commendatarij; non poteſt Cõmendatarius illas omnes ſuo nomine emere, ſed debet cõmodâ diſtributione vti, & aliàs tutus in conſcientia non erit, & obligatio reſtitutionis incũbet. Probatur: quia cũ hoc onere cõmendationem aſſumpſit: obligauit enim ſe ad emendas tales merces, ſi extarent: atqui extant, licet non in ea copia, vt vtrique ſufficiant; ergo debet partita, vt dicitur, differentia obligationi ſatisfacere. Si dicas nõ ita ſe obligaſſe, vt cenſendus ſit cauſam ſuam facere deteriorẽ, & ſe priuare facultate priùs ſibi conſulendi. Id poteſt facilè refutari; quia licet ex eâ parte cauſſam ſuam deteriorem aliquo modo facere videatur; re tamen verâ abſolutè loquendo negotium agit ſuum: dum enim copiam pecuniæ adducit ex commendationibus comparatam; commodiùs emit, & creditum auget, ac prætereà ex iis ipſis mercibus, quas Commendanti emit, lucrum eſt proportionatum habiturus: quæ omnia ſatis oſtendunt cauſſam Commendatarij abſolutè non fieri deteriorem. Vbi & inculcanda adducta regula, vt ſcilicet talis conſideret, quid ſibi à Commendatario faciendum vellet, ſi ipſe pecunias commendæ nomine tribuiſſet.

Aſſertio 4. Non debere ſibi meliora aſſumere.

216 Dico quartò: ſi Commendatarius non habeat in mandatis vt ſpeciales merces aſportet, & ille ſuâ, & Commendantis pecuniâ indiſcriminatim emat, non poteſt meliora genera ſibi poſteà applicare, aliis Commendanti reſeruatis. Huius probatio ex eadem irrefragabili regulâ deſumenda, & prætereà; quia hæc videtur eſſe ſic contractantium mens, neque vllus pecunias ſuas aliter traderet: hoc enim pacto non ſolùm Mercatorum facultates minuerentur, ſed & creditum vacillaret, dum apud eos merces tantùm vberiores inueniuntur. Nec dici poteſt eos ita eſſe debere contentos, quandoquidem domi ſui quieti reſident, cùm tamen Commendatarij magnis periculis exponantur: nam quidquid laboris in commendatariis eſt, iuſto præmio compenſatur, iuxta communem æſtimationem, vnde ſupra illud, non debent aliud ſibi aſſumere meliorum mercium electione. Non videtur tamen in hoc arithmeticâ vtendum neceſſariò proportione; & ſi Commendatarius curioſa aliqua, & ſuo ſpeciatim guſtui accommodata emat, velle in illis Commendantes partem habere; aliquantulùm enim eſt Commendatariorum laboribus, & periculis indulgendum. Vnde ſi circa hoc bonâ fide agant, non videntur ad reſtitutionem aliquam obligandi.

Limitatio quadam.

Aſſertio 5. In dubio fauorabilis interpretatio pro quo facienda.

217 Dico quintò. Si dubium incidat circa adminiſtrationem, in modo ſcilicet emptionis in remiſſione, aut aſportatione mercium, ex quibus damnum aliquod Commendanti ſubſecutum, pro Commendatario eſſe fauorabiliter iudicandum: tenent Socinus, & Deciſio Genuenſis, apud Heuiam *Cap.* 4. *citato*, *num.* 25. qui idem tenet; ſed hoc in foro externo procedit; quoad internum enim conſcientia Commendatarij conuenienda eſt; & ſi coram Deo non inueniat grauem culpam à ſe in negotiatione commiſſam, ad nihil ſe teneri poteſt ſibi probabiliter perſuadere. Si ergo ipſe dubitet, pro eo ſtat poſſeſſio, & regulâ receptiſſimâ ſe tueri poteſt de meliori poſſidentis in dubio conditione. Pro quo eſt ſententia Scriptorum, quos nuper adduximus, qui dicunt abſolutè non eſſe contra Commendatarium iudicandum, quod ſaltem in foro exteriori accipiendum eſt: non ex eo quòd verè poſſideatur aliquid, de quo dubitetur, an ſit reſtituendum, ſed ex poſſeſſione latiùs ſumptâ iuris, aut libertatis: ergo ſimiliter poteſt quis pro ſe in dubio tali iudicare, qui in tali poſſeſſione eſt; quia vt eſt communis Doctorum ſententia, forum conſcientiæ adæquandum eſt foro externo, quando huius diſpoſitiones non fundantur in præſumptione; quod in caſu præſenti contingit.

218 Dico

Digitized by Google

Aſſertio 6. De pecunia mutuò accepta ad negotiationem.

218 Dico ſextò: ſi neceſſarium ſit, pecuniam ad exportandas merces, cum lucro. ceſſante, aut damno emergente mutuam ſumere, debet Commendatarius mutuationis huius damna pariter cum Commendante ſentire. Solent enim aliqui vt ea, quæ ſua ſunt, curent, pecunias cum moderato damno recipere, & de aliis non ita prouidere, contenti tranſmittere illa, cum ingenti præmio pecuniis comparatis. Quod eſt ſane iniquum. Sicut ergo de mercibus ipſis dictum eſt *Aſſertione* 3. & 4. ita & de ſumptibus, ſic enim vellet ipſe erga ſua fieri, ſi Commendatario eam, quam ipſe modò habet, curam demandaſſet. Et ratio eſt clara: quia commendatio cum hoc onere ſuſcipitur, & idem inconueniens eſt circa

De ſumptibus.

ſumptus conductionis mercium, qui eſſe poterat circa ipſarum emptionem: ſic enim fieret Mercatori, adeò caras merces aduenire, vt nihil, quod momenti alicujus eſſet, lucraretur. Quod ſi dicatur carè habitas, carè etiã vendi ab illo poſſe. Id non ſatisfacit: nam cum commendarius merces non ita carè conſtantes exportarit, eas commodiori pretio diſtrahit, vnde & Commendans ad venditionem ſimilem compelletur. Pretium

Ratione illorum non ſemper poſſe pretium augeri.

enim mercium non augendum ex ſumptibus, qui per accidens, aut contingenter erga eas fiunt, vt communiter docent Scriptores, & videri poſſunt pro eo. P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 21. *num.* 29. vbi bene obſeruat ſumptus per infortunium, aut imprudentiam factos, non debere computari. Cardinalis Lugo *Diſput.* 26. *num.* 41. Bonacina *Diſput.* 3. *de Contractibus. Quæſt.* 2. *Puncto* 5. *n.* 29. apud quem Nauarrus, Couarruuias, & Patres Valentia, & Reginaldus. Iuxta hæc ergo ſit ſumptus cum proportione partiendos; quod ſi imprudentia grauiter culpabilis fuit, etiamſi illi ſint

Quæ culpa ad obligationem ſatis.

pro mercium exportationes indiſcriminatim facti, Commendatario eſt exceſſus adſcribendus. Et hoc juxta mitiorem ſententiam, alij enim leuiorem culpam ſufficere ad illud arbitrantur. Pro quo. Heuia *ſuprà numer.* 40. P. Oñate *Tomo* 2. *Diſputat.* 44. *num.* 98. & *ſeqq.* vbi plures textus non contemnendos adducit.

Aſſertio 7. Commoditatem Commendatario factam non eſſe obligationem cum Commendante partiri.

219 Dico ſeptimò: ſi Commendatarius facturus ſumptus, inueniat aliquem, qui propter amicitiam, aut alium reſpectum priuatum, ei pecunias, aut gratis, aut cum moderato lucro tradat, vt rebus ſuis prouideat, non tenetur commoditatem illam communem facere, ſed ſuâ fortunâ vti, & bona Commendantis vt potuerit tranſportare. Probatur: quia ſic tribuens, minimè Commendantis vtilitatem intendit, & eſt illud priuatum beneficium, quod eo ipſo non debet ex obligatione fieri commune. Quemadmodum ſi dominus nauis vellet cum ſpeciali commoditate merces Commendatarij tranſportare, non teneretur merces Commendantis præferre, aut earum partem cum parte ſuarum in eamdem nauim inferre. In quo quidem pro parte contraria ſcrupulus eſſe poteſt, quia cùm nauis Dominus commoditatem illam remiſſione pretij tantùm intendat amico conferre, contra eius voluntatem fit, aliena convehendo.

Difficultas ſpecialis, cum pecunia com-

220 Maior videtur eſſe difficultas, ſi quis pecuniam cum minori lucro tribuat Commendatarij intuitu, nihil de illius mercibus in ſpeciali cogitans, vt illæ ab aliis ſunt diuerſæ quæ ad commendam pertinent. An ſcilicet debeat ſic tribuenti rem totam aperire; & prætereà an poſſit id, quod ex ſumptibus minuitur, Commendanti imponere, & ſumptus integrè, acſi gratia ei nulla facta fuiſſet, computare. Et circa primum cum diſtinctione videtur loquendum: ſi

modum indifferenter accipitur.

enim pecunias tribuens ſcire præſumatur eum, cui tribuit, eſſe Commendatarium, quia communiter ſic nauigantes tales ſunt, non eſt neceſſarium ipſum de illo reddere certiorem, iuxta iuris regulam in *Sexto* 31. in quâ dicitur in hunc modum. *Eum, qui certus eſt, certiorari vlteriùs non oportet*. Si verò non ita præſumi queat, & aliæ circumſtantiæ non iuuent, certiorari oportet, quia circa donationem reſpectu alterius eſt inuoluntarius ex ignorantia, & ita redditur nulla donatio. Quemadmodum ſi quis ſecum adduceret puerum, & alius exiſtimans eum eſſe filium, ipſi donationem momenti alicuius vellet facere, teneretur amicus eum non eſſe filium declarare. Et quia tacens conſentire videtur, iuxta regulam etiam Iuris *ſuprà*, ad reſtitutionem teneretur. Nequit enim dubitari, quin taciturnitas illa fallaciam, & dolum contineret.

Cap. Eum, qui de reg. iuris

Ignorantia vt reddat nullam donationẽ.

Fallacia ex taciturnitate ceſſante quid faciendum.

221 Circa ſecundum autem: ſi fallacia dicta interfuit ob taciturnitatem, debet ſumptus integrè computare, quia cùm reſtitutio ſit facienda mutuanti, perinde eſt, ac ſi iuxta pretium communiter receptum tribuiſſet. Si autem gratia illi plenè facta eſt, videtur ſatis veroſimile eâ etiam debere Commendantem frui, quia pecuniæ ſine vllo diſcrimine ſunt tributæ: vnde putandus eſt ſic tribuens indirectè voluiſſe Commendanti gratificari ob reſpectum amici, vel ex gratitudine, eò quòd de amico vtilem ipſi confidentiam habuerit; vel ex eo quòd ſic velit eum ad vlteriores commendas prouocare. Vnde abſolutè negotium amici agit: ad quod etiam ſufficit velle ſe erga amicum beneuolum oſtendere, vt negotia ſua meliùs, & iucundiùs expediat. Vt cùm quis inuitat amicum, & propter eum etiam ſocium, quem ſcit non libenter relicturum. Aut cùm ferculum mittit, ex quo ſocium comeſturum nouit, non videtur autem oppoſitum improbabile; quia ea, quæ dicta ſunt *num.* 219. poſſunt aliqualiter applicari. Tenent quidem communiter Doctores eum, qui minori pretio aliquid emit, quàm ei fuerat conſtitutum, non poſſe partem illam pretij retinere; etiamſi poſſet ab vno emere, conſtituto pretio, & eo relicto, alium quæſierit; quia diligentia illa non extraordinaria, eſt debita in Mandatario fideli. Pro quo Doctores, quos adducit, & ſequitur Bonacina *Diſput.* 1. *de Reſtitutione Quæſt.* 2. *Puncto* 6. *num.* 14. Ex quibus addunt aliqui id verum habere, etiamſi vendens dicat ſe gratiâ illius minori pretio vendere. vt videri apud eumdem poteſt. Et tenet etiam Pharaonius *in Appendice Tractatus* 2. *Seſſione* 14. *Caſu* 16. Ex quo videtur fieri neque in caſu noſtro, id, quod Commendatario in gratiam eius tribuitur, poſſe ſibi retinere, quia negotium Commendantis agit, & ab amico petere mutuas pecunias cum ſpeciali commoditate nullam extraordinariam diligentiam continet.

Emens minori pretio non poteſt ſibi reliquum applicare.

Contrariũ eſſe probabile. Ex quo pro caſu præſenti.

222 Sed certè vt improbabile non debeat cenſeri oppoſitũ. *Primò* facit, quod limitationem illam, aut potiùs exaggerationem, quando diminutio

minutio pretij ſit in gratiam alterius non ab omnibus additur, vt quæ non omnino certa ſit. P. Azor. *Secundò* P. Azorium *Parte* 3. *Lib.* 8. *Cap.* 23. *de empto, & vendito*; in fine, eam addentem ita ſcribere: *Nec ſufficit ſi Mercator Caio dixerit: Ego tui gratiâ aromatum pretium minuo; quia idem dicere ſingulis emptoribus conſueuit. Immò nec ſufficit, ſi id dixerit, atque etiamſi iure-iurando confirmauerit.* Hæc ille: iuxta quem ex eo non poteſt ſic emens partem illam pretio ademptam retinere ſibi, quia Mercatores ſic dicere conſueuerunt: ergo quando veroſimiliter apparuerit non ex Mercatorum conſuetudine, ſed ex vero animo ita loqui, quod etiam res ipſa perſuadere poteſt, cùm conſtet alios cariùs vendere, diuerſa prorſus ratio eſt: & ita poterit ſic emens gratiæ illius commodum reportare. *Tertiò*; quia cùm conſtet de gratiâ tali, aliquis eius fructus debet in ementem redundare: cui, & non alteri vult is, qui vendit, commodum impartiri. *Quartò*; quia is qui rem illam accipit, ex eo quòd ſic appretiatam habet, vt ipſe voluit, & quomodo ab alio emi potuit, nihil habet minùs, quàm habere debuiſſet: ergo nulla illi fit iniuria. *Tandem*; ſi is qui emit, operam aliquam extraordinariam adhibuiſſet, & ſic minori pretio emiſſet id quod minùs in pretio fuit, ſibi poterat retinere, vt fructum induſtriæ, vt docent Auctores, quos adducit, & ſequitur Bonacina *ſuprà num.* 19. *Id certius cùm extraordinaria diligentia additur.* Atqui non minor ratio apparet ad huiuſmodi retentionem ob gratiam dictam; ergo poterit etiam ſtare. Minor oſtenditur; quia homines ita pretium remittere non eſt ordinarium in ipſis; & prætereà, quòd labore, aut merito amicitiæ id habitum ſit, differentia valde materialis eſt, & in ordine ad eum cui res emitur, nullius conſiderationis, quid enim eius intereſt, quod labore alterius pretium ſit imminutum, ſi ipſe integrum tribuit? Aut quid plus habet ob reſpectum mandatarij factam diminutionem? Eſt ergo, vt dixi, hoc probabilitate minimè deſtitutum. Pro quo facit doctrina P. Leſſij verb. *Reſtitutio*, *Caſu* 11. *in Reſolut. poſthumis*, vbi de ſolicitatore, in cuius gratiam gratis confertur officium. Nec de Commendatarijs plura, licèt addi alia poſſent; ſed ſunt illa adeò contra juſtitiam, & ita etiam contra rectæ conſcientiæ dictamina apertè militantia, vt non ſit pro illis neceſſaria diſcuſſio, ſed vnumquemque horum, vt iam admonui, ad tribunal conſcientiæ remittere; quod ſi fiat non erit cur debeant Conſulatus ſubſellia fatigari. De quo hæc ſatis.

TITVLVS X.

DE INDICIS MINERARIIS.

DE ijs inquam, quos *Mineros* dicimus, ſeu Hydrargyrios, *Azogueros*, eò quòd argento viuo ad argenti mortui perfectionem vtantur, de quibus non pauca in ſuperioribus dicta, quæ dabit Index verbo *Minerarius*. Nunc addidiſſe aliqua non fuerit leuis operæ pretium, licèt breuiter differenda. Pro illis enim regula illa, de quâ *Titulo præcedenti num.* 206. ſatis ſuperque eſſe poſſet, quoad conſcientiæ negotium. Si quid autem bonâ fide actum contradici contingat, ad Minarum erit Iudicem recurrendum: vel etiam ad Regia Prætoria, ſi res maioris momenti ſit, juxta ſpeciales leges, quæ pro Minis extant, iudicium expectandum. Quia verò ab iſtis multa fiunt, circa quæ eſſe dubitatio nequit, & ita neque diſputatione opus pro eiſdem, enumerando potiùs, quàm diſputando, ea ſtatim proponemus, ne ſi prætereamus taciti, probare aliquomodo videamur. Sit ergo pro illis

CAPVT I.

Enumerata quędam in quibus Minerarij manifeſtè delinquunt.

Minerariorū delicta. 2 *Primum.* PRimò: qui vt inueniant Minas, Indos conſulunt, etiamſi illos ad illarum detectionem vſuros ope dœmonis ſuſpicentur; circa quod videri poſſunt à nobis dicta *Titulo* 5. *num.* 67. *& ſequentibus.*

Secundò: qui ad manifeſtationem Minarum Indos magnis pollicitationibus etiam iuratis pertrahere conantur, cùm tamen nihil minùs cogitent, quàm earum impletionem. *Secundum.*

Tertiò: Indos pro extorquendâ tali manifeſtatione vexantes, non precibus importunis tantùm, & minis, ſed durâ, & aſperâ tractatione. *Tertium.*

Quartò: qui Indos inuitos ſecum adducunt, vt ſeruiant in Minerarum conquiſitione, juſtum ſtipendium negantes, & ſatisfactionem pro defectu erga res proprias, à quarum ſunt curatione remoti. *Quartum.*

Quintò;

Quintum. Quintò: qui vanæ cuiuſdam ſpei dulcedine allecti, per montes, & colles vagantur, & præceptum annuæ Confeſſionis, & Paſchalis Communionis non implent.

Sextum. Sextò: ad laborem conquiſitionis dictæ ſuſtinendum, furantes mulas, & fortè alia, ab itinerantibus, aut propiùs degentibus, exiſtimantes debere omnia metallico numini deſeruire, & reſtitutionem in tempus magnæ fortunæ, quam ſibi ſomniant, differentes.

Septimum. 3 Septimò: qui ex Minis ab aliis inuentis metallum extrahunt, & præuenientes eos ad Regios Officiales regiſtrandum adducunt, contendentes ſe in aſſignatione partis per leges faciendæ eſſe veris inuentoribus præferendos; & vt id plenè non obtineant, magnâ tamen ex parte aſſequuntur, vnde illi non parum ſuorum laborum fructu defraudantur; quod cum Indis inuentoribus poteſt frequenter accidere.

Octauum. Octauò: ad laborandum in Minis Indos minis, & fraudibus capientes. In Potoſinum oppidum, aut aliud ex maioribus veniunt iſti, alibi Minas habentes. Hoſpitium eligunt, in quo plura cubicula *Canchas* dicunt. In forum exeunt, & comeſtibilia aliqua ementes, Indum ex adſtantibus, vt ea in domum exportet, dato pretio conducunt. Vadit ille, & vbi primùm ingreſſus, clauditur, vinculatur, ſic capiuntur alij donec optatus numerus compleatur. Completo ergo ad eductionem, & tranſportationem patrocinio noctis vtuntur. Sic miſeri illi Minarum laboribus applicantur, ſine ſpe exitus; vt verò aliquale habeant in illis ſubſidium, de fœminis, quæ cibum parent, & ad alia ſubſeruiant, prouidetur: quibuſcum illi maritali ritu viuunt, vxores ſuas compellantes: cùm contingat non ſemel eſſe illos vxoratos, & iterum in facie Eccleſiæ contrahere. Hæc quidem non vidi, audiui tamen à fide digniſſimis: etſi ita res habet, quid miramur Indicarum diuitiarum infortunia frequentia, & hoſtes noſtros ſpolijs pretioſiſſimis, & numeroſiſſimis exultantes? Ad quæ quidem ſi ſcire contigerit, Regum noſtrorum pietas ingemiſcet, & remedium perget præſentiſſimum adhibere: neque ego aliud inuenio, niſi generalem viſitationem per Miniſtros integerrimos faciendam; amandatis longiùs, dum ea fit, Minarum dominis, etiamſi aliquid de Regiis ſit iuribus minuendum. Quod enim eâ ratione minùs fuerit, maiorum theſaurorum copiâ diuina liberalitas compenſabit.

Nonum. 4 Nonò: qui Indos diebus feſtiuis laborare compellunt, ſi præſertim Miſſam non permittantur audire, quod de diebus, quæ pro ipſis de præcepto ſunt, præſertim accipiendum, de aliis, quæ pro Hiſpanis quidem de præcepto ſunt, non verò pro ipſis, quid cenſeri debeant dicendum *inferiùs*.

Decimum. Decimò: Compellentes item ad laborandum taliter, vt dici de illis Propheticum illud queat. *Laſſis non dabatur requies.* In quo genere inhumanum eſt eos, qui viribus valde impares ſunt in laboris penſo pariare. Vnde & horas laboris *Indorum indoles peculiaris circa laborem.* deſignat ordinatio Minarum *Titul.* 10. *num.* 2. & 3. ſicut & nimis vrgere: Indi enim eo ſunt ingenio, vt vrgeri non debeant, ſed ſuo laborandi mori relinqui, iuxta quam paulatim multa perficiunt, à quibus tamen ſi vrgeantur, abſcedent, vel ſi abſcedere nequeant, conſumentur.

Vndecimum. Vndecimò: vltra deſignatum ſeruitio tempus detinentes inuitos, & eodem ſtipendio velle eſſe contentos, quod pro iis, qui ad Minas mittuntur, Regiis eſt legibus conſtitutum ſtipendium illud pro tempore deſignationis; cùm valde exiguum ſit, vt aliàs expendimus, non caret ſcrupulo; tolerandum id tamen, quia ſic eſt judicio prudentium judicatum. Vltra tempus autem detentis *Notanda circa illorum ſtipendium.* manifeſta iniuria fit, ſtipendij defraudatione, quod voluntariis operariis datur, & eſt multò maius; & neque illud eſt proportionatum, quando etiam labori violentia adiungitur, pro quâ etiam ſpecialis eſt debita ſatisfactio: facienda numquam: Proh dolor! ſed erit, erit, quando iſti vſque ad nouiſſimum ſunt quadrantem redditurі.

Duodecimum. 5 Duodecimò: Duplas, aut gratis, aut pretio accepto tribuentes; vocantur autem duplæ labores nocturni Indorum, qui cùm per diem domino Minæ laborauerint, coguntur laborare per noctem alteri, cui extractio metalli conceditur. Cuius coactionis inhumanitas ſtatim apparet. Neque honeſtatur illa adiectione pretij, qui iuxta pretium diurni laboris eſſe ſolet: quod eſt prorſus iniquum; diurni enim laboris pretium pro laborantibus deſignato ſibi tempore, exiguũ valde eſt, vt nuper dicebamus. Et ad illum ſolum- *Et ſpecialiter pro Duplis.* modo obligantur: circa nocturnum autem laborem taxatio ſtipendij non currit, vnde aliter exæquandum, & multiplici ex capite redditur augendum; videlicet, quia labor eiuſdem generis cùm diurno; quia maioris moleſtiæ, eò quòd nocturnus, & quia diurno ſuccedens, necnon quia coactè laboratur. Quæ quidem à Confeſſariis oportet aduerti, vt ſi aliquorum ex iſtis Deus tetigerit corda, quid ſui ſit muneris agnoſcentes, eidem non deſint, prædictorum conſcientias tot contractis oneribus releuantes, & horæ quidem laboris per legem habentur definitæ: de quo Ordinatio *Titulo* 10. *num.* 2. & 3. vt iam dictum.

Decimumtertium. 6 Decimotertiò. Accipientes pecuniam à multis ſoluendam argenteis pinnis cùm ſciant non omnibus ſuffecturos, & ſe non eſſe pro ſolutione grauandos, ob priuilegia quibus in ordine ad iſta Minerarij perfruuntur.

Decimumquartum. Decimoquartò. Sumptus exceſſiuos facientes conuiuiorum oſtentatione, quibus multos vagos homines Reipublicæ turbatores excipiunt, vnde ad ſoluendum inualidi reperiuntur.

Decimumquintum. Decimo quintò Accipientes Indos deſignationis, & eos aliis tradentes pretio ad rationem ſtipenndij voluntariorum, de quo dictum *ſuprà Tit. præced. Cap.* 6.

Decimumſextum. Decimoſextò. Vtentes famulis acerbis, crudelibus, inhumanis, vt ferueat opus, & de modo, quo Indi tractantur, minime curantes.

Decimumſeptimum. Decimoſeptimò. Argenteis pinnis vile aliquod, & ponderoſum intrinſecùs admiſcentes pondere argenti vendendum.

Decimumoctauum. Decimooctauò. Pinnas non exactè depurantes, vt argenti viui non nihil reſideat, vt maius ſit pondus faciat pretioſiores.

Decimumnonum. 7 Decimononò. Compellentes ad laborem Indos, qui morbo ſe correptos affirmant, quamuis

tis ille non ſit viſibilis, debet enim eis eredi, quia non ſunt ſoliti morbum ſimulare: erit autem inhumanius, ſi morbi appareant ſigna, & ad laborandum compellantur: vel ſi exigatur ab eis, vt alios pro ſe ſubſtituant, vel ad conducendos pretium ab eiſdem extorqueant, qualecumque illud ſit, vel ſi ante recuperatam integrè valetudinem ad laborem reducantur.

Vigeſimum Vigeſimò. Ad Minas auri pertrahentes Indos, quos inſalubre cœlum in vitæ diſcrimen conſtat adducere; ſolet enim illud in regionibus calidioribus inueniri.

Vigeſimum primum. Vigeſimoprimò, Gentilitios ritus, & ſuperſtitioſa aliqua illis permittentes, vt lubentiores habeant.

Vigeſimum ſecundum. Vigeſimoſecundò. Qui in deſignatione partis Regi applicandæ iuxta legum diſpoſitionem, cùm noua Mina detegitur, iurant eam eſſe ex venâ locupletiore, & fructuoſiore, cùm reuera ita non ſit.

Vigeſimum tertium. Vigeſimotertiò. Qui iurant aliquos ſecum in conquiſitione Minarum fuiſſe, vt eis pars earumdem aſſignetur, cùm tamen reuerà non fuerint. An autem ex hoc reſtitutionis onus incumbat, videndum *inferiùs*.

Vigeſimum quartum. 8 Vigeſimoquartò. Qui cùm præconizantur Minæ, vt veniant, qui emere velint, curant nullum talem accidere, vt ita ipſi ampliores in ea partes habeant, in quibus aut laborare ſuo nomine faciant, aut aliis vendant, iuxta Proregias ordinationes.

Vigeſimum quintum. Vigeſimoquintò. Qui licentiam petentes ad ferenda arma prohibita titulo veſtigatorum Minarum, iurant ſe eiſdem non malè vſuros, ſed tantùm in ordine ad licitam veſtigationem; cùm tamen animum habeant vtendi illis pro libito ad fas, & nefas: & ſacrilegium etiam in eorum vſu committitur.

Vigeſimum ſextum. Vigeſimoſextò. Tollentes ſigna limitanea Minarum, vt ſuas amplificent, cum detrimento vicinorum, contendentes terram eſſe communem. In quo quidem non minùs peccant, quàm illi, qui prædiorum ſuorum terminos tranſgrediuntur, vt quæ aliorum ſunt ſibi vſurpent. Pro quo extant ſeueræ leges & idem eſt cùm effodientes propriam venam, ad alienam pertingunt, ſi in illius effoſſione procedant: quam improbi-

Georgius Agricola. tatem obſeruauit, & expreſſit Georgius Agricola. *de re Metallica libr.* 1. verbis illis: *nam improbi quidem homines venulas proximas, venis effuentibus aliquo metallo fodientes, in alienam poſſeſſionem inuadunt*. Sic ille.

Vigeſimum ſeptimum. 9 Vigeſimoſeptimò. Qui Minarum ſemitas, vt leges præſcribunt, non aptant, vt per eas ſecurè, & inoffenſè poſſit ambulari, & moleſtia laborantium minui, & pericula præcaueri. In quo quidem etiamſi leges deeſſent aliæ, vnius charitatis, & iuſtitiæ legis ſatis ſuperque ſufficerent.

Vigeſimum octauum. Vigeſimooctauò. Diruentes pontes intra Minas fabrefactos ex eadem terra metallica, vt metallum extrahant, nihil de periculo ex earum demolitione curantes.

Vigeſimum nonum. Vigeſimononò. Non curantes vt ſcalæ Minarum tales ſint, quales leges exigunt: ex quo, aut maior in labore moleſtia proueniat, aut ſpeciale periculum timeatur.

Trigeſimũ. Trigeſimò. Qui ſocium habens in Mina, & de ſumptibus interrogatus, plures iurat fuiſſe, quàm re ipſa fuerint; quod iuramentum in caſu ſpeciali leges requirunt, de quo Dom. Eſcalona *Part.* 2. *lib.* 2. *pag.* 115. *num.* 4.

Trigeſimoprimò. Extrahentes metalla, nec ſoluentes partem per leges taxatam domino maioris foſſuræ, vulgò *Socabon*, qui in eo efficiendo copioſam pecuniam expendit, volentes alienis laboribus ſine iniuſtâ recõpenſatione potiri. *Trigeſimũ primum.*

10 Trigeſimoſecundò. Qui durante lite circa Minam, poſt ſecundam ſententiam ob appellationem interpoſitam, & fideiuſſione datâ de non defraudandâ parte, quæ in poſſeſſione non eſt; nihilominùs metalla occultat, & contrarium poſteà iuramento confirmat. *Trigeſimũ ſecundũ.*

Trigeſimòtertiò. Qui, cùm eorum Minæ venduntur, non manifeſtant debita coram Tabellione, qui venditionis acta confecturus aſſiſtit, vt lege præſcribitur, de quo citatus Auctor *ſuprà pag.* 122. *numer.* 6. id enim in graue creditorum detrimentum cedit. *Trigeſimũ tertium.*

Trigeſimoquartò. Volentes vti priuilegio Minerariis conceſſo, de quo dudum citatus *n.* 7. & 9. vt non ſoluant debita contracta ante Minarum, aut Ingeniorum emptionem. *Trigeſimũ quartum.*

Trigeſimoquintò. Qui in venditione aut emptione Minarum enormiſſimam læſionem inferunt, eo prætextu, quòd illa non poteſt iudicialiter allegari, de quo idem *pag.* 123. *numer.* 11. quod & de enormi pariter aſſerendum. *Trigeſimũ quintum.*

Trigeſimoſextò. Deſmontium emolumenta impediens, quibus vti omnibus permittitur ſub quibuſdam limitationibus. *Tit.* 10. Ordinationum. *num.* 1. *Trigeſimũ ſextum.*

11 Trigeſimoſeptimò. Qui Indis penſum certo reddendum imponunt, cùm non debeant, ſi voluntarij ſunt, niſi quantùm commodè potuerint, laborare. *ſuprà num.* 6. *Trigeſimũ ſeptimum.*

Trigeſimooctauò. Cogentes Indos ad labores alios præter eos, pro quibus deſignantur. *Trigeſimũ octauum.*

Trigeſimo nonò. Qui fornaces pro depurando per ignem argento ab hydrargyro, non habent ſeparatas à domo beneficij quod vocant, vnde ex fumo hydrargyrico graue in Indos venire damnum poſſit, *ſuprà num.* 9. vbi & alia pro damno iſto vitando prouidentur. *Trigeſimũ nonum.*

Quaterdecimò. Qui Indo ſua culpa ex fumo prædicto, pro quo eſt etiam Ordinatio. 10. grauiter damnificato deſignatam ſatisfactionem non tribuit, de qua *ibidem*, vbi de ſpecialibus præcautionibus in ordine ad damnum prædictum euitandum. *Quaterdecimum.*

Quadrageſimoprimò. Qui in modo ſolutionis non ſeruant id, quod lege ſtatutum eſt, ſi in vſu ſit; nam aliqua non videntur eſſe in vſu; vt quod ſolutio fiat in metallo Indis effoſſoribus, de quo *num.* 12. *Quadrageſimum primum.*

Quadrageſimoſecundò. Non ſoluentes ſtipendiũ Indis diebus, quibus non laborant, quando per eos non ſtat, ſed ex malâ rei gerendæ diſpoſitione. *n.* 13. vbi & alia. *Quadrageſimum ſecundum.*

12 Tandem, qui generaliter loquendo ſtipendium iuſtum labori Indorum non præbent, ſecundùm varia eorum miniſteria. Et per antiquiores Ordinationes valde exigua pro aliquibus eorum inueniuntur aſſignata; quæ tamen poſteà attentiori conſideratione ſunt aucta. Vnde gra- *Circa ſtipendium Indis reddendum diſcurſus peculiaris, & irrefragabilis.*

Digitized by Google

uiter peccant, qui ad priores Ordinationes prouocant, cùm debeant poſterioribus adhærere; quæ quidem ex eo pretium auxerunt, quia prius illud omnino improportionatum eſt deprehenſum. Pretium autem lege ſignatum in indiuiſibili conſiſtere communis Theologorum, & Iuriſperitorum ſententia eſt, & circa hoc deberent profectò Minerarij ſuæ ipſorum meminiſſe querelæ circa obligationem quintæ partis ſoluendæ Regi: aiunt enim proceſſu temporum res nimiùm variatas, & earum pretium excreuiſſe, ac proinde ſumptus in Minerarum negotiatione multò eſſe maiores, & ita moderandas penſiones. Cùm ergo hoc etiam reſpectu Indorum contingat, qui multa etiam emere opus habent; cur non etiam de augendo ſtipendio poſſint meritò poſtulare? Olim plures, vnde & labor minor: modò pauci, vnde & maior labor idemtidem repetitur. Olim Indici rudiores, nunc ſcioli, paucorum pridem bonorum domini, nunc ampliorum, iuxta eorum tenuitatem. Ex quo minùs ad ſeruiendum obnoxij debent reputari; vnde & conſequenter ſeruientibus, cùm liberi penitus ſint, maius debet laboris ſtipendium aſſignari. Qui diſcurſus omnium rectè ſentientium regulis in materia iſta confirmatur. His ergo, quæ omnino ſunt certa, præmiſſis, ad quæſtiones non ita certas tranſeamus, pro quibus ſit

CAPVT II.

Vtrum Ordinationes circa detectionem, & iuridicam manifeſtationem Minarum, obligent in foro conſcientiæ.

Aſſertio 1. Ordinationes pro Minis in conſcientia non omnes obligare.

13 SVnt equidem illæ multæ, de quibus D. Eſcalona, *Libr. 2. Part. 2. pag. 104. & ſeqq.* & pro iis generaliter loquendo

Dico primò. Ordinationes, quæ aliquid diſponunt, in quibus neque ius Regis violatur, neque tertio ius quæſitum adimitur, non obligant in conſcientia. Probatur *primò:* quia non eſt indicium talis obligationis, aut ex voluntate legiſlatoris expreſſâ, aut ex materiæ grauitate, quam ſolam non ſufficere graues Scriptores tenent, vt dictum à nobis non ſemel; vel quia ſi in conſcientiâ non obligaret, nullius eſſet momenti ad rem bono communi valde conuenientem: nam in primis multæ ex dictis Ordinationibus magni momenti non ſunt. Quòd enim intereſt quòd Minæ poſt triginta dies, & non poſt quadraginta regiſtrentur? Et vt aliquid profectò interſit, id non videtur ſufficiens ad conſcientias, & præſertim reatu lethalis criminis, onerandas. Deinde etiamſi magni momenti ſint in ordine ad temporales vtilitates, non ſunt tamen tales, vt ex earum tranſgreſſione quidquam circa mores periculoſum immineat, aut turbationem Reipublicæ, vel periculum aliud eiuſdem inducat. Ad hoc autem vt finis illius obtineri poſſit, ſatis eſſe poteſt gubernantium ſolicitudo, qui tranſgreſſores puniant, & fructu laborum ſpolient. Et ex hoc probatur *ſecundò.* Nam Ordinationes iſtæ pœnam ſtatuunt in tranſgreſſores, vnde iuxta multorum ſententiam non obligant in conſcientia. *Tertiò:* obligatio in foro animæ eatenus imponi poteſt, quatenus forum externum circa rem præceptam difficilè verſari poſſit: vnde oportuit vnumquemque ad agenda, quæ leges ſtatuunt, in ſecreto compelli: quâ ratione multi de veſtigalibus philoſophantur: atqui hæc ratio in caſu præſenti locum non habet, quia Minarum detectio nullo modo occultari poteſt, vnde neque ij, qui gubernant, ſuo circa illas officio deeſſe, vt detectorem agere pro libitu ſinant. Ergo obligatio in foro animæ neceſſaria non eſt.

Notanda ratio circa legum in conſcientia obligatione.

Aſſertio 2. Obligare quæ ad ius Regis ſpectant, & qualiter explicandum.

14 Dico ſecundò. In iis, quæ ad ius Regis ſpectant, ordinationes dictæ poſſunt in conſcientiâ obligare: quod tunc accidet, quando Rex ob illarum violationem intereſſe aliquod magni momenti amiſerit; quod enim tale non eſt, non videtur curandum in re iſta, in quâ de terrâ agitur non palmis, aut pedibus menſurandâ. Probatur; quia Minæ ad Regem ſpectant: ergo non debet in earum diſpoſitione læſionem grauem ſuſtinere. Antecedens conſtat ex dictis, & conſequentia eſt legitima: vnde ſi pars illa, quæ in Minis proximior parti detectoris debet Regi aſſignari, parùm vtilis ſit, grauiter peccatur cõtra juſtitiam, & non tantùm contra religionem ob juramenti falſitatem; & idem eſt ſi vena diues dicatur pauper, vt viliùs ematur. Et ſic de aliis, in quibus eſt detrimentum manifeſtum. Non videtur autem tale, ſi quis detector affirmet amicum fuiſſe detectionis ſocium, licèt ex eo ſequatur partem Minæ gratis habiturum: ſicut enim eum vocare poterat, vt in conquiſitione juuaret, ita & vocare in conſortium felicitatis poteſt, vt ſit hoc diligentiæ adeò Regi proficuæ præmium. Videtur item id facere poſſe pretio accepto, quando id in Regiam vtilitatem cædit, vt ſi detector ſit pauper, vt eſſe ordinariè ſolent, nec habens ea, quæ ad laborandum in Minâ neceſſarium eſt, ex quo Regia vtilitas impedietur; promouenda ſanè ſubſidio illo pecuniæ ob conſortium affirmatum. Quidquid de periurio aut mendacio ſit, ex quibus contra juſtitiam nihil reſultat.

Aſſertio 3. Idem ſtatuens de ſpectantibus ad ius tertij.

15 Dico tertiò: ordinationes, quæ diſponunt aliquid in ordine ad jus tertij ſeruandum, obligant grauiter in foro conſcientiæ. Ratio eſt obuia; quia in earum violatione contra juſtitiam peccatur. Tales ſunt aliquæ, de quibus *Cap. Præcedenti.* Et illæ, quæ de Indis Minarum detectoribus loquuntur, vt videri poteſt apud citatum Eſcalonam *pag. 105. num. 3.* Cùm enim Minas etiam habere poſſint, non niſi violatâ iuſtitiâ ab illis excluduntur. Similiter, qui extraneos remouet, cùm illis hæc ſit conceſſa facultas, vt apud eumdem *Pag. 106. num. 7.* Item quæ de præconizatione Minarum procedit, vt non ſe intromittant, qui poſt illam acceſſerunt, iam enim aliis jus quæſitum *Titulo 1. Ordinat. num. 12.* Illa etiam quæ eſt *Titulo 2. numer. 1. & 2.* circa partes, in quibus exceſſus menſuræ fuit, & per iudicis ſententiam ſunt aliis adiudicatæ, nequeunt enim contra illorum voluntatem retineri, niſi aliquid ſpeciale occurrat, ratione cuius forum conſcientiæ poſſit probabiliter foro animæ non conformari.

Talis

Digitized by Google

Talis inſuper illa ex *Titulo 6.n.1.* de concedendo introitu per Minæ portam ad Minas alias ingredi volentibus; & ſic aliæ.

Aſſertio 4. ſimilis circa Indorũ damna, aut aliorũ, & tantùm eſſe obligationem naturalem.

16 Dico quartò: ordinationes, quæ circa vitandā Indorum damna, & aliorum forſitan extant, obligant grauiter in foro animæ: de iis nonnullæ *Capite præcedenti* ſunt indicatæ, & ratio obligationis eſt perſpicua, vbi quidem leges charitatis, & juſtitiæ vrgent; neque ratione ciuilis præcepti videtur ſpecialis malitia in tranſgreſſione contrahi, quia præceptum tale ſolùm deſeruit ad obligationem naturalem, quæ aliàs inſtat, declarandam: neque enim vt *numer.* 13. dicebamus, vllum eſt indicium auctæ obligationis, neque opus fuit addi illam, quandoquidem jam erat, & ſatis premens, & ita non debuit nouus laqueus apponi conſcientiis minime timoratis.

CAPVT III.

De conquirentibus Minas in fundis alienis.

Duæ circa conquirentes Ordinationes.

17 Circa hoc ſunt duæ priores Ordinationes *Tituli* 1. Prima pœnam imponit reſiſtentibus conquiſitioni dictæ in terris Commendæ agriculturâ exercitis, paſtioni deputatis, & ſimilibus. Secunda de volentibus conquirere in vineis, aut arboretis, & his fideiuſſio imponitur de damno compenſando. Quod ſi Minæ diuites euaſerint, vnum pro centum domino reddendum. Si verò conquiſitores fundum emere voluerint; nullum illis tributi onus relinquitur: nequit autem ad venditionem compelli, niſi ob Minarum proſecutionem. Quâ ceſſante, venditum poteſt fundum repetere pretio redhibito. Regiſtrationis autem tempore debet domino fundi pars Minæ adiudicari, ſexaginta vlnarum; neque illa pro parte eſt pretij computanda, circa hæc:.

Aſſertio 1. non poſſe ſine graui peccato cõquiſitioni reſiſti.

18 Dico primò. Peccat grauiter, abſolutè loquendo, qui Minarum conquiſitioni reſiſtit. Conſtat; quia Ordinationi Regiæ in bonum commune promulgatæ nequit tutâ conſcientiâ reſiſti. Pro quo eſt illud D. Pauli *Rom.* 13. *verſ.* 2. & 3. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt: nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali.* Dixi *abſolutè loquendo*; quia multoties occurrere poſſunt rationes, propter quas poſſit conquiſitio talis impediri: vt ſi conquiſitores homines ſint occupationi iſti iam diu vacantes, & fruſtrà, vnde pro ridiculis habentur; meritò tales poſſunt ab huiuſmodi occupatione repelli, & curari, vt ad ſanam mentem reducantur, ſomnia potiùs, quàm vera iudicia ſecuti.

Rom. 13. v. 2. & 3.

Limitatio quædam.

Aſſertio 2. quid circa conquirentes in vineis.

19 Dico ſecundò: quod de vineis dicitur, videtur extra rem, quia vbi vineæ proueniunt, neque auri neque argēti Minæ eſſe poſſunt. Vnde volētibus in illis conquirere meritò poteſt reſiſti, quia malitioſè videntur procedere, aut inſcienter. Idem etiam ferè de arboretis fructiferis dicendum, & ita prudenter ordinatio cauit de fideiuſſione damnorum. Legendus Plinius *Lib.* 33. *cap.* 4.

Aſſertio 3. circa compulſionem ad venditionem fundi.

Dico tertiò: ſi inuenienti Minam in fundo alieno non obſtet domini eiuſdem fundi poſſeſſio, non debet per poteſtatem publicam ad venditionem compelli: vnde quod dicitur. *Sino fuere para ſeguir las minas*, ita eſt intelligendum, vt poſſeſſio prioris domini obſtet proſecutioni. Ratio autem eſt clara; quia nemo poſſeſſione proprij fundi etiam à Rege poteſt expelli, niſi quatenus illa communi bono obſtare conſtiterit. Quia ſecus circa vineam Naboth res ſe habebat, Regi Achab ad voluptatem, & non ad neceſſitatem, arridentem, etſi impiiſſimus, non tamen eſt auſus, etiam dato pretio illius, vſurpare. De tragædiâ autem hac occaſione excitatâ copioſè agitur 3. *Reg.* 21. vnde & ſcriptores communiter ita, vt dogma certiſſimum ſecuti, pronuntiant.

Aſſertio 4. de penſione vnius pro centum.

20 Dico quartò. Penſio vnius pro centum, ita eſt accipienda, vt non debeant deduci expenſę, ſed juxta modum ſoluendi quintum, & decimas, & communem penſiones ſoluendi rationem.

Aſſertio 5. obligare in conſcientiæ foro.

Dico quintò: obligatio ſoluendi illam eſt grauis in Conſcientiæ foro. Probatur; quia eſt pretium oneris impoſiti, & ita ex juſtitiâ: ſi dicas damna perſolui. Id certè non ſatisfacit, quia præter damna, amiſſionem ſcilicet fructuum ex euulſis plantis aliiſque, inducta eſt ſeruitus pretio æſtimabilis, & incommoda multa, quæ facilè poſſunt peruideri. Item quia Minæ ſunt Regis, & eas cum eo onere effodiendas concedit, ad quod ſe obligant Conquirentes.

Aſſertio 6. ordinationē in pago etiā Eccleſiaſticorū habere locum.

21 Dico ſextò: ſi pagus, in quo Mina eſt conquirenda, ad Eccleſiam pertineat, veroſimile eſt poſſe ſimiliter circa illum procedi. Quod ex eo probatur: nam terra cum eo onere tranſit, & cum eo ab Eccleſiaſticis acceptatur: neque enim debent illi bono communi ſe opponere, cùm præſertim ex conquiſitione tali nullum ipſis ſit damnum ſuperuenturum, immò magnum poſſit emolumentum prouenire, expenſione, & parte Minæ, quam, etſi per ſe exercere nequeant, poſſunt tamen vendere, & redditus in eâ conſiderabiles conſtituere. Quamuis hoc minùs conueniens ſit ob Minarum fallentias, & ita venditio ea commodior accidet, quæ pecuniâ conſtiterit numeratâ, aut poſt ſpatia non longa ſecurè perſoluenda, ſed hoc ij, ad quos ſpectabit, pro re nata poterunt meliùs arbitrari.

CAPVT IV.

Minarum pretium quomodo computandum.

Ordinatio circa non allegandā enormiſſimam læſionem, & illius fundamentum, & obligatio.

22 Ex dictis *Cap.* 1. *verſ.* 35. habetur in venditione Minarum non poſſe læſionem etiam enormiſſam allegari. Cuius ratio eſſe videtur quia per lites ſolet opus iſtud adeò vtile impediri, & ita quod ad hoc ſpectat, conſcientiæ contrahentium remittitur: neque enim credendum eſt leges velle iniuriis patrocinium exhibere; & præterea pretij juſti exactior æſtimatio difficilis probationis eſt: Mina enim numquam quid intra ſe contineat, oſtendit; venæ namque fertiles viſæ, ſolent quandoque langueſcere, & vel finiri, vel vix ſumptus æquatura præbere. Et aliquando è contrario accidit, diuitiis non ſperatis: vnde ex eo, quòd poſt venditionem deprehenditur, non poteſt enormis læſio probari; quandoquidem venditio juxta præſen-

Digitized by Google

præſentem æſtimationem rei venditæ debet celebrari, & non ex euentu, qui varius eſſe poteſt, & cui ſe, qui emit, & qui vendit, ſe exponunt, vt eſt communis doctrina, in iacturetis, in ſponſionibus, aſſecurationibus, ludo, & aliis comprobata.

Non videri talem eſſe poſſe, cùm pretium quodlibet videatur iuſtū, ſicut in contractibus pluribus.

23 Ex hoc autem videtur deduci in venditione huiuſmodi non poſſe locum habere enormem, vel ſaltem enormiſſimam læſionem, cùm enim adeò incertùm ſit, quod ex Minâ ſperare quis poteſt, non apparet vnde talis læſio accidere poſſit, & ita quouis pretio poteſt obtineri, & hoc quidem magis conforme diſpoſitioni legis, de quâ dictum: ob incertitudinem namque latentium diuitiarum rectè iudicare potuit quodlibet pretium eſſe iuſtum, circa quod partes ſcienter & prudenter conuenerunt. Et circa aliqua modum hunc venditionis, vt quodlibet pretium cenſeatur iuſtum, circa quod partes conueniunt, communis ſententia firmat in venditione ſub hasta, de quâ dictum aliàs, & valdè etiam probabilis in rebus multis, quæ non ſunt vitæ humanæ neceſſariæ, ſed ad voluptatem, aut ornatum ſeruiunt, ob peregrinitatem æſtimabiles. Sic enim ſentiunt, Sotus, & Nauarra, apud P. Leſſium *Lib.* 2. *Cap.* 15. *num.* 15. & alij. Quod & probant Belgici Turipani. Quod ergo in his, & aliis licet, ſaltem probabiliter, poterit etiam in Minarum venditione licere. Pro quo

Aſſertio 1. idem affirmans in prima detectione.

24 Dico primò. Circa venditionem Minarum cùm primò deteguntur, iuſtum pretium cenſeri probabiliter poteſt illud, circa quod contrahentes conueniunt, ſublatis dolis, & fraudibus. Hoc videtur ex nuper dictis ſufficienter perſuaderi.

Aſſertio 2. circa alias negans pro foro conſcientiæ.

Dico ſecundò: ſi Mina iam cognita ſit, & iuxta peritorum iudicium illius valor ſit definitus, enormis in eo læſio non licet pro foro animæ. Probatur ex dictis *ſuprà Titulo* 4. *num.* 219. circa rerum pretium, & deinde, quia iuxta communem æſtimationem Mina hæc tantùm valet; ergo varians notabiliter pretium, lædit etiam notabiliter, & ita iuſtitiam notabiliter violat. Præterea; ordinatio non obſtat quia iuxta illam dolus nequit alligari: atqui dolus in conſcientiâ non licet, neque ex eo quiſquam commodum reportare poteſt, & licet certa regula ſit, quæ inter alias Iuris *in Sexto*, ait, ſcienti & conſentienti non fieri iniuriam neque dolum. *Eſt.* 25. qui tamen dolo ad conſentiendum inducitur, non eſt dicendus conſentire, quia ignorantia facit inuoluntarium; non ergo ordinatio ad forum conſcientiæ debet extendi: ſicut neque ea, quæ Doctores circa modos alios venditionis dicunt, quia in illis ſpecialis ratio eſt, quæ in præſenti non occurrit; & vt occurrere diceretur, deberet eorum auctoritate fulciri, quia eſt exceptio communis regulæ; cùm tamen nihil tale contingat.

Obiectio vt ratio vtriuſque Aſſertionis ſit eadem.

25 Dices in caſu prioris Aſſertionis rationem eamdem occurrere; quia etiam in eo datur communis æſtimatio; iudicio enim peritorum habetur quid Mina recèns inuenta promittat. Cùm ergo eo non obſtante, poſſint contrahentes ſibi legem circa pretium ſtatuere, quod regula Iuris admittit in Sexto, dum ſic habet: *Contractus ex conuentione legem accipere dignoſcuntur*: videtur idem in Caſu Aſſertionis ſecundæ dicendum.

Fit illi ſatis congruâ ratione, & exemplis.

Ad quod dico inſtantiam non vrgere; quòd ſi vim aliquam habet, è conuerſo potiùs arguendum, vt ſcilicet in caſu priori etiam poſſit eſſe obligatio conſcientiæ ad compenſandam læſionem. Et certè id eſt veroſimile; vnde tantum diximus oppoſitum poſſe veroſimiliter ſuſtineri. Et eſt ſanè diuerſa in vtroque ratio iam inſinuata: Mina enim recèns detecta, etſi communi iudicio poſſit quoad pretium æſtimari, eſt tamen veroſimile iudicium illud eſſe fallax, vnde neque omnium, neque peritorum ſemper eſt; quod ſecus accidit in Minâ, cuius per experientiam eſt conditio deprehenſa: vt in nonnullis aliis eſt videre: vinum enim nouum aliter æſtimatur, ac iam temporis proceſſu probatum, & ſimiliter mancipium, de quo experientia nulla habetur, vt alia omittam, de quibus frequentia experimenta ſuccurrunt.

CAPVT V.

Minerarius an poſſit viuum argentum vendere, quod pro Minis propriis eidem à Regiis Officialibus moderato pretio venditur.

Ratio dubitandi.

26 ARgentum viuum cùm ſolus Rex per Officiales ſuos Minerariis vendere poſſit; qui habere Minas aut proprias, aut ſibi locatas comperiuntur, illud quidem moderato pretio tradit, cùm tamen ſecundùm vulgarem æſtimationem maius ſit, vt *ſuprà Titul.* 5. *Cap.* 10. & *Titul.* 9. *Cap.* 5. diximus. Hinc aliqui lucri occaſionem arripientes, metallum, quod pro argenti beneficio accipiunt, pretio dicto, aliis maiori tradunt, erga Minas proprias parum ſoliciti, vnde & Indos pro eiſdem acceptos vendere etiam ſoliti, de quibus dictum in ſuperioribus. Modò de venditione quærimus; an ſcilicet liceat cùm ad proprij argenti beneficium tribuatur, & præſertim maiori pretio, cuius emolumenti non apparet fundamentum.

Aſſertio 1. negans, vbi iura Regia fraudantur.

27 Dico primò: ſi metallum dictum vendatur eò deferendum, vbi Regia iura magnum ſunt detrimentum habitura; non licet venditio, & eſt graue peccatum cum onere reſtitutionis. Probatur; quia metallum iſtud à Rege eâ lege traditur, vt in Minarum eius, qui emit, fructibus inſumatur, commodum inde ſuorum iurium habituro; & qui emit ad id ſe obligat, non recepturus aliàs metalli vnciam: ergo conuentioni dictę non ſtans, grauiter peccat, cumque aliàs Rex ſuis iuribus defraudetur, nulla reſtat ratio, ob quam poſſit à peccato & reſtitutionis onere ſic vendens excuſari.

Aſſertio 2. negans, in caſu alio.

Dico ſecundò: ſi quis metallum accipiat, quod ſi ipſe non emiſſet, aliis tradendum fuiſſet ſuis in Minis laborantibus, peccat etiam mortaliter, cum obligatione reſtitutionis. Probatur; quia in contractu delinquens modo dicto graue damnum aliis infert, quibus metallum

Digitized by Google

lum maiori pretio vendit; qui illud erant moderato, iuxtà taxam à Rege impoſitam, accepturi.

Aſſertio 3. ſecus ſtatuens diuerſo in caſu.

28 Dico tertiò. Metallum emens, & vendens modo dicto, quod tamen aliis dandum non fuiſſet, quia vnuſquiſque ſuam habet quantitatem aſſignatam, etſi videatur grauiter peccare ob infidelitatem in contractu, non tamen eſt ita ad reſtitutionem aliquam obligatus, vt non poſſit veroſimiliter excuſari. Probatur; quia Rex non patitur iurium ſuorum graue detrimentum; quod enim ipſe daturus fuiſſet, dabit alius, cui metallum ad eumdem effectum traditur: lucrum autem, quod ex tali venditioni reportat, fructus Induſtriæ eſt, licet cum infidelitate coniunctæ.

Obiectio ex eo quod venditio videatur inuoluntaria ex parte Regis.

29 Dices: contractum venditionis prioris fuiſſe nullum ob rationem indicatam, quia Regi eſt inuoluntarius, cùm ex ignorantiâ procedat: ſi enim conſtaret emptorem iſtum ſuis in Minis non laborare, neque metalli vncia ad beneficium traderetur. Sed licet hoc non leuiter ad probationem partis contrariæ deſeruiat, vnde illa valde veroſimilis eſt; non tamen penitus conuincit, vt pars alia non debeat aliquomodo probabiliter reputari. Licèt enim ignorantia faciat inuoluntarium generaliter loquendo, id tamen exceptionem habet, vt non procedat quando contrahens, id, quod reuerà non faceret, non vult irritum prorſus haberi. Vt cùm quis vendit aliquid vili pretio, ignorans citò futuram rerum talium raritatem, & ita pretium augendum; contractus ſuſtinetur, etiamſi ex ignorantia procedat; & cùm quis vendit inimico, quem talem eſſe ignorauit, minimè aliàs venditurus. Aut rem meliorem pro alia dedit, ex iis quæ idem habent pretium, & volebat ſibi, aut alteri reſeruare, & ſic in aliis. In caſu autem noſtro ſimiliter accidit, quia Rex ſic contrahens, nuſquam ſignificauit contractum dictum eſſe nullum, & penitus irritandum; ſciens metallum ſic venditum ſuo non ſine fraudari. Quod autem non reddatur nullus contractus, ex eo quòd ſit lege prohibitus, vnde argui poſſet ad probandum venditionem factam ab eo, qui metallum emit, eſſe nullam; communiſſima ſententia eſt, & ita ex eâ parte probabilitas poſitionis dictæ nequit infirmari, de quo & nos *ſuprà.*

Vt illi ſatis cum doctrina congrua circa ignorantiã non ſemper inuoluntarium reddentem cõtractum.

De Regio Miniſtro argentum vinum non laboräti in Minis tribuente.

30 Sed quid de Regio Miniſtro vendente metallum dictum iis, quos ſcit in Minis ſuis non laborare. Reſpondeo grauiter peccare, & teneri ad reſtitutionem damnorum, quæ ex venditione tali in Regium poſſunt patrimonium redundare. Tenetur autem in defectum eius, qui immediata cauſſa eſt, & quia tales homines numquam reſtituere ſolent, debitis plurimis prægrauati, dici poſſunt primariò teneri; quia juxta ea, quæ communiter accidunt, eſt in rebus moralibus iudicandum, vt non ſemel dictum aliàs.

Quod de tribuentibus creditò contra reſcripta Regia.

An autem Minerariis dari metallum dictum creditò poſſit. Negant plura Regia reſcripta ob difficilem ſolutionem; vnde multa millia argenteorum ponderum Regi ex huiuſmodi confidentiali venditione debentur, quorum plurima numquam ſoluenda; quia ad impoſſibilitatem redacti debitores. Quod equidem Minarum exilitate non accidit, licet aliquando tales ſint, ſed ſumptuum iſtorum hominum granditate, ex quibus multi ſuperflui, & vani. Nihilominùs Regij aliqui Miniſtri, reſcriptis prædictis non obſtantibus, & recuperandi periculis anteuiſis, contra illa egerunt; quia viſum ipſis ſic Regij patrimonij cauſſam vtilius agi; ſi enim ita non venderetur, parum argenti ſuppeteret, quandoquidem Minerarij præſenti emere pecuniâ non poterant, vnde & in ipſos iacturæ ingentes, detrimenta in Regem, & circa bonum publicum præiudicia non leuia ſequerentur. Et pro ſecuritate recuperationis ſpecialia firmamenta prouiderunt. Quæ omnia cùm ex peculiaribus circumſtantiis pendeant non aliâ regulâ, quàm Regij ſeruitij poſt maturam deliberationem veniunt menſuranda. Vnde onerandæ conſcientiæ tunc tantùm periculum incumbit, cùm ſine vrgenti ratione metallum creditò venditur, quæ venditio, ſi non rectè cedat reſtitutionis obligatio, ſuborietur, Regium Miniſtrum grauatura. Et hos quidem ante viſitationem, aut ſyndicatum, cùm ſit manifeſtum damnum, & hæc de Minerariis, vt iam ad alios.

TITVLVS XI.

DE PROTECTORIBVS INDORVM, AC QVIBVSDAM ALIIS.

Protectorum inſtitutio.

CAtholicorum Regum noſtrorum prouidentia erga Indos eximia in eo præter alia plena Chriſtianæ, & paternæ pietatis, elucet, quòd Indis ſpeciales Protectores aſſignauit, & qui in vrbibus præcipuis reſideant, ad quos illi ſuis negotiis accurrant, quæ ab illis pro poteſtate ſibi traditâ poſſunt dirigi, & libellis formatis promoueri. Neque enim quidquam agere, ſeu expedire poſſent, ſiue in iudicio, ſiue extra illud ſine illis, vt ex D. Feliciano à Vega, obſeruat D. Solorzanus. *Tom. 2. Lib. 1. Cap. 27. num* 70. & in Politicâ *pag.* 237. *&* 238. in cuius §. 2. mentionem eorum facit, quibus Senatoria toga ſicut Regiis Auditoribus cum Fiſcalium titulo, & prærogatiuis aliis attributa. Sed quando hæc ſcribo iam in Peruuio generatio talium Protectorum extincta eſt, quæ, vt credo, *non adiiciet vt reſurgat*, vt verbis Scripturæ vtar. De illis ergo addenda hoc loco nonnulla, & de quibuſdam aliis, quia hoc maximè pro Indis videtur ſpeciale: pro quibus ſit

CAPVT I.

Protectores Indorum quibus ſint obligationibus intra Conſcientiæ forum obnoxij.

Prima obligatio circa munerum acceptionem.

1. PRima, & circa quam ſollicitè aduigilandum, illa eſt; ne ab Indis munera extorqueant, quod non tantùm verbis, ſed modo ipſo agendi contingere poteſt, dum iis, qui vacui veniunt, operam minùs promptam exhibent; contribuentibus faciliores. In quo quidem grauiſſimè delinquitur, cum reſtitutionis onere, quia coactum eſt quidquid per huiuſmodi inhumanum agendi modum habetur; iuxta dicta aliàs cum communi Doctorum ſententiâ, hic maximè locum habente, vbi de miſerorum cauſſis agitur, pro quibus congruum ſalarium habent Protectores. Quòd ſi aliquid omnino ſpontaneè offerant, quod ex circumſtantiis coniici poteſt, ſi ante negotij expeditionem ſit, nullatenus admittendum, quia etiamſi ſpontaneæ obligationis coniecturæ videantur ſuffragari, vix eſt credibile è corde procedere; quando neque ij, qui ditiores ſunt, ſponte quidquam offerant cauſſarum patronis, Iudicibus, adminiſtris. Poſt negotium autem expeditum, non ita videtur ſcrupulus vrgere, quia tunc gratitudinis titulo datur; & ſatis eſſe exiguũ ſolet, quod Indi offerunt: ſolentque ægrè ferre donariorum repulſam, quia in perſonæ contemptum, & ex defectu amoris exiſtimant ita ſecum agi; vnde & maximè ſpirituales viri, qui euangelica miniſteria circa illos exercent, talia ſolent admittere, ne ſi repulerint, contriſtentur. Non eſt autem eadem ratio de donis ante negotij expeditionem, quia illa ex amore non procedunt; vnde non ita moleſtè ferunt eorum benignam depulſionem.

Qualia, & quando accipi poſſint.

2 Secunda vt humanos, & affabiles ſe Indis exhibeant, cùm enim illi indolis timidioris ſint, ſi Protectorem minùs humanum inueniant, ab incepto deſiſtent, & iniuriis frequentibus opprimentur. Dictum de hoc aliàs, ſed identidem repetendum, & inculcandum talibus in hoc grauia, & multiplicia eſſe peccata poſſe, & cum reſtitutionis onere, quia officio deſunt, pro quo ſalarium accipiunt, & damnorum cauſſa ſunt, quæ patrocinio ſuo poterant impedire. Quia verò dignoſci non poterit, quot, & qualia damna ſint, vt reſtitutio illis poſſit exæquari, eo vtendum reſtitutionis genere, quod Doctores circa huiuſmodi incerta tradunt, de quo etiam à nobis dictum, & compoſitionis beneficium, quod Bulla præſtat, conuenienter huc adſciſcendum, refugium optimum peccatorum. Obligatio reſtitutionis dicta pertinet ad cauſſam, *Non obſtans*, de qua vulgaria carmina, quæ omnes exponunt de reſtitutione agentes, & præſertim Societatis Auctores.

Secunda circa humanam tractationem, ſub mortali obligatione cum reſtitutionis onere.

3 Tertia obligatio circa breuitatem expeditionis verſatur. peccant propterea grauiter Protectores, qui aliis occupationibus intenti, quæ ad Indos ſpectant, non niſi poſt moras moleſtas ipſis, & frequenter noxias, attingunt: cùm cogantur illi ſub inſalubri cœlo diutiùs agere, & non rarò morte finire letigium, aut prætenſionem iuſtam terminare. In quo quidem ad intelligendum quàm graue ex frigido iſto patrocinandi modo onus conſcientiæ conſurgat, non eſt opus multùm philoſophari, cùm res adeò perſpicua ſit. Poſſet autem excuſatio aliqua circa iſta prætendi, ſi recens illud arbitrium de Togatis Protectoribus, qui Fiſcales etiam Tribunalis Cruciatæ ſint, & in abſentiâ Fiſcalium in Regijs Prætoriis locum eorum teneant. Vti cœptum eſt

Tertia circa breuem negotiorum expeditionem. Vbi de damnis ex retardatione ſecutis.

Digitized by Google

eſt executioni mandari, perpetuum haberetur. Ceſſauit tamen illud in Peruuio, vt initio Tituli dictum, (an alibi neſcio) quia id minùs eſt conueniens iudicatum. Cùm enim occupatio illorum eſſet multiplex, vna illa omnium præcipua, Indorum cura non poterat opportunè, & iuxta rerum occurrentium exigentiam ſuſtineri. Fiebat ergo primum nouiſſimum, & nouiſſimum, primum præpoſtera mutatione.

Quarta circa contractus, ne ipſis noxij, ob humanos reſpectus.

4 Quarta, ne reſpectu aliquo priuato patiantur Indos ad aliqua ſe obligare, quæ ipſis ſunt detrimentum allatura. Eorum ſiquidem contractus debent ab ipſis approbari, & poteſt frequenter accidere, vt ij, præ iudicij paruitate, facilè in aliquid conſentiant, quod non leue ſit adducturum diſpendium, ad quod etiam fraude, aut violentiâ induci: quibus omnibus Protectoris officio contra eumdem, ſi charitati, ac iuſtitiæ ſatisfactum velit, ſua non quærens, neque eorum, qui ſua etiam, non quæ Iesu Chriſti, quærunt. Sunt autem Iesu Chriſti puſilli iſti, qui in eum credunt, poſtulati ab ipſo, & à Patre vti hereditas propria condonati, vt apud ſummum extat vatem *Pſalm.* 1. *v.* 8. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* De quibus & Apoſtolus *Hebræor.* 2. *v.* 13. citato Iſaiæ *loco* 8. *v.* 18. *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus.* Et certè quando illi non quæruntur, quia ipſorum ſpirituale, & temporale commodum non attenditur, id quæritur, quod magno quærentium malo reperietur. *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis; dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt. Pſalm.* 20. *v.* 9. Horrendum, quod ſequitur: *Pones eos vt Clibanum ignis in tempore vultus tui. &c. v.* 10. In tempore quidem vultus Dei: nam modò non videtur eſſe tempus vultus eius; quia ad illum non habetur ab hominibus, quem debuerant habere, reſpectus; ſed priuati reſpectus omnia ſubuertunt, dum à multis nihil amplius, quàm commodum proprium attenditur. Sed erit, erit ſanè tempus, cùm Dei vultus eiuſdem contemptoribus vindex iniuriarum ſuarum terribilis apparebit. *Ponet eos vt Clibanum ignis:* vbi Campenſis Paraphraſis, *Æſtuare facies eos tamquàm furnum incenſum, quo tempore iratum te illis oſtendens, Domine, ira tua diſſipabit eos, & vorabit eos ignis.*

Indi hereditas Chriſti. — *Pſalm.* 2. *v.* 8. — *Hebr.* 2. *v.* 13. — *Pſalm.* 20. *v.* 9. & 10. — *Vindex formidabilis Deus contra non attendentes vultum eius.* — *Campenſis.*

Quinta, circa prouidenda ex officio, non expectatis querelis.

5 Quinta, Protectioni Indorum ita incumbere, vt non expectet eorum querelas, ſed ex officio, quæ videntur nocitura, depellat; hoc enim ipſum protectionis nomen importat. Si aliquid contra Indos diſponi per publicam poteſtatem, aut quamuis aliam intelligat, occurrat ſtatim, & damna ex tali diſpoſitione imminentia repræſentet: ſi præſertim noua onera circa Minarum labores imponenda præſentiat, aut de ſtipendio pro labore, quem circa multa ſuſtinent, minuendo tractari cùm generaliter augendum videatur. Et maximè ſi circa eorũ inſtructionem in rebus fidei, & Sacramentorũ adminiſtratione defectus notabiles deprehendat. Sit ergo Dei inſtar, qui dum Protector dicitur multorum bonorum auctor ſolicitus prædicatur. *Eccli* 34. *v.* 19. & 20. dum ſic ibi: *Oculi domini ſuper timentes eum. Protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offenſionis, & adiutorium caſus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem.* Circa quæ vtiliter poterit Protectoris conſideratio interdum occupari. Et in quintâ hac obligatione conſcientiam grauiter onerari poſſe, indubitatum eſt; ſi videlicet nihil ex officio Protector agat, ſed partium ſemper petitionem expectet. Nec timori cedat, dum Magiſtratuum ſuperiorum voluntas obſtiterit; hoc enim onus cum officio ſuſceptum. Et quemadmodum vt ſalarium ſibi abſque quadrantis detractione reddatur, non verebitur ſemel, & iterùm Magiſtratum vrgere, timore poſtpoſito; ita & adire eumdem debet pro Indorum defenſione, vt præmium labori reſpondeat, iniuſtè aliàs reportandum. Nec dubitet ſe libentiùs audiendum cùm iuſtitiam aut miſericordiam pro miſeris petit, quàm cùm pecuniam ſibi. In priori enim per eum ipſa iuſtitia, & miſericordia; immò & Deus ipſe perorat, in alio autem cupiditas terreſtris ſanguiſuga. Et in hoc etiam reſtitutionis obligationem intercedere poſſe non videtur dubitabile, cùm damna non leuia poſſint ex omiſſâ protectione ſuccedere, quæ ſcilicet graue peccatum ſit. Quod adeò verum eſt, vt etiamſi à Regio Indiarum Conſilio decretum aliquod veniat Indis aduerſum, eidem ſit ſub obligatione dictâ viriliter obſiſtendum, quia ex minùs legitimâ informatione credendum eſt originem habuiſſe: Indorum enim cauſſæ ab huius Concilij dominis benignis ſemper oculis inſpiciuntur, vnde quod contrarium apparet non eſt ſine diſcuſſionis beneficio ſuſcipiendum.

Dei ad inſtar beneficentiſſimi Protectoris. — *Eccli.* 34. *v.* 19. & 20. — *Graue id defectu poſſe peccatum admiſceri.* — *Et obligationem reſtitutionis.* — *Viriliter obſiſtendũ, etiam Conſilij ſupremi decretis.*

Quinta, adeundi Regium Conſilium, cùm ab aliis res conuenienter non diſponuntur.

6 Sexta: ſi quid occurrat pro Indorum bono conueniens, & id ab Indicis Magiſtratibus poſt iteratas petitiones minùs benè diſponi, aut non curari, proſpiciant, ad Regium eſt Indiarum Conſilium recurrendum, in quo, vt diximus, Indorum cauſſæ benignis inſpiciuntur oculis, & ſepoſitis priuatis affectibus diſponuntur. Et obligatio iſta grauis quidem eſt, ſicut aliæ dictæ, cùm ſit protectionis pars, & ſatis quidem ſubſtantialis, cuius beneficio ſcimus aliqua à Regio Conſilio pro bono Indorum ordinata. Et in his id, quod ad terrarum compoſitionem ſpectat. In quâ Indi contra Regiam voluntatem nimis ſunt diuerſis in partibus aggrauati. Quàm verò fuerit remedium opportunum, aut opportunè adhibitum ab iis, quibus eſt executio Commendata, ipſi viderint, dum nos ad videnda alia properamus.

CAPVT II.

De Adminiſtratore cenſuum Indorum.

Officij qualitas explicata.

7. VT diuerſis poſſint oneribus Indi ſatisfacere, & quædam pietatis opera valde ipſis vtilia, promouere; multi ab eorum communitatibus cenſus emoti, ſiue alio modo pro eorumdem iuuamine conſtituti. Horum Adminiſtrator Hiſpanus per ſupremam poteſtatem deſignatur, & alicubi officium emitur cum præeminentiâ vrbicorum Senatorum, cum voce, & ſuffragio, vt dicitur in Capitulo. Ad deciſionem autem cauſſarum, quæ circa hoc occurrere poſſunt, Regius per vices Auditor pro

tribunali aſſiſtit, cuius obligationes, cùm iudicis ſint, ſatis videntur perſpicuæ. Sed illa ſpecialis, vt, quia cenſus prædicti in fauorem Indorum conſtituti ſunt, ex quorum ſtabilitate ingentia in eos reſultant commoda, & conſequenter commune bonum valde inde dependet; ſeruato quidem iuſtitiæ moderamine, ſemper foueatur. Vnde videtur communis iam ſententia de opinione probabili, quam iudex complecti poteſt, etiam relictâ probabiliori, hic locum non habere, ſaltem generaliter loquendo, & non de vnâ, aut alterâ ſententiâ in re non multùm præiudiciali. Nam ex eo fieret Indos grauia detrimenta ſubituros, & commune etiam bonum iri non leuiter imminutum. Immò in pari probabilitate idem videtur dicendum, ob eandem rationem. In eo ſiquidem cum iure probabili concurrit ſpecialis miſerabilium perſonarum, & communis boni reſpectus. Vnde ſatis veroſimiliter dici poteſt numquàm æqualitatem illam iuris contingere, quia ſemper pro Indis ſunt ſpecialiſſimæ rationes, vnde ius partis aduerſæ ſuperatur. Quando ſcilicet ſeclulis dictis reſpectibus ius æquale eſt, nam ſi illis excluſis ius Indorum debilius ſit, per reſpectus dictos poteſt exæquari. Tam autem debile eſſe poteſt, vt etiam illis adiunctis minùs probabile ſit; & dummodo ſit abſolutè probabile, poteſt iudex, licet non teneatur, in fauorem Indorum iudicare. Dixi autem, *licet non teneatur*, quia valde alienum ab æquitate, & ratione eſt, vt obligatio ſit ſententiam ferendi contra eum, cujus eſt potius ius, eo enim ipſo iuſtitia eſt illi magis debita; vnde repugnat obligationem eſſe ad illam denegandam: denegari enim non debet neceſſariò, niſi quatenus minùs de iure eſt, cùm ius obiectum iuſtitiæ ſit, & ita eſt implicatio in terminis, quòd ius potius ſit, & quòd illi debeat iuſtitia denegari; & quòd ſit ius debilius vt pronuntiari pro illo ſententia debeat, & hæc quidem circa iudicem.

Auditor Regius, qui judex, in fauorem debet Indorum judicare juxta probabiliorem opinionem.

Notanda circa modum judicandi, cùm dicta, aut alia probabilitas occurrit.

8 Circa Adminiſtratorem verò obligationes ſequentes ſunt, ex quarum tranſgreſſione lethale poterit crimen incurri, & ita pro illis

Obligationes Adminiſtratoris ſub mortali.

Dico Primò. Adminiſtrator cenſuum ſub mortali tenetur eorum ſolutionem ſolicitè procurare, nec humanis reſpectibus eam reddere difficiliorem; ratio eſt clara; quia contra officium in re graui delinquit.

Aſſertio 1. circa ſolutionem accurandā.

Dico ſecundò. Tenetur, ſi dicto modo delinquat ad damnorum reſtitutionem. Conſtat ex eodem. Poſſe autem damna contingere, non videtur negari poſſe. Nam Indi ex cenſuum penſionibus ſolent taxas integrare, & illis deficientibus ad alia non ſine damnis obuenientia recurrunt, vendendo ſcilicet aliqua viliori pretio, vel quid ſimile.

Aſſertio 2. circa obligationem reſtitutionis.

Dico tertiò. Quidquid de acceptione munerum dictum eſt. *Capite praecedenti:* circa Protectorem, pariter eſt de Adminiſtratore dicendum: licet in hoc non ita rigida videatur obligatio; quia ſi quid Indi tribuant, cùm proprium non ſit, ſed ex bonis Communitatis, minùs videntur inuiti.

Aſſertio 3. circa munerum acceptionem.

9 Dico quartò. Adminiſtrator curare debet, vt quod ex cenſibus ſoluitur, vtiliter expendatur, fine eorum conſtitutionis attento, & illorum, quibus id traditur, quod ex arcâ cenſuali extrahitur, agendi modo obſeruato, licet enim ipſe adeſſe non poſſit in omnibus populis, vt videat qualiter expendatur pecunia, curare tamen debet, vt ratio illius ab accipientibus reddatur. Pecunia enim in Caciquiorum manibus periculo eſt fraudandi finis obnoxia, pro quo extracta eſt. In quo quidem ſi diſſimulare contingat ob munera ab eiſdem accepta, de grauitate delicti conſtat, ſicut & de reſtitutionis obligatione Communitati faciendæ omnium eorum, quæ eidem ſubtracta ſunt. Et licet obligatio talis in defectum præcipui debitoris ſit, quia tamen de Caciquiis ſperari nequit ſoluturos aliquando, quod in vſus non debitos expenderunt, præcipui ſunt debitores reputandi; vel conari, vt Caciquij opportunè ſoluant, ad id Iudicis officio diligenter inuocato.

Aſſertio 4. circa rectam expenſionem ſolutorum.

10 Dico quintò. Curare debet ne pecunia ex cenſibus in arcam delata extrahatur, vt mutuò tradatur, ſic ſupremis Magiſtratibus poſtulantibus, aut iubentibus. Quibus licet obſequendum ſit, dum pro poteſtate iubent, obſiſtendum tamen viriliter quantùm, ſaluâ ſubiectione poſſit, quia in eo ordinariè loquendo inordinatè agunt. Et quemadmodum ſi propria Adminiſtratoris pecunia exigeretur, omnia tentaret, vt locum non haberet extractio; ita & pro pecuniâ Communitatum Indorum pariter repugnandum. Solet namque ſic mutuò accepta difficilè reddi: pro quo etiam eſt diligenter inſiſtendum, ac ſi de pecuniæ propriæ recuperatione ageretur. Hæc enim eſt regula optima, quam Doctores adhibere ſolent ad declarandum qualis debeat eſſe diligentia eorum, qui res alienas adminiſtrant, vnde & culpæ qualitas deducatur, an ſcilicet lata, leuis, aut leuiſſima ſit, de quo dictum aliàs. *Tit. 9. n. 59.*

Aſſertio 5. circa curam defendendi pecuniam in arcam illatam, ne extrahatur.

11 Dico ſextò. Adminiſtrator dictus ſolicitè debet cauere, ne expenſæ nimiæ in reddendâ Indis pecuniâ fiant; ſolent etenim ad hoc plures Miniſtri concurrere, & omnes volunt emolumentum, ex pallio pauperis, aut iuſti, vt dici ſolet, habere. In quo quidem pretio redimi vexatio ſolet: quod tamen Adminiſtrator vitare debet, iudice compellato: niſi talis ille fortè ſit, de quo nequeat quidquam ſperari vetandis vexationibus opportunum: & regula tradita de diligentiâ pro pecunia propria in caſu præſenti non penitus congruit: nam pecuniæ propriæ vnuſquiſque eſt dominus, & vt eam recuperet, poteſt impedimenta ſubornatione depellere; id, quod eſt in vſu apud eos, qui ex arcis Regiis ſtudent debita per Officiales reddi ad huiuſmodi miniſterium deputatos. Pecunia autem, de quâ agimus, Adminiſtratoris non eſt, & ita, vt phraſi iuriſperitorum quorumdam loquar; ex alieno corio non debet longas corrigias facere, & quod iura cauent, de alieno eſſe liberalis. Quod ſi contingat, quia iudicis famulos conciliare ſibi ſtudet, eò quòd omnes ex vno quaſi gremio ſunt, peccatum eorum eſt manifeſtum, & reſtitutionis vinculum non obſcurum; vbi & dominij tranſlatio nulla eſt, eò quòd id, quod datur, eſt alienum, vnde & furtum committunt accipientes, & cùm certum ſit eos non reſtituros Adminiſtratori totum hoc onus incumbit. De quo hæc ſatis.

Aſſertio 6. circa expenſarum moderationem.

CAPVT

CAPVT III.

De Adminiſtratore Hoſpitalium Indorum.

Hoſpitaliũ inſtitutio ex Regia pietat.

12. EXimiâ quidem Regum noſtrorum prouidentiâ diſpoſitum, vt in præcipuis vrbibus, & oppidis aliis, vbi commodè fieri poſſit, Hoſpitalia ſint pro ægrotantium Indorum curatione. Et his quidem Regum ipſorum pietas magnâ liberalitate ſuccurrit, tum ex Nouenis, portione conſiderabili deſignatâ, tum ex effectibus aliis competenti ſubſidio deſtinato. Habent illa prætereà pingues redditus ex prædiis, cenſibus, fidelium eleëmoſynis, vt commodè poſſint ſuſtentari. Et aliquando quidem Adminiſtratori ſtipendium ſoluitur, frequentiùs autem gratis munus iſtud obeunt viri primarij, electione eorum, quibus Hoſpitalium eſt cura commiſſa; & Senatum conficiunt, voluntarij omnes, & ſolâ ad hoc adducti & adacti charitate. Quod quidem cernere præcipuè licet in Hoſpitali Diuæ Annæ ciuitatis Regum, cum omnibus, quæ in Europa ſunt ampliſſima, componendo, ſiue ædificij pulchritudine, lætitiâ, laxitate, inter viros, & feminas diuiſione percommodâ: ſiue ſubueniendi ægrotantibus ratione, lectis ſupra Indorum morem ornatis, medicamentis, victu, ſolicitudine, vt nulli quidquam deſit, cùm contingat aliquando ſupra trecentos ægrotos numerari & nuper ſupra quadringentos; quod tamen non frequens, magnus tamen ſemper numerus, quia aliunde aduenientes ſolent paſſim infirmari. De huius ergo, & aliorum Hoſpitalium Adminiſtratoribus aliquid oportet attexamus, & pro eo

Memorabile præ aliis Limanum D. Annæ.

Aſſertio 1. Circa curam ſpiritualem, & Capellanorum deſignationem.

13 Dico primò. Adminiſtratores dicti debent ſpecialiter circa ſpirituale Indorum bonum prouidere, idoneos Capellanos conquirendo, qui ægrotis aſſiſtant, Sacramenta miniſtrent, & præſertim adſtent morituris. Si quem obligationi ſuæ non ſatisfacientem obſeruent, vrbanè dimittant, quia id facere & poſſunt & debent. Qui Capellanum domi habet, & minùs aptum ſuo intento deprehendit, poteſt ſine iniuriæ vmbrâ dimittere, aut Eccleſiaſticæ libertatis violatæ ſuſpicione. Tales certè Beneficiarij non ſunt, ſed merũ habent miniſterium; vnde ſicut ſponte vocati ſunt ita & poſſunt non ſatisfacientes expelli. Quòd ſi cauſſa legitima non ſit, contra charitatem peccabitur, ſi non contra iuſtitiam, niſi ex dimiſſione aliqua infamia in ſic dimiſſum reſultaret; vel aliud graue ſequeretur incommodum, vt qui in Beneficiorum oppoſitione repellendus, eò quòd minùs aptus ad illa credatur, quæ Curata Indorum ſunt, qui eiſdem infirmis, & commodo ſociorum adiutus, peſſimè eſt inuentus ſuccurriſſe. Vnde in nominationibus, quæ ab Epiſcopis fiunt bona ex hoc merita ſolent recenſeri, & qui præſentant Patroni ea non parum æſtimare.

Quod ſi iuſta cauſſa dimiſſionis non ſit.

De ſpecialiſſima curâ circa morituros.

14 Circa curam autem eorum, qui proximi morti ſunt, quàm ſolicitiſſimè vigilandum tum Adminiſtratori, tum deputatis hebdomadariis, quia Indi ſpecialiùs iurari in extremis debent, tum vt integrè confiteantur: ſunt enim timidi, & ad tacenda in confeſſione peccata procliues; tum quia diaboli fallaciis magis propter defectum capacitatis, & paternas ſuperſtitiones expoſiti. Vnde mirabiles Dei miſericordias in huiuſmodi ſolemus extremè agentium articulis experiri. Solent autem Capellani nonnulli ægrè ferre, vt ad prædictam aſſiſtentiam ab iis, quos diximus, vrgeantur. Cùm enim negotium ſpirituale ſit, & illius cura ad Sacerdotes pro eorum munere ſpectet, præfati videntur excedere, dum id vſurpant, quod ad ipſos nequit pertinere. Sed certè illi in hoc à vero peregrinantur. Sicut enim ſi quis Capellanum domi haberet pro dicendâ Miſſa, doctrinâ Chriſtianâ docendâ, & in neceſſitatibus ſpiritualibus ſibi & familiæ protinus adfuturum, vrgere eum ad prædicta poſſet, quia ſub ea eſt obligatione receptus, & temporalia accipit, ſpiritualia collaturus: ita & in Hoſpitali facere illius poſſunt adminiſtri, qui ſunt familiæ illius infirmantis Patres, neque vſurpantes juriſdictionem, ſed œconomicè procedentes, & juxta charitatis regulas eorum æternæ ſaluti, qui in extremis ſunt poſiti, conſulentes.

Capellanos vt poſſint circa illam vrgere, cum notanda doctrina.

Grauamine peccare iſtos ſi non aſſiſtant.

15 Et Capellani quidem dicti grauiſſimè peccant circa curam hujuſmodi negligentes, & ſi qui propterea Sacramentis deſtituti, aut non benè inſtructi pereant, eorum animæ à Deo de ipſorum ſunt manibus requirendæ, vt eſt apud Ezechielem 26. v. 33. & ſpecialem hanc curam circa Indos neceſſariam recognoſcens Concilium Limenſe, *Actione* 2. *Cap.* 29. ſic habet. *Iis qui è vita decedunt, dent operam Parochi, vt aſſiſtant & maxime periculoſo tempore, animas ſibi commiſſas iuuent: quòd ſi perſe non poſſint, certè aliquem idoneum ſubſtituant, qui morientem excitet, & cohortetur, atque Indis præſertim exhortatione ab hac Synodo euulgatâ opitulentur.* Sic Concilium. Capellani autem Parochorum vice funguntur ex ſpeciali Prælatorum conceſſione, vnde & iuſtitiæ, & charitatis legibus ad opitulationem dictam conſtringuntur.

Concilium Limenſe 3. Act. 2. Cap. 29.

Capellani an vſu ſe tueri poſſint contra Prælati mandatũ.

16 Ex eo autem, quòd circa adminiſtrationem in ſpiritualibus Capellanis dictis nonnulla in vſu habeantur, quæ à Prælatis tantùm concedi poſſunt: dubium exortum eſt menſibus proximis, an illi contra Prælatorum nouum mandatum cum excommunicatione propoſitum, ſe tueri tali vſu poſſint, quod & factum interpoſitâ appellatione ad iudicem Apoſtolicum delegatum juxta formam vſitatam. In quo veroſimile apparet appellationem locum habere potuiſſe, quia illa eſt per Canones ſacros variis in locis permiſſa; quando ſcilicet friuola non eſt. In caſu autem dicto non fuit friuola; quia licet ea, de quibus agitur, ad Prælatorum juriſdictionem ordinariè ſpectant: Hoſpitalia tamen iſta ſub Regis protectione ſunt, & modus eos gubernandi jam diu vigens iudicio eſſe poteſt cum Prælatis ita eſſe concordatum, cui concordiæ debeat modernus Prælatus ſtare; quia hoc Regiæ Majeſtati debetur, cui circa hoc ſingulariter eſſe deferendum ſatis declarat Concilij Tridentini decretum: *Seſſione* 22. *Cap.* 8. *de Reformatione.* Vbi cùm ſtatuat Epiſcopos poſſe & debere Hoſpitalia viſitare, ita ſubdit. *Non tamen quæ ſub Regum immediatâ protectione ſunt, ſine eorum licentiâ.* Quæ

Ex Regia protectione arguitur, cui fauet Concilium Tridentinum.

ratio

ratio licet non penitus conuincat, nequit tamen friuola reputari. Cùm præſertim dubium prædictum circa Sacramentorum adminiſtrationem non verſaretur, vt ex illo ea, aut eorum aliquod, quoad confectionem ſuam dubia remanerent, & ita docti aliqui cenſuerunt.

Appellari non poſſe reſoluitur.

17 Ego tamen parendum Prælato ſemper iudicaui, quia id, quod de vſu afferri poteſt, nequit eidem incommodare: de concordiâ enim nô conſtat, & ita ille eſt in ſui iuris poſſeſſione: Quod verò ab aliis vſus fuerit toleratus, nihil obſtat, quia anteceſſorum geſta non poſſunt iura ſucceſſorum infirmare; par enim in parem non habet poteſtatem, vt iura clamant. Hinc locationi factæ proprio nomine ab anteceſſore non tenetur ſtare ſucceſſor, vt Doctores tradunt, quos adducit Barboſa *de poteſtate Epiſcopi Allegat.* 99. & contra reuerentiam, & obedientiam Epiſcopo debitam ab omnibus, qui in eius diœceſi ſunt, non præſcribitur. Cap. *Cùm non liceat, de Præſcriptionibus.* Circa quod varios textus congerit Gloſſa, & videndus etiam Barboſa *Allegat.* 128. Nec conſuetudo contra Epiſcopum valet, per quam *diſrumpitur neruus Eccleſiaſticæ diſciplinæ.* Cap. *Cùm inter vos, de conſuetudine:* quod in caſu præſenti videtur accidere, obedientia à Capellanis Archiepiſcopo denegata. Pro quo & eſt illuſtris textus in Cap. *Nihil prodeſt, de Præſcriptionibus*, in quo ſic D. Gregorius Magnus. *Sed illud vos ſcire credimus, taciturnitatem, atque patientiam noſtram, futuris poſt me Pontificibus in rebus pauperum præiudicium non facturam.* Vbi Gloſſa verbo *Facturam:* ſic ait: *Arg. Quod negligentia, vel taciturnitas Prælati, non præiudicat ſucceſſori, &c.* Et licet poſteà addat per taciturnitatem contra Epiſcopum præſcribi, quod ex toto Titulo dicto comprobari affirmat, quod & videtur certum, quia aliàs contra Eccleſiam non poſſet præſcribi, cùm præſcriptio ex taciturnitate procedat; quia tamen illa & longiſſimum tempus requirit, & etiam titulum, vt manifeſtè deciditur in Cap. *Epiſcopum de Præſcriptionibus, in ſexto*; qui tamen hîc deficit; doctrina illa nequit obſtare. Quod autem titulus non ſit, ex eo conſtat, quia nullus oſtendi poteſt præter taciturnitatem (ſi & hæc etiam poteſt reſpectu omnium Prælatorum oſtendi.) Et quia præter illam titulus ſpecialis requiritur, vt vidimus: nullus ergo datur. Cùm ergo Archiepiſcopus in poſſeſſione ſuæ iuriſdictionis ſit circa dictos Capellanos, poteſt extraiudicialiter procedens eos excommunicare, etiamſi appellauerint, quia appellatio non ſuſpendit ſententiam, quando Epiſcopus procedit vt pars ad conſeruationem iurium ſuorum: ſic conſtat ex Cap. *Interpoſita, de Appellationibus*, & Cap. *Cùm inter Canonicos, de Electione.* & tradunt Doctores, quos adducit, & ſequitur P. Thomas Sancius *Tomo* 1. *Conſiliorum, Lib.* 3. *num.* 227. & hoc quidem ſupponendo id, quod ſub excommunicatione præcipitur, eſſe aliunde iuſtificatum; ſi enim tale non ſit, quia aut ex falſa præſumptione deſcendit, ſiue ad inſtantiam partis, quæ non Dei zelo, ſed cupiditate inordinatâ mouetur; aliter poterit in foro conſcientiæ iudicari: in exteriori autem obedire oportet; quia inobedientia ſine graui ſcandalo ſtare non ſolet; & de re agitur in quâ nequeunt Capellani graue detrimentum experiri, ſed ad Adminiſtratorem reuertamur: pro quo

Epiſcopum non teneri ſtare locationi ab anteceſſore nomine proprio factæ.

Contra obedientiam nô præſcribi &c.

Cap. Nihil prodeſt.

Taciturnitas vnius quomodo alteri non præiudicet.

Non ſufficere ad præſcriptionem ſine titulo.

Appellationem non ſuſpendere ſententiam quando Epiſcopus ſua iura defendit.

Aſſertio 2. adminiſtrator vt poſſit pecuniâ Hoſpitalis negotiari.

18 Dico ſecundò: Adminiſtrator, licèt recollectis Hoſpitalis redditibus, poſſit pecuniâ tali negotiari; ſi tamen propterea quæ neceſſaria Hoſpitali ſunt cariùs emat, aut deterioris conditionis, grauiter peccat, & ad reſtitutionem tenetur. Quod ad negotiationem attinet, ex eo conſtat, quia ex eâ nullus læditur neque contra voluntatem Domini eſt: Dominus enim eſt Hoſpitale ipſum, ſeu pauperes; qui in illo curantur; quibus non eſt ingrata negotiatio; immò videtur futura gratiſſima, vt eo pacto ſint, qui libenter adminiſtrationi ſe dedant, & ita opus hoc adeò neceſſarium non deficiat, ſed inter viros potentes promoueatur. Aliud autem in Aſſertione propoſitum indubitabile eſt, quandoquidem damnum ex eo emergere nequit dubitari. Exemplum ſit: ſi emendum triticum, quod ſanè copioſum futurum, etſi præſenti emeretur pecuniâ, & melius, & minori pretio etiam emeretur: non emitur tamẽ, quia Hoſpitalis pecunia negotiationi deſeruit: ibi certè graue conſcientiæ grauamen eſt, & reſtitutionis obligatio manifeſta; & huic ſimilia alia eſſe poſſunt.

Aſſertio 3. Peccare proprias merces maiori pretio obtrudentẽ, etiam intra latitudinẽ iuſti.

19 Dico tertiò. Adminiſtrator nequit proprias merces maiori pretio Hoſpitali obtrudere, quàm emi ab alio poſſent, vel alius ab ipſo eaſdem emeret, etiamſi maioritas pretij intra latitudinem pretij iuſti contineatur. Probatur; quia in eo damnum apertum Hoſpitali infert, ex officio enim debet omnem commoditatem quærere; quæ commodè haberi poteſt: atqui commodè haberi poteſt res, quæ emitur minori pretio: ergo ex officio ad id tenetur. Quod ex eo apertè conuincitur: nam ſi ipſe merces tales non haberet, minori pretio emeret, & Hoſpitale eam vtilitatem haberet: Atqui ex eo, quòd ipſe habeat, non eſt Hoſpitale deterioris conditionis, cùm potiùs melioris eſſe debeat, habens Adminiſtratorẽ, qui de neceſſariis commodiſſimè ſibi prouidere poteſt: ergo nequit maiori pretio illas aggerere: neque obſtat pretiũ eſſe iuſtũ; quia ratio adducta perſiſtit, nam ſi tales merces non haberet, minori pretio emeret intra latitudinem iuſti, & Hoſpitale commoditatem illam haberet; ergo quòd intra latitudinem iuſti pretij ſit, obſtare nequit. Quando præſertim res pauperum agitur, quæ nô debet eſſe materia augendi propria commoda, cùm ex eo illis prouenit detrimentum. Pro quo deſeruiunt ea, quæ citatis aliis adducit Bonacina *Diſput.* 1. *de Reſtitutione Quæſt.* 2. *Puncto* 6. *num.* 14. *&* 15. & P. Molina *Diſput.* 552. §. *Si verò aliter.*

Aſſertio 4. peccare vel quæ neceſſaria non ſunt, emendo cum obligatione reſtitutionis.

20 Dico quartò. Grauiter peccat Adminiſtrator, qui ex propriis mercibus aliquas non neceſſarias Hoſpitali applicat, etiamſi pretio iuſto id faciat. Patet; quia in eo non agit juxta id, quod fidelitas officij exigit, & quod ſecum fieri vellet, ſi alius ſuâ bonâ adminiſtraret. Vnde & obligatio reſtitutionis incumbit iuxta doctrinam receptiſſimam de ſumptibus ſuperfluis, quos non debet dominus, cuius agitur negotium, admittere. Pro quo videndus P. Molina *Diſput.* 553. §. *Quando nulla:* vbi ait teneri eum, cuius negotium geritur, admittere tantùm expenſas iuxta valorem ſubſecutæ vtilitatis, ſemper autem aliqua vtilitas eſſe poterit in

ſit in caſu, de quo loquimur, quandoquidem ea, quæ inferuntur; aliquam commoditatem adducent; vnde videtur ex hoc obligatio dicta moliri. Sed certè non ita conniuendum eſt iſtorum hominum auaritiæ, vt ſicut de viduis quibuſdam ab Apoſtolo dictum: luxuriari in Chriſto, id eſt Chriſtiani nominis obtentu licentius laſciuire; ita & iſti ſub adminiſtrationis pauperum Chriſti prætextu cupiditati famulantur. Quod ergo ait P. Molina ita intelligendum eſt, vt vtilitas illa ſumptuum debeat admitti, quatenus ratione illorum id obtinetur, quod per moderationem eorumdem haberetur, in eo, quòd ſi habeatur cenſeri debeat negotiorum geſtor vtiliter negotium perfeciſſe. Vt ſi viginti expendit pro re vtili, cùm decem ſufficerent, valor ſubſecutæ vtilitatis in decem tantùm computandus, & decem item tantùm admittenda. Pro quo & videndus P. Leſſius *in Reſolutionibus poſthumis. v. Reſtitutio, Caſu* 8. Si verò vtilitas non habeat genus aliquod neceſſitatis, licet ad voluptatem aliquam aut maiorem commoditatem deſeruire poſſit; in quibus negari nequit quin aliqua vtilitas ſit, ſed non talis, quæ iuxta Domini voluntatem ſit; tunc planè facienda eſt reſtitutio. Quæ quidem nequeunt in ſpeciali proponi, & iuxta rerum occurſus varios ſunt penitus iudicanda. Sit autem vnum pro multis exemplum, ſi adminiſtrator pileos in eius apothecis corrodendos tinea diſtribuat, quos conualeſcentes ſecum ferant. Hi enim pro Indis Inſoliti. Vel ſi Linteola ad operienda capita, quæ licet Indis grata ſint, & in vſu apud multos; dari tamen non ſolent, niſi fortè alicuius ſpecialis neceſſitas poſtularet.

Sumptus qualiter admittendi attenta vtilitate.

21 Dico quintò Adminiſtrator debet ita ſaluti Indorum attendere, ſicut etiam Deputati, vt non permittant eos niſi valetudine firmata dimitti. Ratio eſt; quia Indi aliter recedentes obnoxij ſunt periculoſiſſimo recidiuo. Cùm enim in victu, & aliis, ad corporis ſuſtentationem pertinentibus, durè ſecum agant, & vix vlla circa hoc per rationem imperatâ moderatione regantur, reſidiui eſt periculum manifeſtum. Et reſidiui periculum quantum ſit, ſatis in eiſdem, vt generalia Medicorum pronuntiata deeſſent, experimenta comprobarunt. Et dicta quidem obligatio grauis eſt, quia circa materiam grauem, ad quam ſe officium extendit: & in hoc quidem non ſolùm contra charitatem peccari poteſt, ſed etiam contra iuſtitiam, quia Indi ius habent ad curationem dictam, quo non ſine iniuria priuantur, vnde & ad damna inde ſecuta, qui priuauerit, reparanda eſt obligatus. Item dimiſſio talis in Hoſpitalis detrimentum cedit; ſic enim eiecti redire ſolent grauiùs ægrotantes, vnde & maiores ſumptus erga eorum ſunt faciendi curationem, & inde etiam obligatio curationis emergit.

Aſſertio 5. Indos non dimittendos niſi firmata valetudine. Et qualis ea obligatio.

22 Dico ſextò. Præfati curare debent ne fœminæ ad infirmos accedant, quæ quidem ſorores, aut etiam vxores ſe ementiri ſolent, cùm ſint pellices. Et quia hoc facilè non ſemper explorari poteſt, Capellanis eſt ſeriò commendandum, qui ipſorum Confeſſiones audiunt, vt ipſos potenter admoneant, quibus illi faciliùs rem omnem non ita verebuntur aperire. Maximum profectò in negligentiâ iſtâ periculum, hæreſcente peccato, dum peccati incitamentum adhæret, nec mortis ipſius propinquiſſimæ aſpectu, receſſuro. Et hæc quidem circa Hoſpitalia Indorum, ex quibus multa poſſunt Europæorum Hoſpitalibus applicari. In aliis autem nihil eſt ſpeciale, quod pro Indicis diſcutiendum occurrat, quibus Regiâ liberalitate ſuccurritur, & Nouenorum pars ſatis copioſa tribuitur cum prouentibus aliis, de quibus dictum *Titul.* 2. *num.* 55. Sicut & de aliis, ad quos ſpeciales pro Indiis obligationes ſpectant, & per laicas perſonas exercentur. De quibuſdam aliis minutiora quædam tractantibus non eſt opus diſſeramus, quia & opus nimiumquantum excreſceret, & ſi quid ad eorum obligationes pertinet, ex dictis poterit non difficulter intelligi. Ergo ad alia tranſeamus.

Aſſertio 6. Fœminarum non permittendum acceſſum.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
EORVM QVÆ IN HOC PRIMO THESAVRI INDICI TOMO CONTINENTVR.

Prior numerus Titulum indicat, Poſterior marginalem, niſi aliud notetur.

A

Abſens.

EX *abſentia quæ obligationes in Gubernatoribus.* T.6.29. *vbi doctrina multiplex.*

Abſolutio.

Pro illa non ſufficere ratihabitionem de futuro. T.5.216.
Et ita neque pro Bulla concedente facultatem. Ibid.& 221
Abſolutio virtute Indulgentiarum. 275. & 276. & *per Bullam.* 277. & 278. *vbi ſpecialis & vtilis doctrina.*

Academia.

Academia Indica, & quid circa illas Regij Auditores poſſint. T.4. 115. & *ſeqq. vbi Index marginalis peculiaria quædam dabit.*

Actus.

Licet exterior non addat nouam malitiam, non eſt licitum illi cooperari. T.1.146

Adamus.

Ante formatam mulierem nomina animantibus imponit, eximio earum documento. T.3.9

Adminiſtrator.

Nequit facere donationes. T.3.142
Limitatio quædam. 143. *Vide etiam.* T.1.n.8
Notanda regula circa obligationem in modo adminiſtrationis. T.5.n.5. & 18
De Adminiſtratore Cenſuum Indicorum. T.11. Cap.2 *Ibi Index.*
De Adminiſtratione Hoſpitalium Indorum. Vbi & quædam pro alijs. Cap.3

Aduocatus.

Senatoria promotione digni. T.2.8
Tenentur ad reſtitutionem ob damnum ex incuria ſubſecutum. T.4.167
Eorum obligationes. 214. & *ſeqq.*
De Aduocato Capituli Vrbani. T.8.41

Ædificatio ſpiritualis.

Quomodo illi gubernantium obſtet æmulatio in Indijs. T.3.52

Ædificatio materialis.

Ad illam vt poſſint Indi compelli. T.1.149.& 150

Æthiopes.

Quæ prohibitio circa illos pro Indijs, & Regijs iuribus ex commercio circa ipſos. T.5.146
De contractu circa eoſdem ex profeſſo. T.9.180. & *ſeqq. Ibi Index.*

Alcauala.

Non debetur à Religioſis ex calce & lateribus. T.3.119
Alia circa ipſam. Ibid.
Vnde dicta. T.5.117
Qualis in Indijs. 118
An ratione adnexionis earum ad Caſtellæ regna, ſoluenda veniat. Ibid.
De illius iuſtificatione, & alijs circa ipſam. 119. & *ſeqq.*
Ab Indis non deberi. T.1.122
Aquatores an illam debeant. 164

Alcadij, *al.* Ædiles.

Quale eorum officium, & obligationes. T.8.Cap.2.& 3

Alexander Sextus.

Illius probitas propugnata. T.1.5
Non erraſſe in donatione Indiarum contra aliquos firmatur. 7. & *ſeqq.*
Etiam in facto. 10.& 11
Neque opinionem tantùm probabilem ſecutum circa expugnationem infidelium, ſed firmius aliud fundamentum, quod explicatur. 12.& *ſeqq.*

Alguacellus.

Alguacelli Maioris Curialis obligationes. T.4. 192. & *ſeqq. Ibi Index.*
Vrbici item. T.8.38. & 39

Altare portatile.

Vide v. Priuilegium.

Amicitia.

Quæ probanda, & qui veri amici. T.3. 12.13.

Annata.

De media Annata, & illius indice, ac obligationibus circa illam. T.4.94.& *ſeqq.*

Appellatio.

Quid ſit. T.4.55
Quando in ſententiâ Epiſcopi non admittatur. T.11.17

Aqua.

Vt vendi à Rege in Indijs queat. T.5.163. *vbi ſpecialis quæſtio circa effluentem poſt irrigationem.*
An plus ex eâ quis poſſit aſſumere, quam eidem fuerit aſſignatum. 165

Archiepiſcopus.

Prouinciali Concilio eſſe ſubiectum, & quid hoc circa illum poſſit. T.9.164
Solum illum habere in illo votum deciſiuum, ſententia non probanda. 166

Argentum.

De valore ac pretio, & legibus circa illud, ac nonnullis alijs. T.5. 54. *iunctis præcedentibus.*

Argentum viuum.

De illo. T.1. Cap.12. *Vbi multa pro labore Indorum circa illud.* n.115
Quantùm ille fidei ſtabiliendæ officiat. T.5.79. *Vbi narratio peculiaris. Et quantum Rex noſter debeat de remedio prouidere.*

Pr

Digitized by Google

De contractu illius. T.9.Cap.5

Argumentum.

A ſimili quando valeat. T.5.73

Arma.

An afferri ex Hiſpaniâ in Indias queant pro quo ſtat prohibitio. T.5.143

Aſſeſſor.

Vt debeat ipſi deferri à iudice, & indicem non eſſe. T.3.92

De Aſſeſſore conſulatus. T.9.n.7

Auaritia.

Litigiorum radix, vnde in Epiſcopis non ferenda. T.2.124. *vbi quid ſpeciale pro Indijs.*

Quantum malum. T.3.14

Contra auaros iudices. T.4.90

Non eſſe in Eccleſiaſticis peculiarem, vt quidem aſſerunt. T.5.148

Peſſimi fructus. T.6.31

Auditores Regiarum Audientiarum.

Quomodo honorandi à Pro-regibus. T.3.53. *& ſeqq.*

Quomodo corrigendi. 62

Vitæ probitas in illis maximè neceſſaria, vnde Indici principatus conſeruatio & propagatio. T.4.1

Improbitas contraria eſt fidei, de quâ ſtabilienda agitur. 2. *Circa quod Pro-regis factum.* Ibi.

Circa electionem accuratè prouidendum, neque illius commendabilem prætenſionem. 3. *vbi egregij prætenſoris exemplum.*

Venalitas pro huiuſmodi officijs quàm ſit turpis, vbi ſolis meritis admittendum. 4

Inſcitia in talibus quàm pudenda. Ibid.

Doctrinæ caſtitas adnectanda, à quibus immaculatæ ſententiæ. 5

Caſtitati modeſtia copulanda, & humilitas, quæ eſt virtus Chriſtiana ad omnes ſpectans, & ſine qua ad diaboli partes. 6

Indiarũ propria auri ſacra fames, vnde iuſtitia temerata. 7

Dux talium Iudas. Ibid.

Iuramentum circa munera non plus obligat extenſiuè quàm leges pro eiſdem. 9

Eſculenta & poculenta vt poſſint recipere. 10

Circa eos, qui nondum officij poſſeſſionem ſunt adepti problematica quæſtio. 11

Poſſunt recipere titulo amicitiæ contractæ etiam propter officium. 12

A Religioſis vt poſſint. 13. *vbi eſſe illos veros amicos.*

In litium protractione grauiter peccare, ſicut & ſerò ad tribunalia venientes, & ad reſtitutionem ſalarij teneri. 14. & 15. *vbi quod ex acceſſione laboris ſalarium augendum.*

Teneri etiam ad damnorum compenſationem. 16. *Vbi de differentia circa hoc inter ipſos & Proregem, & de horrenda pœna.*

Obligatio reſtitutionis pro damnis emollitur. 17

Circa reſtitutionem ſalarij difficultas expedita cum vtili obſeruatione erga Regiam voluntatem. Ibid.

Decimales cauſſas vt queant iudicare. 18. *& ſeqq.* Ibi Index marginalis.

Circa taxam iurium, & numerum Eccleſiaſticorum miniſtrorum, Procuratione, & collectis, quid poſſint. 26 *& ſeqq.* Ibi Index.

Quid circa funeralium moderationem. 33. *& ſeqq.*

Spolia Epiſcoporum vt colligere poſſint. 38. *& ſeqq.*

De recurſu ſuper viam violentiæ, & ſimilibus. 46. *& ſeqq.* Ibi Index.

Circa Iudices Conſeruatores Religioſorum vt peccare contingere poſſit. 56. Ibi Index.

Circa inquiſitionem pro mercibus prohibitis quæ obligationes. 67. *& ſeqq.* Ibi Index.

De Auditore iudice bonorum Defunctorum. 76. *& ſeqq.* Ibi Index.

De viſitatore Claſſis Regiæ. 90

De eo, qui pro exequendis executorijs Regij Senatus deſignatur. 91

De aſſiſtente maiorum Calculatorum Tribunali. 92

De Præſide in Conſulatu. 93

De Indica mediæ Annatæ. 94

De iudice Menſatæ. 97

Circa inhonorantes ſe vt peccare poſſint vindictæ ſumptione. 101. *& ſeqq.*

Circa Academias vt contingat delinquere. 115. *& ſeqq.* vbi Index.

Circa ſalarium. 124. *& ſeqq.*

Circa prohibitionem contrahendi Matrimonium. 129 *& ſeqq.*

Ad ſecretum vt teneantur. 145. *& ſeqq.*

De Togatis iudicibus pro criminibus puniendis. 151. *& ſeqq.* vbi Index.

Aueria.

Vnde originem duxerit. T.5.139

Difficultates circa illam. 130. *& ſeqq.*

De Aueria maris Oceani, & quæ onera circa illam. 134. & 135

De perſonali alia. 136. *vbi quòd Eccleſiaſtici ad illam non teneantur.*

Aurum.

Circa illud difficultates aliquot. T.5.50. *& ſeqq.*

An afferri ex Hiſpaniâ in Indias queat, pro quo extat prohibitio, ſicut & circa argentum. 143

An ex Peruuio in nouam Hiſpaniam. 144

B

Baptiſmus.

Vnius Baptiſmus rebus omnibus præponendus. T.2.12

Barræ argenteæ.

De illis, & contractatione in eiſdem. T.9.Cap.4.

Bellum.

Quibus infidelibus liceat auxiliari in illo, & quantum malum ſit. T.1.23

Beneficium Eccleſiaſticum.

In eorum prouiſione experti præferendi. T.1.40

Et naturales. 63. & 64

Eorum, vtpotè digniorum prætermiſſionem, ſine peccato mortali non ſtare. 68. *& ſeqq*

Omnibus, & in omni caſu prælationis obligationem incumbere. 72

Redargutus recentior Auctor. 73. *& ſeqq.*

Qui teneant oppoſitum, & id eſſe probabile. 76

Quomodo Principes prædictâ debeant vti ſententiâ. 77

Modus philoſophandi Cardinalis Lugo prædictæ ſententiæ conſonus. T.2.18

Contra quem efficaciter arguitur. 19. *& ſeqq.*

Indigentiam, & nobilitatem, ad dignitatem conferre, iuxta quorumdam ſententiam. 22

In Beneficijs oppoſitio non facit indignum, ſicut neque prætenſio. 28

Bona defunctorum.

De illis. T.4.76. *& ſeqq. vbi de illorum iudice.*

An quinta pars debeat, aut poſſit pro ſuffragijs expẽdi. 89

Inteſtatorem ad Regem ſpectare, deficientibus cognatis intra decimum gradum. T.5.97. & 98

An ad vxorem. 99

Digitized by Google

Benemeriti.
Vide Conquiſitores, Beneficium Eccleſiaſticum, officia Venditio.

Bona naufragantium.
Non poſſe per legem à Principibus ſuo Fiſco applicari. T.5.104
Bene tamen, ſi ex prohibitis ſint. 105. *Et facta diligentia pro dominis inueniendis.* 106
Non fieri Eccleſiaſtici fori ob excommunicationem Bullæ Cœnæ. Ibid
Quæ pro derelictis habentur occupari poſſe, & quæ indicia derelictionis. 107
De naui naufragium paſſa, & obligatione Regis ad bona extrahenda. 108. & 109

Bona vacantia, inuenta atque incerta.
Ad quem ſpectent. T.5.86. & ſeqq. *Et quæ in Hiſpaniæ legibus dicuntur* Moſtrancos. 89
Leges circa illa an obligent in conſcientiâ. 87. & 90

Bulla.
Clementis VIII. de largitione munerum, an recepta. T.3.33.
Quid certum iuxta illam in praxi. 34
Bullæ in Regio Indiarum Conſilio an debeant, aut poſſint, ſecundùm eius ſtylum regiſtrari. T.5.337
Vide v. Alexand. VI. & v. Indiæ, & alibi.

Bulla Cœnæ.
Illius excommunicatio. 14. *Contra iudices laicos in cauſis decimarum qualiter procedat.* T.2.44.65.& 67
Circa eaſdem. 15.n.70
Circa 13. *de retentione Bullarum.* 91. & 92
De excommunicatione 19. *contra bannientes.* 119 & 120.
Excommunicatio 5. *circa gabellas non comprehendere tallias, collectas, & præſtantias.* T.3.100
Neque in terris non ſuis illas imponentes, vt Proreges. 101
De excommunicatione. 14. *per recurſum ad laica tribunalia.* T.4.54
Circa diripientes bona naufragantiũ. T.5.104.& 105
Exceſſus in gabellis licitis non comprehenſos excommunicat. 5. *ſicut nec talleas.* T.8.24

Bulla S. Cruciatæ.
Conceſſionem illius circa Oratorium valere, non obſtante aliâs prohibitione. T.4.53
Quàm quæſtuoſa in Indijs. T.5.211
Elapſo tempore publicationis valere qui cenſeant, ſed per paucos dies. 213. & 214
Pro ampliori ſpatio non valere coniecturas, aut Epikeam 214. & ſeqq.
Supremi Tribunalis decretum circa traditionem Bullarũ, quæ ex præcedenti publicatione ſuperfuerunt, & illius ratio. 218
Difficilis oſtenditur, quia acceptio materialiter ſe non habet. Ibid
Ex noua publicatione vrgetur. 219
An in negotio Cruciatæ poſſit aliquando Prorex auctoritatem ſuam interponere, & iuxta eam decernere. 220. & ſeqq.
Taxa eleëmoſynæ pro Indijs. 222
Milites an ad illam teneantur. Ibid
Indis mendicis an minor ſufficiat. 223
Qui ſeruientium nomine circa hoc veniant. 224
Verecundantes an etiam mendicantes dicendi. 225
Circa vſum ouorum, lacticiniorum, lardi, & butyri, ſuilli, an neceſſaria in Indijs. 226. & ſeqq.
De ſanguine. 230
Religioſis vſum Bullæ quoad multa licere, licèt eam ex bonis proprijs non ſumant. 254
Quid de meretricibus. Ibid
Nec licitam, nec validam eſſe ſumptionem ſine Prælati licentia. 255
Quæ cauſa iuſta eſſe poſſit negandi illam. Et quid ſi iniuſtè neget. Ibid
Caſus licitæ negationis, & pro eo reſolutio notanda. 256
De priuilegio quodam PP. Minorum, circa quod excurſio. 257
Nouitios eadem taxa frui poſſe. 258
Circa Sexagenarios quid concedat. 259
Quinquaginta quinquennarios neutiquam generaliter excuſandos, ſed aliquando. 264
Moniales quinquagenarias eodem priuilegio gaudere, ſicut ſeneſcentes ante ſexageſimum. 256
Etiam in ieiunijs ex voto aut præcepto. Ibid
De priuilegio quodam Ordinis D. Iacobi. Ibid
An vſus Bullæ quoad ieiunia & alia poſſit à Prælatis limitari. 266. & ſeqq.
Speciale priuilegium Societatis. 270. & ſeqq. *vbi notanda doctrina circa Commiſſarium.*
An ſit neceſſaria Religioſis ad Indulgentias lucrandas, & gratiarum aliarum fruitionem. 273. & ſeqq.
Suſpenſio gratiarum. 274
Non indigere illa, niſi ad perſonales. 282. & 283
De Indulgentijs cõmunibus Religioſis & ſæcularibus. 284
Nouitios gaudere poſſe, non Oblatos. 285
Religioſi non Mendicantes vt gaudeant, ſi priuilegium habeant communicationis. 286. & 287
Circa Moniales reſolutio eadem. 288
De Indulgentijs generaliter conceſſis. 289 290
De Indulgentia Altaris priuilegiati. 291. & ſeqq. *vbi notatu digna quædam.*
Indulgentia pro viſitantibus quinque Eccleſias, aut quinque Altaria, an ſit Plenaria. 297. & & ſeqq.
Specialis quædam in Bullâ conceſſa ex quâ difficultas. 498
Indulgentia Altarium an toties quoties. 300
Quid nomine Eccleſiæ veniat. 302.303
Gratiæ æqualiter reuocentur. 307. & ſeqq.
Quid quando ad ſæculares tantùm ſpectat. 308. & ſeqq.
An ſufficiat Religioſum Bullam ſumere ad omnem difficultatem ſubmouendam. 309
De facultatibus non reuocatis pro Religioſis. 316. *vbi quod eadem earum eſt ratio ac gratiarum.*
Illius priuilegia amplè interpretanda. 324
An Bulla ſuffragetur Religioſis quoad reſeruata. Ibid. & ſeqq.
Partem affirmantem non eſſe ab intrinſeco probabilem. 326. & ſeqq.
Vnica, ſolidiſſima, & irrefragabilis pro ea ratio ex Pontificia auctoritate. 328. & ſeqq.
Decreta circa illud conceſſione Bullæ minimè reuocari. 329.
Pontifices vt Doctores priuatos locutos minimè tolerabilis aſſertio. 330
Nihil in illis non probandum extare, & conſequenter dictum. 331
Theologica cenſura digna reſpectu Vrbani VIII. 332
Nouum addere robur Clementis Bullæ oſtenditur, & reſponſio ex eo propoſita confutatur. 333
Cur non appoſita exceptionis clauſula, & quòd etiam addita non prodeſſet. 334
Bullam Vrbani admiſſam & publicatam, & reſponſio ex eo reiecta. 335
Supplicatum Pontifici reſponſio alia, contra quàm validè arguitur. 336

Pontifi-

Digitized by Google

Pontificem contractui non defuiſſe. Ibid. vbi & quædam alia.
Ex defectu regiſtri in Conſilio Indiarum argui non poſſe. Ibid.
Vulgaris exempli diſcuſſa caligo. 338
Ad ſecuram tenendam viam in negotio præſenti vehemens cohortatio. 339
Nouitijs vt prodeſſe queat. 340. & ſeqq. vbi & poſſe pro illis peccata reſeruari.
Profeſſos ſub cura Magiſtrorum verſantium eâ quoad prædictum effectum minimè frui poſſe. 343. vbi de Oblatis.
Religiones non Mendicantes an gaudeant illa ad eumdem. Negatur, & de Militaribus affirmatur. 344
An pro non reſeruatis vſus talis liceat. 346. & ſeqq.
Negatiua reſolutio. 354
Pro Societate ſpecialiter illam vrgere. 355
Bullæ vſum cum Prælatorum licentia licere; contra aliquos. Ibid.
Pro Societate vlterior probatio, cum vtili monitione. 356
Non prodeſſe Regularibus quoad caſus papales, & pro oppoſito neque rationem, neque auctoritatem ſuffragari. 357

Bulla Compoſitionis.

Vt currat in Indijs pro qualibet quantitate. T.5.231
Specialis difficultas circa obligationem compoſitionis, & quando in aliam publicationem differri queat. 232 & 233
Non exhibitis Bullis quomodo fiat iſta compoſitiò. 234 & 235. vbi de Commiſſarij facultate, & qualiter debeat de illius facto præſumi.
An pro minori quantitate fieri poſſit in caſu extraordinario. 236. & ſeqq.
Quomodo vti ea poſſit in reſtitutione pro damnis Indorum. T.6.18. & 19

Bulla defunctorum.

Taxa eleëmoſynæ pro illa & difficultas quædam circa illam. T.5.242
Alia circa nomen Hiſpanorum. Ibid. & ſeqq.
Pro Catechumenis an ſumi queat. 242. vbi quid pro exteris, qui eam viuentes ſumere non poſſent.
De mixtim progenitis difficultas. 244. & ſeqq. vbi notanda doctrina ſpecialis.
De habente vnam tantùm quartam partem ſpecialis diſquiſitio. 247. & ſeqq.
Reſolutio circa caſum Bullæ. 251. vbi peculiaris quæſtio de dimidiato fructu ex eleëmoſyna dimidiata.
Alia item de duabus dimidiatis. 252
Ex ſeruitute quartaronis ſpecialis obiectio, cui fit ſatis. 253

C

Canonicus.

IN oppoſitione ad Canonicatus juxta morem Indiarum, an neceſſariò præſentandus, qui plura tulit ſuffragia. T.1.89. & ſeqq.

Caſtitas.

In judicibus valdè neceſſaria. T.4.5

Cenſura.

Qua digni donationi Pontificiæ Indiarũ inſenſi. T.1.18
Quomodo eorum aſſertio ſapiat hæreſim. 19
Quid ſit hæreſim ſapere. Ibid. 20. & 21

Charitas.

Contra illam quando formaliter ſit peccatum. T.3.70 & 71.
Non teneri quemquam gratis ſubuenire extremè laboranti, ſi habeat vnde compenſare queat, etiam ſeruitute. T.9.201
Bonum ſpirituale vt debeat temporali præferri. 211

Chriſtianus.

In Chriſtianâ Republicâ quantum dedeceant improborum cohortes, qui penitus exterminandi. T.3.80

Chriſtus.

Cur noluit hæreditatem diuidere inter fratres. T.1.21

Claſſium Indicarum annua expeditio.

De obligatione Regis ad illam. T.1.Cap.15

Clericus.

Quomodo poſſit per alios negotiari. T.3.16. & T.9 147. & 148.
Clericum non paratum in crimine proſequi, teneri à judice laico non poſſe. T.4. 106. poſt ſententiam aliorum, de quâ. 105
De fuga ſuſpectum capi poſſe. 106. Et ſpoliari armis, quando poteſt capi. 107. Sed pœnæ pecuniariæ aliam eſſe rationem. Ibid
Non poſſe ſuo priuilegio renuntiare. 121
Inueniens theſaurum cui acquirat. T.5.62

Coca.

Quid & alia circa ipſam. T.1.138. & ſeqq.
Præbendarios illius culturam abſurdiùs vrgere. 142
An licitè vendi poſſit, cùm de frequenti abuſu conſtet. 143. & ſeqq. Cum vtili doctrina.
Arbores eius an colere Religioſi queant. T.9.140

Commendæ Indicæ Commendatarius.

Commendæ propria Conquiſitorum præmia. T.1.57
Poſſunt dari alijs etiam in Hiſpaniâ. 58. & 60
Ex accidenti non licere, quando ſcilicet Regni neceſſitates occurrunt. 59. Obiecta ſoluuntur. 61
De Regijs Commendis. T.5.186. & ſeqq.
An ſpecierum valor debeat augeri. 187
De Commendatariorum obligationibus. T.7. Ibi Index marginalis.

Commendatarij Mercatorum.

Si non regiſtrent, an inde pœna commiſſi in Commendatarios. T.5.139
De illis ex profeſſo. T.9.212. & ſeqq.

Communio.

Poteſt eſſe obligatio ad illam intra annum ſub mortali, propter ſcandalum. T.3.4

Compenſatio.

An liceat illi, cui officium à Rege venditum, & plus poſteà offerenti datur. T.5.169

Compoſitio.

Facta per Bullam circa incerta, eſſe reddenda illa domino comparenti qui cenſeant. T.5.87
Vide Bulla Compoſitionis.

Concilium.

Concilij Limenſis prohibitio circa negotiationem Eccleſiaſticorum quomodo intelligenda. T.9. 149. vbi & de qualibet alia Concilij prohibitione, pariter accipienda.
Religioſos non ligari generaliter, ſi exempti ſint, legibus non Generalium Conciliorum. 150
De Concilij Prouincialis auctoritate ſupra ſingulos Epiſcopos. 158. & ſeqq.
Vide Archiepiſcopus.

Concionator.

Vt debeant ſapientibus & Proceribus loqui. T.4.16
Quorumdam exceſſus. 100
Inexcuſabiles, quia eorum zelus non ſecundùm ſcientiam. Ibid.

Digitized by Google

Vbi & optima concionandi formula. Libertas dicendi exitioſa. 111. & 112. *vbi præclara documenta. Quomodo ſe gerere in talibus Gubernatores debeant.* 113. & 114. *vbi memoranda exempla.*

Confeſſarius.

Circa Pœnitentem dubium de aliquo qualiter ſe geret, ſi in declaratione periculum timeatur. T.1.122. & 123

Si bona ſit fides, quid item. 124. & 155

Proregis, qualis. T.3.5

Confeſſio.

Annua, moraliter loquendo, non ſufficit ad vitanda mortalia, & per accidens poteſt eſſe obligatio frequentioris. T.3.4

Confirmatio.

Quam habeat vim. T.3.95

De obligatione petendi confirmationem officij, & quædam circa terminum in lege præfixum. T.5.183 & *ſeqq.*

Conquiſitores.

Sunt Benemeriti, quibus præmia debentur ex gratitudine. T.1.47

Et etiam ex juſtitia. 48

Commutatiua. 49

An ex diſtributiua, cuius formalis ratio exponitur. 50

Pactâ mercede ſolutâ, non eſt vlterior ex juſtitia obligatio, etſi minùs proportionata poſteà appareat. 51

& etiamſi merces pacta non ſit. 52

Non eſt illa iuxta rem partam, ſed iuxta laboris qualitatem penſanda. 54

Ex quâ iuſtitiâ ſit obligatio. 55

Erga filios, & poſteros alios remuneratio continenda. 56

Præferendi in Beneficiorum collatione. 62. & 63

Etiam in Curatis. Ibid. & 65

Secus ſi fiat, peccari mortaliter. 65. & *ſeqq.*

Non præferendo Benemeritos quomodo contra juſtitiam peccetur in officiorum venditione. T.5.171. & 172

Conſeruator.

De Conſeruatoribus vt debeant ab Audientijs recognoſci, & quid circa illos valeant diſponere. T.4.56. & *ſeqq.* Vbi Index.

Priuilegia Religionum, & ſpeciale Societatis, pro ijs, quæ judicialem indaginem requirunt. 60

Conſilium.

Obligatio reſtitutionis ex illo, quando ab ignorante tributum. T.2.4

Conſiliarij.

Vide v. Auditores Regiarum Audientiarum, & *ſequenti.*

Concilium Regiarum Indiarum.

Conſiliarij illius quantum Regiam conſcientiam, & ſuos pariter erga Reges ſibi beneficos, exonerare debeant. T.2.1

Bono debent communi conſulere, & nullum eſſe Indiadiarum bono communius. Ibid.

Sub mortali tenentur Indicarum rerum notitiam accurrare. 2. & *ſeqq.*

Quàm grauia damna ex defectu ſapientium Conſiliariorum. 5

Quinam ad tale munus idonei. 7. & 8

Sub mortali tenentur ad negotium fidei ſolerter promouendum. 9

Et idoneos Miniſtros pro illo mittere: neque inde ærarium exhauriendum. 10

Negotia ſpiritualia ſub mortali etiam præferenda. 12

Eiſdem tenentur Regi proponere digniores. 14. & *ſeqq.*

Quidquid de diuerſitate opinionum ſit circa Regum obligationem. Ibid

Id procedere quando certa habetur de dignitate notitia, qualis non frequens pro Indicis. 17

Ad Eccleſiaſtica maximè proponendos digniores. 22

Periculum deceptionis vitandum. 23

Ad Epiſcopatus non admittendos prætenſores, quia indigni juxta ſacros Canones. 24. & 25

Religioſi præſertim repellendi. 27

Quæ incommoda in prouiſione Epiſcoporum vitare debeant. 31. & *ſeqq.*

Vide Indicem marginalem.

Opportunum arbitrium circa confirmationem, & conſecrationem, 40. 41. & 42

Quid pro Hiſpaniâ. 43

Decimalium cauſſarum cognitionem an aſſumere poſſit. 44. & *ſeqq.* Ibi Index.

Ratio fundamentalis pro parte negatiuâ. 65

Circa recurſum in Eccleſiaſticis per viam violentiæ. 68 & *ſeqq.* Ibi Index.

Debere Indicus Cancellarijs moderationem inculcare, &c. 81

Recurſum in Indijs eſſe tolerabiliorem. 82

Religioſis vt liceat. 83. & *ſeqq*

Illius remedium adhiberi poſſe, ſicut & appellationis, ſed non à Religioſis. 90

Pontificias Bullas an retinere poſſit. 91. & *ſeqq.* Ibi Index.

Quomodo eos obligant Regiæ Ordinationes. 96. & *ſeqq.*

Qualis obligatio in Conſilij Præſide circa curam obſeruationis earum. 100. & *ſeqq.*

Suis legibus quomodo teneantur. 103. & *ſeqq.*

Turbationum auctores, ſi Eccleſiaſtici ſint, an poſſint à regno expellere. 109. & *ſeqq.*

Quid circa Epiſcopos. 123. & *ſeqq.*

De ſtylo comminatorio circa Eccleſiaſticos. Et an illis liceat. 127. & *ſeqq.*

Conſuetudo.

Stat illa, etiamſi abrogatio ſit, non tamen expreſſa. T.5.151

Non probatur ex dicto vnius Doctoris. 152

Quæ rationabilis. 227. 228. *vbi ſpecialiter de jeiunio.*

Leges Pontificias non abrogare conſuetudines. 229

Conſulatus Mercatorum.

De illo. T.9. *Cap.* 1. & 2. Ibi Index. *Et notanda nonnulla.*

Contractus.

De contractu circa argentum viuum inter Regem & Minerarios. T.5.80. & *ſeqq.*

Contractum conditionem incluſam habere, ſi alter illi ſtet. 82

Cum Rege periculoſum. Ibid.

In contractu quando peti poſſit reſtitutio in integrum. 168

Attendenda in illo maior pecuniæ æſtimatio ſecundùm diuerſa loca. 169

In contractibus ſub intellecta clauſula, Rebus ſic ſtantibus. 195

Qui bonæ fidei, judicis patiuntur arbitrium. Ibid.

Metu factus, nullus, aut reſcindendus. T.7.22

De contractu pinnarum argentearum. T.9. Cap.3

Anticipata ſolutione vt emi poſſit. 12.13. & 17

De contractu Barrarum. Cap.4

De contractu argenti viui. Cap.5

Contractus vtiles Reipublicæ non debent facilè reprobari. 47

Contractui non ſtans ſine graui culpa, non tenetur ad compen-

Digitized by Google

compenſationem. 61
Cùm obligatio ſuperadditur contractui, pretium etiam adiiciendum. Ibid.
De contractu circa Indos pro Mineris aſſignatos. Cap.6
De contractu circa fruſta argenti ab Indis ſubrepta. Cap.7.
Contractui Societatis quomodo contraria ſit aſſecuratio capitalis, vbi de contractu triplici, in dante ad damnum. 109
De contractibus Eccleſiaſticorum in Indijs. 140.*& ſeqq.*
De contractu Æthiopicorum mancipiorum. 180.*& ſeqq.* Ibi Index.
De contractu hydromelici potus. 206. *& ſeqq.*
De contractu Commendatariorum cum Mercatoribus. 212. *& ſeqq.*
In contractu delinquens vt teneatur de fortuitis. 213
Contractus non ſemper nullus ob ignorantiam. T. 10.29

Conuerſio.

Noui orbis quanti facienda. T.1.18

Culpa.

Regula ad cognoſcendam illam in ordine ad reſtitutionem. T.5. 1.*& 5*
Quæ non ſufficiat in Commendatario. T.9.218
Vide Depoſitarius.

D

Damnum.

DE damno emergenti. T.9. *Cap.* 11. *vbi notatu digna.*
De damnis à Prætoribus Indis illatis, & quæ inde obligationes. T.6.17.*& ſeq. &* T.7.9.
Vide Reſolutio, *& alibi.*

Debitor.

Inculpabiliter morus non tenetur ad compenſationē. T. 9.61.*Licèt oppoſita ſententia ſit cōmunis.*65.*& 66*

Decimæ.

Decimales cauſſas ad iudices tantum Eccleſiaſticos pertinere. T.2.44.56.*& ſeqq.*
An aliquando ad Conſilium Regium Indiarum. 45. *& ſeqq.*
Duorum Nouenorū leuatio unde iuſtificetur. 50.*& ſeqq.*
Et cognitio iudicialis eorum. 66
Etiam cùm in feudum aut Emphitheuſim dantur, ad forum ſacrum pertinere. 57
Circa ius decimandi id certum. Ibid. *&* 58. *Quid de aliquorum praxi, & quod Theologorum potiùs ſtandum ſententiæ.* Ibi. *Cautè legendos Auctores quoſdam.* 59. *Gregorius Lopez defenſus.* 60. *&* 61. *Quæſtionem non ſolùm eſſe facti.* 62.*& 63.*
Validum argumentum ex redonatione. 64
Indiarum Audientiæ an præfatam habere poſſint cognitionem. T.4.18. *& ſeqq.*
A partiarijs & Cenſuarijs Religioſorum Colonis non deberi. 18
Deberi ex auro & argento. T.5.46
Vbi quod ex Iure Canonico colligatur. In conſcientia deberi. 47
Iuxta Cæſareum duplicem deberi decimam, quintatione temperatum. 48
Ex margaritis etiam & gemmis. 75

Declaratio.

Pontificia quam vim habeat. T.1.1

Dæmon.

De illius arte inuento theſauro T.5.67.*& ſeqq.*

Depoſitarius.

Ex quâ culpâ teneatur. T.4.196. *&* T 8.33. *& ſeqq. vbi de obligationibus Depoſitarij generalis.*

DEVS.

Etiam diſtantiſſima videt, tangit, & regit, & ideò Rex magnus. T.1.80. *&* 81
Ad ſupplicium venit inuitus. T.4.189
Quod vna via ab eius voluntate recedit, per aliam relabitur. T.9.54
Vindex formidabilis contra non attendentes vultum eius, ſed humanos reſpectus. T.11.4
Beneficentiſſimus Protector. 5

Dominium.

Indiarum. Vide Donatio, & Indiæ.
Quod iuriſdictionis quid dicat. T.1.128
Dominij tranſlationem non impediri ex eo quod lex dicat. Non poſſit. T.3.24. *&* 25
Locus ſacer ſub dominio an ſit. T.5.61
Quomodo apud rei inuentorem, & priorem dominum ſtare queat. 94
Fluminis vt eſſe queat. 164

Donatio.

Indiarum à Pontifice. Vide Alexander VI. & Indiæ.
Qualis Regibus Portugalliæ facta. T.1.3
Certum donationis fundamentum ex poteſtate Eccleſiæ circa fidei propagationem. 13. *& ſeqq.*
Donatio decimarum. T.2.45
Non impletâ conditione rem in ſtatu priori manſiſſe. 46
Fuiſſe totalem. 48
Succeſſoribus præiudicaſſe nec tamen cenſendum patrimonij detrimentum, exemplo Conſtantinianæ. Ibid
Quæ ſit iudicibus regulariter non eſſe gratuitā. T 3.27
Religioſi quas facere queant. 33. *& ſeqq.*
Præſumptam Prælati ſufficere voluntatem. 144
Ex cauſſa non ſubſiſtente vim non habere. T.4.124

Dubium.

Excludit bonam fidem. T.8.38
In eo vt faueat poſſeſſio, & fauorabilis interpretatio pro quo facienda. T.9.217

E.

Ebrietas.

INdis & Neophytis alijs valde pernicioſa. T.9.206

Eccleſia.

In illius actis fraudem non eſſe. T.1.9
Poteſtas in illâ ad propagationem fidei, vnde donatio Indiarum. 13. *& ſeqq.*
Diu vacantium damna in Indijs. T.2.32
Ex facili tranſlatione, pro quâ neceſſitas aut vtilitas requiſita. 34
Nec quamlibet ſufficere. 35. *&* 37
Vrgens pro eo ratio ex non admiſſa, vt accidere poteſt, promotione. 38
Eccleſijs Indiarum redonatum decimarum ius à Regibus Catholicis. 47
Sine illorum licentia non poſſe Eccleſias in Indijs extrui. T.3.154
Quomodo immunitati Eccleſiaſticæ non contrariū. Ibid
Non procedere tantum de Cathedralibus. 155
Quæ permitti queant. Ibid
Vacantium fructus in earum debent vtilitatem expendi, etiamſi ſucceſſoribus reſeruentur. T.5.111. *&* 112
Pro Indijs ſpecialis diſpoſitio. 113
Quomodo iuſtificari queat, cùm ad Eccleſiaſticam ſpectet poteſtatem. Ibid

Digitized by Google

Eccleſiaſtici.
Legibus ciuilibus vt teneantur. T.5.208.& 210
Vide Clericus, Contractus, Immunitas.
Electio.
Vide Beneficium Eccleſiaſticum, Conſilium Indiarum, Epiſcopus, Prorex, Senatores Vrbani.
Epikeia.
Quomodo legem corrigat, & alia de ipſa T.5.238
Epiſcopus.
Dignitatem eorum ambientes eo ipſo repellendi T.2.24.& 25
Locus Apoſtoli, Qui Epiſcopatum deſiderat, &c. *quomodo intelligendus.* 26
Venalitas circa iſta peſtis penitus abolenda. 27
Simonia palliata diſiecta eleganti moderni Auctoris diſcurſu. Ibidem.
Qualis Epiſcopus eligendus. 29
Dilatio conſecrationis quàm pernicioſa in Indijs. 39
Nec ſufficienter illis prouiſum. Ibid.
Conſecratio & confirmatio ad quos olim pertineret. 41
Epiſcopalis iniuria quanta ob ſublimem dignitatem, quæ illuſtratur. 123
Vocari à Regibus poſſe iuxta ſacros Canones, vnde argumentum pro expulſione. 125
Quomodo abſentiæ damna compenſentur. 126
Poſſunt habere quot voluerit ſatellites, & familiam armatam. T.4.312
Tenentur Eccleſiaſticam defendere libertatem. 98
Nomen Epiſcopi quid ſignificet. Ibid.
Poſſunt habere Fiſcum, & pœnas pecuniarias imponere ſuæ Cameræ applicandas. T.5.151
Non tenentur ſtare locutioni Anteceſſorum proprio nomine factæ. T.11.17
Contra obedientiam illis debitam non præſcribi, nec conſuetudinem valere contra neruum Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Neque taciturnitatem Anteceſſoris præiudicare ſucceſſori, aut præſcribi ratione illius poſſe ſine titulo. Ibidem.
Non ſuſpendi illius ſententiam per appellationem, quando agit ſua iura defendens. Ibidem.
Vide v. Concilium, *& v.* Archiepiſcopus *& v.* Beneficium.
Excommunicatio.
Quomodo ſit medicinalis. T.3.150.& 151
Supponit peccatum mortale, & nequit contra operantem iuxta opinionem probabilem fulminari. T.4.21
Pro manifeſta tantùm, & rationabili cauſſa fulminanda. T.5.121
De excommunicatione contra Parochos Indorum contractantes. T.9.151
Sublata illa. 157
Exemplum.
Per exempla iudicandi ſtylus in Proregibus generaliter non probatur, maximè in rebus Eccleſiaſticis. T.3.92
Et generaliter per exempla, inferiorum præſertim tribunalium non iudicandum. T.4.22.& 23
Non arctant regulam. T.5.247
Circa morum exempla vide Auditores, Conſiliarij, Conſilium Regium, Filius, Parochus, Prorex, Religioſus, Regularis, *& alia.*
Experientia.
Quæ circa malum, non eſt neceſſaria, ſed periculum ſufficit ſubuerſionis. T.1.14
Quomodo ſit Corona. 40
In Beneficiorum prouiſione experti præferendi. Ibidem

F

Fabrica.
AD *illas vt poſſint Indi compelli.* T.1.149.& 150
Facultas.
Quid ſignificet in Bulla Cruciatæ. T.5.281
Famulus.
Ex neceſſitate ſeruienti, & vltroneo debetur iuſtum ſtipendium, ſed minùs, quàm inuitato. T.8.31
Feſtum.
Qui actus iudiciales in eo non liceant, & quid pro Indijs. T.4.203
Poſſe pro illis à Tabellionibus laborari. 209
Feudum.
Vide Decimæ.
Fideiuſſor.
Quo vſque obligetur, cùm crimen eſt multorum.
Fidelis Executor.
Eius obligationes. T.8.30.& ſeqq.
Fides, Fidelis.
Fidelis infideli vt ſeruire poſſit. T.1.15
Fidei obſtaculum in Indijs labor in Mineris coactus. 117
De bona fide circa poſſeſſionem doctrina vtilis. T.9.184.& 189
De emente ab eo, qui poſt bonam fidem dubitauit. 192
Filius.
Filij parentum exempla ſequuntur, quod pro Spiritualibus. T.1.36
Illos ita educare, vt parentes non agnoſcant, inhumanum videri. T.4.139. *Vbi quod ab ortu ipſo mutua cum riſu debet eſſe cognitio. Exponens filium nequit eum repellere, niſi cum certa limitatione.* 140
Suſpenſum pro tota vita tenere, graue videri peccatum. 141
Non ita per tempus aliquod. 142
Bona aduentitia poſſe à patre ad longum tempus alienari. Ibidem. *Vbi caſus ſpecialis diſquiſitio.*
Fiſcalis, Fiſcus.
Fiſcalium obligationes, & qualiter circa illas peccare contingat. T.4.163. & ſeqq. *Ibi Index.*
Fodinæ metallicæ.
Vide Minæ, & Mineræ.
Forma.
Non ſeruata actus corruit. T.5.114.& ſeqq.

G

Gabella.
G*Enerale eſſe nomen impoſitionum tribunalium.* T.3.98
Regibus, & Principibus ſupremis, & non ſoli Regi Romanorum ad eas imponendas eſt poteſtas. 99
Pedagium quid. Ibidem.
Quid Guidagium. 100
Moderandas illas rebus non eodem modo ſe habentibus. T.5.36
Continuas querelas exceſſum earum indicare. Ibid.
Antiquam conſuetudinem non ſufficere. Ibid.
Illas, de quarum iuſtitia dubitatur; aut nouas, vel de nouo auctas, non obligare in conſcientia, quorumdam ſententia. 133
Pro ædificijs Regijs exactionem aliquam conſtitui poſſe. 191

Collectas

Digitized by Google

Collectas; quæ à Rebus publicis fieri poſſunt, non venire nomine gabellarum. 192

Gratia.

Illius ſimplex conceſſio ad præterita non extenditur. T.4.99.

Quid eo nomine deſignetur in Bulla Cruciatæ. T.5. 280. & 307

Quædam ſpecialis pro Concionatoribus. 308

Gratitudo.

Quomodo plus reddere ad eam ſpectet, & ad Religioſos poſſit applicari. T.3.37

Gubernator.

Pro Indijs non ideò aptus, quia bonus miles. Et damna ex contraria praxi. T.1.85

Poſitiua notitia idoneitatis requiſita: quod generale in officijs. 86

Aliquando ſub mortali tenetur veniales vitare in Republica defectus. T.2.101

Vt debeant improbos exturbare T.3.80.& 81

Vt dici diuini queant. T.4.101

Impediti tenentur conſtituere ſubſtitutum T.8.39

H

Hæreſis, hæreticus.

QVantùm *hæreticis Reges Catholici circa Indias debeant obſiſtere, quorum declarata malitia.* T.1.24

Pacta cum illis non ineunda. 25

Vt liceant. 26

Hiſpania.

Illius imperij magnitudinem obſeruantia Sedis Apoſtolicæ, & eiuſdem creſcere ſubiectione. T.2.81

Hoſpitale.

De Hoſpitalibus Indorum. T.11. Cap. 3. *Vbi an Capellani appellare de mandato Epiſcopi poſſint in rebus ad miniſterium eorum ſpectantibus.* 16. & 17

Humilitas.

Illius faſtigium, & quod virtus Chriſtiana eſt. T.4.6

I

Ianaconæ.

QVinam *illi apud Peruuianos, & de eorum ſeruitio non ſpontaneo.* T.1.153. & ſeqq.

Ianitores.

Audientiarum Ianitorum obligationes. T.4.211. & ſeqq.

Idololatria.

Victoriarum obſtaculum non penitus in Indijs extirpata. T.1.118

Ieiunium.

Sexagenarij an poſſint carnes comedere in diebus ieiunij. T.5.259. & ſeqq.

Non quamlibet debilitatem à ieiunio excuſare. 261

Quæ cauſſa ſufficiens ad diſpenſationem. Vbi pro Indijs aliquid. 262

De Medici conſultatione. Ibidem.

Sexagenarios à lege ieiunij exemptos quoad vnicam comeſtionem. 264. *Vbi quòd ſufficiat ſexageſimum inchoatum eſſe ad priuilegium Bullæ, quod eſt diſtinctum. Vide.* Bulla Cruciatæ.

Ignorantia.

Quæ ſufficiat ad præſcriptionem. T.5.202. & 203

Ignorantiam non ſemper reddere contractum. T.10. 49

Immunitas Eccleſiaſtica.

Circa Gabellas. T.3.108. & ſeqq.

Ibi Index.

Regula ad dignoſcendam læſionem libertatis. 109

Aliud eiuſdem argumentum. 110. & T.5.142

Quorumdam ſententia circa augmentum pretij non remanentis apud Eccleſiaſticos, vt queat ſuſtineri. Et quid circa caſum ſpecialem. T.3.111.& 112

De Gabellæ impoſitione cum obligatione reſtitutionis in fine anni. 113. & ſeqq. *vbi notatu digna aliqua. Obligationem eſſe reſtitutionis quando contra immunitatem peccatur, vti certum ſtatuitur.* 117

P. Thomam Sancium oppoſitum non docuiſſe, oſtenditur contra Cardinalem Lugo. 118

Ex calce & lateribus Alcaualam non deberi ab Eccleſiaſticis. 119

Ad contributiones aliquas teneri, & quæ illæ. 120. & 122

Si non contribuant, ad reſtitutionem teneri. 121

Recurſus ad Sedem Apoſtolicam quando neceſſarius. 122. & ſeqq. *vbi varietas ſententiarum.*

Adeundum ſaltem Epiſcopum. 125

Non compellendos à laica poteſtate. 126

Quod ſi Epiſcopi renuant. 127

Pro neceſſitate recurſus ad Pontificem inſtatur. 128. & ſeqq.

Ciues non debere iuxta cuiuſque contribuere facultates 131

Si Propria non ſufficiant, non ideò grauandos Eccleſiaſticos. 132

Facultates laicorum vt debeant æſtimari contra Recentiorem. 133

Lex Hiſpaniæ explicata. 134

In Indijs quomodo poſſit eſſe recurſus. 135

Regem, cùm aliquid ab Eccleſiaſticis exigit, non eſſe temerè condemnandum, quia opinione vtitur probabili. Ibidem.

Animaduerſio notanda circa Pontificum diſpoſitiones non tollentium probabilitatem opinionum 136

Cleri nomine qui veniant. 137. & ſeqq.

Religioſos non venire, quia ad exactiones non tenentur, vbi Priuilegium Societatis. 140

Quid quatenus fauorabile. 141

Contra immunitatem non valere conſuetudinem. T.4.52

Statutum circa merces vetitas vt ſit contra libertatem. T.5.142

Leges ciuiles vt obligent Eccleſiaſticos. 136. & 142

An poſſit prohiberi iudicibus Eccleſiaſticis, ne pœnas pecuniarias imponant Cameræ applicandas. 148. & 149

Quid de applicandis alteri. 150. & ſeqq.

De lege prohibente ne terræ per compoſitionem habitæ Eccleſijs vendantur. 162

Non eſſe contra illam officium vendi à Rege ſub conditione non transferendi illud in Eccleſiam, Religioſos, &c. 181

Pragmatica de Papyro ſignata, & ſi Gabella non ſit, non poſſe ad Eccleſiam extendi. 208 & ſeqq.

Informatio contra Parochum quomodo fieri poſſit à Commendatario. T.7.14

Clericus negotiator quando fori priuilegium amittat. T.9.n.9. *Vbi de Conſulatu quid dicendum.*

Indi.

Indi in ſeruitutem redigi non poſſunt, & quando id liceat, vide v. Seruitus.

Digitized by Google

Min:tis effodiendis an queant addici. T.1.109. *& ſeqq.*
Monti Huancabelicenſi ſacrificant. 116
Labor prædictus magnum obſtaculum ſtabiliendæ fidei. 117
Ad labores aliquos poſſunt compelli. 128
De Agricultura. 129
De paſtoritia cura. 139
De hoſpitijs viarum. 131
Ad portanda onera vt cogi queant. 132
De pannorum officinis. 133. *vbi notandum arbitrium.*
De ſeruitio in priuatis domibus. 134
Quo poſſit pretio redimi. Vtilis quæſtio. 135. *& ſeqq.*
Pro colenda Coca non poſſe diſtribui. 138. *& ſeqq.*
De conſtructione Eccleſiarum. 149
De ædificijs alijs. 150
De commercio litterarum. 152
De Ianaconarum ſeruitio. 153. *& ſeqq.*
In eorum fauorem licent in Feſtis actus iudiciales. T.4.203
Indus contra Indum *an priuilegio aliquando gaudeat.* 209
Indos in Curia moroſè detinentes quantorum ſint cauſſæ malorum, & quàm hoc illis formidandum. 210
Indis vt teneantur Aduocati *patrocinari gratis, ſi pauperes ſint.* 218
Indi quomodo ab aliquibus vt panis deuorentur, & eorum ſupplicium T.5.22
Ab Alcauala *exempti.* 122
Vt illis debeant agri diſtribui 158. *&* 159
Ad vindemias non conducendi, neque admittendi. 201
Benignè tractandi ab omnibus Miniſtris Eccleſiaſticis & Regijs: & qualis pro eo obligatio. T.7.8
Quantum id eorum mereatur Indoles. Ibidem. *Ex Limenſis Concilio, nihil Commendatarijs præter tributum debere, & gaudere iure pleniſſimæ libertatis.* 17
De contractu circa Indos *in Mineris laborantes.* T.9. Cap.6
Sunt Chriſti hereditas poſtulata ab ipſo. T.11.4

Indiæ.

Earum non ſolùm conquiſta, ſed dominatus Regibus Catholicis à Pontifice attributus T.1.2. *& ſeqq.*
Sine eo ius nullum in ipſis. Ibidem. *Aliæ præter celebrem* Alexandri. 6
Pontificium conceſſiones. 5
Certum donationis fundamentum ex poteſtate Eccleſiæ erga propagationem fidei. 13. *& ſeqq.*
Quanta maturitate facta. 18
Formula poſſeſſionis illarum. 47

Indulgentia.

Quid ſit, & peculiaris circa illud difficultas. T.5.275
Religioſis conceſſa viſitantibus ſuas Eccleſias propoſita & explicata. 295. *& ſeqq. cum notatu digna doctrinà. Et an ſit plenaria.*
Indulgentiæ *non habentes cauſſam proportionatam ſunt inualidæ.* 298
Probabiles opiniones nihil circa lucrandas Indulgentias *iuuare.* 299
An Indulgentia *viſitationis toties quoties obtineri poſſit.* 300
Operi pro Indulgentia *improportionata aliquis fructus reſpondet, & eo multiplicato poteſt eſſe proportio.* 301
Quid nomine Eccleſiæ intelligatur. Vbi de Oratorijs notanda doctrina. 302. *&* 303
Amplior Indulgentia *viſitationis Ordini Diui* Iacobi *conceſſa.* Ibidem.
Circa modum viſitationis, & preces fundendas, ſcitu digna. 304. *&* 305
Quid pro infirmis. 306

Infidelis.

Vide, Bellum.

Informationes.

Ex Indijs *miſſæ parùm ſæpè veridicæ.* T.2.17

Iniuria.

In verbis ſtare poſſunt, & pro eis eligi conſeruator. T.4.64. *& ſeqq.*
Vide, Conſeruator.

Inquiſitores.

Vt debeant confiſcata bona Regio Fiſco tradere. Et pro Indijs quid ſpeciale. T.5.154. *& ſeqq.*
Receptoris S. Tribunalis obligationes. 157

Instructiones.

Poſſunt in conſcientia obligare, quia ſunt leges, & grauiter ex materiæ grauitate. T.3.85

Iudex, & Actus iudiciales.

Contra probabilem, & receptam ſententiam iudicans vim facere videtur. T.2.90.
A quibus ſine ſcrupulo munera poſſint accipere. T.3. 31
Quando iudex creari poſſit, qui alterius officij rationem in Syndicatu non reddidit. 97
Zelum in illis manſuetudine temperandum, & cum tremore ad ſententiam veniendum. T.4.161
Extra iudiciali notitia vt poſſit vti iudex, & ex ea pœnam imponere. 188
Circa mortuos mitiùs agendum. 190
Pro quo non debitis ex officio aliquid accipi poſſe; & non eſſe contra iuramentum. 196
Quot ſint actus iudiciales, qui in Feſto non licent. 203
Circa pœnam commiſſi non poſſe iudicem arbitrium habere, & ad reſtitutionem ex violatione teneri. T.5.140
Inquiſitio contra non laborantem infamia cur non liceat. T.7.13
Quando licita. Ibidem.
An iudex laicus poſſit auctoritatem ſuam interponere in informatione quæ fit contra Eccleſiaſticum ad informandum Prælatum. 14
Peccata iudicum ſpecialem malitiam habent. T.8. 13. *&* 15
Iuxta opinionem minùs probabilem vt iudicare queant. T.9.7
Eam aliquando præferendam. 8
Contra iura Regia etiam iudicari aliquando poſſe. 10. *vbi de Conſulatu.*

Iuramentum.

Quod circa legum obſeruantiam fit, non plus obligat extenſiuè, & quomodo interpretandum. T.4.9
Ad ſtatuta vſu non recepta non extenditur. Ibidem. *&* T.6.4. *vbi de iuramento Prætorum Indicorum: ſicut in priori de iuramento Medicorum. De ſecreto ſeruando vt obliget.* T.4.146. *vbi quod de re leui non obliget ſub mortali.*
Vt queat in Syndicatu ſine peccato iurari ratione damni, quod timetur, non reſpondendo ad mentem interrogantis. 271. *&* 272
Obligatio reſtitutionis quando ex iuramento contingat. 273. *& ſeqq. vbi quod ſtrictè interpretandum, vt minùs obliget.*
Quæ notitia in iurante requiratur, & de differentia aſſertorij ſimplicis & iudicialis iuramenti. 180. *& ſeqq.*

Quando

Digitized by Google

Quando iurari poſsit celando veritatem. 79. *vbi de herede confidentiario &c. Quando poſsit cadere ſupra fictam promiſsionem.* T.6.5
De iuramento Prætorum Indicorum Ibidem. *n.* 1. *& ſeqq. vbi peculiaria quædam.*
De iuramento Commendatariorum. T.7.2. *& ſeqq.*
De iuramento Senatorum Vrbicorum. T.8.12
De iuramento Alcaldiorum circa cuſtodiam Ciuitatis noctu peragendum. 22
De iuramento Tabellionum, Capituli Vrbani. 42

Ius Patronatus.

Propter illud an poſsit portio decimalis attribui T.2. 50
An Regibus Catholicis propter Indicarum Eccleſiarum fundationem, & protectionem. 51. & 52

Iuſtitia.

Commutatiua & diſtributiua vt differant. T.1.50
Quàm inſita mortalium animis. T.3.63
Diſtributiuæ proprius conceptus explicatus. 66. & 67. *vbi & notanda doctrina circa reſtitutionem.*
Iuſtitia legalis vt explicanda. 69
In venditione officiorum, in qua præferendi benemeriti, contra quam iuſtitiam peccari contingat, & de obligatione reſtitutionis. T.5.171. & 172

L

Labor.

Vide. Indi.

Lex.

Vt ceſſet ceſſante illius fine. T.1.27
Grauitas obligationis vnde ſumenda in illis. T.2.3. 96. & 97
A legiſlatoris voluntate obligationem pendere. 97
Quando de ea non conſtat, vnde colligenda. 98
Leges circa metalla an obligent in conſcientia. 106
Pœnales non obligare. T.5.35. & 67
Quando non ſunt iuxta tenorem verborum explicandæ, ſed amplianda. T.9.38
Quando grauiter obliget. 52
Quando non. 53
Limitatio ſpecialis. 70
Circa Legis interpretationem. T.2.119
Clauſula præcedens in illis quando influat in ſequentes. 120
Pœnalis ſtrictè interpretanda & ſine extenſione ad non expreſſa. T.3.28. & T.5.10. & 162. *vbi de lege pro Noua-Hiſpania.*
Obediendum legibus ſine earum examine, etiam cùm de illarum iuſtificatione dubitatur. T.4.54
Lex poſterior quando non cenſeatur priorem abrogare, & ignorantia poſsit in legiſlatore præſumi. 73
Poſteriorem valere ſtatuitur. 74
Pœnalem ante ſententiam non obligare ad reſtitutionem. 75
Non ceſſare obligationem, etiamſi eius ratio videatur pro particulari ceſſare, ſi adſit periculum. T.5. 15. & T.7. 18.
Diſponentes circa bonorum applicationem obligare T.5. 44
Inuitis an poſsint imponi. 176. & 178
Lex vſu non recepta non obligat. 198. *vbi de conſenſu legiſlatoris requiſito.*
Ceſſante cauſſa etiam non præcipua, ceſſare. 200

Licentia.

Quando tacita cenſeatur, & ideò culpabilis. T. 3. 20. & 21

Lingua.

Illius damna. T.4.65
Et iniuriæ. 66

Lis.

Earum protractatio vt grauiter conſcientiam oneret Regiorum Auditorum. T.4.14

Lucrum.

Quod eſt induſtriæ poſſe habere Officiales Regios cum Regia pecunia negotiantes. T.9.14
Pro lucro ceſſante quando obligatio. T.9.46. & 51
De illo ex profeſſo. Cap. 9. vbi notatu digna.
Lex pro eo poteſt benignè interpretari. T.5.239

Ludus.

An permittere illos Gubernatores poſsint, & alia circa illos. T.8.17. & ſeqq.

M

Magiſtratus.

Vide Gubernator, Prætor.

Malum.

Vide Experientia, Periculum.

Mancipium

Africana, & Æthiopica in Indias afferri prohibita, de qua obligatione. T.5.146. *De contractu circa Æthiopica.* T.9.180. & *ſeqq.*

Mandatum.

Ex mandatarij exceſſu non obligatur, qui mandatum dedit. T.5.139
Debet per æquipollens adimplere, cùm in ſpecie nequit. T.9.214
Mandatarius emens minori pretio, nequit ſibi reliquum applicare. 221
Contrarium eſſe probabile 222

Margaritæ.

Vide Decimæ.
Quod ex illis Regi emolumentum, & an in rigore debeatur. T.5.74. & *ſeqq.*

Maritus.

Quæ illi obligatio non deſerendi vxorem, & an in Indias ea inuita tranſire, aut in eis manere poſsit. T.4.155. & *ſeqq.*

Matrimonium.

An illud contrahere Auditores Regij poſsint intra Prouinciam. T.4.129. & *ſeqq.*
Non poſſe abſolutè prohiberi, & leges exheredantes ea de cauſſa, non obligare. 130
Concilij Tridentini excommunicatio contra impedientes. 131
Leges Hiſpaniæ quomodo contrariæ Iuri Canonico non ſint. 133
Matrimonium in prædictis ſtare ſine veniali peccato poſſe. 134
Idem de filijs, & quando eſſe mortale queat. 135
Matrimonij definitio, & quid ex illa circa cohabitationem. 155
Officialibus Regijs vt prohibitum. T.5.9. & *ſeqq.*

Mercator, Merces.

Mercator vnde dictus. T.9.37
Quæ dicuntur de Contrauendo, an pro ſacris afferri queant, & lex circa illas vrgeat, aut non T.5.141
De quibus & T.3. *Cap.*3. & T.4. *Cap.*10
Ex Noua-Hiſpania in Peruuium quomodo afferri nequeant. T.5.154.
Vltroneæ quantùm vileſcant. T.9.48
In illis contractantes, ſeu Mercatores, plus poſſe petere ratione officij. T.8.31

Eorum

Digitized by Google

Eorum quomodo frænanda cupiditas. T.9.83
Vide Pretium.

Merita.

Vide Conquiſitores, *vbi plura. Et* Beneficium, Iuſtitia, Officia, Venditio.

Meſtizi.

De illis circa priuilegia. T.5.244. & 11 *ſeqq.*

Metalla.

Vide Indi, Minæ, *ſeu* Mineræ, Quintum, & *in ſpeciali*, Argentum, Argentum viuum, Aurum.

Miles.

Quando poſsit ſtationem deſerere, aut artem tradere ſine culpa. T.5.19
Vide Bulla S. Cruciatæ.

Minæ, ſeu Mineræ.

Quàm ingens in illis labor, & ſupra ſeruorum labores. T.1.109
An Indi ad illum compelli queant. Ibidem. & *ſeqq.*
Omnes Regio dominio adiudicatæ. T.5.32. *vbi quod aliqui id generaliter fieri poſſe negent.*
Ad conſenſum populi in Indijs non benè recurri, ſed ad Pontificiam donationem. Ibidem.
Quomodo inuentoribus à Regibus traditæ. 33
Circa quod difficultas. 34
Eſſe domini agri, vel inuentoris in loco publico, aut alibi. 34. & 40. *iuxta aliquorum ſententias Theſauri nomine venire.* 42
Nouæ quotidie deteguntur ſpeciali Dei prouidentiâ erga Catholicum Regem. 49
Vide Quintum.

Minerarij.

De illis ex profeſſo T.10. Ibi Index.

Miniſtri Euangelici.

Meſſis Indica vt illis indigeatur Europa miſsis. T.1.35
De eorum qualitatibus, in ſequentibus.
Miniſtri talis officium. 40
Pro eorum miſsione notabile Catholicorum Regum reſcriptum. 41
Exteros non excludendos, ſi præſertim vaſalli Coronæ ſint, ex quibus plures ſatis celebres recenſentur. 42. & 43
Ex Noſtratibus non ſuppetere neceſſarios. 44
Vaſallos Pontificis non videri conuenienter arceri. 45
Sunt & alios Hiſpano nomini non infenſos. Ibid.
De infenſis ſecus, & quare. 46
Egregia ſententia pro ea Orientalis Prouinciæ Societatis.

Moneta.

Barræ argenteæ an ſint moneta. T.9.28. & 36
In quo monetæ genere poſsit fieri ſolutio. 29. & *futuram valori eiuſdem.* Ibidem.
Quid cùm lege obligatur quis ad acceptionem villoris. 31. *Vide* Pecunia.

Monopolium.

Eſſe peccatum graue contra charitatem. T.1.157
De Monopolio Niuis. T.5.189. & *ſeqq. vbi quando à Principe concedi ipſos.*

Munera.

Vt accipere iudices poſsint. T.3.22. & *ſeqq.*
Vbi de Proregibus, Præſidibus, Auditoribus, & alijs. Ibi Index.
Quæ materiæ paruitas non inducat peccatum mortale. 23.
Prohibitio pro Rationalibus maioris Tribunalis, cum limitatione. T.5.3.
Officiales minorum Tribunalium quid circa idem. 12. & 13.

Mutuum.

Notanda ratio cur pro illo nihil accipi queat. T.9. 45. & 105.
Poſſe ratione lucri ceſſantis. 105. & *ſeqq.*
An poſsit repeti, & pro obligatione non repetendi aliquid exigi. 128. & *ſeqq.*

N

Nauis.

De naui naufragium paſſa, & bonis in ea contentis, ad quem ſpectent, & quæ Regis obligatio circa illam. T.5.108. & 109. *vbi alia circa ipſum pro vaſallorum bonis defendendis.*

Negotia, Negotiatio.

Quæ negotia dedeceant Eccleſiaſticos. T.1.22
Negotiatio quid. T.9.33. & *ſeqq.*
Quomodo contra ſtatum Eccleſiaſticum. 44
Vide Contractus, Parochus.

Notorium.

De notoria idoneitate eligendorum ad gubernationem Indicam, quæ & generalis pro Officijs. T.1.77. 85. & T.2.4

O

Obedientia.

Contra debitam Epiſcopo non præſcribi T.11.17

Obligatio.

Iuxta intentionem ſe obligare volentis explicanda. Et vnde intentio dignoſcenda. T.5.30

Officiales Regij.

De Rationalibus maioris Tribunalis calculationum. T.5.1. & *ſeqq.* Ibi Index.
Contractare non poſſe. 16
De Officialibus minorum Tribunalium. 12. & *ſeqq.* Ibi Index.
Negotiari an poſsint cum Regia pecunia. 14. & *ſeqq.*
Obligatio reſtitutionis ex iniquo ſolutionis modo reſpectu militum. &c. 17
Vt debeant Proregi exactionem pecuniariam imperanti obſequi. 18. & 19
Vbi ex qua culpa teneantur. Sterilitatis tempore quid facturi. 20
Quorumdam circa vitiatam pecuniam exitialis induſtria. 21
Horrendum illorum ſupplicium. 22
Pro Officialibus aſsiſtentibus in portubus ad curam vectigalium, in quo aliqui nimiùm liberales 23
Contra eos quid vrgeat. Ibidem. & 24
Vnde eorum praxis iuſtificari queat. 25
De Promiſore, vulgò Proueedor. 26. & *ſeqq.*
Differentes ſolutionem vt peccent cum onere reſtitutionis. 28
Quomodo vnus pro aliorum delicto in conſcientiæ foro teneatur. 29. & *ſeqq.*
Circa Quintationem qualiter teneantur. 49
Circa duos Nouenos ex decimis, quæ obligationes, & fundamentum ad eorum exactionem. 110
Quæ item circa veſtigal maritimum, vulgo Almoxarifazgo. 123. & *ſeqq.*
Notanda præſertim doctrina. 126
Quomodo in ſubſidium tantùm obligati ad reſtitutionem, dum alij non ſoluunt. 132
Circa non afferentes confirmationem officiorum vt ſe gerere debeant. 185

Officium

Digitized by Google

Officium.
Quolibet officio præditus tenetur ſub mortali ſufficientem pro illo habere notitiam. T.1.77.& T.2.4
Honoraria vt vendi poſſint. T.1.161.& *ſeqq. Sed notanda doctrina, vt vendi nequeat actio voluntariæ prælationis, cùm vni potiùs quàm alteri datur.* T.3.46
De illis etiam variæ quæſtiones. T.5.167.& *ſeqq.*
De officio Fundatoris, & Enſayatoris. 53
Officia Benemeritis dare iuſſus à Rege, non ſolùm contra diſtributiuam, ſed etiam contra commutatiuam delinquit ſecus faciens. 170
Onus reſtitutionis probabiliter negatur, circa leges renuntiationis. 173.& *ſeqq.*
Officium transferibile an vendi queat. T.8.2
De obligatione eligendi digniorem ad ſæcularia officia. 12

Opinio.
Generalis, & ab antiquo deriuata ac practicata, pro veritate habetur. T.4.20
A communi poſſe recedi, quando contraria eſt fauorabilis, & ad pietatem inclinans. Ibidem.
Vnum Doctorem ad auctoritatem opinionis ſufficere. & T.5.43.
Quomodo iuriſdictio à Pontifice, & Rege, cùm probabiliter agitur, conferatur. T.9.8
Vide Index.

Oratio.
Vide Bulla Cruciatæ.

Oratorium.
An nomine Eccleſiæ veniat ad lucrandas Indulgentias. T.5.302.& 303.
Approbatio Ordinarij requiritur, & eâ ſtante poteſt à Religioſis Societatis in eo Euchariſtia miniſtrari. 321

Ordinationes.
Quomodo Regiæ obligent. T.2.96.& *ſeqq. Vbi de Regijs Conſiliarijs.*

P

Papa.

Habere poteſtatem in temporalibus dogma certiſſimum ex Pontificia definitione. Duo gladij à Chriſto dati. Et omnes oues commiſſæ. T.1.1
Quam habeat vim Conſtituto. Ibidem.
Illius ſententia vt legitimæ recipiendæ, & vti D.Petri oracula. 17
Ipſius tolerantia vim approbationis non habet. T.2.71
Eſſe tolerantiam peculiarem circa recurſum per viam violentiæ. Ibidem.
Cui ſuffragari videtur ex praxi Nuntij. 72
Illius cura circa Fidelium defenſionem non minor Imperatoria circa defenſionem ſubditorum. 77
Vrgens diſcurſus vt recurſum minimè probandum cenſeat. 78
Vt peccare poſſit eorum mutatione, quæ ab illis conſtituta. T.3.51
Eſt Princeps. 92
Poteſtatis eius amplitudo. T.4.61
Illius voluntas vnde ſoleat coniectari. T.9.150. & *ſeqq.*

Papyrus Signata.
De illa. T.5.202.& *ſeqq.*

Parentes.
Vide Filius.

Paſtores.
Vide Indi.

Patriarcha Indiarum.
Quid illi concedi poſſit ad occurrendum damnis ex vacatione Indicarum Eccleſiarum. T.1.40.& T.2.113

Patronus.
Diuerſæ ſententiæ circa illius obligationem, & in præteritione digniorum aliquod ſemper interuenire peccatum. T.1.65.& 66
Mortale, ſi dignitas ex naturalitate ſit maior. 68
Probabile oppoſitum generaliter de digniore. 95.& *ſeqq.*
Obligatio Patroni laici an minor. 97. *vbi Concilij Tridentini Decretum explicatum.*
Quæ cura ad eos ſpectet mortuis Rectoribus Eccleſiarum. T.4.39.& 40

Pauper.
Pauperibus an debeant inuenta, aut debita incerta reſtitui. T.5.91.& 92
Pauperum in papyro ſignata quale grauamen. 207
Vide Tributum.

Peccatum.
Faciens aliquid, quod dubitat an ſit mortale, peccat mortaliter. T.3.54
Peccatum contumeliæ vnde furto maius. 61
Rapina maius peccatum furto. 1
Non eſt mortale id facere, quod ſub ratione mali tantùm apprehenditur. T.9.76
Peccata in particulari diuerſorum ſtatuum dabunt Indices circa ipſos.

Pecunia.
Qualibet fieri poſſe ſolutionem. T.7.24
De vitiata, in ordine ad ſolutionem. T.9.134. & *ſeqq.*
Vide Moneta.

Peritia.
Quid illa, & quàm neceſſaria Miniſtris Euangelicis. T.1.39

Periculum.
Subuerſionis ſatis vt ſubditi & ſerui ex poteſtate dominorum eruantur. T.1.14
Anteuertenda remedij adhibitione. T.1.110
Mortale eſſe periculo ſe exponere mortaliter peccandi. T.3.54
Vbi illud augeri pretium poteſt. T.9.49
Ex profeſſo de illo circa contractus. Cap. 10

Pinnæ argenteæ.
Vide Contractus.

Pœna.
Non obligat ante iudicis ſententiam. T.4.64.& 75. *vbi de pœna dupli à Concilio Tridentino ſtatuta.* & 137.& 138
Pœna quomodo ordinariè ſint arbitrariæ. Et quomodo eâ doctrinâ vti queant iudices. 153
Pro Conquiſitorum poſteris fauorabilis alia. 154
Pœna commiſſi quando incurratur. T.5.138.& *ſeqq.*
De pœnis Cameræ & iuſtitiæ. 147.& *ſeqq.*
Receptoris earum obligationes. Ibidem.
Circa prohibitionem ne iudices Eccleſiaſtici illas imponant. 141.149.& *ſeqq.*
De pœnis iuſtitiæ. 153. *vbi ſpecialis difficultas expedita.*
Pœnas non extendi, ſicut neque odia etiamſi maior ratio in alijs ſit. T.9.33. *Vide* Lex.

Portorium.
Quod ſit. T.5.123. *vulgò* Almoxariſazgo.

Poſſeſſio.

Digitized by Google

Poſſeſſio.

Sine titulo quomodo ſufficiat in Indijs. T.5.161

Praxis.

Circa collectionem ſpoliorum Epiſcopalium vt queat admitti. T.4.41.*& ſeqq.*

Alia item benigna Regiorum Officialium in Portubus. T.5.25

Præbendæ.

Vide Beneficium, Canonicus, Conſilium Regium, Rex.

Præceptum.

Non intrandi Religioſa cubicula obligat, etiamſi in particulari ceſſet periculum. T.5.15

Prædicator.

Quomodo ſe geret circa contractum illicitum communiter receptum. T.1.124

Vide Concionator.

Prælatus.

Vide Conſilium, Diſpenſatio, Epiſcopus, Religioſus.

Præmium.

Illius reſpectus quantùm excitet. T.1.47

Voluntas obſequendi ad illius meritum requiſita, & talis in Conquiſitoribus. Ibid

Non ex re acquiſita, ſed ex laboris qualitate penſandum. 54

Præſcriptio.

Circa res inuentas dari poteſt. T.5.100

Quod tempus requiratur. 101. *vbi de Titulo.*

Quæ ignorantia ſufficiat. 102. & 103

Quomodo ſe in Indijs illa tueri poſſint agrorum poſſeſſores. 161

Vide Obedientia, & Seruus.

Præſentatio.

Vide Patronus, Prorex, Rex.

Præſides.

Regij Senatus Indiarum Præſides quibus obligationibus vrgeantur. T.2.*& ſeqq.*

Circa munerum acceptionem quid generaliter pro omnibus. T.3 22.*& ſeqq.*

Præſumptio.

Non dicitur lex in illâ fundari, & ſic ceſſare in particulari quando ratione periculi eſt impoſita. T.5.15

Pretium.

Augeri poteſt calamitatum tempore. T.1.151

Vnde iuſtum cenſendum. T.4.219

Poteſt augeri ob difficultatem in ſolutione futuram. T.5.28

Pretium officij qualiter attendendum in retractu. 182

A Rege nequit niſi moderatum ſtatui. 204

Rei valoris dubij pretium minuendum. 217

Rei ab inuito venditæ maius pretium. T.7.23

Circa pretium legitimum & vulgare obſeruatio peculiaris. T.9.56. & 82

Illius deſignatio ad Magiſtratum ſpectat, & circa quæ: illamque obligare. 83

Etiam in vltramarinis mercibus, & Indijs. 84. & 85

Non omnibus imponendum à Magiſtratu. Et aliqua deſignantur. 86

In alijs eſſe conueniens. 87

Ratione ſumptuum non poſſe ſemper augeri. T.9.218

Vide Venditio.

Præter Indorum.

De iuramento circa contractus. T.6.Cap.1

In quibus periurium frequens contingat. 7. *& ſeqq.*

Obligatio reſtitutionis iuxta illa. 17. *& ſeqq.*

Vide Abſens, damnum, Gubernator, Venditio, & alia toto citato. T.6

Princeps.

Etiamſi Principes infideles conuertantur, priuari ſuperioritate poſſunt ob periculum ſubuerſionis. T.1.16

Chriſtiani Principes circa ſupernaturalia aliqualiter iuriſdictionem exercent. Ibid. *Vbi quòd Chriſtiani ſoli ad regimen conuerſorum idonei.*

Prohibitio Pontificia circa Indicam nauigationem reſpectu illorum. 27. *vbi limitatio quædam.*

Ad terras non detectas vt extendatur. 28

Prohibitio alia in fauorem Regum Portugalliæ. Vbi damnata rebellio. 30

Armis poſſunt contrauenientes extrudi. 31

Prohibitionis conuenientia. 32

Aduerſa diluuntur. 33

Princeps parentis loco ſolatio deſtitutis, præſertim cùm parentes benemeriti. 56

Princeps vt poſſit ſubditorum vitam periculo exponere. 128

Quàm ſit illis proprium venerari ſacerdotes. T.2.129

De ſtylo comminatorio erga illos, & quale in eo peccatum. Cap.13

Qui nomine Principum veniant. T.3.92

Principis voluntas debet ad abſoluendum promptior, quàm ad condemnandum præſumi. T.4.189

Illius indignatio metum inducit cadentem in conſtantem virum. T.5.19

Monopolia quando poſſit concedere. 189

Teneri non neceſſarios ſumptus reſeruare. 190

Priuilegium.

Priuilegium Regum circa Cenſuras ad Pro-reges non extendi. T.3.148. & 149

Fauore Religionis de perſona ad perſonam extenditur. T.5.181

In fauorabilibus extendi ob rationis paritatem, & ita de ouis ad lac & caſeum. 225

An aliquando obliget. 232. *vbi de Bulla compoſitionis.*

Fauorabile non ita interpretandum, vt verba non quadrent, & quod eſt contra ius ſtrictè interpretandum. 250

Poſſe ex parte tantum admitti, quod in ſententiâ aliter euenit. 271

Priuilegium pro infirmis ad lucrandas Indulgentias, & quædam ſ.tu digna circa illud. 306

Priuilegium Altaris portatilis pro cubiculis Religioſorum, circa quod diſquiritur. 316. *vbi notanda doctrina, & ſeqq.*

Priuilegia Religioſorum non tollere ſubordinationem ad Prælatos, neque iura Epiſcoporum. 319

Priuilegium Minorum pro Cameris ſecularium, an vim habeat. 320

Priuilegia Societatis id non concedere abſolutè, neque in caſu neceſſitatis licere vſum. Ibid. *vbi notanda doctrina.*

Quid ſeculari ægrotante apud Religioſos. 322. *vbi pars negans præfertur. Sed contraria vt veroſimilis proponitur, quia Priuilegia Religionum non ſunt à Concilio Trident. penitus reuocata.* 323

Pro reuocatione Priuilegij quid neceſſarium. 355

Procurator.

De obligationibus eorum in Regijs Audientijs. T.4.219

De Procuratore Capituli Vrbani. T.8.40

Prorex.

Eorum integritas vel ſola Regia electione probatur, quæ in Indico ſpecialis futura, ob conuerſionem, de quâ agitur exemplo Ioſeph, qui Oſiris Ægyptijs, de cuius etymo agitur. T.3.n.1. & 2

Multi-

Multi oculus futurus. 3
Sacramentorum vſum ſub mortali obligare intra annum. 4
Qualem debeat eligere Confeſſarium. 5. *vbi præclarum exemplum* Excell. *Comitis de Fuentes.*
Religionis ſtudium eximium in illo futurum, & ſtudij iſtius fructus. 6
In ſacris cum omni adfuturus circumſpectione. 7. *vbi quòd inde diuinus, ſicut à diuinitate extraneus, ſi oculi lubrici.*
Qualis circa familiam. 8. *& ſeqq. vbi quòd iſtius mores pandunt dominum, à quibus immaculati aut maculoſi.*
Aleatorum concurſus illis non permittendus, & de eorum damnis. 12
Obligatio omnia circumſpiciendi. Ibid.
Circa familiares. 13. *vbi quales illos eſſe oporteat.*
Auaritiæ ſcopulus fugiendus. 14
Contractare vt poſſint. 15. *& ſeqq.*
Obligatio reſtitutionis quando ex illo. 18
Nauim de Permiſſo *an poſſit concedere.* 20. *&* 21
Munera vt valeat accipere. 22. *& ſeqq.* Ibi Index.
A quibus ſine ſcrupulo. 30. *&* 31
An à Religioſis. 32. *& ſeqq.*
Non poſſe officia vendere. 43. *& ſeqq.*
Vt poſſint ab alijs ſtatuta mutare. 51. *& ſeqq.*
Sine Auditorum *Conſilio an poſſit procedere.* 54 *& ſeqq.*
Ad plura ſuffragia quando decernere teneatur. 56 *& ſeqq.*
Ad eos honorandos teneri. 59
In defectu poſſe mortaliter peccare. 60
Regula ad grauitatem peccati dignoſcendam. 61
Caſus ſpecialis, circa quem inquiratur. 62
Ex commutatiua iuſtitia tenere ad curandum vt ea ab Auditoribus obſeruetur, & in quibus ſpecialiter adhibenda cura. 63
Poſſe in omiſſione graue eſſe peccatum, & obligationem reſtitutionis, & quomodo facienda. 64
Excuſat culpam non eſſe apertè mortalem. 65. *vbi quid de extorto ab Auditoribus ſuffragio.*
De obligatione circa diſtributiuam iuſtitiam. 68. *& ſeqq.*
Officiorum venditionem contra illam militare. Ibid
Violationem poſſe mortalem eſſe, & cum obligatione reſtitutionis. 69. *vbi quòd non ſit contra iuſtitiam legalem.*
Neque formaliter contra charitatem. 70. *&* 71
Circa caſus particulares quid obſeruandum. 72
Ad digniorum electionem teneri. 74
Maiorem dignitatem non facilè dignoſci, & informantibus vt credendum. 75
Ad officia debent eligi digniores, & multo magis ad Beneficia. 76. *vbi modus circa prouiſionem in Indijs, & quod primo loco nominatus conuenienter præferendus. Sed non eſſe pro eo obligationem, vt ex Regia forma conſtat.* 77. *&* 78
Vindicatiua iuſtitia exerceri vt debeat, & exemplo Dauidis in matutino peccatores interficiendos, quod maximè in Indijs neceſſarium, ſicut & improbos exturbari. 79. 80. *&* 81
Circa curam erga alios iudices. 82
Non poſſe carceratos pro libitu dimittere, & iudicum ſententias impedire. Ibid. *&* 83
Indorum teneri iniurias vindicare. 84
In eo Deo ſimilem pauperum & oppreſſorum protectori. Ibid.
Gubernantium notata parùm humana tractatio. Ibid.
Ordinationes & Inſtructiones debere ſeruare, quæ ſunt verè mandata Regia. 85. *& ſeqq. vbi de qualitate obligationis.*
In negotiorum retardatione grauiter peccare, ex quo & obligatio reſtitutionis. 89
Inducio Aſſeſſoris vt ſtare debeant. 90
Peccare grauiter ampliantes poteſtatem. 91
Stylus per exemplaria iudicandi in eiſdem penitus non probandus, maximè circa Eccleſiaſtica. 92
Graue eorum peccatum, ſi appellationes à ſuis ſententijs non admittant. 93
Circa annorum iudicum electionem vt peccare contingat 94. *& ſeqq.*
Non poſſe imponere Gabellas. 99. *Sed non eſſe excommunicatos per Bullam Cœnæ ſecus facientes.* 101
Licentiam Regis expreſſam eſſe neceſſariam, & aliter peccari grauiter. 102. *Siſam non poſſe ad alios effectus applicari.* 103. *vbi circa tempus quæ fieri poſſit extenſio. Sed eam in Proregibus non admittendam circa diuerſum effectum, maximè ſi neceſſarius abſolutè non ſit, pro quo exemplum.* 104
Obligatio ad reſtitutionem in Proregibus. 105. *&* 106 *vbi quid probabile in eorum fauorem.* 107
Non poſſe facere donationes ex bonis Regijs. 142
Nec debita remittere. 143
Neque emolumenta negligere, ex quo obligatio reſtitutionis. Ibid.
Præſumptam Regis ſufficere voluntatem. 144
Nec apprehenſa ob pœnam Commiſſi reddere committentibus. 145
Poſſe circa illa benignè iudicare. 146
Stipendia non poſſe augere, & quædam alia. 147
Poſſe ab ordinarijs excommunicari. 148
Ex inquiſitoribus non benè argui. 149
Regulariter non eſſe licitum. 150
Non poſſe tollere jus quæſitum, & ita neque officij titulum reuocare ſine juſta cauſa. 152
Vt poſſit debitoribus concedere dilationes. 153
Non poſſe licentiam dare ædificandi Eccleſias, Monaſteria, &c. 154. *Et in eo peccari poſſe mortaliter.* 156
Non poſſe iuriſdictionem exercere ante adeptam ſolemniter poſſeſſionem. 157
Oppoſitum vt ſit probabile. Ibid. *&* 158
Non poſſe in Peruuium venientes per terram iterſacere, & in eo peccari grauiter. 159. *vbi quid ſi oppoſitum ſit neceſſarium, cum notanda doctrina.*

Protector Indorum.

De illo ex profeſſo. T. 11. Cap. 1

Pueri.

Ad pannorum officinas an cogendi. T. 1. 133

Quintum metallorum.

An debeatur in conſcientiâ. T. 5. 34. *& ſeqq.*
Pro rebus pretioſis in ſepulchris inuentis quid vltra. 59 *& ſeqq.*
Ex Margaritis, pretioſis lapidibus. 74. *& ſeqq.*
Ex argento viuo. 80. *&* 81

R

Ratihabitio.

Quæ de futuro, non ſufficit pro abſolutione. T. 5. 216 236. *&* 237. *vbi notanda doctrina.*

Regiſtrum.

Quæ illius ratio, & obligatio. T. 5. 137
Alia circa ipſum. 138. *& ſeqq.*

Regula.
Ad dignoſcendam læſionem immunitatis. T.3.19
Circa obligationem in modo adminiſtrationis. T.5. 5. & 18.
Irrefragabilis pro reſtitutionis obligatione. T.6.17
Relatores.
Illorum obligationes. T.4.200.& ſeqq.
Religio.
Quinam proprij illius actus, T.3.6
Religioſus.
Illius tranſitus ad Religionem diuerſam non probatus. T.2.26.
Quas poſſint facere donationes. T.3.36.& ſeqq.
Quid ſi Beneficiati. 38.& 39.
Quanta circumſpectio ſit illis in modo agendi neceſſaria. T.4.48
Ne noua prædia acquirant quomodo Regijs Schedulis caueatur. T.5.116
Ibi quanta pro tali cautione deceptio. Et quòd illis potiùs ex vacantibus Eccleſijs bona aliqua conſignanda.
Circa contractus in Indijs, & aliàs, quid illis liceat; aut fas non ſit. T.9.140. & ſeqq. Ibi Index.
Circa negotiationem obſeruanda doctrina. 179. *vbi qualis indecentia in illâ, & qualiter à Prælatis prouidendum.*
Renuntiatio.
Non facta ante viginti dies an valere poſſit, & quomodo lex circa illam juſtificetur. T.5.173
Reſcriptum.
Ad vnam Prouinciam miſſum quomodo in alijs obliget. T.1.112
Reſcriptum Philippi II. circa obligationem aueriæ in conſcientiâ, vt exponendum. T.5.133. *junctis duobus præced.*
Alia multa per opus diſperſa.
Reſtitutio.
Qualis illius obligatio in Gubernatore, qui cauſa damni. T.3.18
Ex munerum acceptione. 24. & ſeqq.
Ex mercibus non apprehenſis à judice. T.4.67.& ſeqq. *Et quid ſi aliquid accipiat: ſicut ex iniuſtâ ſententiâ.* 72
Ex culpa lata, & quando illa. 77
Ex Mandatarij exceſſu. 91
Ex juramento falſo. 173
Quid circa famam, cùm vera quis deponit apud officij, aut Beneficij collatorem, vel inducitur, vt non viſa. 184. & ſeqq.
Ex quibus illius obligatio in Regijs Officialibus. T.5.5. & 8.12.& 13.16.18.19.& 24.
Ex iniquo modo ſolutionis circa milites, & alios. 17
Ex bonis, & debitis incertis. 91. & ſeqq.
Ex lignatione, piſcatione, & aqua pro irrigatione. 166
Regula cur ſine ea remitti peccatum nequeat expensâ. T.6.17
Ex damnis Indis illatis quomodo facienda. 18.& ſeqq.
Ex homicidio qualis. 21
In Commendatarijs. T.7.8.& 9
Et qualiter exequenda. 19. *cùm generali doctrina.*
Facienda in re eiuſdem generis. 20
Quid quando ignoti ſunt creditores. 21. *vbi quòd pauper poſſit ſibi retinere.*
Ex acceptis à Senatoribus vrbicis in electione ad officia an ſit illius obligatio. T.8.6.& 7. *Eſſe illam, ſi eligantur indigni.* 10. *Et cùm grauantur Tabernarij.* 16. *Ex ludo in eiſdem.* 21
Ex negligentia imputabili, & quando talis. T.9.6
Regula pro obligatione. 59
De impediente, & qualiter ſpes æſtimanda. 60
Pro eadem alia in omnibus ferè ſtatibus, de quibus toto hoc opere.
Reſtitutio in integrum.
Quando locum habeat. T.5.167.& 168
Rex.
Vbi præſertim de Catholicis Hiſpaniarum.
Poſſunt à Pontifice compelli ad conditiones implendas donationis Indiarum. T.1.26
Tenentur Miniſtros Euangelicos in illas mittere proprijs expenſis. Et quales futuri. 34. & ſeqq.
Debent rerum Indicarum ſufficientem habere notitiam ſub mortali. 77
Qualis futura. 78. & ſeqq.
Dei inſtar futuri, vt non per caliginem judicent. 82
Poſſunt aliqua officia Indiarum Camerâ inconſultâ conferre. 84. & 87.
Sed non ſine idoneitatis poſitiua notitia, maximè in Eccleſiaſticis. 86
In vendente illa ac renuntiante neceſſaria. Ibid.
Benigna circa Eccleſiaſticas prouiſiones doctrina. 87. *vbi quod dignior poteſt à Rege officio alteri reſeruari.*
In Canonicatibus, qui per concurſum conferuntur, ad dignioris præſentationem juxta veriorem ſententiam teneri, ſed oppoſitam eſſe probabilem. 89. & ſeqq.
Ad Minerarum labores Indos non poſſe compellere. 109 & ſeqq.
Ex ſublata Idololatria in Indijs victorias poſſe ſibi polliceri. 118
Annua Claſſium retardatione poſſe grauiter peccare. 156. & ſeqq.
Legatos Pontificios eſſe in Indijs, juxta aliquos. 159 *Pro quo &* T.2.126. & T.4.99. *vbi ſaltim eſſe inſtar talium, & qualiter excipiendum.*
Officia honoraria poſſe vendere. 161.& ſeqq. ex T.1
Etiam juriſdictionem habentia. 165. & 166. *Etiam in Indijs.* 167. *Sed non quæ erga Indos tantùm juriſdictionem important.* 168
Poſſunt tributa Indis imponere. 170. & 171. *vbi quanta propterea in illis obligatio. Non tamen in Mineris laborantibus.* 172
Per capita ſoluendum. 173. & ſeqq.
Quid circa infideles, & recens conuerſos, ac fœminas. 176.177.
Quomodo reſponſuri Conſiliarijs, expenſas circa Miniſtrorum Euangelicorum miſſionem detrectantibus. T.2.11
Quàm illis proprium curam religionis rebus alijs anteferre. 13
Regis officium, ſubditorum defenſio. 76
Inde recurſum per viam violentiæ licitum eſſe aliqui contendunt. 77
Sed fundamentum generaliter non admittitur. 78
Subiectio in Regibus reſpectu Eccleſiæ vtilis & decora. 113
Non poſſe excommunicari niſi à Pontifice. Et qua de cauſa. T.3.148.& 150
De eorum jure circa agros, paſcua, montes, &c. T.5.158
An expediat Religioſos Commiſſarios fieri in agrorum diſtributione. 160.& 161
Rex ob læſionem magnam poteſt reſcindere contractum. 167. & 168
Per reſtitutionem in integrum, quæ illi competit. Et ſcienti & prudenti conuenire poteſt. Ibi.
Rex in contractu vt priuatus cenſetur, & conuentis debet ſtare. 199

Digitized by Google

S

Sacerdos.

Qualiter à Principibus honorandi. T.2.128. & 129
Debere à litibus abſtinere. T.4.112
Et magna reuerentia tractari. Ibidem.

Sacrilegium.

Quid propriè ſit, & quibus per ſimilitudinem tribuatur. T.4.101. & 102

Salarium.

Indorum debere augeri. T.1.129. vbi quòd infortunia ob defraudatum.
De Salario paſtorum. 130
Et cuſtodum etiam iumentorum. 131
Officium ſine ſalario præbere Turcici moris eſt. 169
Circa illud vt contingat delinquere Regios Auditores. T.4.124. & ſeqq. & 137. ac 138.
Quando debeatur non laboranti, parato tamen. 223
Salarij reſtitutio quando ex abſentia Prætorum &c. T.6.29

Salinæ.

Vt poſſint in Indijs ad Regem pertinere. T.5.78. vbi de mirabili pro ſale profluuio

Scandalum.

Ratione illius poteſt eſſe obligatio frequentis vſus Sacramentorum. T.3.4
In iudicibus habet ſpecialem circumſtantiam malitiæ. T.8.13. & 15

Secretum.

Feminæ ſecreti neſciæ. T.4.144
Auditores quomodo ad illud teneantur. 145. & ſeqq.
Pœna illud violantis. 149
Quàm ſit vilis. 150

Senatore Vrbani. Vulgò Regidores.

An accipere aliquid poſſint in officialium electione. T.8.1. & ſeqq.
Vt peccare contingat circa Alcaldiorum electiones. 8. & ſeqq.
De illorum iuramento. 12
De obligatione reſtitutionis ob grauatos Tabernarios. 16

Senes.

Senex fatuus, monſtrum. T.1.39
Nimium ſenes in Epiſcopos non eligendos. T 2.32
Quomodo honorandi qui Regio officio perfuncti. T.4.162
Senectus non annis, ſed qualitatibus alijs metiendo, & quæ illius ſigna. T.5.62
Vide, Bullæ Cruciatæ.

Sententia.

Vide, Papa, Prorex.

Sepulchrum.

An illa ſcrutari liceat pro theſauris eruendis. T.5.58. & ſeqq.
Ex charitate obligatio eſt tradendi corpora ſepulturæ. 59

Seruitium Indorum.

Ad perſonale compelli nequeunt. T.1.120
Neque pro eo iuuare conſuetudinem. 121
Poſſunt tamen ad labores aliquos Reipublicæ vtiles. 128
De Ianaconis. 153. & ſeqq.

Seruitus, Seruus.

Indos non poſſe in ſeruitutem redigi. T.1.99
Conſtitutiones Apoſtolicæ contrarium indicantes conciliantur. 98. & 100
Quando licita eſſe poſſit. Ibidem. vbi & Regiæ prohibitiones.
Ratio pro eodem. 101
Vt ſtare queat, & quid circa Chilenſes. 103
Non quamlibet ſufficere rebellionem. 104
Auaritia Chilenſis ruinæ cauſa. 105
Pueros reſeruandos Maurorum Granatenſium exemplo. 106. & ſeqq.
Quales ſeruorum labores. 109
Seruitus in rebus niſi à dominis earum nequit imponi, vnde arguitur pro perſonis. 121
Ob mixtionem Europæi & alterius ſanguinis difficultas. T.5.253. vbi quòd ſerui habeantur pro nullis, & quomodo Hiſpanus Hiſpani eſſe ſeruus queat.
Seruitutis titulus an debeat eſſe luce clarior. T.9.191
Seruo fieri poſſe partialem reſtitutionem libertatis, & poſſe dominium ſic dati haberi, ſicut & aliorum. 192
Seruo an credere herus debeat ſeruitutem deneganti. 195. §.2
Contra libertatem non præſcribi, ſecus contra ſeruitutem. 203

Spes.

Quanti æſtimanda, pro contractibus, & alijs. T.9.99
Vendi poteſt. 101. & 104

Spolia.

Epiſcoporum ſpolia quo iure à Miniſtris Regijs colligantur. T.4.38. & ſeqq.

Statutum.

Vide, Iuramentum.

Syndicatus

De illo T.4. Cap.20. circa Proreges, & Togatos.
Circa Prætores Indicos. T.6.31

T

Tabellarius.

Vide, Indi.

Tabellio.

Quid circa numerum acceptionum illis prohibitum. T.4.204
An taxam ſeruare debeat facta rerum mutatione. Ibid.
Specialis difficultas circa additionem in Prætoriali prouiſione. 206. & ſeqq.
Quid de confectione inſtrumenti in locum alterius deperditi. 207
Quando falſi crimen incurrant. 208
Vt fides fieri poſſit de nouem præconijs, cùm tot non fuerint. T.5.188
An informationem auctorizare poſſint contra Eccleſiaſticum mittendam Prælato. T.7.14
De Tabellione Vrbani Capituli. T.8.42

Tabernæ Regiæ.

De illarum inuento, & quòd ſine conſcientiæ grauamine ſtare poſſit. T.5.193. & ſeqq.

Tempus.

Ad præſcriptionem neceſſarium. T.5.101

Terminus.

De termino ad confirmationem officij obtinendam. T.5.183. & ſeqq.

Teſtis.

Circa teſtes doctrina multiplex. T.4.171. & ſeqq. §.1
Non poſſe iurare fidem adhibentes inimico Syndicati. 183
Sic iurans an teneantur ad reſtitutionem. 182. & ſeqq.

Teſtamentum.

Executio quantum differri poſſit. T.4.80
Ad quem ſpectet publicatio, cùm Clericus eſt heres laici. 85
Et quando ſunt opera pia. 87

Digitized by Google

Vbi quòd cauſſa ſit mixti fori. Teſtamento vt credendum quando parentes aliquem filium ſecum eſſe declarant. 143

Theſaurus.

Cuius ſit iuxta diuerſas ſententias. T.5.41. & 42
In Indiis ad quos pertineat. 55. & *ſeqq. vbi alia pro eodem.*
Quid ex ipſo Regi debeatur. 57
Circa inuentum in loco ſacro. 61. & *ſeqq.*
An leges pro illis obligent in conſcientia. 65
De inuentis arte Dæmonis. 67. & *ſeqq.*
Theſauri vt differant à margaritis, & lapidibus pretioſis. 74

Titulus.

Ad præſcriptionem qualis neceſſarius. T.5.101

Timor.

Quàm neceſſarius Dei timor in Euangelicis Indiarum Miniſtris. T.1.37. *vbi alia pro illo.*
Sapientiæ vt adnexus. 38
In timore viuere, genus eſt ſeruitutis. 121

Tributum.

Vt queant Indis imponi. T.1.170. & *ſeqq.*
A pauperibus non deberi. 177
Sterilitatis tempore quid faciendum 178
Si duriſſimum, non obligare. 179
Illius obligationem ceſſare, ſi non fiat id, pro quo eſt impoſitum. T.3.103
Non deberi, niſi petatur. T.5.55
Aliquod eſſe in conſcientia obligans. 56
Sterilitatis tempore non deberi. T.7.25
Et quid ſi in pecunia ſolui ſolitæ ſpecies. Ibidem.

V

Vacatio.

Vacatio Eccleſiarum quantùm afferat detrimentum. T.2.37
Alia pro eadem vide Eccleſia, & Epiſcopus, *pro quo etiam* Conſilium Regium.

Vaſſallus.

Vaſſallorum grauamina Rex Catholicus non probat, & iuxta hoc eius eſt interpretanda voluntas.

Vectigal.

Vide Gabella.
Negligentia & diſſimulatio Officialis Regij circa illa obligationem reſtitutionis inducit. T.5.24
Non eſſe obligationem in conſcientia ad illa, probatur diſcurſu Ludouici Beiæ. 25
Vectigal maritimum, Almoxrifazgo, *quale in Indiis, & quæſtiones circa illud.* 123. & *ſeqq.*

Venditio Vbi & Emptio.

Res indifferentes vt vendi queant. T.1.144. & *ſeqq. vbi notanda doctrina.* & T.4.45
Officia vt vendi poſſint. T.1.161. & *ſeqq.*
Aliquæ circa illa quæſtiones. T.5.167. & *ſeqq.*
Venditio quid. T.3.50
De venditione ſub haſta quadam circa impedientes auctionem & pretium. T.4.43. & T.5.16
Vendendum aliquid accipiens, nihil ſibi poteſt reſeruare. Ibidem. *ſicut neque emens.* 26
Contractus venditionis debet eſſe liber. T.5.83
Quando compulſio eſſe poſſit ex parte Regis. 84
In officio à Rege vendito an læſio ex parte ementis poſſit allegari. 179
Prætores an vendere poſſunt officium locum tenentium. T.6.26. & *ſeqq.*
Exteris carius vendi poteſt. T.9.57
In euictione quando obligatio ad compenſationem. 62
Et quæ non tradentis rem venditam. 64
De venditione fruſtorum argenti, ab Indis ſubreptorum. Cap.7.
Fructa ſerica an emi à ſartoribus queant. 77
In Indijs an merces poſſint pro libitu Mercatorum vendi. Cap. 8. *vbi circa pretium multa ſcitu digna.*
Intra dimidium iuſti pretij deceptio an inducat obligationem reſtitutionis. 96. & 97
Contractus venditionis quando cenſeatur conſummatus. 101

Vinea, Vinum.

Quàm abundans vinum in Peruuio. T.5.123. & 192
Illud Indis vendere an ſit peccatum mortale. T.6.7
Vinearum plantatio an prohiberi potuerit, & quædam circa illas. T.5.197. & *ſeqq.*

Virtus.

Honeſtis laboribus animatur. T.3.1

Viſitatio.

Viſitatores in Syndicatu vt ſe gerere debeant. T.4. *Cap.* 20. Vbi Index.
Viſitatores Eccleſiaſtici inuenientes theſauros, cui acquirant. T.5.66
Informationes factæ à Prætore Indorum circa eorum numerum an debeat ſtari, dum non ſit reuiſitatio. T.5.186. & T.9.207. & 208

Vſura.

Quid ſit, & quando interueniat in anticipata ſolutione emente. T.9.15.45. & 105
Ob carentiam pecuniæ nihil poſſe exigi. 16
Notanda ratio cur pro mutuo nihil poſſit exigi. 19

Vxor.

Non debet ſe gubernationi, quæ ad maritum ſpectat, immiſcere, & ita formata à Deo poſtquàm Adamus nomina animantibus impoſuit. T.3.9
In Indijs id ſpecialiter faciendum, ob damna ex impotenti feminarum affectu. 10
An teneatur ſequi virum transfretantem in Indias. T.4.156. & *ſeqq. vbi diuerſæ ſententiæ circa generalem obligationem, & doctrina multiplex.*
Quomodo ſuccedat deficientibus cognatis in gradibus per legem deſignatis. T.5.99

FINIS.

Digitized by Google

ADDITIONES
AD TOMVM PRIOREM
THESAVRI INDICI.

Circa Præfationem.

1 OPera alia Theſauri compellatione ab Auctoribus euulgatâ addi poſſunt : vt *Theſaurus fori Eccleſiaſtici, Theſaurus Deciſionum Senatus Pedemontani Senior & Iunior*, *Theſaurus exemplorum*, *Theſaurus Græcæ poëſeos*, *Theſaurus Chronologicus & Hiſtoricus. Theſaurus linguæ Captæ*, *Theſaurus linguæ Paraquariæ*: vt omittam illa, quibus ob materiæ excellentiam, de quâ agitur, & ad quem videtur habitus in Tituli appoſitione reſpectus, meritò potuit attribui : vt ſunt *Theſaurus Sacerdotalis*, *Theſaurus Chriſtianæ religionis*, *Theſaurus inexhauſtus*, *Theſaurus indulgentiarum*, *Theſaurus Religioſorum*, *Theſaurus SS. Roſarij*, *Theſaurus indeficiens* ; *Theſaurus doctrinæ Chriſtianæ Theſaurus animæ*. Fateor autem ingenuè excidiſſe mihi, *Theſaurum rerum Indicarum* Patris Petri Iarrici Gallicè ab eo ſcriptum pereleganti ſtylo, tribus diſtinctum Tomis, & Latinum factum à M. Matthiâ Martinez, ſatis quidem vtili lucubratione, vt teſtatur P. Alegambe *de Scriptoribus Societatis*: qui ſi opportunè occurriſſet, forſitan operi noſtro Titulus fuiſſet alius conquiſitus. Sed res eſt momenti non magni, quia nec Titulus penitus ſimilis, & diſſimile penitus argumentum. Neque inſolens illud, vt Auctores in operum Titulis circa materiam eamdem, vel certè ſimilem, aut caſu, aut deſtinatò conueniant. Sic D. Thomas Opus in Euangelia *Catenam* dixit, quod & pariter præſtitit P. Balthaſar Corderius in DD. Lucam & Ioannem. *curſus Philoſophicus & Theologicus*, Titulus eſt, quem non vni conſtat placuiſſe, ſicut *Theſaurus precum*, *Viridarium Philoſophicum*, *Zodiacus ſpiritualis*, *Triumphus mortis*, *ſpeculum Morale*, nec non Moralium Conſiliorum, Reſolutionum, Reſponſorum, Praxium, Summarum : vbi ad diſcrimen agnoſcendum, cùm de illis ſubinde ſermo incidit, neceſſarium eſt ad Auctorum diuerſitatem prouolare. Et hæc quidem ſatis circa Titulum, vt delicati Cenſores, ſi forſan talis aliquis fuerit, obiectioni faciam ſatis, omnibus me ratus debitorem.

AD TITVLVM I.

Circa Capitis. I. §. I.

Pro Alexandro VI.

2 P. Antonius Balinghem in Kalendario SS. Virginis ſic de illo ſcribit die 18. Auguſti : *Hic (quod quia rariſsimum exemplum, licet extra rem, non eſt omittendum) SS. Sacramentum globo aureo incluſum, perpetuò ad collum appenſum geſtabat : ſiue prouidens Dominum, exemplo Dauidis, coràm ſe ſemper* (Pſalm. 15. v. 8.) *omnium actionum inſpectorem, & iudicem : ſiue præſidium & amuletum ad omnia, quibus circumcingebatur, pericula : ſiue denique (quod priſcis Chriſtianis in more, viaticum præſentaneum ad itinera æternitatis. Et licet hunc Pontificem de varijs accuſent hæretici, & nonnulli Catholici nimis creduli aut partiales : tamen grauiſsimi Auctores eum magnis affecerunt laudibus, Volaterranus, Panuinus, Ciaconus, Nauclerus, Crantzius, Illeſcus, & alij. Vide apud eumdem Carracciolum, & apud Brouium Tomo* 18. *pulchrum miraculum ad illum globum aureum.* Hæc ille. Vide etiam Thomam Bozium *Lib. 7. Cap. 6.* & apud eum rationem optimam ex Indorum conuerſione pro eodem Pontifice facientem. De quo & P. Sylos in Hiſtoriâ PP. Clericorum Regularium *Lib. 1. fol.* 18. ex quo Angelus Maria Vericelli *Tomo 2. ſeu Tractatu de Miſsionibus. pag.* 391. *num.* 4. Vulgaris parœmia : *Dic mihi quocum ambulas, & ego tibi, quis ſis, dicam.* Argue inde.

Circa §. eumdem, & ſeqq. Vbi de Indiarum Pontificia donatione.

3 DEfendit illam citatus nuper P. Verricelli *Titulo* 13. qui ſect. 8. ex profeſſo probat non potuiſſe in ea errare Pontifices, quod tamquàm omnino certum videtur ſtatuere ex receptiſſimis in Theologia principiis, iuxta quæ eſt à nobis inſtructa probatio. Poſt euentilatam autem circa qualitatem Pontificiæ poteſtatis ſententiarum varietate quæſtionem reſoluit tandem *Sect.* 15. præmittendam ſemper prædicationem, eamque ſine armis ; nec niſi poſt repulſam à Rege, aut maiore parte populi terque quaterque, ad arma veniendum, & Regem poteſtate regiâ ſpoliandum. Cùm eo tamen ſtare Pontificem ante experientiam talem poſſe donationem facere, quia moraliter certum habetur prædicationem à barbaris repellendam, de quo *num.* 243. & 244. Et in donatione id neceſſariò intelligendum. Quæ quidem ita cum dictis à nobis §. 3. componenda, vt ſi ſpes ſit Prædicatores dicto modo præmiſſos aliquid effecturos, id fieri debeat : quod eſt etiam Regiis inſtructionibus conſonum, de quibus citatus Scriptor *num.* 201. *& ſeqq.* Si autem deſperatum negotium ſit, indole barbarorum inſpectâ, vt quid perditio illa, & Prædicatoribus creatum ſine vtilitate periculum? Immò & cum ingenti iacturâ : ſi enim occidan-

tur, vt ſæpè accidit, damnum ſequetur permagnum ex Euangelicorum inopiâ miniſtrorum: eritque belli occaſio magis creſcenti, vnde & negotium fidei infeliciter progredietur. Sic accipiendum quod de periculo peruerſionis dictum à P. Suario, & à P. Arriaga *Diſputat. 25. de fide num. 38. & ſeqq.* nec benè, nec conuenienter impugnatum.

4 Et iuxta hęc quidem ſtatuerat præfatus Scriptor *Sect. 11.* in quâ duas iſtas habet Aſſertiones: *Prima Aſſertio. In regibus Ethnicis Noui Orbis ſex ſunt moraliter certa Catholicæ fidei, tam ſuſcipiendæ, quàm conſeruandæ impedimenta: eſto Rex infidelis timore Hiſpanorum Regum fidei Prædicatores non eyciat, neque dehoneſtet.* Sic ille, impedimenta huiuſmodi latè proſecutus, quæ ſunt: *Ethnici regis exemplum. Impunitas ſcelerum contra fidem. Impunitas eorum ſcelerum, quæ à fide auertunt. Idolorum frequens cultus in eorum delubris per Magos & Ariolos. Frequens Sermo Sacerdotum Idolorum ad populos cum terriculamentis. Vexatio & inhonoratio eorum, qui fidem ſint accepturi.* Sic à *num. 110. vſque ad num. 129.* in quo ſic. *Secunda Aſſertio. Ob prædicta impedimenta propagandæ fidei ſub Ethnico Rege, potuit Summus Pontifex Indorum regna Catholicis regibus ſubijciendo tradere: quare reges infideles poſſunt rectâ viâ debellari, quamuis ex timore Hiſpanorum Prædicatores non eijcere polliceantur, ſi aliunde moraliter ſit certum ſub eo infideli regimine fidem propagari non poſſe.* Hæc ille. Qui ita cùm ſtatuat, mirum eſt quomodo *num. 222.* Aſſertionem addat priori contrariam, ita ſcilicet: *Quando Rex ethnicus non eijcit Prædicatores, liberamque ſubditis ſuſcipiendæ fidei facultatem largitur, licet aliunde aliqua impedimenta fidei, præcisè ex generali regimine, proueniant, quæ Sect. 11.* (ſex videlicet adducta) *enumerauimus, tunc non poterit iuſtè Rex ethnicus deijci.* Sic ibi. Quod confirmat *num. 247.* Sed cùm Aſſertionis prædictæ meminerit, ſicut & poſterioris, quatenus fundamentum illud quartum non admittit; Aſſertionem tamen aliam, quam habet *num. 170.* vti firmam videtur reliquiſſe.

5 Sic autem habet illa: *Tertia Aſſertio. Ex duplici Aſſertione præcedenti rectè infertur poſſe Papam Catholico Regi concedere, vt rectâ viâ, etiam ante prædicationem, aut eâ non repulsâ, debellare valeat reges infideles Indiarum, ad remouenda ſuſcipiendæ fidei impedimenta, quæ ſub ethnico principe ſunt moraliter certa.* Sic ille. Duplicis autem præcedentis Aſſertionis prior fuerat. *num. 145.* propter ſuſceptæ fidei impedimenta remouenda, poſſe Papam eximere fideles à iuriſdictione ethnici regis. Quæ eſt D. Thomæ à nobis adducti §. 3. *citato.* Poſterior *num. 156. Probabilius eſſe hoc ipſo quod* rex infidelis renuit conuerti, poſſe ab Eccleſia priuari iuriſdictione in ſubditos Chriſtianos, quia hoc ipſo videtur adeſſe morale impedimentum conſeruandæ fidei. Ex duplici hac Aſſertione rectam ille iudicat illationem. Licet autem *num. 148.* diſparitatem conetur inducere ex eo quod Papa iuriſdictionem habet in populum iam Chriſtianum, quæ indirectè ad Principem infidelem extenditur. Cùm tamen rectam illationem iudicauerit, ex aliis à ſe admiſſis & probatis, videtur, illâ non obſtante reſponſione, inconcuſſa permanere.

6 Neque enim videtur dici poſſe Aſſertionem præfatam, ſicut & duas illas, de quibus nuper, ex mente aliorum poſitas eam ſententiam tenentium, id namque modus ipſe proponendi abnuit, ex quo nihil tale habetur, neque eſt illud iuxta receptum ſcribentium ſtylum. Cùm ergo *Sect. 16.* ea, quæ pro ſententiâ dictâ, & Aſſertionibus formandis fundamenta adduxerat, adhibita reſponſione diſſoluit: magnam ſanè circa doctrinam propriam ingerit confuſionem. Accedit ratio ab eodem adducta *num. 89.* quâ probet donationem Pontificiam ſtatim effectum habuiſſe, & Reges Catholicos Indiarum dominos conſtitutos: aliàs ſi Indi, & eorum Reges prædicationem admitterent, verè domini non eſſent, ſoluſque eſſet titulus ſine re. *Ergo ſenſus verborum Bullæ eſt, vt ſubiectis Indis, deinde prædicetur eis Euangelium.* Quæ eſt illius conſequentia. Et quòd iuxta propriam loquatur mentem illa ipſius verba oſtendunt: *Reſpondetur gratis Chiapenſem ex his verbis Bullæ* (quibus Prædicatores mittendos ſtatuit Pontifex) *inferre non eſſe ſubijciendos Indos niſi poſt prædicationem repulſam, quod ſit oſtendo, &c.* Quis hic iuxta propriam mentem loquentem non agnoſcat Auctorem? Et quidem ille *cit. num. 222. & 247.* duo impedimentorum genera recognoſcit, alia ex regimine, ſex ſcilicet illa, de quibus dictum; alia directè tendentia ad impediendam fidei propagationem. Et hæc poſteriora ſufficientia iudicat ad infidelium principum debellationem. Quod ergo contendimus eſt, etiamſi reipſa non extent, ſi tamen certa moraliter præſumantur, poſſe à Pontifice donationem fieri; quod aſſeruiſſe illum vidimus, & inſuper debellari, nec videtur negaſſe, ſtante certitudine dictâ, neque negari poſſe veroſimiliter apparet, ob adductas à nobis rationes.

7 Et iuxta hæc loquendo, minimè currit Cenſura multiplex, quam in ſententiam negantem debere prædicationem præcedere, idem intentat, dum ſic ait *num. 196. Dico Primò. Falſa, temeraria, & ſcandaloſa eſt ſententia aſſerens poſſe ſemper & indiſtinctè ante prædicationem, aut eâ non repulsâ, debellari Indorum reges infideles.* Addit *num. ſeq.* eſſe piarum aurium offenſiuam. Iuxta ſententiam ſiquidem noſtram non ſemper & indiſtinctè licet debellatio, ſed cùm moralis eſt repulſæ certitudo, qualem Pontifices habuerunt, aut conſeruandæ fidei obſtacula præuidentur, qualia ſunt ſex illa, ſtante Indorum indole ad natiuas ſuperſtitiones promptiſſimâ, & congenea inſtabilitate. Et quidem ita explicata ſententia non poteſt vllâ feriri cenſurâ, quod & citatus Auctor nequit diffiteri. *Sectione* enim *16.* argumenta diluit, quæ contra ſententiam præmiſerat, omnino neceſſariam prædicationem eſſe ſtatuentem. Si enim illa tot eſt obnoxia cenſuris, non oportuit ea, quæ contra ipſam militant, argumentorum ſolutionibus infirmare. Præterquam quòd cenſuræ dictæ non videntur meritò fulminatæ, cùm non ſolus Geneſius de Sepulueda, vt ille aſſerit, ſententiæ abſolutæ negantis Auctor extiterit: Thomas enim Bozius de ſignis Eccleſiæ *Lib. 4. Cap. vltimo.* ita ſcribit: *Iuſque ipſi eſt* (Pontifici) *infideles punire, cùm iuxta lumen naturale nequaquàm viuunt, atque omni dominio priuare. Atque ita non modò hæc poteſt, quatenus eſt neceſſarium ad ſalutem animarum, ſed etiam quate-*

nus

Digitized by Google

nus eſt valde utile ad bonum publicum. Sic ille, nullo modo neceſſarium ſemper iudicans reſpectum ad prædicationem: ſunt etiam innumeri Auctores, vt videri apud eumdem, cum quo diſputamus, prout, *numer.* 36. qui Pontifici directam circa temporalia ſupra infideles tribuunt poteſtatem. Quomodo ergo eſſe temerarium poteſt, quod eo fundamento nititur, quamplurium & grauiſſimorum Scriptorum aſſenſu roborato? Quomodo etiam ſcandaloſum, & pias offendens aures, quod tot placuit viris pietate & omnimoda probitate inſignibus, & illarum, ſicut & ſublimioris litteraturæ magiſtris?

8 Quod autem Sect. 11. P. Arriagam impugnat, cuius & aliqua argumenta diſſoluit ex citatâ *Diſputatione* 25. de fide, vbi contendit non eſſe ius in Eccleſiâ ad inferendum bellum Principibus nolentibus Euangelij Prædicatores admittere, contra communem ſententiam: bene quidem eſt, quia reuerà ſententia illa contra communem eſt Doctorum ſenſum, & Eccleſiæ praxim donationibus Pontificiis comprobatam. Miror autem eumdem *num.* 18. de occupatâ ab Hiſpanis Americâ agentem, Pontificiæ donationis neutiquam meminiſſe, neque alium titulum occupationis agnoſcere, niſi iuſtæ vindictæ: nam cùm Hiſpani pacificum deſcenſum è nauibus habuiſſent, à barbaris malè tractati, aliqui etiam occiſi, ceteri ad ſe vindicandum paulatim accenſi, ius tandem acquiſiuêre. Addit poſſe etiam dici, ob barbariem quâ homines illi occidebant alios, eoſque immolabant Dæmoniis, comedebant &c. potuiſſe iuſtè debellari ob repulſam ergo prædicationem nihil tale accidiſſe pro certo habet, quia de eo nihil apud Hiſtoriographos. Quod quidem eſt meridianâ in luce aliquatenus caligare: vt enim ait citatus Scriptor. *num.* 90. & 100. apud omnes ferè Indicarum rerum Scriptores, ex quibus aliquos adducit, nihil frequentiùs quàm virtute donationis Alexandri VI. præmiſſâ proteſtatione, cuius formulam ex aliquibus eorum deſumptam, & Latinè redditam exhibet *num.* 101. & à viro doctiſſimo Ioanne Lupo de Palacios Rubios eſt compoſita, atque à Carolo V. tradita Franciſco Pizarro, captam fuiſſe poſſeſſionem. In quâ & de admittendis Prædicatoribus expreſſa mentio. Quod ſi vindictæ titulo ſolùm, & ob propulſandum barbariem, bellum erat Ethnicis inferendum, minimè erat recurſus ad Sedem Apoſtolicam neceſſarius, quem tamen Reges Catholici iuxta doctiſſimorum virorum ſententiam habuêrunt.

9 Quamuis autem Indi, cùm primùm ea, quæ ad fidem ſpectant, audierunt, quæ eorum ruditas, non potuerint ſufficientem eorum formare conceptum; vnde eiectio Prædicatorum non videtur eis vt culpabilis imputanda, & ſic nec belli illatione mulctanda, iuxta ea, quæ tradit Victoria *Relectione* 1. *de Indis num.* 34. & ita neque ſufficiens proteſtatio ad plenam iuſtificationem. Nihilominùs quia ſic eſt à ſapientiſſimis viris iudicatum, & Indi hominibus ſuperioris adeò ſupra communem eorum capacitatis veroſimilia de Deo mundi Creatore annuntiantibus, fidem aliquam adhibere debuerunt: neque, ſi diu expectandum, negotium fidei promoueri poſſet, ideò bonâ fide, & non ſine ſufficienti fundamento proceſſum. Quidquid de aliquorum inordinatis actionibus fuerit ab Hiſpanæ gloriæ æmulis ſine operæ pretio decantatis.

Circa materiam Capitis primi.

Scriptoris alterius maledicentia caſtigata.

10 B G. Mariſotus ille eſt, qui in Præfatione Orbis maritimi ita ſcribit: *& niſi æterno poſterorum & noſtro luctu ex hominum oculis coactus euolaſſet* (Henricus Quartus) *haud dubiè Magni titulos ad Indos vſque & Americam, illegitimis occupatoribus expulſis, importaſſet, terrarum mariſque dominus.* Sic ille, malo quidem agitatus ſpiritu in Apoſtolicam Sedem ſemel & iterùm virus peſtiferum euomente, vt videri poteſt *Lib.* 2. *Cap.* 20. vbi de Inſulis Fortunatis, ſeu Canariis, Sardina, & Corſica, non leui ſpongia digna proloquitur. Rogandus ſanè ſi Hiſpani Indiarum illegitimi occupatores fuerunt, vnde legitimi futuri Galli, iiſdem expulſis, niſi quia à Deo Orbis domini conſtituti? Quod neque ſalus fide aut mente poteſt affirmari. Et Reges ipſi Chriſtianiſſimi blateramenta iſta dubio procul deridebunt.

11 Quanto autem non ſolùm iure, ſed religionis zelo à Catholicis ſit actum Regibus, ſicut de more in aliis, inuiolabilis auctoritatis Scriptores expendunt. Ex quibus P. Carolus Scribanus in Politico-Chriſtiano ſic Regem noſtrum Philippum Quartum alloquitur: *Arma taceo. Vincor magnitudine: magis quòd pia ſint. Tuis enim armis Oriens & Occidens Chriſtianus audit. Tuis Europæ pars magna. Germania, quòd ſub hæretico & Turcica non gemat ferro, tibi prope debet.* Tibi *Belgij pars nobiliſſima, quod Chriſto ſuo viuat.* Hæc ille. Cùm ergo Deus Catholicum zelum inclytorum Principum detectione & dominatione Indicorum regnorum fuerit muneratus, argumento ſanè irrefragabili eſt, ſobriè, iuſtè, & piè in eo ſe geſſiſſe negotio, quidquid de quorumdam Conquiſitorum exceſſibus fuerit, qui numquàm in expugnationibus quantumuis legitimis poſſunt penitus euitari. Pro eodem ſtat Thomas Bozius *de ſignis Eccleſiæ Lib.* 10. *Cap.* 14. *num.* 7. vbi ait Gallos, & Britannos in ſuis expeditionibus parùm fuiſſe felices, eò quòd ſine Pontificiis auſpiciis, propter quæ Hiſpani feliciores.

12 Ex quibus compertum habetur Hiſpanos Reges minimè Orbis imperium affectare, vt maleuolus ille criminator in dedicatione pronũtiat, ſibi conſonus in Præfatione, in qua ſic loquitur: *Si Stationaria claſſis parata ad omnem occaſionem fortunamque fuerit, incluſis inter Batauos & Normannos Belgis, ruinam minari. Iberorum verò commercijs & Imperio, tum Americæ, tum Indiæ finem proximum. Quid enim ſpei reliquum Hiſpano, bellicoſiſſimis nationibus terra mariq; in eius perniciem coniunctis?* &c. In quibus dura ſicut infernus ſe prodit æmulatio, dum ad deſtructionem omnimodam Hiſpanæ Monarchiæ non ſolùm Gallicam optat armari potentiam, ſed mundum ferè totum coniurare. Quod quidem diabolicum eſſe

votum nequit dubitari, vt eximium illud fidei præſidium. Eccleſiæ propugnaculum, & Romanæ Sedis fortiſſimum brachium, cadat, & ruina ſua liberum hæreſi campum, in quo poſſit exultare, tripudiare, regnare, &, vt verè dicam, tartarizare, relinquat. Sed non ita Deus tabernaculum gloriæ ſuæ deſeret, vt triumphet iniquitas; ac bellicoſiſſimis illis nationibus cum Hiſpano Monarchâ fœderatis, regnum diaboli peſſum ibit, quiq; inſultabant procaciùs, redditam ſibi pacem animitus gratulati, pro ipſius conſeruatione non deſinent exorare.

Pacata videbis
Sæcula, reſtinctiſque animos miteſcere bellis.

Sic Chriſtianiſſimo Ludouico nunc feliciter regnanti, non falſus vates inter ipſa crepundia decantarat, P. Dionyſius Petauius Panegyrico 9. vbi quæ addit de triumphis ex infidelibus terras, quæ olim Chriſtianorum fuerunt, incolentibus, fortunatiſſimè reportandis, vtinam pari ſint veritatis oraculo conſignata: non equidem inuidebimus, ſed gratulatione illos ingenuâ proſequemur. Iuuabimus precibus, & militari, ſi opus fuerit, apparatu; ſic enim de Regis noſtri ingenuitate confido, qui Gallicam jam gloriam, non alienam ſed propriam ducit, pretioſiſſimo pignore ſtabilis fœderis attributo, Sereniſſimâ Mariâ Tereſiâ *Chariſſimâ in delicijs* filiâ, & pulchra jam prole parente, tali profectò ſponſo debita, qualem & præclara eiuſdem decora, & naturæ ac gratiæ ornamenta ſingulariſſima depoſcebant. Quæ dum cogito hilaritatis ac felicitatis plena, ægrè quidem ad ea memoriam & calamum flecto, quæ temporibus belli infauſtis acta ſunt, aut dicta: ſed neceſſarium eſt auctoris illius maritimi, pacis immemoris, nec Regibus gratificati ſuis maledicentiæ tonitribus, nonnulla exploſiſſe commenta, vt ſuus veritati locus ſit, & Hiſpanum nomen, quod quantum quantum eſt, pro Gallicâ jam gloriâ militat, inofficioſis mendacijs nullatenus detegatur.

13 Pergit ergo ille, & *Lib.* 2. *Cap.* 20. ita ſcribit: *& niſi Portugallia per dolos & fraudes Philippo cum Tangitana Africa prouincia, totoque penè Oriente obueniſſet, &c.* & Cap. 21. *Cuius regnum Henrico atque Antonio excluſis, qui legitimi hæredes erant, Philippus II. Caſtellæ Rex occupauit.* Et Lib. 7. Cap. 7. *Vent & in eiuſdem obſequium obuerſa Europæ America* (Brigantini) *Indiaque Orientalis cum vicinis Inſulis, & nunc Ioannes ille Philippo IV. maior, libertatem, quam ſibi ſuiſque comparauit, armis & & virtute tutatur.* Hæc ille, & alia, in quibus egregiè mentita eſt iniquitas ſibi. Henricum legitimum hæredem excluſum ait, quem pacificè regnantem vidit mundus; licèt non defuerint, qui poſt Sebaſtiani mortem Philippo II. jus ſucceſſionis adſtruxerint, quod abnuit ille, quia non ita ſolidis fundamentis ſubnixum videbatur. Sed minoribus certè alij regna non ſemel occuparunt. Antonium legitimum hæredem & ipſe eſt inficiatus Henricus, qui virtute Breuis Pontificij ſuper illius illegitimitate ſententiam pronuntiauit, in ipſum, & falſos quoſdam teſtes animaduerſione decreta. De quo luculenter agit Hieronymus Coneſtaggius, Patritius Genuenſis in Hiſtoriâ de coniunctione Portugalliæ cum regno Caſtellæ *Lib.* 3. Si legitimus ille, non equidem neceſſariæ eſſent tot de ſucceſſore legitimo quæſtiones. Vnde vt jus firmiùs poſſet obtendi, ad electionem eſt populi prouocatum. Qualis autem illa fuerit diuerſi Auctores exponunt apud Illuſtriſſimum Caramuelem *in ſuo Philippo Diſput.* 3. & in reſponſione ad Manifeſtum Regni Portugalliæ *pag.* 4. 169. & 179. Ego citati Patritij verba ſubiiciam, qui *Lib.* 5. præfatæ Hiſtoriæ ſic loquitur: *Itaque ex judicibus & nobilibus Priorem* (Antonium) *gratulandi ergo ferè nemo, & ex ſupremo Magiſtratu vnus tantùm ſyndicus acceſſit.* Et inferiùs: *Emmanuel Fonſeca de feneſtra magnâ voce clamauit: viuat, viuat Antonius, Rex Luſitaniæ: quæ verba cum magna alacritate à plebecula approbata fuerunt.* Sic ille. Fieri autem poſſe Reges populorum tumultuaria conclamatione, peſtiferæ conſequentiæ doctrina eſt, & ita à Chriſtianis ſenſibus penitus releganda: non ergo propter excluſum Antonium debet Magnus Philippus excluſor vllâ ratione culpari.

14 Felicitatem prætereà, quam in Ioanno ſuo Quarto ſcriptor ille deprædicat, ob libertatem ſibi ſuiſque comparatam, annis ſequentibus remittamus. Et illud ſanè quod ex eodem poſitum *ſuprà* iuuat in cauſſam præſentem aduocare: *Quid enim ſpei reliquum Hiſpano, bellicoſiſſimis nationibus terra marique in eius perniciem coniunctis?* Si pro Hiſpano Luſitano reponamus. Sed maior ille Philippo IV. Quàm hoc ridendum & ipſis etiam ſua iactantibus Luſitanis? Vnus ille Hiſpaniæ angulus, quem Alfonſus Rex Henrico Comiti vt dotem Tereſiæ filiæ nothæ legauit, totâ ſit maior Hiſpaniâ; cui & tot alia adiuncta regna, & nobiliſſimi ac validiſſimi Principatus. Sed paret Orientalis India: & quid illa ad vnum Peruuium occidentalium opulentiſſimum & nobiliſſimum tractum? Hinc illud apud Vatem Gallicum

Nam quis Iberiacis non cedat viribus hoſtis?
Immenſas quis ſpernat opes, quas fœnore tanto
Auriferis fundit perfoſſa Peruuia terris?

Et apud Carolum Werpæum *Lib.* 4. raptus Manreſiani S. Ignatij, quod conſonat.

Illinc auriferis opulenta Peruuia foſſis
Inuentas malè plorat opes.

Alexander Donatus *Lib.* 1. *Carminum Poëmate* 16. Pro eodem ſic

Nitidi congeſta metalli
Pondera, torrentique ſolo geminantia ſaxa,
Fundit ab auriferis pretioſa Peruuia terris.

15 Iam quod per fraudes & dolos obueniſſe Portugalliam aſſeruiſſe non puduit, licèt ad cauſſam Indiarum generaliter non ſpectet, quia tamen ab illa alienum non eſt, & de Orientali pariter pronuntiatur, operæ pretium fuerit, vt immanem calumniam euidenter refellamus. A dolis & fraudibus regalis profectò Philippi II. animus ſupra modum alienus, vni iuſtitiæ ritu Chriſtiano ſemper intentus. *Nihil notius eſt, nihil vulgatius, quàm Catholicum Regem & inuictiſſimum Philippum Principis noſtri auum, omnibus quorumcumque ſæculorū Regibus præluxiſſe, certas ſibi juſtitiæ metas præfigebat, vltra quas nulla eum gratia ad veniam, nulla maleuolentia ad pœnam incitaret: amicitias potius reſcinderet, conſanguinitatem faciliùs violaret, quàm æquitatem, naturam libentiùs exueret, quàm iuſtitiam.* Luſitani Auctoris verba ſunt, & teſtis planè omni-

Digitized by Google

ni exceptione maioris, Patris inquam Franciſci de Mendoza, ſcriptis ſuis Orbe toto notiſſimi, in *Oratione* 1. quæ extat *Lib. 6. Viridarij*, & in ortu Philippi IV. Regis noſtri eſt habita Conimbricæ in templo Societatis, Academiâ, præſtantiſſimaque ciuitatis totius frequentiâ conſpirante. Quo fundamento iacto, quidquid de dolis & fraudibus inuidia protulerit, germanus illius eſt partus æſtimandus. Pro quo & facit P. Ioannes de Rho *Parte 2. Hiſtoriarum variarum virtutum*, vbi id habet, quod quia ad Galliam ſpectat, opportunè cadit. Sic ergo ille Lib. 5. Cap. 1. §. 3. *Philippum Hiſpanorum eius nominis Regem Secundum inſpiciamus, ſub diuturni ac feliciſſimi Regni finem validiſſimas arces, opulentiſſimasque urbes, quas longo ac difficili bello de Gallis ceperat, eiſdem nulla fractum clade, ſed quo pax, quæ totius Europæ votis, & Clementis VIII. Pontificis Maximi efficacibus vrgebatur officijs, faciliùs coaleſceret, redhibentem videbimus, &c.* Vbi præclarum eſt cernere iuſtitiæ documentum. Qui enim iuſtè parta redhibet, ab acquirendo per dolos & fraudes alieniſſimus comprobatur.

16 Rem Gallicam etiam & quod ſubiiciemus, attingit. Henrico III. regnante, cùm hæretici redditi fuiſſent potentiores, à Catholicis eſt Philippus Rex Catholicus regni Protector & Defenſor deſignatus Ann. 1585. Quod quidem ille ſingulari moderationis exemplo noluit acceptare, etiamſi pro eo Pontificis, & magnorum Principum preces acceſſiſſent. Nolebat de nouo principatu ſibi conquiſito ſpecioſâ illa compellatione notari. Sed mortuo Rege ipſius Leuiro, Parlamentum Pariſienſe edictum edidit à Conſilio ſtatus approbatum, in quo continebatur Catholicum & inuictum Hiſpaniarum Regem D. Philippum II. principalem eſſe Religionis Catholicæ Protectorem, illius Regni ſalutis zelatorem, de quo eiuſdem prælata geſta iam pridem, & continuata auxilia Carolo IX. & Henrico Regibus impenſa, quando illi ſe hæreticorum ac ſchiſmaticorum aduerſarios oſtenderunt, ex vno illo deſiderio profecta, vt eo in Regno Catholica perſeueraret fides, teſtimonium perhibebant. Tunc munus Defenſoris ac Protectoris admiſit, & colligationem Catholicam ſeriò & conſtanter adiuuit. De quo Auctores multi, ex quibus P. Euſebius Nieremberg *in virtute coronata* ad fidem, vbi de Philippo II. cuius & alia illuſtria exempla commemorat. Habemus ergo nihil contra iuſtitiæ dictamina fuiſſe molitum, neque dolo malo aut fraude expugnationem quam piam aggreſſum qui oblatos etiam dominationis titulos adeò conſtanter recuſauit.

17 Quando ergo Portugalliam inuaſit, non minùs iuſtitiâ, quàm ferro copias immiſſas armauit, armatus & ipſe Dei adinſtar, de quo Sapient. 5. v. 19. & 20. *Induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium certum. Sumet ſcutum inexpugnabile æquitatem.* Quo iuſtitiæ iure recognito ſtatuit Henricus regnum ipſi ſub quibuſdam pactionibus tradere, quas recenſet Ioannes Antonius Viperanus in Hiſtoriâ de obtentâ Portugalliâ, vbi & illud ſpeciale. *Chriſtophorum Moram ad ſe acceſſit; ait velle ſe certis pactionibus regnum Philippo tradere: rogatque an jus vllum procuratorium in hac re habeat: ille jus, quod habet, profert. Sed quia inualidum videtur, aliud à Rege Philippo mitti poſtulat, quod mox miſſum.* Sic ille: pro quo & citatus Coneſtaggius multa *Lib.* 4. Qui quanto cum ſcrupulo Rex Philippus eo in negotio proceſſerit, vt jus, quod ipſi adſtruebant multi, penitus inclareſceret, expendens, hæc inter alia ſcribit: *Cùm autem etiam in modo agendi conſcientiæ ſuæ rationem habere vellet, jam ante exquiſiuerat de hac re ſententiam Fratris Iacobi Chiaueſij* (de Chaues) *Confeſſoris ſui Ordinis Prædicatorum, & nonnullorum aliorum ex præcipuis eiuſdem Ordinis. Verùm cùm nondum horum judicia ipſi ſatisfacerent, nec in ſola Dominicanorum opinione acquieſcendum eſſe putaret; rem cum aliorum Ordinum Monachis etiam communicaturus, miſit vnum ex Ordine Minorum, qui de toto negotio omnes paullò celebriores totius Hiſpaniæ Theologos conſuleret. Quod cùm ille diligenter feciſſet, & quæſtionem hanc non tantùm Præſulibus, & publicis ac ordinarijs Theologiæ Profeſſoribus, verùm etiam Ieſuitis & Franciſcanis examinandam propoſuiſſet, magno conſenſu omnes pronuntiarunt, cùm jus Regis adeò eſſet manifeſtum & liquidum, illi nihil aliud agendum reſtare, quàm vt illud Regi Henrico, &c.* Sed Henricus lentiùs agit, & dum cunctatur expirat.

18 Pro eodem P. Diana *Parte* 10. *ad finem Tractatu de poteſtate ex authorandi Reges Reſolut.* 10. vbi Chriſtophorum Beſoldum Germanum Iuriſconſultum ſuâ in facultate doctiſſimum loquentem inducit, & modum à Rege Philippo in cauſæ dictæ proſecutione ſeruatum, qui pro typo omnibus Chriſtianis deberet eſſe Principibus, exactiſſimè proponentem. Sed omnium elegantiſſimè Iuſtus Lipſius *Lib. 2. de monitis & exemplis Politicis, Cap. 3.* rem eſt iſtam proſecutus, qui audiatur digniſſimus, vir integerrimi iudicij, & minimè labe adulationis infectus, dum ſic loquitur poſt enarratam electionem Ferdinandi Caſtellæ Infantis in Regem Aragoniæ: *Pulchra electio, & quam in manu Luſitanorum erat nuper imitari. Nam plures Regnum illud mortuo Sebaſtiano competebant, ſuis quiſque titulis. Philippus Rex Hiſpaniarum, Alexander Parmæ Dux liberorum loco, Ioannes Dux Brigantiæ ab vxore, Antonius notus, ſed qui legitimum credi ſe volebat. Concurrebat & Regina Galliæ, Catharina Medices, vetuſto & abſoleto titulo à Comitibus Bononienſibus repetito. Rex ſenex Henricus mederi futuris malis poterat, & velle videbatur; ſed fortior animus deerat, & cunctantem mors occupauit. Sed & poſt eum quinque Gubernatores electi, & vndeni judices, tarditate aut frigore peccarunt: & quamquàm proni in Philippum Regem, non auſi jus ei adſcribere, ob populi ſtudia diſſentientis. Quem ſecum ferè Antonius fecerat, & plenis velis per plebeias illas vndas ferebatur. Ita factiones, diſſidia, & denique arma. Quæ tamen priuſquàm Philippus inferret (& parata habebat) pro ſuo ingenio leniter ac tardè agere, legationibus quàm legionibus velle rem conficere: à vi quidem adeò alienus, vt cùm Antonius ille, caput turbarum, ejectus ab Henrico Rege, in Caſtellâ eſſet, & in Cœnobio quopiam D. Benedicti, gnaro Rege Philippo, latitaret; ille nec extraxit, nec reppulit, cùm in illo velut torre extinguere incendium ſurgens poſſet. Simile in alio Competitore Duce Brigantiæ, cuius filium captum à Mauris, in felici illo prælio, redimi per legatum ſuum curauit, & eumdem jam in Hiſpaniâ, cum eſſent qui in omni vi & via retinendum cenſerent, immò retinerent; ille firmus in quietis Conſilijs, & jure ſuo nixus, liberum dimiſit. Sed neque ſic, cum alij arma pararent aut caperent, inuaſit,*

aut

Digitized by Google

aut eiecit, ſed ante omnia jus ſuum diſputari à Theologis, & Conſultis eius ſeiit; jamque de eo certior copias promouit. In limite erat Luſitania, & omnis mora noxia: tamen iterùm moratur, iterumque peritos conuocat, & per Deum & Fidem obteſtatur, liberis vocibus ſenſibusque edicerent ecquid juris ſui eſſet: hoc non cupere ſe modò, ſed jubere. Omnes vno ore jus affirmarunt. Tunc denique Ferdinandus Dux Albæ inuaſit, & ſeptuaginta dierum ſpatio Luſitaniam totam ſubijcit, vno prælio Antonio, qui Regem ſe ferebat, pulſo. Si tamen prælium dixerim, veterani exercitus cum ſemiarmi & vrbana turba congreſſionem. An nos paullò minùs quingentos auulſa Luſitania fuerat à reliquo ſuo corpore: rediſt, vt retuli, ſed cum admiratione aliqua eorum, qui attendent in re tam opportuna, vtili, facili, conflatorem Philippum ſic fuiſſe. Imitentur Reges, nec temerè ambitio ad arma impellat. Hæc Lipſius ad obturandum os Maritimi illius, & aliorum eiuſdem farinæ hominum loquentium iniqua.

19 Nec prætereundum extat *Lib. 1. Cap. 5.* vbi ſingularem diuinæ Prouidentiæ diſpoſitionem in ſucceſſione iſtâ perpendit, & poſt alia ſic concludit: *Viginti duo erant, qui Philippum Regem anteibant, & ſucceſſione legitimè arcebant. Et tamen quò Fata vocabant venit & ſucceſſit. Præmortui omnes illi ſunt. Quid? Niſi vnum facerent Hiſpaniæ totius caput. Magnus fauor Numinis, nec ſemel in hac gente (Auſtriam dico) ſe oſtendit, quæ per hæreditates, & aduentitia incrementa ferè creuit.* Sic ille, qui Fati nomine quid intelligat, ſic Chriſtianè exponit initio Capitis: *At tu, qui Deum, & Religionem colis, etiam Fatum, id eſt Prouidentiam, decretumque diuinum, &c.*

Longè ergo à Chriſtiano illo pectore fuit, quod apud Lucanum legitur *Lib. 1.* de Cæſaris bello contra Romanam Rempublicam loquentem:

Menſuraque juris
Vis erat.

Non tale illud:

Iuſtos Fortuna laborat
Eſſe Ducis motus, & cauſſas inuenit armis.

Sed non tales profectò cauſſas, vt in caſu noſtro, vnde Magnus Philippus armis poſſeſſionem moliens, & in ipſis regni portis, Pace-Iulia, conſtitutus, cùm ibidem ob ſuperuenientem morbum in præſentiſſimum vitæ periculum incidiſſet, & deſperata illius vita communiter haberetur, nullo circa expugnationem ſcrupulo hæſit, aut ab ipſa abſtinendum judicauit. Et tamen erat ille conſcientiæ ſuæ obſeruantiſſimus cultor & cuſtos: id, quod in eo maximè credendum articulo, cùm Regis regum, & Domini dominantium tremendo ſe Tribunali ſiſtendum verebatur, vbi de regno cœlorum vertebatur quæſtio, quod ob terrenum relinquendum alijs, amittere velle, aut aperto amittendi ſe expoſuiſſe periculo, ingentis quidem imprudentiæ, immò & inſaniæ eſſet; vnde à prudentiſſimo, non humana & Politicâ tantùm, ſed Chriſtiana etiam prudentia eximio Philippo penitus alienum.

20 Iam quid ad hæc ſcriptor ille? Dolendum ſanè in libris exaratas calumnias ſine ſpe reſtitutionis excurrere, vt hinc ſcribentes modum in dicendo perdiſcant, præſertim cùm in viros magnos calamus ſtringitur, omni quandoque gladio pernicialior. Sed inclyti illius Monarchæ adeò celebris gloria eſt, vt ſperare liceat nebulonum dicteria vi tanti luminis opprimenda: ſicut & quod *Lib. 2. Cap. 7.* ab eodem ſcriptum non ſine iniuria veritatis: ſic enim ibi: *Flauiobrigæ muri tormentis noſtris diſiecti, nemine propugnante, ſolitarij jacebant: non audacia militi noſtro deerat, ſed obſequium & concordia. Hinc hoſti animus rediſt, nobis metus: quod momento quæſiueramus, momento amiſimus, mutataque fortuna victi, qui modò victores eramus.* Sic ille, qui Flauiobrigam vocat, quæ vulgo *Fuenterrabia*, & Latinè ſcribentibus *Fontirrabia, Fonterrabia, Fontarrabia, Fons-Rabia, Fons-Rabidus, & Fons-rapidus.* Quam & *Lib. 1. Cap. 32. num. 94.* vocari ait *Phlaſiobrigam.* Et in *numero* reſpondente in fine Capitis, vbi vulgaria Portuum Hiſpaniæ nomina congerit, *Rhabidam* vocat. Sed Flauiobrigam, de quâ Plinius *Lib. 4. Cap. 20.* Alij de Flauiobrigâ aliter, de quâ, & de Bilbaï laudibus Arnaldus Oihenartus *in Notitia Vaſconiæ Lib. 1. Cap. 8.* vbi & Coloniam nouem ciuitatum affirmat, à Fonterrabia diuerſam diligentiores rerum Hiſpanicarum teſtantur ſcriptores, & Bilbaum eſſe, nobiliſſimum Cantabriæ totius emporium, videri apud Philippum Cluuerium poteſt *Lib. 2. Introductionis Geographicæ Cap. 3.* cui multùm me debere natura voluit inde patre deſtinato. Ad rem iam.

21 Quòd muri diſiecti tormentis Gallicis, veriſſimum ſanè; neminem autem propugnantem extitiſſe, falſiſſimum. Sic enim ſtrenuè & fortiter à ciuibus actum, vt propugnatio diuturna antiquam Numantiam & Saguntum Gallorum oculis præſentarint: donec Hiſpano ſuperueniente exercitu ſoluta eſt obſidio, & de hoſtibus, numero, equitatu, ac tormentis & propugnaculis ſuperioribus, memoranda ſæculis omnibus victoria reportata. Et poſſet merito Poëtarum aliquis *Fontem Rabiam Triumphantem* Leucatæ Triumphanti opponere, in quo amænioris Poëmatis argumentum. Sed ſunt Hiſpani agendorum quàm dicendorum artifices meliores. Et quidem quod verſibus non celebratum adhuc (ni fallor) exactiſſimâ tamen eſt narratione vulgatum, ſucceſſibus omnibus per dies ſingulos adnotatis, vulgari priùs ſermone, & Latino deinde, eoque pereleganti à P. Ioſepho Morete ex noſtra Societate, hoſtibus, vbi illa digni, ingenuè exhibita laudatione. Quod de obſequio & concordia in Gallico deſideratis milite, vnde animus Hiſpanis redditus, metus illis, ex quo victoriæ felicitas, ſi ſolatio eorum prætenditur, ſic vt velint, numquàm enim in talibus excuſatio deeſſe ſolet. Illud certum de tali obſequij & concordiæ defectu nihil Hiſpanis innotuiſſe militibus, & in concordes ac obſequentes exercitum pro ſoluenda obſidione formatum pariter irrupturum: ſicut & in obſidione Ilerdæ, Tarraconis, & alijs accidit, in quibus victoriæ nequeunt ſimilibus defectibus obſcurari. Nec nouum illud, cùm jam pridem ita ſcripſerit Lucius Marinæus Siculus *Lib. 3. de rebus Hiſpaniæ circa initium: Fons-Rabia Gallis obſtaculum & pernicies.* Vt non ſit opus antiquius illud exemplum produxiſſe, cùm capta & incenſa à Gallis Roma, Camillus *aciem in ſemirutæ vrbis ſolo inſtruit, primoque concurſu haud maiore momento Galli fuſi ſunt, quàm ad Albiam vicerant.* Quid poſt fugam redinte-

Digitized by Google

redintegrato bello? *Ibi cædes omnia obtinuit, caſtra capiuntur, & ne nuntius quidem cladis relictus.* Sic ex Liuio, Plutarcho, & Floro P. Salianus *Tomo 5. Ann. 3665. num. 5.* Quia verò in obſidione prædictâ nobilis vir Didacus Butronius, qui ex Peruuio in Patriam redierat diues, & pro auertendo ex muralibus cuniculis damno probè inſtructus, dum pretioſis metallis eruendis incubuit, Prætorem militarem agens eximium contulit induſtriâ, manu, conſtantia, largitate, ac moderatione momentum; quod de illâ à nobis dictum non debet penitus extraneum à conſideratione Indiarum æſtimari. Hinc exportati octodecim illi octi-regales, quos ille deficturiente plumbo in pilas archabuſiarias obtulit, daturus ſanè, niſi Deus eâ liberalitate, & in Regem ac Patriam fide contentus, meliùs aliquid, opportunè noſtro ſuperueniente exercitu, prouidiſſet.

23 Claudendum narratione alia, quæ & ad Indias Occidentales ſpectat, & ab Scriptore præfato, fide ſolita, *eiſdem Libro & Capite* continetur, vbi de Marchione Breſlero viginti & vni nauibus Præfecto ſcribit quòd *cùm intellexiſſet Hiſpaniam claſſem 36. nauigiorum, inter quæ Galiones Regij duodecim, in Occidentalem Indiam bella facturam, medio Gaditæ in portu tempeſtatem ſuſtinere: quamuis impar numero, egredientem tamen, & altum capeſſentem aggreſſus, ipſe Prætoriam hoſtium nauim fundo merſit, Galiones quatuor per lembos incendiarios combuſſit, obſcuraque in nocte ſecutus ignes, quos vt tota claſſis coiret, & ſuccurreretur mutilis nauibus, fugientes exitauerant, cum caducas naues abſorberet mare, &c. Reliquiæ claſſis Hiſpanicæ, malis, veliſque, & gubernaculis amiſſis, militibus verò M D ferro, fluctibus, igne conſumptis, in portum, vnde ſoluerant, ſeſe receperunt, & nunc omiſſa nauigandi in Indiam Occidentalem deliberatione, ſalui vota ſuperis ſoluunt, quibus ſe inter pericula obſtrinxerant.* Hæc illa, Gallicâ humanitate & vrbanitate ſubiunctâ, iis in naues eorum receptis, qui merſis Hiſpanicis, cùm manifeſtò vitæ periculo fluctuabant, in quibus à veritatis portu plurimùm conſtat aberratum.

24 Res ſic habuit. Naues erant triginta Gallicæ, & ſex inſuper incendiariæ. Hiſpanicæ omnes 26. ex quibus Galiones decem, duæ minores præcurſoriæ, reliquæ onerariæ, cum duobus præſidiariis. Pugnatum eſt vento à Gallis prærepto. Galio Regius, in quo Marchio de Cardeñoſa Præfectus, iniecto igne diſperiit, & cum eo Marchio ipſe, ſacerdoti è Societate ipſis in fluctibus pariter anhelanti peccata confeſſus, qui ad portum felicius enatauit. Et ea ſola nauis, non quatuor, vt in narratione, combuſta. Quid ſi & totidem fuiſſent? an multùm inde, vnde poſſit fortitudo Gallica gloriari? Prætoriæ incendiaria nauis (non lembus) applicitâ, ferreo proræ iniecto retinaculo, cùm ſeptem illam aduerſariæ circumdediſſent, quæ ad pugnandum cominùs, ferreis innexæ manibus, inuitatæ, neutiquam annuerunt. Et conflagrare quidem Prætoria cœpit, fatali ſicut alia, de quâ diximus, incendio peritura, niſi Deus peculiari prouidentiâ, ob quatuordecim Sanctorum Martyrum preces, quorum corpora Romanis ex Cœmeteriis extracta legitimâ auctoritate à Patribus Societatis in Peruuium deferebantur, & in templo D. Pauli Limenſis Vrbis, vbi hæc ſcribo, pretioſis ſunt thecis & loculis collocata, ignem graſſantem dimouiſſet. Globus enim tormentarius ex quadam Gallica diſploſus naui retinaculum incendiariæ diſrupit, inter illam & Prætoriam euolans, hamato fruſto in Prætoriæ prora relicto: & ita incendiaria ad eam diſtantiam, Numine fauente, diſcluſa, vt nocere ampliùs non poſſet, vnde & locus datus reſtinguendo igni, & cum hoſtibus tormentorum diſploſione, dum aliter renuerent, præliandi.

25 Falſum ergo eſt Prætoriam fundo merſam; in quâ vir præclarus & ſtrenuus D. Hieronymus de Rojas y Sandoual Generalem Ducem agebat. Et de Gallica claſſe jam ille ante egreſſum certior factus, veſpere diei pugnæ proximi, cùm à nautico ſpeculatore ſex fuiſſent naues ad horizontem peruiſæ, cras, inquit, plures erunt, certum numerum exprimens, quem probè nouerat, & poterat tunc ſecurè portum repetere, ſed indignum duxit Hiſpanicâ fortitudine certamen, licèt non paribus armamentis, detractare. De inſecutione fugientium nauium accenſis ignibus, & caducis à mari abſortis quod dicitur, inter fabulamenta numerandum; quia neque abſortæ illæ & vna tantùm ex præcurſoriis, quas *Pataches* Noſtri dicunt, & aliqui benè Latini *Celoces*, licèt remis careant, quibus olim inſtructæ in vadum Hiſpanici littoris, cui ab arenis craſſis nomen, impegit. Et quidem ſi inſecuti fugientem, quomodo non aſſecuti, & circa portum albeſcente die prælium inſtauratum? Numerus amiſſorum militum à quo potuit cœca illa in nocte ita exactè computari? Ex Galione Marchionis Cardeñoſa euaſère quamplures, ex aliis deſiderari non multi potuerunt, cùm ad conferendas manus non fuerit deuentum. Ex Prætoria fuêre triginta; ab aduerſarijs ſeptem, vt diximus, impetita, & ex omnibus ad quadringentos. Omiſſam nauigandi deliberationem non fuiſſe, ipſa poſt duos menſes repetita nauigatio demonſtrauit. Quòd autem interim ſoluta ſuperis vota fuerint, quibus ſe inter pericula obſtrinxerant, quis accuſet, quandoquidem leuia non fuêre pericula, non iam cum hominibus, etſi hinc etiam illa, ſed cum igneis monſtris præliaturis?

Circa Caput II. in fine.

26 Videantur quæ ex Thomâ Bozio poſita *num. 19.* de parùm felicibus expeditionibus Gallorum & Britannorum circa Indias, eò quòd ſine Pontificiis auſpiciis. Vt nonnullorum Hiſpanorum exceſſus nimiſquantùm ab exteris ſcriptoribus proclamati, de quibus ibidem, non debeant vt noui & inſoliti, & velut argumentum iniuſtæ occupationis aſſumi, videant Galli quid ab ipſis in Belgio actum, dum iuſtam inuaſionem, ſuis obſecuti ductoribus, arbitrantur.

Templa antiqua ruunt veterum decora alta parentū,
Virginibus non ipſe pudor, non matribus ætas
Præficit. Heu! Terras fugiens natura reliquit.

Sic Otho Zilius in Cameraco ab obſidione liberato. Quid apud Fonterrablam, vbi Sacellum Virginis in ſtabulum verſum, citatæ narrationes exhibent. Vt de Teſtimonio taceamus, in quo ſacri

Digitized by Google

aut eiecit, ſed ante omnia jus ſuum diſputari à Theologis, & Conſultis eius ſeiit; jamque de eo certior copias promouit. In *limite erat Luſitaniæ, & omnis mora noxia: tamen iterùm moratur, iterumque peritos conuocat, & per Deum & Fidem obteſtatur, liberis vocibus ſenſibusque edicerent ecquid juris ſui eſſet: hoc non cupere ſe modò, ſed jubere. Omnes vno ore jus affirmarunt. Tunc demque Ferdinandus Dux Albæ inuaſit, & ſeptuaginta dierum ſpatio Luſitaniam totam ſubijcit, vno prælio Antonio, qui Regem ſe ferebat, pulſo. Si tamen prælium dixerim, veterani exercitus cum ſemiarmi & vrbana turba congreſſionem. An nos paullò minùs quingentos auulſa Luſitania fuerat à reliquo ſuo corpore: rediit, vt retuli, ſed cum admiratione aliqua eorum, qui attendent in re tam opportuna, vtili, facili, conflatorem Philippum ſic fuiſſe. Imitentur Reges, nec temerè ambitio ad arma impellat.* Hæc Lipſius ad obturandum os Maritimi illius, & aliorum eiuſdem farinæ hominum loquentium iniqua.

19 Nec prætereundum extat *Lib.* 1. *Cap.* 5. vbi ſingularem diuinæ Prouidentiæ diſpoſitionem in ſucceſſione iſtâ perpendit, & poſt alia ſic concludit: *Viginti duo erant, qui Philippum Regem anteibant, & ſucceſſione legitimè arcebant. Et tamen quò Fata vocabant venit & ſucceſſit. Præmortui omnes illi ſunt. Quid? Niſi vnum facerent Hiſpaniæ totius caput. Magnus fauor Numinis, nec ſemel in hac gente (Auſtriam dico) ſe oſtendit, quæ per hæreditates, & aduentitia incrementa ferè creuit.* Sic ille, qui Fati nomine quid intelligat, ſic Chriſtianè exponit initio Capitis: *At tu, qui Deum, & Religionem colis, etiam Fatum, id eſt Prouidentiam, decretumque diuinum, &c.*

Longè ergo à Chriſtiano illo pectore fuit, quod apud Lucanum legitur *Lib.* 1. de Cæſaris bello contra Romanam Rempublicam loquentem:

Menſuraque juris
Vis erat.

Non tale illud:

Iuſtos Fortuna laborat
Eſſe Ducis motus, & cauſſas inuenit armis.

Sed non tales profectò cauſſas, vt in caſu noſtro, vnde Magnus Philippus armis poſſeſſionem moliens, & in ipſis regni portis, Pace-Iulia, conſtitutus, cùm ibidem ob ſuperuenientem morbum in præſentiſſimum vitæ periculum incidiſſet, & deſperata illius vita communiter haberetur, nullo circa expugnationem ſcrupulo hæſit, aut ab ipſa abſtinendum judicauit. Et tamen erat ille conſcientiæ ſuæ obſeruantiſſimus cultor & cuſtos: id, quod in eo maximè credendum articulo, cùm Regis regum, & Domini dominantium tremendo ſe Tribunali ſiſtendum verebatur, vbi de regno cœlorum vertebatur quæſtio, quod ob terrenum relinquendum alijs, amittere velle, aut aperto amittendi ſe expoſuiſſe periculo, ingentis quidem imprudentiæ, immò & inſaniæ eſſet; vnde à prudentiſſimo, non humana & Politicâ tantùm, ſed Chriſtiana etiam prudentia eximio Philippo penitus alienum.

20 Iam quid ad hæc ſcriptor ille? Dolendum ſanè in libris exaratas calumnias ſine ſpe reſtitutionis excurrere, vt hinc ſcribentes modum in dicendo perdiſcant, præſertim cùm in viros magnos calamus ſtringitur, omni quandoque gladio pernicialior. Sed inclyti illius Monarchæ adeò celebris gloria eſt, vt ſperare liceat nebulonum dicteria vi tanti luminis opprimenda: ſicut & quod *Lib.* 2. *Cap.* 7. ab eodem ſcriptum non ſine iniuria veritatis: ſic enim ibi: *Flauiobrigæ muri tormentis noſtris diſiecti, nemine propugnante, ſolitarij jacebant: non audacia militi noſtro deerat, ſed obſequium & concordia. Hinc hoſti animus rediit, nobis metus: quod momento quæſiueramus, momento amiſimus, mutataque fortuna victi, qui modò victores eramus.* Sic ille, qui Flauiobrigam vocat, quæ vulgo *Fuenterrabia*, & Latinè ſcribentibus *Fontarabia, Fonterrabia, Fontarrabia, Fons-Rabia, Fons-Rabidus, & Fons-rapidus.* Quam & *Lib.* 1. *Cap.* 32. *num.* 94. vocari ait *Phlaſiobrigam.* Et in *numero* reſpondente in fine Capitis, vbi vulgaria Portuum Hiſpaniæ nomina congerit, *Rhabidam* vocat. Sed Flauiobrigam, de quâ Plinius *Lib.* 4. *Cap.* 20. Alij de Flauiobrigâ aliter, de quâ, & de Bilbaï laudibus Arnaldus Oihenartus *in Notitia Vaſconiæ Lib.* 1. *Cap.* 8. vbi & Coloniam nouem ciuitatum affirmat, à Fonterrabia diuerſam diligentiores rerum Hiſpanicarum teſtantur ſcriptores, & Bilbaum eſſe, nobiliſſimum Cantabriæ totius emporium, videri apud Philippum Cluuerium poteſt *Lib.* 2. *Introductionis Geographicæ Cap.* 3. cui multùm me debere natura voluit inde patre deſtinato. Ad rem iam.

21 Quòd muri diſiecti tormentis Gallicis, veriſſimum ſanè; neminem autem propugnantem extitiſſe, falſiſſimum. Sic enim ſtrenuè & fortiter à ciuibus actum, vt propugnatio diuturna antiquam Numantiam & Saguntum Gallorum oculis præſentarint: donec Hiſpano ſuperueniente exercitu ſoluta eſt obſidio, & de hoſtibus, numero, equitatu, ac tormentis & propugnaculis ſuperioribus, memoranda ſæculis omnibus victoria reportata. Et poſſet merito Poëtarum aliquis *Fontem Rabiam Triumphantem* Leucatæ Triumphanti opponere, in quo amænioris Poëmatis argumentum. Sed ſunt Hiſpani agendorum quàm dicendorum artifices meliores. Et quidem quod verſibus non celebratum adhuc (ni fallor) exactiſſimâ tamen eſt narratione vulgatum, ſucceſſibus omnibus per dies ſingulos adnotatis, vulgari priùs ſermone, & Latino deinde, eoque pereleganti à P. Ioſepho Morete ex noſtra Societate, hoſtibus, vbi illa digni, ingenuè exhibita laudatione. Quod de obſequio & concordia in Gallico deſideratis milite, vnde animus Hiſpanis redditus, metus illis, ex quo victoriæ felicitas, ſi ſolatio eorum prætenditur, ſic vt velint, numquàm enim in talibus excuſatio deeſſe ſolet. Illud certum de tali obſequij & concordiæ defectu nihil Hiſpanis innotuiſſe militibus, & in concordes ac obſequentes exercitum pro ſoluenda obſidione formatum pariter irrupturum: ſicut & in obſidione Ilerdæ, Tarraconis, & alijs accidit, in quibus victoriæ nequeunt ſimilibus defectibus obſcurari. Nec nouum illud, cùm jam pridem ita ſcripſerit Lucius Marinæus Siculus *Lib.* 3. *de rebus Hiſpaniæ circa initium: Fons-Rabia Gallis obſtaculum & perniciés.* Vt non ſit opus antiquius illud exemplum produxiſſe, cùm capta & incenſa à Gallis Roma, Camillus *aciem in ſemirutæ vrbis ſolo inſtruit, primoque concurſu haud maiore momento Galli fuſi ſunt, quàm ad Albiam vicerant.* Quid poſt fugam redinte-

redintegrato bello? *Ibi cædes omnia obtinuit, caſtra capiuntur, & ne nuntius quidem cladis relictus.* Sic ex Liuio, Plutarcho, & Floro P. Salianus *Tomo 5. Ann. 3665. num. 5.* Quia verò in obſidione prædictâ nobilis vir Didacus Butronius, qui ex Peruuio in Patriam redierat diues, & pro auertendo ex muralibus cuniculis damno probè inſtructus, dum pretioſis metallis eruendis incubuit, Prætorem militarem agens eximium contulit induſtriâ, manu, conſtantia, largitate, ac moderatione momentum; quod de illâ à nobis dictum non debet penitus extraneum à conſideratione Indiarum æſtimari. Hinc exportati octodecim illi octi-regales, quos ille defecturiente plumbo in pilas archabuſiarias obtulit, daturus ſanè, niſi Deus eâ liberalitate, & in Regem ac Patriam fide contentus, meliùs aliquid, opportunè noſtro superueniente exercitu, prouidiſſet.

23 Claudendum narratione alia, quæ & ad Indias Occidentales ſpectat, & ab Scriptore præfato, fide ſolita, *eiſdem Libro & Capite* continetur, vbi de Marchione Breſſero viginti & vni nauibus Præfecto ſcribit quòd *cùm intellexiſſet Hiſpaniam claſſem 36. nauigiorum, inter quæ Galiones Regij duodecim, in Occidentalem Indiam bella facturam, medio Gaditæ in portu tempeſtatem ſuſtinere: quamuis impar numero, egredientem tamen, & altum capeſſentem aggreſſus; ipſe Prætoriam hoſtium nauim fundo merſit, Galiones quatuor per lembos incendiarios combuſſit, obſcuraque in nocte ſecutus ignes; quos vt tota claſſis cerneret, & ſuccurreretur mutilis nauibus, fugientes excitauerant, cum caducas naues abſorberet mare, &c. Reliquiæ claſſis Hiſpanicæ, malis, velisque, & gubernaculis amiſſis, militibus verò M D ferro, fluctibus, igne conſumptis, in portum, vnde ſoluerant, ſeſe receperunt, & nunc omiſſa nauigandi in Indiam Occidentalem deliberatione, ſalui vota ſuperis ſoluunt, quibus ſe inter pericula obſtrinxerant.* Hæc illa, Gallica humanitate & vrbanitate ſubiuncta, iis in naues eorum receptis, qui merſis Hiſpanicis, cùm manifeſtò vitæ periculo fluctuabant, in quibus à veritatis portu plurimùm conſtat aberratum.

24 Res ſic habuit. Naues erant triginta Gallicæ, & ſex inſuper incendiariæ. Hiſpanicæ omnes 26. ex quibus Galiones decem, duæ minores præcurſoriæ, reliquæ onerariæ, cum duobus præſidiariis. Pugnatum eſt vento à Gallis prærepto. Galio Regius, in quo Marchio de Cardeñoſa Præfectus, iniecto igne diſperiit, & cum eo Marchio ipſe, ſacerdoti è Societate ipſis in fluctibus pariter anhelanti peccata confeſſus, qui ad portum felicius enatauit. Et ea ſola nauis, non quatuor, vt in narratione, combuſta. Quid ſi & totidem fuiſſent? an multùm inde, vnde poſſit fortitudo Gallica gloriari? Prætoriæ incendiaria nauis (non lembus) applicità, ferreo proræ iniecto retinaculo, cùm ſeptem illam aduerſariæ circumdediſſent, quæ ad pugnandum cominùs, ferreis innexæ manibus, inuitatæ, neutiquam annuerunt. Et conflagrare quidem Prætoria cœpit, fatali ſicut alia, de quâ diximus, incendio peritura, niſi Deus peculiari prouidentiâ, ob quatuordecim Sanctorum Martyrum preces, quorum corpora Romanis ex Cœmeteriis extracta legitimâ auctoritate à Patribus Societatis in Peruuium deferebantur, & in templo D. Pauli Limenſis Vrbis, vbi hæc ſcribo, pretioſis ſunt thecis & loculis collocata, ignem graſſantem dimouiſſet. Globus enim tormentarius ex quadam Gallica diſploſus naui retinaculum incendiariæ diſrupit, inter illam & Prætoriam euolans, hamato fruſto in Prætoriæ prora relicto; & ita incendiaria ad eam diſtantiam, Numine fauente, diſcluſa, vt nocere ampliùs non poſſet, vnde & locus datus reſtinguendo igni, & cum hoſtibus tormentorum diſploſione, dum aliter renuerent, præliandi.

25 Falſum ergo eſt Prætoriam fundo merſam; in quâ vir præclarus & ſtrenuus D. Hieronymus de Rojas y Sandoual Generalem Ducem agebat. Et de Gallica claſſe jam ille ante egreſſum certior factus, veſpere diei pugnæ proximi, cùm à nautico ſpeculatore ſex fuiſſent naues ad horizontem perhiſe, cras, inquit, plures erunt, certum numerum exprimens, quem probè nouerat, & poterat tunc ſecurè portum repetere, ſed indignum duxit Hiſpanicâ fortitudine certamen, licèt non paribus armamentis, detractare. De inſecutione fugientium nauium accenſis ignibus, & caducis à mari abſortis quod dicitur, inter fabulamenta numerandum; quia neque abſortæ illæ & vna tantùm ex præcurſoriis, quas *Pataches* Noſtri dicunt, & aliqui benè Latini *Celoces*, licèt remis careant, quibus olim inſtructæ in vadum Hiſpanici littoris, cui ab arenis craſſis nomen, impegit. Et quidem ſi inſecuti fugientem, quomodo non aſſecuti, & circa portum albeſcente die prælium inſtauratum? Numerus amiſſorum militum à quo potuit cœca illa in nocte ita exactè computari? Ex Galione Marchionis Cardeñoſa euaſêre quamplures, ex aliis deſiderari non multi potuerunt, cùm ad conferendas manus non fuerit deuentum. Ex Prætoria fuêre triginta, ab aduerſarijs ſeptem, vt diximus, impetita, & ex omnibus ad quadringentos. Omiſſam nauigandi deliberationem non fuiſſe, ipſa poſt duos menſes repetita nauigario demonſtrauit. Quòd autem interim ſoluta ſuperis vota fuerint, quibus ſe inter pericula obſtrinxerant, quis accuſet, quandoquidem leuia non fuêre pericula, non iam cum hominibus, etſi hinc etiam illa, ſed cum igneis monſtris præliaturis?

Circa Caput II. in fine.

26 VIdeantur quæ ex Thoma Bozio poſita *num.* 19. de parùm felicibus expeditionibus Gallorum & Britannorum circa Indias, eò quòd ſine Pontificiis auſpiciis. Vt nonnullorum Hiſpanorum exceſſus nimiſquantùm ab exteris ſcriptoribus proclamati, de quibus ibidem, non debeant vt noui & inſoliti, & velut argumentum iniuſtæ occupationis aſſumi, videant Galli quid ab ipſis in Belgio actum, dum iuſtam inuaſionem, ſuis obſecuti ductoribus, arbitrantur.

Templa antiqua ruunt veterum decora alta parentū,
Virginibus non ipſe pudor, non matribus ætas
Præficit. Heu! Terras fugiens natura reliquit.

Sic Otho Zilius in Cameraco ab obſidione liberato. Quid apud Fonterrabiam, vbi Sacellum Virginis in ſtabulum verſum, citatæ narrationes exhibent. Vt de Teſlimontio taceamus, in quo

ſacri

Digitized by Google

ſacrilegum perpetratum facinus cuius meminiſſe animus exhorreſcit. Et hæc omnia minimè annuentibus Chriſtianiſſimis Regibus, ſed dolentibus, & damnantibus conſtat accidiſſe. Nec tale quidquam poterit Indicis Conquiſitoribus exprobari. Sed de his ſatis.

Circa Caput. VII.

Ubi de Digniorum electione, ad Eccleſiaſtica præsertim Beneficia.

27 PDiana *Parte* 8. *Tract.* 7. *Reſol.* 83. circa Principes habentes liberam prouiſionem, vt ſunt Pontifices, Reges, & alij ſupremi, communem ſententiã affirmatiuam proponit, & eidem ſubſcribentem Cardinalem Lugo. Pro qua & ſtat Magiſter Lezana *Tomo* 1. *Cap.* 15. *num.* 12. *& Tomo* 2. *Cap.* 13. *n.* 13. Negatiuam item vt probabilem ex Trullench, & P. Reginaldo, quam & Machadus communiorem, & magis receptam poteſtatur, & ſic concludit. *Sed, vt verum fatear, non videtur recedendum à ſententia Cardinalis Lugo, quia ferè ſemper digniores in promptu haberi & cognoſci poſſunt.* Hæc ille. Si ergo non habeãtur in promptu, omnes videntur circa electionem digni, vt ſcilicet ſit illa licita, & ſine ſcrupulo facienda, conuenire. Quod pro Indiis militare conſtat, dum ad Officia, & Beneficia in ipſis, qui non ſunt cogniti aliàs, eliguntur. Errabitur ergo ſæpiùs. Fateor, & vtinam inter dignos & digniores tantùm error nec ſe ad indignos extẽdat, quod in primariis dignitatibus perdolendum. Orandus ergo Dominus meſſis ab eo, qui recta diuinæ gloriæ intentione perducitur, vt electiones dirigat, ſicque mittat Operarios in meſſem ſuam: non enim rectæ intentioni deerit, qui *dat & velle & perficere pro bona voluntate. Philip.* 2. P. Tamburinus *in Decalogum Libro* 8. *Tractatu* 3. *Cap.* 4. *§.* 4. negatiuæ ſententiæ adhæret in Beneficiis omnibus ſimplicibus, & conferentibus aut ſuffraganatibus quibuſcumque extra concurſum. Quod & de officiis ſæcularibus affirmat *num.* 15.

Circa Caput idem.

Vbi de Diœceſanis. An ſcilicet in Beneficiorum prouiſione ſint aliis neceſſariò præferendi.

28 COmmunis Doctorum ſententia eſt Diœceſanos eſſe in Beneficiorum prouiſionibus præferendos, quod & Canonici iuris auctoritate fulcitur: licet multi Textus, qui ex Decreto adducuntur, de Epiſcopis tantùm procedant, vt videri poteſt *Diſtinct.* 61. *&* 63. in quarum priore ratio illa inculcata ex *Cap. Nullus* occurrit: *Habeat vnuſquiſque ſuæ fructum militiæ in Eccleſia in qua ſuam per omnia officia tranſegit ætatem: in aliena impendia minimè alter obrepat, nec alij debitam alter ſibi vendicare audeat mercedem.* Hæc ibi. Et inculcata quidem illa reſpectu omnium Beneficiorum; quia reſpectu omnium locum habere videtur. Sed cùm odioſa diſpoſitio videri poſſit, dum per eam eligentium poteſtas coarctatur; ad alia non extendendam erunt qui cenſeant, licet non deſint qui ob maioritatem rationis extendendam arbitrentur. Magis enim conueniens & neceſſarium apparet vt futurus Parochus ex Diœceſanis ſit, acturus cum illis de proximo, & curam immediatã habiturus.

29 Sed certè ratio illa non prorſus viget, quia in Textu minimè habet fundamentum, in quo de præmio tantùm agitur, quod iis debetur, qui per omnia officia Eccleſiæ ſeruierunt; vnde par eſt ad eum promoueri gradum, qui eſt ſummus in eo genere: id quod non ita in Beneficiis aliis eſt cernere, in quibus pro extraneo eligendo ſpeciales eſſe conuenientiæ poſſunt, & prærogatiuæ tales in illo, quibus diœceſanatûs qualitas abunde ſuppleatur. Quod & in Epiſcopis ſuo etiam modo locum habere poteſt iuxta Iuris diſpoſitionem: poteſt enim extraneus poſtulari, pro quo Textus plures adducit Gloſſa in citato Cap. *Nullus.* Poſtulationem autem ab electione diſtingui habetur expreſſe in Cap. *Oſius* citata *Diſtinct.* 61. in qua pro generali prouiſione, ad omnia ſcilicet Beneficia neceſſariò extendenda, magis vrget *Cap. Epiſcopus* in quo ſic habetur: *Item, Clerici alterius Eccleſiæ non ſunt præferendi in electione ijs, qui benè militant in propria Eccleſia.* Sic ibi. Et *Cap. Nec emeritis*, in quo ex Cœleſtino Pontifice ſic decernitur: *Nec emeritis in ſuis Eccleſiis peregrini, & extranei, & qui ante ignoti ſunt, ad excluſionem eorum, qui benè ciuium ſuorum merentur teſtimonium, præponantur.*

30 Sic D. Pontifex. Sed quidem cùm poſterius hoc Caput immediatum alteri ſit, & eius maior explicatio, ex eo argui non leuiter poteſt, vt extradiœceſani licita & conueniens eſſe electio poſſit: quia tunc tantum ille prædicti Capitis diſpoſitione repellitur, cùm antè ignotus eſt. Si ergo ab Epiſcopo probè notus aut Patrono ſatis perſpectus, vt accidere non raro poteſt, & per examen inſuper idoneus deprehenſus, eligi conuenienter poterit, & Diœceſano concurrenti præferri, ſi ſint impares aliàs qualitates. Cùm ſupponamus talem cum bonâ ſui Epiſcopi licentiâ ad concurſum pro Parochiali Beneficio neceſſariò præcedentem deuenire. Quod cùm accidit, non eſſe tales pro peregrinis & extraneis habendos non deerunt qui ſentiant, licet communis ſententia in contrarium ſit, vt videri poteſt apud Gregorum Lopez. *L.* 13. *Tit.* 15. *Part.* 1. *in Gloſſa Lit.* Pro illis enim ſtat *Caput ſinale, de Clericis peregrinis*, vbi ex diſpenſatione Clericos peregrinos inſtitui poſſe diſponitur. Verba illius ſunt: *Te nobis proponente didicimus, quòd quidam Prælati Eccleſiarum tuæ iuriſdictionis, in Eccleſiis ſibi commiſſis ſine ſcientia tua Clericos de alienis Epiſcopatibus inſtituere non verentur: Attendentes igitur id eis nulla ratione licere, & à Sanctorum Patrum inſtitutionibus alienum: Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod tibi licet eos exinde remouere, niſi aliquos ex diſpenſatione in eiſdem Eccleſiis duxeris dimittendos.* Sic Honorius Tertius Epiſcopo Reginenſi, vbi licet de iam inſtitutis loquatur, idem eſt de inſtituendis cum ſuorum Epiſcoporum licentiâ venientibus dicendum, vt affirmat Gloſſa, & eſt in illis maior ratio quàm in aliis, vt videtur manifeſtum.

31 Et

Digitized by Google

31 Et in *citata* quidem *Lege* 13. Beneficia Diœceſanis eſſe conferenda decernitur, ſic enim in ea Alfonſus Rex : *Deben primeramente preſentar de los hijos de la Igleſia, ſi los vbiere à tales que ſean para ello; ſi no de los otros que ſean de aquel Obiſpado.* Sic ille. Sed cùm verba, quibus vtitur, ſcilicet, *Si los vbiere à tales, que ſean para ello*, ita interpretari poſſint, vt non quælibet capacitas ſufficiens iudicari debeat, ſi aliunde haberi magis idonei queant; locus relinqui videtur arbitrio, licet filiationis qualitas ſemper ſit in cōſideratione verſanda. Vnde Hiſpania ad concurſum pro Beneficiis etiam Curatis, quæ Patrimonialia non ſunt, extradiœceſani admittuntur: id quod in ſimplicibus frequentiſſimum, cùm ad Canonicatus, qui per concurſum obtinendi ſunt, Edicta proponuntur. Et de Curatis in ipſa Regia Curia frequentia exempla ſuccurrunt. Aliàs Beneficia omnia Patrimonialia eſſent, aut fere omnia eſſent talia, cùm ſolis poſſint Parochianis tribui, qui ordinariè ſunt in eiſdem locis nati. Et leges Regni ſeriò iniungentes vt Patrimonialia non niſi naturalibus præbeantur, hoc ſatis videntur innuere, exceptio enim aperta eſt, vt ea in contrarium regula non obſcurè firmari videatur.

32 Ea ergo regula, quam pro praxi proponit Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 19. n.* 15. ex bonis Auctoribus deſumptam, videtur opportuna, dum ita ſcribit: *Semper tamen hi, ad quorum curam ſpectat eorum prouiſio, præſentatio, & collatio, debent multùm attendere, vt ceteris paribus; immò datâ aliquâ meritorum diſparitate, dummodo idoneitas requiſita non deſit, hi extraneis & peregrinis præferantur.* Hæc ille, apud quem plures. Vbi obſeruandum *Primò* non aſſerere illum ſingularem eam meritorum diſparitatem non debere obſtare prælationi Diœceſani, ſed aliquam, ſeu aliqualem. Quando ergo notabilis eſt, aliter iudicio ipſius & aliorum, quos citat, eſt faciendum. *Secundò*, non quamlibet idoneitatem ſufficere, ſed *requiſitam* : quod eſt iuxta ea, quæ circa Legis intelligentiam dicebamus. *Tertiò*, de extraneis & peregrinis tantum pronuntiare, quales non ſunt prorſus habendi, qui de licentia Ordinariorum ſuorum veniunt, iuxta aliquorum ſententiam: vel ſi habendi vt tales, cùm eis poſſe diſpenſari, iuxta *citatum Caput finale.* Supponitur enim cum Commendatariis litteris aduenisse, & ſic non eſſe prorſus ignotum, iuxta præcedentia Capita eiuſdem Tituli. Et hoc vltimum videtur plane conuincere, vt licet demus extraneos non eſſe præferendos, id debeat intelligi regulariter, quod non tollit quin poſſit aliquando diſpenſari.

33 Neque his obſtat, quod ex Gloſſa in *Cap. 1. Diſtinct.* 23. adducit dudum citatus Scriptor *num.* 20. ſic enim habet illa: *Habes hic quòd ſemper de Clericis ipſius Eccleſiæ eligendus eſt Prælatus, ſi ibi eſt idoneus: & tunc ſufficit quòd ſit bonus. Sed ſi de altera Eccleſia eligitur, requiritur quod ſit optimus.* Sic Gloſſa. Ex quâ videtur deduci non eſſe attendendum exceſſum in extraneo, niſi talis ſit, vt nullus maior eſſe poſſit: hoc enim ſignificatur cùm dicitur, *Quod ſit optimus*: optimo enim nullus maior aut melior eſſe poteſt. Non inquam obſtat Gloſſæ verba non ſunt ex integro appoſita, quod quidem frequenter in Iuriſperitis deprehendimus; vt non debeat eorum citationibus indiſcriminatim fides adhiberi: ſic enim poſt præfata ſubdit: *Vt dicunt quidam.* Non ergo iuxta propriam locuta eſt mentem, ſed aliorum & certè non plurium, vt modus ipſe loquendi ſatis videtur indicare. Quòd autem ipſa ſentiat ſtatim expreſſit, ſic dicens: *Si maior pars Capituli eligat de alia Eccleſia, valet electio. Extra de Electione. Cùm nobis olim. Et Cap. Cùm inter Canonicos. Et Cap. In cauſis licet Ioannes dixerit contrà. Et ſufficit etiam tunc, quòd ſit bonus, vt in prædicto Decretali, Cùm nobis.* Hæc illa. Iuxta quæ ſatis apparet, quàm ſit parum roboris in ipſa pro aſſertione prædicta: & ſimiliter quàm immeritò Dom. Solorzanus eam appellet notabilem: quæ ſi notabilis dicenda eſt, id certè contrariæ poſitionis reſpectu continget. Et verò Textus illius Capitis, ſuper quem cadit, exceſſum illum non importat, cùm ſic habeat: *Eligatur autem de ipſius Eccleſiæ gremio, ſi reperitur idoneus: vel ſi de ipſa non inuenitur, ex alia ſumatur.* Vbi quidem de electione Summi Pontificis ſermo eſt: quòd ſi ad Epiſcopos ex rationis identitate trahendum, conſtat iam vſu receptum vt ex Eccleſiæ gremio, cui præficiendi ſunt, non debeant neceſſariò eligi: immò de tali vix conſideratio habetur qualitate; eſtque in eo ſua conuenientia: non enim qui ſocij in Eccleſiæ gremio fuerunt, libenter accipiuntur in Principes, neque eis ſolet cultus debitus exhiberi. Quod iam olim in ſomno Ioſeph graphicè, & ad poſterorum exemplum adumbratum, dum *inuidiæ & odij fomitem miniſtrauit.* Geneſ. 37. v. 8.

34 Iam quod ad Parœcias Indorum ſpectat, minùs difficultatis habet; qui enim magis idoneus, omnibus perpenſis, non ita idoneo, Diœceſano licet, poteſt anteponi. Indorum enim ſalus per miniſtros maximè idoneos eſt accuranda; ſic enim Alexander VI. Catholicis Regibus in donatione Indiarum, grauiſſimis verbis iniunxit, vt dictum *Cap.* 3. Quod quidem ad ſtabiliendam fidem valde neceſſarium eſt: vnde ſi procul, & de vltimis finibus acceſſiri Operarij poſſent, qui negotium iſtud meliùs promouerent, id eſſet laudabiliter faciendum. *Act. 8. v. 13. & 14.* Sic *cùm Audiſſent Apoſtoli, qui erant Ieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem. Act.* 8. *v.* 14. Habebant equidem Samaritæ egregium diuini verbi miniſtrum Philippum, potentem opere & ſermone, à quo & Simon Magus conuerſus, qui *videns ſigna & virtutes maximas fieri, ſtupens admirabatur. v.* 13. Sed quia rem Chriſtianam meliùs ſtabiliendam à Petro & Ioanne Apoſtoli exiſtimarunt, eos vrbanè rogantes miſerunt, & negotij tanti momentum proponentes. *Vt diuturnus eſſet fructus, qui tunc primò ex agro Samaritano oſtendebatur* : quod ſapiens dixit & ter venerandus Interpres. *P. Gaſpar Sancius.* Quâ etiam de cauſſa poſtulari, vt diximus, ex aliâ Eccleſiâ Prælati poſſunt, quia per eos res meliùs eſt Eccleſiaſtica promouenda & valde ad intentum confert Cap. *Ad decorem* de Inſtitutionibus, in quo ſic Innocentius Tertius : *Quocirca mandamus quatenus moneatis eumdem* (Conſtantinopolitanum Patriarcham) *vt viros litteratos, & aliàs idoneos, vndecumque originem duxerint, in prædictis Eccleſiis, & maximè in Maiori, inſtituere non poſtponat.* &c. Circa quod

Gloſſa ſic ait: *Verum eſt quòd locus non obſtat, dummodo conſtet de bonitate perſonæ. Et illud Cap.* Afros, *de incognitis loquitur.* Sic illa. Et ad rem magis Ioannes Andreas in Gloſſa marginali rationem reddit, *quia terra erat de nouo conuerſa.* Vnde non Veneti tantùm, vt Patriarcha volebat, ſed aliunde etiam debebant miniſtri ſtabiliendæ conuerſionis admitti.

35 Eſt autem valde notabilis circa hoc diſtinctio, quâ vtitur Fr. Emmanuel Rodericus *Tomo* 1. *qq. regul. quæſt.* 35. *artic.* 2. vbi ait quòd ſi Rex in prouiſione procedit vt Delegatus Pontificis, iuxta conceſſiones Alexandri VI. & Pij V. non tenetur Diœceſanos eligere, ſed idoneos vndelibet conquiſitos; ſecus ſi procedit vt Patronus, quia hic ad Diœceſanorum electionem obligatur. Pro quo adducit Cap. *Decernimus* 16. *quæſt.* 7. & Cap. *Hortamur* 71. diſt. & D. Antoninum 1. *p. Tit.* 12. *Cap.* 12. §. 4. *in principio.* Sed certè Cap. *Decernimus* nihil habet ad intentum, ſed tantùm vt fundatores Eccleſiarum idoneos præſentent rectores earum Epiſcopis, & horum ordinatio ſine tali præſentatione irrita ſit. Eſt autem illud Concilij Toletani 4. aliàs 9. Ex Cap. verò *Hortamur* noſtra potiùs poſitio roboratur, ſic enim illud: *Hortamur Chriſtianitatem veſtram iuxta ſanctorum Canonum inſtituta, vt in Eccleſiis à vobis fundatis aliunde veniens Presbyter non ſuſcipiatur, niſi à veſtræ fuerit Eccleſiæ conſecratus Epiſcopo, aut ab eo per commendatitias litteras ſuſcipiatur.* Sic ibi. Et eſt illud D. Auguſtini in Sermone quodam ad populum. Cùm ergo exceptionem addat venientis cum litteris commendatitiis, ſatis ex eo apertè deducitur id, quod anteà dicebamus. Vnde & ſic ſunt ſanctorum Canonum inſtituta accipienda. Iuxta formam ergo prouiſionis, quæ in vſu eſt, ſi Epiſcopus aliquem talem nominauerit, à Prorege, Præſide, aut Gubernatore præſentari ſine ſcrupulo poterit, niſi in alijs qualitatibus minùs habens inueniatur.

36 Non videtur autem diſtinctio prædicta quoad praxim quidquam habere momenti, quia ſemper Rex in huiuſmodi prouiſionibus Beneficiorum vt Patronus procedit; neque enim ſe ſolo Beneficiarios conſtituere poteſt, ſtante prædictâ delegatione, ſed ab Epiſcopis debent illi Canonicam inſtitutionem accipere: credibile ſiquidem non eſt Pontifices omnimodam ad effectum adeò ſpiritualem contuliſſe perſonæ laicæ facultatem, licet in gradu ſublimiſſimo conſtitutæ. Vt Patronus ergo prouidet, licet illius Patronatus amplioribus priuilegiis gaudeat. Et ita nec tenetur ſolos proponere Diœceſanos, ſed condignos, vt in Cap. *Decernimus* citato dicitur, ex vltimis, ſi expedire viſum, finibus aduocatos. Videatur Boſſius *Tomo* 2. *Titul.* 7. *numer.* 41. vbi ex aliis, quos citat, affirmat, certum eſſe ex rigore iuris minimè exteros excludendos, neque vllum eſſe Textum id ſtatuentem, ſed tantùm de honeſtate & congruentia, de quo *num.* 41.

Circa Caput XII. in fine.

De obligatione Confeſſarij, quando Penitens ignorantiâ laborat, ſed non culpabili.

37 Poteſt contingere vt quis inculpatè ignoret matrimonium eſſe inualidũ cum aliquo impedimento contractum, cùm tamen ſciat fuiſſe in contractione peccatum. Tunc quidem ſi notitia nocitura creditur, in ſua bona fide relinquendus. Quod benè obſeruat P. Thomas Tamburinus *Opuſculo* 1. *Lib.* 3. *Cap.* 4. *num.* 9. ſufficit enim bonam fidem eſſe partialem. Vnde ſciens peccatum eſſe furari; ſi tamen ſibi perſuadeat non eſſe obligatum ad reſtitutionem, ſimiliter ſuo eſt in errore dimittendus, ſi de veritate edoctus nihil eſt tali notitiâ profuturus. Sicut & qui poſt votum caſtitatis Matrimonium contraxit, putans tamen eo contracto licere debiti petitionem, aut mortuâ coniuge non ampliùs obligare. Et ſic alia poſſunt exempla congeri. Leander *Tomo* 1. *Tract.* 5. *Diſputat.* 11. *Quæſt.* 127. *ac ſeqq.* Videndus etiam Diana *Parte* 7. *Tract.* 3. *Reſolut.* 19. *&* *Parte* 10. *Tract.* 14. *Reſol.* 20. *in fine.* Vbi Bordonum adducit circa impedimentum petitionis debiti, de quo regulariter non ingerenda notitia ob periculum, quod regulariter etiam occurrit committendi ſacrilegij: quod & in huius generis impedimentis, quæ ſcilicet dirimentia non ſunt, pariter videtur aſſerendum; regulariter enim poteſt timeri periculum.

Circa Caput. XIV.

De rerum indifferentium venditione, de quibus & Titulo 4. num. 45.

38 Agit de illis P. Franciſcus Bardi *in Selectis Lib.* 9. *Quæſt.* 13. *num.* 4. *& ſeqq.* poſt ſcripta viſus, & qui videatur digniſſimus: qui affirmat vt vendi indifferentia poſſint abuſuris, ſufficere iacturam eorum futuram, quæ non venduntur: hæc enim cenſeri debet rationabilis cauſſa. Cuius quidem ratio difficilè redditur, cùm communis alia ſententia ſit pro bono ſpirituali alterius ita charitatem vrgere, vt vita ipſa debeat aliquando certo periculo exponi. Videtur ergo hoc in Dei benignam indolem referendum, qui cùm ſciat homines ad vitæ ſuſtentationem commerciis indigere, ſic ea exerceri permittit, ac iuſta reputat, vt illa ceſſet anxietas, quæ ex contractantium prauâ poteſt intentione conſurgere, dum quis nihil prauum intendit, ſed quemque ſuæ conſcientiæ relinquit, & remittit, ſolumque ipſe vtilitatem ſeruatis regulis iuſtitiæ procurat. Quod quidem Theologi veroſimili ratiocinatione deducunt, tum ex diſcurſu facto, licet non ita expreſſus apud illos habeatur; tum quia in Scripturis nihil contrarium occurrit: tum denique, quia Eccleſia ſciens ſententias circa hoc minimè ſcrupuloſas grauium Scriptorum extare, nihil circa illas, quod damnare poſſet, inuenit: ſi enim inueniſſet,

Digitized by Google

niſſet, vtique & damnatione iam pridem inuiolabili proſcripſiſſet.

39 Non pugnat autem doctrina dicta cum communi ſententiâ de obligatione ſe exponendi mortis periculo ob alterius ſalutem, quod & ſuas habet limitationes;quia id rarò contingit,& ex eo oppoſito ſequeretur certa damnatio: quod non ita accidit in caſu, de quo agimus, vbi periculum proximum certæ damnationis non eſt,cùm poſſit modò peccans, de peccato poſteà pœnitere, & poteſt pręfata poſitio ex alia communiter recepta non leuiter roborari: nam propter defenſionem vitæ, honoris, & rei familiaris poteſt quis alium occidere, etiamſi ſciat in peccato moriturum, & ſic damnandum; quia ipſe, dum iniuſtè inuadit, voluntariè ſe periculo exponit, & ita etiam vult in eo perire. Ergo & poterit quis etiam vendere rem indifferentem, ne res ipſi familiaris pereat, quod multò minùs eſt. Licet enim ex omiſſione vnius aut alterius venditionis non videatur grauis ſuſtinenda iactura; dum tamen quis circa obligationem iſtam ex generali ratione non cooperandi peccato alterius vrgetur, multoties debebit à venditione ceſſare, aut frequentibus peccandi periculis obnoxius remanere. P. Bardi conſonat in aſſerto P. Tamburinus *in Decalogum Lib.* 5. *Cap.* 1. §. 4. *num.* 33. *& ſeqq.* licèt *num.* 36. pro vino maiorem rationem requirat. Sed vulgò excuſari Caupones affirmat P. Gibalinus *Tomo* 1. *Lib.* 1. *Cap.* 9. *num.* 47. & alij apud Boſſium *Tomo* 3. *Titul.* 21. *numer.* 331. Leander *Tom.* 2. *Tractat.* 9. *Diſput.* 9. *Quæſt.* 19. Circa *Cap.* 11. vbi de Indorum ſeruitute, videri poteſt P. Verricelli nobiſcum ſentiens, & Bullas Pontificum explicans *Tractatu de Miſſionibus, Titulo* 13. *Sect.* 7. *n.* 79. *& Sect.* 10.

Circa Caput XVI.

De venditione officiorum.

40 Eſſe illam ſpeculatiuè licitam affirmat P. Bardi in *Selectu Lib.* 1. *Quæſt.* 19. Sed de facto illicitam & non niſi ex ineuitabili neceſſitate practicandam: pro quo ſpecialiter *num.* 6. & ſic vendentem Principem obligari ad compenſationem damnorum, de quo *num.* 19. Videtur ergo auctor iſte ineuitabilem neceſſitatem vt rariſſimè contingentem reputare; aliàs non benè diceretur de facto licitam eſſe poſſe venditionem. Et ego quidem id ſatis veroſimile iudico,& iudicabunt etiam qui venditiones non pridem celebratas cognouerint: quidquid enim ex illis ad neceſſitatum occurrentium remedium eſt collectum, aliunde haberi commodè potuit; cùm reuerà non ita copioſum ſit, vt arbitriorum iſtorum architecti ſunt polliciti: vnde paſſim diſtractus fiunt, & fraudatum enormiter Fiſcum veriſſimè conclamatur. P. Tamburinus *in Decalogum Lib.* 8. *Tractat.* 3. *Cap.* 7. §. 3. *num.* 3. *&* 4. abſolutè in domino officiorum omnium admittit venditionem.

Circa Caput XVII.

De obligatione tributorum.

De quo & Titulo 5. num. 55. & ſequentibus.

41 EX Nauarro, Caſpenſi, & aliis ſequentia pronuntiata vt probabilia proponit Diana *Parte* 10. *Tract.* 15. *Reſolut.* 46. ſcilicet non peccare mortaliter eos, qui merces vetitas traducunt ex vno regno in aliud, non ſoluto Regio vectigali. Item neque eos, qui in fluminibus vetitis piſcantur: neque eos, qui contra prohibitionem in ſyluis ligna ſecant, vel paſcunt oues in pratis, vel alia prohibita venantur, & ſimilia quædam: nam licet de iure naturali Principibus tributa debeantur; at dicta vectigalia fraudantes non intendunt contrauenire legi naturali; ſed cùm tractetur de lege purè pœnali, eorum arbitrio remittitur, an velint ſoluere tributa, vel fraudare; & ſic ſe exponunt periculo luendæ pœnæ, cum notabili Principis emolumento. Et idem dicendum eſt de ementibus prædictas gabellas, quibus imputandum eſt, ſi fraudentur, dum non inuigilant, quia ſub hac conditione illas emunt; & quia quod cum vno amittunt, cum alio lucrantur; propter contrauentionis pœnam. Sic illi.

42 Contra quos obiici poteſt, ſtante obligatione naturali ſoluendi tributa, non ſatisfacere eum, qui defraudat ex eo quòd ſe periculo incurrendi pœnam exponit; quia poteſt contingere vt ſemper à periculo liber euadat, ſicque nihil vnquam ſoluat, & conſequenter obligationi iuris naturalis minimè ſatisfaciat: neque vllus videtur futurus Princeps, qui ea ſit obligationis ratione contentus; ſicut nullus, cui facienda eſt reſtitutio, contentus erit diſiunctiuo illo ſolutionis modo: vt ſcilicet ſi non ei ſoluatur, debitor periculum amplioris ſolutionis incurrat, ad quod euadendum debitoris poteſt induſtria præualere. Si autem conſtaret Principem eo eſſe obligationis modo contentum, ſtaret equidem illorum ſententia Doctorum: ſed quæ talis voluntatis coniectura? Dicent: quia pœnam expreſſit, culpam tacuit. Sed contra; quia cùm ipſi fateantur obligationem eſſe de iure naturali, dum Principes tributa conſtituunt, non eſt opus culpam exprimere, quæ ex violatione naturalis iuris ſatis eſt manifeſta. Vt ergo doctrina illa veroſimilis ſit, videtur dicendum obligationem non eſſe de iure naturali, fundari tamen in illo,& eſſe eidem valde conformem: ſed Principum voluntati præſertim inniti, qui propterea, dum pœnæ tantùm, & non culpæ mentionem faciunt, ad illam ſolùm videntur obligare.

Digitized by Google

AD TITVLVM II.

Circa Caput I.

De obligatione legis ciuilis in foro animæ, de quo & Titulo 3. num. 96. & ſeqq. aliiſque locis, de quibus Index. v. Lex.

43 DIana *Parte* 10. *Tractat.* 15. *Reſol.* 44. ſententiam aliquorum, & quidem non exiguæ auctoritatis, adducit, qui affirmant leges ciuiles in conſcientiâ non obligare; immò eorum quidam neque obligare poſſe contendunt. Quorum reſolutio non verſatur tantùm circa leges pœnales, ſed vniuerſim procedit, ſicut & eorum, qui apud eumdem tenent ſaltem ſub mortali non obligare: & quod plus eſt, idem de legibus Eccleſiaſticis ſtatuunt per ſe loquendo. Sed ſententias prædictas improbabiles iudicat citatus Auctor, addens, *Ne dicam amplius.* Et quidem ille de duabus poſterioribus loquitur. Circa priorem autem illam de poteſtatis defectu in ſæculari Principe plus aliquid videtur innuere, dum poſt verba Philippi de la Cruz per extenſum adducta,ſic ſubdit: *Sed diſplicet virum alioquin doctum hæc ſcripſiſſe*: & in 5. illius fine ſic concludit: *& contrarium aſſerere nullo pacto ferendum*, ſcilicet obligare non poſſe; & vt poſſit, de facto non obligare ſub mortali aliquando. Potuit certè ampliùs dicere iuxta ea, quæ ex P. Suario dedimus *num.* 3. huius Capitis. Et alij etiam amplectuntur, vt P. Valentia *Tomo* 2.*Diſput.*7.*Quæſt.*5.*Puncto* 6, 5. *Quod verò attinet*: vbi ait videri ſibi certum eſſe de fide, quem adducit & ſequitur P. Salas *Diſput.* 10. *de Legibus*, *num.* 7. 5. *Quartò, ſcribit.* Et P. Granadus *Tomo* 2. *Controu.*7. *Diſput.*2. *num.*2. vbi tamquàm veritatem Catholicam contra hæreticos id ſtatuit: quod & indicat Lezana *Tomo* 3. *verb. Leges Regularium*, *num.*49. Licèt Sotus apud P. Valentiam ſic tantùm certum eſſe contendat, vt oppoſitum ſit temerarium.

44 Quamuis autem ſint qui nullam cenſuram adiiciant, vt Ioannes Pontius *Diſputat.* 25. *num.*37. P. Arriaga *Tomo* 2. *in* 1. 2. *Diſputat.* 16. *num.* 4. & alij, non ideò cenſendi ſunt à cenſurâ immunem prædictam ſententiam arbitrari: quod quidem ſi arbitrarentur, minimè tacuiſſent. Nec dicas à contrario ſic argui poſſe; non inquam tacituros, ſi cenſurâ dignam fuiſſent arbitrati; eſt enim diſpar ratio. Cùm enim veritatem dictam vt communiter receptam ab Auctoribus amplectantur, cum eâ videntur qualitate amplecti,quæ communiter apud illos extat; cùm certitudine inquam tali, cuius oppoſitum grauem cenſuram mereatur. Quod non ita accideret, ſi ſecus de qualitate ſentirent; cùm enim id ſingulare ſit, exprimeretur ſanè: ſic enim ſentire, & non apertè fateri, ingenui Theologi non eſt, & hic valdè expediens, vt docti ſcriptores eâ notâ eximerentur, quam videmus propter aſſertionem præfatam incurriſſe: non ergo audiendus Philippus à Cruce parum quidem Theologicè locutus, vt & illius oſtendunt fundamenta: quod Diana euidenter oſtendit; licet quoad leges pœnales melius ab eo probari potuiſſe pronuntiet citato 5. *ſed diſplicet.* Vnde ex ea parte quoad factum non eſt illius ſententia digna cenſurâ, ſecus quoad poteſtatem obligandi, & ita accipiendum quod à Diana dictum, qui tamen ſine ſufficienti eſt diſtinctione locutus. Circa cap.6.& n.58. Pro ibi dictis circa cognitionem cauſſarum decimalium, ex Theologis fauet affirmantibus P. Fragoſus *Tom.*1. *Parte* 1. *Lib.*2. *Diſp.* 4. *n.*361. 5. *His poſitis pag.*162. *Col.* 2. Quod non obſtat aſſertioni noſtræ, vix ſcilicet eſſe ex Theologis, qui eam in partem inclinarit: vna enim aut altera hirundo non facit ver. Videndus Leander *Parte* 3. *Tractat.* 5. *Diſput.*10. *Quæſt.* 27. vbi cum aliis veriſſimæ ſententiæ ſuffragatur. Qui & *Quæſt.* 30. cauſſas de facto ad iudices Eccleſiaſticos tantùm ſpectare decernit.

Circa Caput VII.

De recurſu per viam violentiæ ad Indicas Cancellarias.

De quo & Titulo 4. Cap. 8.

Vbi ſpecialiter an liceat ob non regiſtratas in Regio Conſilio Patentes litteras Generalium, & in controuerſiis Religioſorum aliunde concitatis.

45 QVia poſt ſcripta citatis locis nonnulla euenerunt, de quibus graues exortæ controuerſiæ, dum Religioſi inter ſe circa ius prælationis contendentes, ad tribunalia prædicta valde feruidum habuêre recurſum, & res eſt raro quodam arbitrio terminata: viſum eſt hoc loco aliquantulum circa caſus huiuſmodi, prout mei inſtituti fuerit, diſcurriſſe.

Et in primis abſit à me,vt iudicem agam in iis, quæ ad mores ſpectant, turbas ex ambitionis ſpiritu concitatas, & exorta inde ſcandala ſuggillando. Nihil ad me iſta, ſpirituum ponderatori Domino relinquenda. Quis enim me conſtituit iudicem ſuper Religioſos, qui & morum ipſi magiſtri, & ambitionis damna ſatis habent perſpecta, ſciuntque veram magnitudinem, cuius ambiendæ cauſſâ deſeruêre mundum, & abiecti eſſe in domo Dei magis, quàm habitare in peccatorum tabernaculis elegerunt, à prælationum contemptu requirendam? *Ille verè erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus*, *dicente Domino Matth.* 20. *v.*26. *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter.* Vt præclarè dictum à Caſſidoro *Lib.* 10. 55. & ſcholæ ſuæ alumnos formabat cœleſtis Magiſter hæc cùm diceret, qui dicere veriſſimè potuerant: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Cap.* 19. *v.* 27. vt intelligamus religioſæ abrenuntiationis conſequētiam eſſe legitimam exploſum ambitum, & adamatam propter amorem Chriſti ſeruitutem, cui ſeruire,regnare eſt,& ſic aliis coràm Deo,in quo vera eſt ſita magnitudo, eſſe maiorem. *Studioſè operam dato, vt omnium noviſſimus ſis ac ſeruus omnium*

nium, quando iſtâ ratione vnam veram tibi ac ſolidam gloriam pares, non autem illam vanam, caſſamque. Verba ſunt Diui Baſilij Sermone de abdicatione rerum. Et quod ad hoc ſpectat verbis Athalarici claudendum, qui apud Caſſiodorum *Lib.* 9. 25. ſic ſcribit: *Iniquum eſt enim vt locum apud vos habeat ambitus, quem nos laicis diuinâ conſideratione præcluſimus.* Sic ille.

46 Deinde, cùm plurimarum inter Religioſos controuerſiarum deciſio ex notitia exacta Conſtitutionum, variorumque ſcriptorum ad inſtitutum pertinentium, conſuetudinum, ac perſonarum pendeat; ad me illa non ſpectat, & arbitror ab externis vix poſſe illas ritè ac rectè componi: quamdam enim experimentalem ſcientiam iſta requirunt, & perſonarum intimiorem cognitionem, ſicut & modi agendi, ac domeſticæ gubernationis. Quod Innocentius Tertius apprimè dignoſcens in Concilio Lateranenſi, cùm circa celebrationem triennalium Capitulorũ, quæ apud Monachos nonnullos non erant in vſu, opportunè diſponeret, ſic ſubdidit: *Aduocent autem in huiuſmodi nouitatis primordijs duos Ciſtercienſis Ordinis vicinos Abbates ad præſtandum ſibi conſilium, & auxilium opportunum, cùm ſint in huiuſmodi Capitulis celebrandis ex longa conſuetudine pleniùs informati: qui abſque contradictione* &c. Sic habetur Cap. *In Singulis de ſtatu* Monachorum. Sic etiam Theodorici, aut alterius ex regibus Romæ dominantibus, vnde & Romanis Gothi permixti, legibus conſtitutum, vt commodos quique iudices haberent, quod à Caſſiodoro ſic expreſſum *Lib.* 7. Formula 3. *Cùm, Deo iuuante, ſciamus Gothos vobiſcum habitare permixtos, ne qua inter conſortes, vt ſi ſolet, indiſciplinatio naſceretur, neceſſarium duximus illum ſublimem virum bonis moribus hactenus comprobatum, ad vos Comitem deſtinare qui ſecundùm Edicta noſtra inter duos Gothos litem debeat amputare: ſi quid etiam inter Gothum & Romanum natum fuerit fortaſſe negotium, adhibito ſibi prudente Romano, certamen poſſit æquabili ratione diſtringere. Inter duos autem Romanos Romani audiant, quos per prouincias dirigimus cognitores, vt vnicuique ſua iura ſeruentur* &c. Quomodo ergo abſurdum & indecorum non ſit vt Religioſos iudicent ſæculares, pro quo maior abſque dubio ratio videtur vrgere?

47 Præterea, quia per reſcripta Regia, de quibus Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 26. num* 29. & in Politicâ *pag. 727. in fine, & 728.* ſeriò cautum vt quædam Generalium, aut ſupremorum aliorum Prælatorum mandata non ſinantur in Indiis executioni mãdari, niſi apud ſupremum illarum Conſilium fuerint regiſtrata; id quidem ſine ſcrupulo ſuſtineri poteſt: exiſtimandum enim eſt à Catholico Rege, cuius nomine Regium Conſilium decernit, nihil immunitati Eccleſiaſticæ apertè contrarium prouenire. Vbi & regia illa vox apud Caſſiodorum *Lib. 6. Formula* 9. congruè adſonat: *Confabulationes ſiquidem noſtræ erunt tibi inſtrumenta iuſtitiæ, quando illud gratum nobis eſſe perſpexeris, quod & diuinis poteſt conuenire mandatis.* Sic ille patrimonij regij Curatorem allocutus. Enimuerò cùm talia diſponuntur, probabili ſaltem fundamento diſpoſitiones nituntur, & auctoritas ſapientium extrinſecam conciliare auctoritatem poteſt, & ſufficit, vt non debeant ſtatim quaſi iuri & rationi aduerſantes condemnari; quas & delegatione Apoſtolicâ niti affirmat Fr. Emmanuel Rodericus *Tomo 1. qq. regul. q. 35. art. 2. §. Aduertendum.* Illarum autem ratio in caſu, de quo loquimur, obſcura non eſt: ſolent enim turbare Religioſas familias quandoque illa, quæ nouum modum gubernationis inducunt, vnde & ſcandala erumpentia forinſecus inſpiciuntur: quæ ad Cancellarias Regias dum veniunt, magnum ſolent impedimentum expeditioni negotiorum inferre, ac negotio promouendæ fidei non parùm obeſſe, cuius peculiaris cura Regibus noſtris à Sede eſt Apoſtolicâ ſub graui conſcientiæ onere demandata, vt ex Tituli 1. prioribus eſt Capitibus manifeſtum.

48 Quo in genere illud obſeruandum: venit, quòd ſi contingat Patentes aliquas litteras Reuerendiſſ. Generalium, aut aliorum non regiſtratas tranſmitti, illæque à Religioſis ſine collitigationibus acceptentur, poterunt Regiæ Cancellariæ diſſimulare, ſi extra iudicialem notitiam fuerint aſſecutæ. Ratio eſt, quia ceſſat motiuum Regiæ prohibitionis, pacis ſcilicet turbandæ periculum; & quia in res huiuſmodi non eſt conueniens laica Prætoria niſi ex graui neceſſitate ſe ingerere: vnde neque pro hoc videtur Regia iuſſio, quæ ſemper rationi eſt & æquitati conformis, vrgere. Pro quo ſtat id, quod Dom. Solorzanus circa materiam reſcriptorum pro Religioſis tradit *ſuprà num.* 107. & Politicæ *pag.* 736. §. *Todo lo qual.* De ceſſante finali cauſſâ diſpoſitionis. Cui non obſtat à Regio Conſilio non ſemel iuſſas colligi Patentes non regiſtratas in ipſo, & remitti ad ipſum, vt ex eodem Scriptore conſtat prioribus citatis locis: quia, vt ita fieret, aliquorum fortè inſtantia querelantium interceſſit, vel turbellarum ſuſpicio, & vt hoc pacto Religioſi in poſterùm circa talia fierent cautiores, Regijque Conſilij mandata minimè contemni videantur. Facit & pro eodem id, quod apud eumdem extat *num. 36. & pag. 729.* §. *Los Ieſuitas,* vbi circa Religioſos Societatis Iesv regiſtrum dictum non habere locum oſtendit, eò quòd nihil eorum gubernatio turbidum habeat, à Reuerendiſſimo P. Generali plenè dependens: *Atque adeò nullum diſturbium timeri poteſt:* verba illius ſunt. Vbi ergo diſturbiorum conſtat abeſſe periculum, tale aliquid poteſt ſine Regij mandati violatione permitti. Tunc autem in vtroque foro valida erunt acta virtute Litterarum.

49 Illud difficilius, an collectis Patentibus idem dicendum ſit, valida ſcilicet acta futura. Ad quod dico, acta ante collectionem omnino valida fore, quia non eſt fundamentum quod pro inualiditate vrgeat, iuriſdictionem enim ſupremus Prælatus confert, aut exercet in ordine ad actum, pro quo illam habet, & omnino ſpiritualis eſt: quæ dum manifeſtè impedita per Superiorem poteſtatem non eſt, ſuum ſortitur effectum: non eſt autem ſuperior laica poteſtas, vt conſtat.

50 Ad quod dici poteſt *Primò* Superiorem dari poſſe ratione delegationis: quia, vt ait Fr. Emmanuel *ſuprà*, illam habent Reges noſtri in ordine ad Patentium detentionem, vnde & conſequenter videntur habere in ordine ad effectus ex illis reſultantes, & ratione quorum fit prohibitio,

Digitized by Google

bitio, ex vulgari axiomate, *Propter quod vnumquodque tale* &c. Sed hoc non eſt admittendum: quia cùm poteſtas dicta non inueniatur conceſſa cum eâ amplitudine, & ſit valde exorbitans ab Eccleſiæ conſuetudine, non eſt dicto modo extendenda. Sin minùs dici poterit Reges noſtros habere ita iuriſdictionem pro foro animæ, vt Cenſuras fulminare poſſint in ordine ad executionem vrgendam, quia delegata poteſtas in ſuâ amplitudine ad id totum ſe extendit. Axioma autem illud, licet ſuas exceptiones habeat, de quo à me dictum in Scholaſticis, in præſenti admitto, & dico Reges noſtros magis velle prohibere effectus Patentium quàm Patẽtes ipſas, ſed eo modo, quo poſſunt; non poſſunt autem inualidando, ſed agendo ne effectum habeant. Sicut cùm prohibent ne Epiſcopi ſine Executorialibus cõſecrentur, & Bullas in Regio Cameræ Conſilio regiſtrari iubent, conſecrationem quidem omnino prohibere conantur, & propterea prædicta diſponunt; quo non obſtante conſecratio aliter facta, ſuum habebit effectum.

51 Dico *Secundò* poteſt Prælatorum voluntatem talem eſſe, vt nolint Patentes ſuas inuitis Regibus robur in foro conſcientiæ habere, ſic enim Regiæ voluntati magis ſe conformes exhibent, vt eſt æquum eoſdem prẽſtare, ſcientes grauiſſimas eſſe cauſſas, & ad Religionum ipſarum bonum conducentes, propter quas ſic eſt ab illis, maturâ habitâ virorum ſapientium deliberatione, diſpoſitum. Ac deinde probè dignoſcentes ex vſu contra Regiam voluntatem grauia poſſe incommoda ſuboriri, & quoad forum animæ conſcientias periclitari, dum quidam conſtrictos ſe reputant, alij deobligatos ſe penitus arbitrantur. Sed neque hoc multùm momenti continet, quia Prælatorum voluntas aliter interpretanda eſt, dum ipſi aliud non inueniuntur declarare. Numquam enim conditionaliter ſtatuunt, ſed in eo imitantur Pontificias deciſiones, quæ abſolutæ ſunt, & licet regiſtro obnoxiæ non ſint, ſuum robur obtinent, cùm tamen ſciant Pontifices pro regiſtro congruas rationes occurrere, & nonnulla inconuenientia poſſe aliquando ex illius ſubſequi defectu. Vnuſquiſque ergo vt poteſt, ſtatuit, & rem bono ſucceſſui committit, auctoritati propriæ conſulens, conditionibus prætermiſſis. Et quidem graue eſt Prælatis onus regiſtri, & aliqui eorum prò viribus ſunt conati illud declinare: ac Reuerendiſſ. Commiſſarius Indiarum PP. Minorum, qui in Regia Curia reſidet, id obtinuit, eò quòd à Rege ex tribus, qui eidem à Regio Indiarum offeruntur Conſilio, ad libitum eligatur, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *ſuprà num.* 41. *& pag.* 730. §. *Y en eſta.* Cùm autem Reuerendiſſimus Miniſter Generalis ægrè ferret inferiorem ſibi Prælatum in eo eſſe genere ſuperiorem, ſupplicatione interpoſitâ egit vt Commiſſarij Patentes regiſtro ſubiicerentur, quod eſt facilè aſſecutus. Quia vt Reuerendiſſimus Generalis Ordinis Prædicatorum regiſtro Patentium ſuarum magis videbatur obſiſtere, in Regiis nouioribus ſchedulis regiſtrum vrgentibus ſpecialis eorum mentio addita, & peculiaris circa illorum Patentes curra, ne ſine regiſtro tranſeant, intimatur. Cùm ergo graue onus ſit, non eſt veroſimile velle ipſos Patentes ſuas omni prorſus valore deſtitui, ſi non fuerint regiſtratæ: exiſtimantes maius eſſe inconueniens in ſubiectione illa ad laica tribunalia, quàm in eo quòd ſine regiſtro validæ apud ſubditos habeantur.

52 Et hinc videtur iam conſtare quid ſit de actis poſt Patentium collectionem dicendum, in quo Dom. Solorzanus in Politica *pag.* 728. §. *Y que eſta*, affirmat ceſſare earum effectum in vtroque foro. In quo quidem ſignificare non obſcurè videtur ante collectionem vim ſuam habere, & ita quæ circa hoc diximus, inde veniunt roboranda, cùm non ſit viri tanti auctoritas contemnenda. In alia autem apertiore aſſertione contrarium habet Fr. Emmanuelem de vtroque foro loquentem citato loco, vbi ſpecialiter de viſitatione id tradit *regimini Ordinis vel gubernationi conueniente:* rationem reddens his verbis, ex quibus præfatam deducit poſitionem: *Quia in hoc non impeditur gubernatio pro conuertendis Indis, ſed iuuatur.* Sic ille. Iuuatur inquam, quia Religioſa obſeruantia viſitatione promota ad Indorum cõuerſionem valde conducere poteſt. Dico autem Auctorem hunc Dom. Solorzano eſſe contrarium, quia licet non loquatur in caſu, de quo eſt quæſtio, quando ſcilicet Litteræ ſunt collectæ, illius tamen reſolutio abſoluta eſt, ſicut & ratio, quam ex eodem adduximus. Et ita quidem videtur dicendum quando Patentes receptæ in Prouinciâ ſunt & intimatæ, ac poſteà colliguntur; ſecus ſi ante receptionem: nullo enim modo videtur veroſimile, vt ſupremi Prælati velint Patentes ſuas non receptas, neque intimatas, in Prouinciis effectum habere, cùm id ſit contra ordinarium ſtylum, licet aliàs notitia earum, & contentorum in ipſis poſſit haberi, ſi præſertim delegationem aliquam contineant; cùm ſciant Delegato non oſtenſis ſuæ delegationis Litteris non credi, vt eſt iure compertum. Cap. *Cùm in iure*, de officio Delegati. Et in Extrauagante *Iniunctæ*, de electione alibique.

53 Neque hoc videtur à Dom. Solorzano conuenienter improbatum, dum ſic ait: *Quod non facilè admitti debet: nam etiamſi dictæ Litteræ mittantur Religioſis in eiſdem Prouincijs commorantibus, debent & ſolent priùs coràm Regio Senatu præſentari, & aliter miſſæ per Religioſos dictarum Prouinciarum non recipiuntur, & ad Proreges, & Audientias recurritur, qui eas colligunt, & ad Regium Senatum mittunt, iuxta ſchedulas ſuprà relatas.* Sic ille. Qui, dum ait id non facilè admittendum, non videtur penitus improbandum iudicare. Et prætereà recurſus ille ad Proreges & Audientias non probat intentum: quia eſt nudum factum repugnantium mandatis Prælatorum: cùm tamen de valore actuum agamus, & vbi talis recurſus non habetur; vel ſi habitus eſt, & Patentes collectæ poſt intimationem, de hoc eſt quæſtio, an vim nihilominùs habeant, ſi videlicet, eo non obſtante, ſaltem in foro interiori iuxta earum tenorem proſequantur: aut etiam in exteriori, ſi non ſint qui reclament metu incurrendæ Generalium offenſionis.

54 Pergit autem citatus Doctor in Politica, & §. poſt adductum ſic ſcribit: *Y paraque caſen eſtos inconuenientes, es mayor que las paſen, ſupueſto que el Conſejo ſiempre las paſa* &c. Iuxta quæ regiſtratio

Digitized by Google

ſtratio tantùm eſt melior & conuenientior: non ergo omnino neceſſaria, ita vt ſine illa nullius valoris ſint acta, cùm benè tunc Religioſi agant, qui regiſtrando meliùs eodem teſte feciſſent. Quod quidem tunc certius, cùm Prælatorum Litteræ diſpenſationem aliquam continent, aut declarationem Conſtitutionis, aut Decreti alterius. In quo quidem ita ſcrupuloſè à Regio Coſilio actum nuper, vt Litteras circa declarationem huiuſmodi à Patribus Minoribus Prouinciæ Limanæ petitam & impetratam, iuſſerit regiſtrari. Quod credo in odium fuiſſe affectatæ circa hoc quorumdam libertatis;cùm conſtet aliàs hoc ad gubernationem ordinariam pertinere, in quâ lex regiſtri non vrget, de quo ſtatim.

55 Quartò igitur circa id, quod in ſchedulis præfatis dicitur, vbi ſpecificantur nonnulla, pro quibus neceſſarium eſt regiſtrum, vt extinctio & erectio Prouinciarum, fundationes Conuentuū, Viſitatorum generalium, aut Prouincialium aſſignatio & tranſmiſſio, ſicut & Religioſorum, nominationes Præſidentium pro Capitulis: & ſtatim additur: *O coſas que innouaren en las Religiones, y no fueren en lo tocante al gobierno ordinario de ellas.* In quibus illud priùs obſeruandum, non videri incluſas aſſignationes Viſitatorum, niſi quando illi ex Europa, aut Prouinciis aliis deſtinantur: dicitur enim *en viar Viſitadores generales, ò Prouinciales.* Qui autem ex eiſdem Prouinciis eliguntur, non dicuntur omnino propriè mitti. Et eodem modo accipiendum quod dicitur de Præſidentibus Capitulorum, quia eſt pariformis determinatio, & ita accipienda vt præcedens, per adducta à Dom Solorzano *num.* 82. *& ſeqq.*

56 Deinde generalis illa concluſio, *O coſas que innouaren en las Religiones*, alteri videri contrariam: *Y no fueren en lo tocante al gobierno ordinario de ellas.* Nam gubernatio ordinaria multas nouitates admittit, ſunt enim illæ pro varietate temporum neceſſariæ, & ita in Capitulis generalibus & Prouincialibus paſſim diſponūtur. Sunt inſuper illæ ad bonum Religionum regimen, & obſeruantiæ redintegrationem aut conſeruationem requiſitæ, & ita obſtare nequeunt conuerſioni Indorum, aut tranquillo regionum Indicarum ſtatui: vnde ad ordinariā gubernationē ſpectare credendæ ſunt, & ex eo capite inter illa recēſendæ, quæ non prohibentur, cùm ceſſet penitus ratio prohibitionis iuxta *ſuperiùs* dicta. Hac enim ratione diſpenſationes Pontificiæ, & Declarationes Cardinalium pro tota Eccleſia, non debent regiſtrari, vt aduertit Fr. Emmanuel *ſuprà*, additâ ratione à nobis ex eodem propoſitâ, *quia in hoc non impeditur gubernatio pro conuertendis Indis, ſed iuuatur.* Neque enim Ordinarium in eâ acceptione ſumendum, iuxta quam à delegato diſtinguitur, vt aliqui ineptè cenſuerunt; ſed prout idem eſt ac conſuetum & vſitatum, ac receptum. Sic namque communis modus loquendi habet, cui ſe Regiæ ſchedulæ conformant, & conſtat ex ſchedula, de qua Dom. Solorzanus *num.* 42. & in Politica *pag.* 731. Vnde plura eorum, quæ ſine regiſtro Litterarum fieri prohibentur, ad delegatam non pertinent poteſtatem, vt nominationes Commiſſariorum, & Vicariorum generalium: non enim eſſe tantùm Delegatos, ſed Ordinarios, probat Dom. Solorzanus *num.* 51. & in Politica *pag.* 732. §. *Y aunque.* Extinctio & erectio Prouinciarum, fundationes Conuentuum. Adduntur & in nouioribus alia, vt collationes Magiſteriorum, declarationes Conſtitutionum, & aliorum, de quibus *ſuprà*, quatenus ratione illorum innouari gubernatio poteſt. Et hoc pacto etiam illa, quæ delegationem continent, dici debent ad ordinariam gubernationem pertinere, quatenus pro illius ſunt rectâ diſpoſitione neceſſaria, vt nominationes Præuidentium in Capitulis, quando ex Europa non veniunt, aut ex alio regno, vt diximus. Opponitur enim Ordinarium Extraordinario; cùm tamen delegationes in gubernatione extraordinariæ non ſint.

57 Hinc deduci reſolutio multarum difficultatum poteſt circa praxim occurrentium, vt ſcilicet fauorabiliter quæ ad Religionum gubernationem ſpectant, & prætextu deficientis regiſtri impediri poſſent, diſponantur. Cùm enim dicendum non ſit Regias ſchedulas contraria inter ſe diſponere, affirmari dum potiùs id, quod de innouatione dicitur, ad extraordinaria notabiliter eſſe referendum, non ad ea, quæ licet aliquando noua ſint, abſolutè tamen ad ordinarium gubernandi modum ſpectant, quatenus ſine illis conſiſtere recta nequit gubernatio. Quia verò in caſuum contingentia, ſi Regia Prætoria ſuo indulgere arbitrio velint, periclitari poſſunt ob ea, quæ à nobis dicta *numer.* 60. rectè quidem facient ſapientes aliàs iudices, cùm res ſub quæſtionem veniunt, & ita arbitrio locus eſt, ſi in fauorem ſupremorum Prælatorum arbitrentur, & ad ordinariam gubernationem ea, de quibus agitur, iudicent pertinere. Vbi præſertim nihil ex ambitionis turbulento ſpiritu actum deprehenditur, ſed Prælati pro bono Religionis, vel ex certa ſcientiâ, vel ad obſeruantiorum Religioſorum inſtantiam, ſtatuere dignoſcuntur. Quos & oportebit conſulere, vt factum in controuerſia, de quâ Dom Solorzanus *num.* 61. & in Politica *pag.* 732. §. *La Segunda.* Quòd ſi ibi Regia Cancellaria ſe non interpoſuit, quia de hoc mentio expreſſa non habetur ex eo id formatur, quod à nobis dictum de valore aſſignationum pro vtroque foro, etiamſi regiſtrum in Regio Conſilio deſideretur: quibus præiactis, ſubiiciendæ iam peculiares.

Peculiares Reſolutiones circa prædicta.

Vbi ſpecialiter diſquiritur quid dicatur ad ordinariam gubernationem ſpectare.

P R I M A.

De prorogatione Capituli.

58 Poteſt accidere, vt vel poſtulante Prouinciâ, vel ex cauſſis non leuibus Reuerendiſſimus Generalis iubeat celebrationem differri Capituli, & vt finito Prouincialatus tempore, aut Prouincialis ipſe, aut alius Vicarius ſit vſque ad celebrationis tempus à Reuerendiſſimo deſignatum. Vbi dubitari poteſt an hoc ad ordinariam gubernationem

Digitized by Google

ſpectet, & ſi Patentes regiſtratæ non ſint, ab Audientiis colligendæ veniant, aut earum curſus permittendos. Circa quod pro caſus contingentiâ, varia fuêre iudicia Aduocatorum, & quorumdam aliorum, nec non iudicium ipſorum, reſolutumque tandem ex ſententia plurium pro valore Patentium. Et quidem non ſine ſolidiſſimo fundamento. Vbi de circumſtantiis non ago, ſed ſimpliciter ſtatuo Poſitionem; quæ firmatur ex dictis: ad conuenientem ſiquidem gubernationem neceſſariæ eſſe poſſunt huiuſmodi prorogationes, in quibus Religionum ſtatui meliori conſulitur, & ſic etiam negotium conuerſionis Indorum, eorumque in fide promotio meliùs peragitur, & vrgetur, quatenus ad illam Religioſi poſſunt Ordines adiuuare, vt reuerà adiuuant, cùm Doctrinas ſeu Parochias Indorum plures habeant.

59 Ex eo autem quòd Vicarius deſignetur, non eſt infirmanda reſolutio, quia & hoc neceſſarium eſt ad conuenientem gubernationem, eſtque additamentum conſequens dilationem; neque enim ſine Prælato eſt futura Prouincia. Vnde ſtante validitate prorogationis, in ea eſt deſignatio talis incluſa quaſi acceſſoria: etiamſi aliàs prohibita contendatur: per ea, quæ adducit Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib.* 1. *Cap.* 3. *num.* 77. & in Politica *pag.* 82. §. *Y tambien.* Vbi probat quòd licet Ianaconæ per ſe, & ab agris ſeparati, vendi, permutari, aut alienari nequeant; benè tamen tranſire cum fundis venditis poſſunt quaſi in acceſſionem. Pro quo & faciunt quæ de Indis ſimiliter loquens habet *Libro eodem Cap.* 17. *numer.* 26. & 27. & in Politica *pag.* 167. §. *Y mas en terminos.*

60 Firmari prætereà Poſitio iſta poteſt ex eo quòd ſi Capituli futuri breuius ſpatium deſignaretur, volente Prouinciali cedere iuri ſuo, vt reipsâ accidit, non eſſet talis nouitas, quæ regiſtrum in Regio Conſilio neceſſariũ haberet iuxta Regias ſchedulas, vt nemo negat; quia pro eo rationes adductę militant. ergo idem in prorogatione dicendum, cùm pariter illæ videantur pro eo militare. Vbi dici nequit in prorogatione interuenire Vicarij Generalis deſignationem; quia id nouitatem gubernationis non tollit, cùm poſſit illa tam in breuiando termino, quàm in extendendo reperiri. Sicut ergo in priori non obſtat, ita neque in poſteriori: & ſic ex verbis illis *O coſas que innouaren en las Religiones*, argui nequit. Item. Quod ad Vicarium attinet, nullius momenti eſt, quia ratione nouitatis non habet repugnantiam ſpecialem, vt vidimus; neque ex eo quòd ad ordinariam gubernationem non ſpectet: quia ſi ex eo quòd extraordinarium id ſit, repugnantia eſſet, in breuiatô etiam Prouincialatu tale quid accidit, & nihilominùs illud admittitur. Et Regiæ quidem ſchedulæ tam de poſitiuis ſeu ampliatiuis actibus, quàm de priuatiuis diſponunt, vnde pariter vetant extinctionem Prouinciarum, ac earum erectionem, de quo *Reſolut.* 3.

RESOLVTIO II.

De breuiore gubernationis ſpatio ſtabiliter conſtituto.

61 DE vna aut altera vice dictum iam: illud difficilius, an ſimiliter dicendum ſi pro Capitulis ſtabiliter breuius ſpatium deſignetur. Quod quidem aut pro tota Religione contingere poteſt, aut pro Indiis ſpecialiter. Et in priori euentu conſequenter addicta *num.* 70. aſſerendum non eſſe regiſtrum neceſſarium: quia cùm nihil ſpeciale pro Indiis ſtatuatur, nihil circa eas ſpecialiter innouatur, neque ordinaria gubernatio tollitur, quia ordinaria iam alia eſt, & ſic Schedularum Regiarum forma ſeruatur. In poſteriori autem aliter videtur dicendum: quia valde extraordinaria & notabilis innouatio eſt, ac multiplicatio ex illâ Capitulorum ſequitur, atque inconuenientia ex illis augentur, Indorumque ſpiritualia ac temporalia detrimenta, ob frequentiores abſentias Parochorum, & eorum mutationes, quæ in Capitulis fieri ſolent. Quæ omnia conſideratione ſunt digna, vt meritò credi debeat Regiam voluntatem eſſe, ne eo inconſulto executioni mandetur id, ex quo illa ſubſequuntur.

62 Dices vrgere prædicta etiam cùm innouatio illa eſt generalis pro tota Religione, de qua aliter pronuntiauimus. Reſpondeo, etiamſi ita ſit, diſpoſitionem in Schedulis Regiis contentam in generali ſtatuto non procedere, cùm illius verba caſum, de quo eſt ſermo, non comprehendant; ſecus in alio, quia ob ſpecialitatem oportuit de vno, & non de alio ita pronuntiare. Non enim ſibi Regium Conſilium perſuaſit id, quod pro tota Religione à viris doctis & prudentibus ſtatuendum pro bono Religionis erat, ſpeciali Indiarum commodo obfuturum. Cùm aliàs facile ipſi futurum ſciret, ſi quidquam non ita opportunum accideret, ſupremos Prælatos admoneret vt circa Indias diſpenſationem adhiberent, quam ipſi neutiquam recuſarent. Quod quidem in Bullis Pontificiis pariter eſt dicendum, quæ cùm pro tota Eccleſia ſunt, nullo modo in ſupremo Conſilio detinentur: & tamen poſſunt earum aliquæ non eſſe rebus Indicis congruentes. Quod dum euenit, pro diſpenſatione circa ipſas Sedi Apoſtolicæ ſupplicatur, ſicut in multis, quæ de iure communi ſunt; vnde tot priuilegia conceſſa videmus, quæ tot ferè ſunt in illo diſpenſationes, & ad Regum noſtrorum inſtantiam plurimæ illarum conceſſæ reperiuntur.

63 Et licet in acceleratione Capitulorum rationes adductæ vim habere videantur ſpecialem, quod non ita in dilatione accidit: nihilominùs ſi generali pro Indiis ſtatuto decerneretur, ſimiliter videtur dicendum: quia innouatio valde extraordinaria & notabilis eſt, & pro temporum varietate poſſunt inconuenientia occurrere, vnde oporteat ſine Regia notitia talia nõ exequi; cùm ſciamus minora valde regiſtro ſubmittenda eſſe iuxta Regias ſanctiones. Et verò diuturnum regimen non parùm ſubditis ſolet eſſe moleſtum: vnde ex hoc capite erunt fortaſsè qui cenſeant Reges noſtros piiſſimos ad hoc etiam debere

Digitized by Google

bere ſuam prouidentiam extendere, & ſic attentè à ſuis Conſiliariis decreta prorogationum examinari; quod in Religionum ipſarum commodum tandem redundabit. Cùm ſit certiſſimum moleſtias Religioſis animis ex oneroſa tolerantia Prælatorum ingeſtas viam perfectionis, difficilem aliàs, aſperiorem reddere, & ſic minùs promptè decurrit, dicente Vatum Summo: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Pſalm. 118. Quòd ſi ad currendam mandatorum viam, dilatatio eſt cordis neceſſaria; quid de Cõſiliorum eſt viâ dicendum, quam conſtat eſſe reliquis arctiorem? Videatur D. Bernardus Sermone de Obedientia. Et 71. in Cantica.

RESOLUTIO III.

De Vnione ac diuiſione Prouinciarum.

64 IN Regiis Schedulis expreſsè poſitæ extinctiones & erectiones Prouinciarum, *Eſpecialmente de las que fueren para extinguir ò erigir Prouincias.* Huius autem peculiaris cautionis; vbi de erectione agitur, ratio illa eſſe poteſt, ne ſcilicet hoc pacto multiplicentur Capitula, & incommoda illa, quæ ex multiplicatione oriri diximus, & Indorum conuerſioni officiunt ſubſequantur. Quòd ſi his non obſtantibus ſub generali huiuſmodi conſideratione, vtilitates appareant, propter quas aliter fieri debeat, vtpotè quæ præponderare incommodis dictis videantur, id quidem attentâ eſt conſideratione digniſſimum, & ideò Regio eſt Conſilio reſeruatum. Quòd verò neque extingui ſine illius beneplacito nequeant, cauſſa illa generalis in primis occurrit, quòd ſcilicet extinctio talis res valde notabilis eſt, & ita Regiâ notitiâ digna. Deinde, Indorum cauſſæ incommodare poteſt, quatenus Prælati longiùs diſtant, & Doctrinarios rariùs poſſunt viſitare, & querelas Indorum audire; & hoc quidem licet expreſſum non eſſet, ſub generali clauſula de ſpectantibus ad ordinariam gubernationem poſſet vetitum reputari, quia valde extraordinarium & notabile eſt, & gubernatio exinde notabiliter innouatur.

65 Et quidem erectionem huiuſmodi non poſſe fieri ſine licentia Sedis Apoſtolicæ generaliter loquendo docet Lezano *Tomo* 1. *Cap.* 18. *num.* 24. Fr. Emmanuel Rodericus *Tomo* 3. *qq. regul. q.* 23. *artic.* 8. vbi non ſolùm erectionem prohibitam eſſe affirmat, ſed etiam erectæ diuiſionem, aut ſubiectionem reſpectu alterius. De Religione autem Minorum, & ſpeciali in eâ prohibitione, agit *ibidem, & Tomo* 1. *quæſt.* 43. *artic.* 1. Quod quidem ſi ita eſt, ſatis ex eo diſpicitur quanti hæc res momenti ſit, quam ſibi Sedes Apoſtolica reſeruauit. Et ex eo inferre licet nõ immeritò Reges noſtros circa rem eamdem id decreuiſſe, quod vidimus. Benè verum eſt argumentum, quod ex Iure adducit citatus Auctor, in quo de Epiſcopis ita diſpoſitum inuenitur, ne ſcilicet noua Sedes Epiſcopalis conſtituatur, neque illius fiat diuiſio, aut ſubiectio abſque Papæ facultate, quia de ſimilibus idem fit iudicium: non videri vrgens, nam ſimilitudo exacta non eſt: Epiſcopi enim à ſolo Pontifice conſtituuntur, ſicut & Archiepiſcopi; cùm tamen Prouincialium electio aliam habeat formam inferioris gradus, qui & in multis aliis ſunt diuerſi. Neque Sylueſter, quem allegat verbo. *Caſus in* 9. *&* 11. & Lezana *Caſu* 8. 9. *&* 10. de Prouinciis verbum vllum habet, ſed tantùm de Eccleſiis, Monaſteriis, vel Conuentibus exemptis. Et hinc eſt vt ſine priuilegij alicuius peculiari mentione in Societate noſtrâ ſtatutum ſit poteſtatem nouas inſtituendi Prouincias apud R. P. Generalẽ reſidere, vt videri poteſt in *Decreto* 108. *Congregat.* 1. *& in Decreto* 36. *Congregat.* 2. *& in* 6. *Congreg.* 4. & quòd generaliter ſine priuilegio id fieri poſſit, tenet tandem Lezana *Tomo* 5. *in Mari magno PP. Prædicatorum* cum Peirino, Santore, & Trimarcho *n.* 9. 10. *&* 11. Neque ex eo quod in Eccleſiis, & Monaſteriis accidit, argui ad Prouincias poteſt, quia dũ multiplicantur Eccleſiæ, & Monaſteria, reuerà fiũt plures domus diuerſa occupãtes ſpatia in diſtrictu alieno, quod meritò fieri prohibetur. In Prouinciarũ autẽ multiplicatione tantùm fit innouatio in modo gubernationis domorum earumdem, per quod Ordinariis nullum videtur præiudicium importari. In Religione autem Minorum ſpecialis prohibitio ob cauſſas benè viſas eſſe potuit, quæ & iam antiquata iuxta dictos. Et ex eo, atque ex aliorum ſententiâ circa Prouincias Religionum aliarum, communique ſenſu circa rei grauitatem, rectè colligitur, potuiſſe Reges noſtros id diſponere circa Indicas, quod in Schedulis allatis reperitur.

66 Quia verò in Societate IESU inconuenientia ceſſant, quæ ex multiplicatione iam vidimus, cùm Capitula pro electionibus non habeat, non videtur prohibitio dicta ad illam extendi, ſicut non extenditur quoad Viſitatores, ob ſimiles rationes. Vt autem de multiplicatione id procedit, ita & de extinctione dicendum, quia non eſt cur exceptam in vno, in alio incluſam aſſerere debeamus; quandoquidem neque verba ſpecialiùs vrgent, neque ratio eſt aliqua, ex quâ poſſit diſcrimen veroſimiliter coniectari. Pro quo eſt vulgaris doctrina Textibus & Doctoribus illuſtrata à Dom. Solorzano *citato Cap.* 26. *n.* 82. quòd vna determinatio reſpiciens plura, pariformiter determinat determinabilia. Et quod item fundat *num.* 83. non ſcilicet eſſe credendum concedentem aliquid, eos, quibus concedit, ſi diuerſo iure cenſeri voluiſſet, ſub eodem verborum tenore ſociaſſe.

67 Quòd autem innouatio quæuis circa Prouincias, ſed abſoluta erectio prohibetur, non eſt leue fundamentum vt quis cenſeat eam tantùm erectionem intelligendam, per quam ea, quæ nullo modo erecta erat, de nouo conſtituitur, non verò quando iam erecta diuiditur. Pro quo ſtat Fr. Emmanuel *citato Artic.* 8. vbi hæc diſtinguere videtur, dum ait Iure prohiberi Regulares, etiam Generales, ne poſſint nouas Prouincias erigere & fundare, nec poſſint erectas diuidere, nec vnam Prouinciam alteri Prouinciæ ſubiicere. Aliud ergo eſt iuxta ipſum, & iuxta rei veritatem, erigere & fundare Prouinciam, ac erectam diuidere: tunc enim propriè fundari aut erigi Prouincia non dicitur: ſicut cùm vna domus in duas diuiditur, non dicitur quælibet illarum fundari, ſed fundata diuidi. Et ſic in aliis. Et eodem modo de extinctione dicendum, quæ non contingit,

Digitized by Google

contingit, cùm ex duabus fit vna: non enim dicitur altera earum extingui: ſicut in exemplo domus per contrarium adducto, cùm ſcilicet ex duabus fit vna; non enim dicimus alteram earum, aut vtramque, per coniunctionem extingui. Iuxta hæc ergo dici poteſt Regias Schedulas in caſibus dictis non loqui, & cùm odioſæ diſpoſitiones ſint, non eſſe verba ad ſenſus minùs fauorabiles pertrahenda iuxta vulgaria iura, & Doctorum obuia axiomata, de quibus præſertim Valaſcus *in Axiomatibus Iuris Lit. O. n.* 12. & hæc quidem ſententiam iſtam veroſimilem oſtendunt, vt ſi Regiis Prætoriis placeat, poſſint ſine ſcrupulo eidem ſe in casûs contingentia conformare: pro contraria autem iam vidimus quot & qualia fundamenta ſuccurrant. Pro ſubiectione autem vnius Prouinciæ ad alteram de nouo inducta, non eſt cur debeamus quæſtionem mouere, cùm nullo modo in Regiis Schedulis inueniatur expreſſa, etiam ſi demus eam Iure prohiberi: quia non omnia Iure prohibita Regiis Schedulis prohibentur, quando pro illis priuilegia extant. Sic enim in multis eſt cernere, quæ paſſim impetrantur, & de quibus Nos *Titulo* 12. ob rationem ſæpiùs redditam, quòd ſcilicet communi Indiarum bono incommodare nequeant, ſed commodum ſint potiùs allatura.

Caſus peculiaris.

Ubi de recurſu Reſolutio reſpondens propoſitæ in Titulo quæſtioni.

68 Poteſt ille in præfatâ doctrinâ fundari, & circa Prouinciarum innouationem accidere, ſi Patentibus non regiſtratis vnio aut diuiſio fiat, & ſic conſequenter Prouincialium electiones. Tunc ne Regia Prætoria tolerare id poterunt, aut Prorex vtens Omnimoda, quæ illi pro raris & implicaeuentibus competit, id, quod eſt factum, ratum habere? quod ſi renuant, aut contradicant aliqui? quid ſi & Regij Magiſtratus? quomodo eſt res adeò difficilis componenda? Circa quam

Dico primò, iuxta dicta *num.* 63. *& ſeqq.* acta eſſe valida, quia non eſt ſolidum fundamentum vnde poſſint infirmari, interueniente auctoritate ſupremorum Prælatorum.

69 Dico ſecundò, Regios Miniſtros poſſe factum tolerare, & Indiarum Conſilium de ſic actis admonere. Ratio eſt, quia inualidatio Capitulorum, & nouorum celebratio grauia inconuenientia continent, & non ſine ſcandalis accidunt: nec credendum eſt Reges Piiſſimos & Religioſiſſimos tanto cum diſpendio Religioſi ſtatus ſuas velle Schedulas obſeruari. Sic ſcimus multa in Regiis ac ſupremis probata Conſiliis, quæ non erant ordinariæ gubernationi conformia, quia eam oportuit iuxta circumſtantiarum occurſum variari. Sic etiam nouimus Epiſcopum ſine Executorialibus contra expreſſam prohibitionem Cancellariæ Regiæ conſecratum, circa Pontificiale officium neutiquam impeditum, cùm tamen per legem Regni executionem Bullarum, quæ non ſunt in Conſilio Cameræ præſentatæ, & confirmationem præſentati à Rege continent, non eſſe permittendam caueatur. Pro quo & facit id, quod ex Metiano præclaro Iuriſconſulto obſeruat D. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 2. *Cap.* 7. *num.* 29. & in Politica *pag.* 301. §. *Aunque no. Conuenir à veces diſſimular algo, por no lo turbar y embaraçar todo.* Sic ille adducens alios Metiani doctrinam illuſtrantes.

70 Dico tertiò. Praxis Omnimodæ in Proregibus neceſſaria non eſt, iis ſtantibus, quæ diximus, quia & vbi illi non ſunt, ſtare illa poteſt, & Regiæ Audientiæ arbitrio iſta diſponi. Et quidem ſi Audientia factum ſuſtinendum iudicat, ſatis apparet non eſſe ad Omnimodam recurrendum. Si verò ſecus ſentiat, & Proregis iudicium iudicio Auditorum aduerſetur, velitque ſuo iure vti, poterit equidem, iunctâ prærogatiuâ Patroni, & conſilio aliorum inſtructus, quia res huiuſmodi opinabiles ſemper ſunt: & tunc parendum ipſi, neque ab Auditoribus obſiſtendum, iuxta ea, quæ habet Dom. Solorzanus *ſuprà & Cap.* 4. *num.* 76. *& Lib.* 4. *Cap.* 10. *num.* 3. *& ſeqq.* & in Politica *pag.* 279. in fine *& Lib.* 5. *Cap.* 13. circa initium, quæ in hoc caſu, & ſimilibus magis vrgent.

71 Dico quartò, ſi poſt celebrata Capitula Patentes colligantur, & earum executio prohibeatur, quoad forum interius id ſtare poterit, quod dictum *Aſſert.* 1. & etiam quoad exterius, ſi ſtare illud poſſit ſine periculo turbationum, quod erit difficile, quia non deerunt delatores, & cedere oportebit propter metum Iudæorum. Cùm ergo res ad priorem ſtatum in hoc foro reuocanda ſit, & ſic noua celebranda Capitula, tunc quidem ad ſedandas conſcientias Prælati ante collectionem Patentium electi vices ſuas nouiter electis attribuent: ita vt, ſi Prouincia diuiſa fuerat, duo tunc electi Prouinciales vni poſteà electo; ſi vnitæ duæ vnus tunc electus duobus tamquam delegatis omnem ſuam conferat poteſtatem, quantam de iure communi ac ſpeciali Religionis conferre poteſt, & ſic reſolutionem vltimam ex transmarinis partibus expectare. Quòd ſi nouiter electi legitimos ſe Prælatos eſſe contendant, & ſic aliorum nolint agere ſubſtitutos, videntur certè in eo grauiter peccare, quia ea, quæ ad forum conſcientiæ ſpectant, eo pacto in multis dubia redduntur, & communi damno nō occurritur modo conuenienti & facili, in quo periculum ſubeſt nullum. Non deerunt autem qui cenſeant in eo grauiter non peccare, quia probabiliter proceditur, iuxta dicta de valore actorum poſt Patentium collectionem, quem ſunt qui negent, contendentes talem eſſe ſupremorum Prælatorum voluntatem. Vide *n.* 65.

72 Dico quintò. Si collectis Patentibus poſt Capitula celebrata, elapſum ſit tempus, quòd in Religionibus ad eorum eſt celebrationem præfinitum, habent enim fixos & inuiolabiles dies, tunc Religio quæuis ad ſua ſtatuta recurrat, & videat quiſnam iuxta illa ſit Prælatus futurus, vt Regiarum Audientiarum decretis morem gerant. De quo idem eſt quod de Prouincialibus dicendum, de quibus *Aſſertione præcedenti.*

73 Dico ſextò. Si controuerſia aliqua inter Religioſos circa caſum nuper propoſitum habeatur, dum plures ſibi ius ad prælationem competere iuxta ſua ſtatuta contendunt, res non de-

bet

Digitized by Google

bet ad Regiam Cancellariam deferri, vt videtur manifeſtum. Quis enim laicos judices Eccleſiaſticorum iurium iudices eſſe conſtituit? Ibi certè de facto non agitur, ſed de iure; vt eſſet illud commune perfugium, de facto agi, & non de iure aut proprietate. Sicut & aliud de reſtitutione ſpoliati, quæ quidem non rarò confingitur, & à iudicum omnium Iudice, qui falli nequit, irridetur. Quid ergo faciendum? Eligantur arbitratores, & Compromiſſarij, qui eſſe poſſunt eiuſdem aut alterius Ordinis Religioſi, vt apud P. Thomam Sancium videri poteſt in *Opere morali Lib.6.Cap.*13.*num.*60. *& ſeqq.* Immò & ſæculares probi, & bonæ famæ, iuxta Lezanam *Tomo* 4. *ſummæ*, verbo, *Recuſatio*, *num.* 8. qui & videndus *Verb. Exemptio* pro damnatione recurſuum huiuſmodi *num.* 16. *&* 17. etiamſi Malderus, Portel, & Souſa illos admittant, cùm ſuperior non adeſt, aut non vult Religioſum defendere, grauamen iniuſtum patientem. Et generaliter recurſum per viam violentiæ probat cum aliis Leander *Parte* 4. *Tractat.*3. *Diſput.*14. *Quæſt.*13. &. eorum iudicio ſtetur: quòd ſi ſtare nolit qui in eo victus & turbas excitet, tunc poterit Regium auxilium conuenienter implorari.

74 Dico ſeptimò. Si collectis Patentibus ante effectum innouationis in Prouinciis, & celebratis Capitulis more ſolito, ad inſtantiam aliquorum, re iterùm diſcuſſâ, & nouis allegatis rationibus, illæ reddantur, atque ipſarum executio permittatur, electi debent cedere Prouinciales, quorum iuriſdictio neque in foro conſcientiæ remanebit. Ratio eſt: quia cùm reuerà deprehendatur Patentes fuiſſe validas, & regiſtro non indiguiſſe, ac ratione earum habeatur iuriſdictio in vtroque foro; id quod contra illarum tenorem eſt factum, nullum extitit, & ita nullo modo ſubſiſtere poteſt: neque eſt inconueniens acta in Capitulis irrita euadere contra formam præſcriptam celebratis, quia hac de cauſſa Generales ſolent Capitula nulla & euanida declarare. Noui ergo eligantur Prouinciales, ſi aliud non occurrat obſtaculum, vt non occurſurum videtur, quia propterea Patentes collectæ redduntur, & impeditis agere non occurrit tempus, iuxta vulgarem Iuris regulam, pro quo & Textus & Auctores adducunt Rodericus, Suarez *Allegat.* 3. Valaſcus in Axiomatibus Iuris *Lit. I. num.* 22. *&* 23. & Dom. Solorzanus *Lib.* 2. *Cap.* 11. *num.* 52. & in Politicâ *Pag.* 331. §. *De lo qual.* Eſt autem valde diuerſus caſus ab eo, de quo in *Aſſert.* 5. ibi enim impediti non ſunt deſignato à ſupremis Prælatis tempore celebrare, ſed reipsâ celebrarunt, iuxta eorum præſcriptum, & acta omnia valida extiterunt: vnde juxta Religionis peculiarem formam nequeunt Capitulum aliud celebrare, ſed agere vt Prælatus is ſit, qui iuxta proprias Conſtitutiones eſſe debet; neque ad aliud Audientiarum decreta compellent, quia id ſuarum partium non eſt; ſed prohibere tantùm ne valorem habeat id, quod eſt contra leges de regiſtrandis Patentibus conſtitutum. In caſu autem Aſſertionis præſentis Capitulum non fuit legitimum, & legitimi celebratio pariter impedita, vnde ceſſante impedimento poteſt legitimè celebrari, & conſequenter eligi Prouincialis: vnde ad Prælatū alium non eſt recurſus neceſſarius, qui deficiente Prouinciali ſolet per ſtatuta ſpecialia prouideri: nec de his plura, vbi plura fortè deſideret quiſpiā, quæ controuerſias præfatas magis in ſpeciali pertingat; ſed nolo dum id ago, nouas in me controuerſias excitare.

AD TITVLVM III.

Circa Caput I. num. 4.

De obligatione Proregis ad frequentiam Confeſſionis.

75 PRò generali obligatione ob vitandum periculum incidendi in noua peccata ſtant plures, quos adducit Diana *Parte* 7. *Tractat.* 12. *Reſolut.* 29. & licet ipſe cum Cardinali Lugo *Diſputat.* 15. *de Pœnitentiā*, *num.* 45. *& ſeqq.* neget: id tamen tantùm ſtatuit communiter loquendo, quia ſic Cardinalis cenſet: vnde neuter videtur obligationem excludere, cùm ſpeciales circumſtantiæ concurrunt: neque de obligatione per accidens ratione ſcandali loquuntur. Nec dici poteſt illud eſſe paſſiuum; quia cùm ſtet ſententia quamplurium, de quâ diximus, accedente ſublimitate perſonæ ad peculiare exemplum obligatæ, plus quàm paſſiuum eſt: probabiliter enim exiſtimari poteſt illum eſſe in malo ſtatu, ſuffragante inſuper experientiâ de ſic abhorrentibus Sacramenta.

Circa Caput IV.

§. III.

De obligatione reſtitutionis pro malè expenſis à Religioſis.

76 OBligationem reſtituendi in Religioſo quatuor in caſibus negat Hieronymus Garcia in Politicâ *Regulari Tractat.* 4. *Parte* 3. *Difficult.* 5. *Dub.* 13. *num.* 7. *&* 8. & circa duos priores non eſt difficultas, quia procedunt cùm ſine iactura famæ Religioſi aut Conuentus reſtitutio fieri nequit: & illorum ad inſtar poſſunt alij occurrere. Tertius eſt cùm pecuniam turpiter expenſam ab amico Religioſus accepit; tunc enim damnum nullum eſt paſſum Monaſterium. Iuxta quod dicendum eſt, neque accipientem à Religioſo ad reſtitutionem teneri, quia ex eo quòd non reſtituatur, damnum ſpeciale non reſultat, nihil enim minùs habet; licèt Religioſus contra paupertatem peccauerit; ſtat enim illud non violatâ juſtitiâ, juxta præfatam ſententiam: quod eſt ſanè difficile, ſed in quo Auctor dictus eſt alios ſecutus: nam quod Religioſus accipit, ſtatim fit Religionis, & ita, cùm prauè expenditur, contrectatio eſt alieni, & conſequenter juſtitiæ violatio. Quod & in Fratre Minore dicendum: licèt enim Conuentus dominium non adquirat, vſum tamen ita habet, vt à nullo ſine violatione iuſtitiæ poſſit eo ſpoliari: niſi fortè qui dedit, noluerit dominium, aut ius aliud à Conuentu adquiri, ſed ad liberam omnino diſpoſitionem Religioſi pertinere: tunc enim poterit diſtinctio illa locum habere,

habere, quia votum paupertatis ad id ſe poteſt extendere. Vt etiam de ſic datis diſponi nequeat, cùm ſit diſpoſitio de quantitate non leui contra Prælati voluntatem, & vſus rei propriæ, tamquàm propriæ: licet enim in rigore propria non ſit, ita tamen eâ vtitur Religioſus acſi propria eſſet. Pro quo videndus Card. Lugo *Diſp. 2. de Iuſt. n.* 50. & Diana *Parte* 7. *Tract.* 11. *Reſ.* 18. contra Caramuelē oſtendens votum paupertatis non ſolùm proprietatem excludere, ſed etiam vſum contra Prælati voluntatem. Quartus, ſi id, quod turpiter expendit, cum licentia Prælati habebat, ita vt licitè poſſet expendere; quia ex bonis non erat Monaſterij communibus, ſed ex peculiaribus eleëmoſynis, aut hæreditate. Id quod propter rationem nuper adductam, ſcilicet Monaſterij bona propria eo pacto non defraudari, neque minùs aliquid habere, venit affirmandum. Quo euentu ſimiliter dicendum, licèt prædictus Auctor id non exprimat, accipientem ad reſtitutionem non teneri.

77 Sed contrarium tenent communiter Doctores, ex quibus plures congerit P. Hermannus Buſembaum *in Medulla Theologiæ Moralis Lib.* 4. *Cap.* 1. *Dub.* 4. *num.* 6. qui loquuntur cùm de licentia Prælati id fit. Ex quo infertur certius eſſe quando ſine licentia expenditur, quæ ſolùm eſt ad vſus licitos attributa: & eſt pro eo ita vrgens ratio, vt oppoſitum ſit illâ penitus deſtitutum. Quod enim de ſubſtantia bonorum Monaſterij dicebatur, eſt ſanè leuiſſimum: cùm enim quidquid Religioſus adquirit, aut habet, Monaſterij ſit, diſtinctio illa bonorum nihil ad negotium præſens conducit, dum contra voluntatem domini alienum contrectatur, ex quo oritur reſtitutionis obligatio. Quemadmodum ſi quis aliquid ſubriperet ab habente Maioratum ex iis, quæ ad Maioratum non ſpectant, in ordine ad reſtitutionem impertinenter ſe haberet dicta diuerſitas; ſicut ſi de bonis paraphernalibus, & non dotalibus, rapina contingeret. Habet ergo Monaſterium aliquid minus, quàm haberet, ſi non ſic eſſet turpiter diſtributum.

78 Nec dici poteſt nihil plus Monaſterium habiturum, ſi in vſus fuiſſet licitos collatum; quia dum in eos non confertur, in illorum poſſeſſione eſt, & poteſt Prælatus licentiam, cùm voluerit, reuocare: neque ratio illa vlteriùs vrget, etiamſi minùs non habeat, quia obligatio reſtitutionis ex eo non impeditur: vnde ſi quis pecuniam ab aliquo, quam conuiuio amicis inſtruendo deſtinauerat, furaretur, ad reſtitutionem maneret obligatus; cùm tamen tranſacto tempore, quod deſignatum erat conuiuio, nihil haberet minùs, & ſic aliàs. Video Cardinalem Lugo *ſuprà Diſput.* 3. *num.* 142. viam oſtendere, vt probabiliter poſſit dicta ſententia defendi; quia ſcilicet Prælatus non tantùm licentiam concedit ad vſus licitos, verùm neque ad illicitos, quia non poteſt: ſed generaliter auferendo impedimentum ſuæ contrariæ voluntatis, quâ ſtante, eſſet peccatum contra iuſtitiam, & quâ non ſtante contra illam non eſt. Quem adducit, & pro eo laudat Diana *ſuprà Reſol.* 22. ſicut & Machadum *Lib.* 5. *Parte* 2. *Tractat.* 1. *Documento* 11. *num.* 3. Sed habet iſta, quod pace viri tanti ſit dictum, plus ſubtilitatis, quàm ſoliditatis: quia Prælatus nequit impedimentum generaliter auferre, ſed in ordine ad licita; ſicut nequit aperire portam auferendo ſeram, vt vnuſquiſque ad id, quod voluerit, egrediatur. Neque exemplum de pignore eſt ad rem: quia dominus pignoris eo ipſo quòd talis, poteſt generalem vſum concedere, non ſic Prælatus, qui eſt pius & honeſtus adminiſtrator, iuxta peculiarē obligationem ſtatûs. Videri etiam poteſt Diana *Tract.* 12. *Reſol.* 3. vbi pro ſententia dicta eumdem cùm aliis adducit Cardinalem.

79 Eſt item nonnullorum opinio, quorum Auctor idem meminit *Parte* 10. *Tractat.* 12. *Reſolut.* 35. aſſerentium Religioſum ſic expendentem peculium, non teneri ad reſtitutionem, eò quòd numquàm habeat rei cuiuſcumque dominium. Quæ quidem non videtur præfato Auctori placere, vnde concludit ſe nolle illius auctorem eſſe. Sed certè, cùm ſententiam Hieronymi Garciæ circa caſum præcedentem non improbet, in puncto præſenti nihil videtur nouæ difficultatis reperiri. Cùm enim dicat ille non oriri obligationem reſtitutionis, quando erat licentia ad expendendum in vſus licitos, & habens peculium licentiam talem habeat, nihil quoad rem ipſam occurrit, in quo poſſit eſſe diſcrimen. Solùm in ratione Aſſertionis diuerſitas eſſe poteſt; quia prioris illa eſt, quam vidimus; & poſterioris, defectus dominij, & quoad hoc quidem meritò reiici ſententia iſta debet, quia cùm violata iuſtitia ſit, obligatio pro damni compenſatione relinquitur, ad quod cùm varij eſſe modi queant, parùm refert quod dominium non habeatur, cùm etiam eo deficiente, poſſit eſſe compenſatio. Et quidem cùm peculium Religioſo conceditur. Sic res agitur, vt Prælatus illud concedens, ad vſus licitos eâ ſub conditione concedat, vt ſi aliter expendatur, Religioſus ab eo abſtineat, quo vſque tantumdem Monaſterio reddatur, quantùm eſt irreligioſè diſſipatum. Qui agendi modus, cùm ſit ſatis conueniens, reipſa intercedere credendus eſt. Sic ergo Religioſus à peculio non abſtinens, contra iuſtitiam peccat, quia Religionis bona ſine licentiâ conſumit. Ex quo ratio illa de dominij defectu corruit.

80 Et licet dici poſſit abſtinere ab vſu peculij non eſſe reſtitutionem, ſed impletionem contractus ſub eâ conditione initi; id nullius momenti eſt, cùm iam ſit quæſtio de nomine: & prætereà, cùm compenſatio damni ſit, meritò reſtitutio dici poteſt in contractu ipſo comprehenſa, iuxta conuenientem modum ineundi illum, à nobis explicatum, cui ſe Prælatorum voluntas videtur tacitè conformare. Videatur Lezana *Tomo* 2. *Cap.* 18. *n.* 33. *& Tomo* 3. verb. Beneficium, *n.* 20. *& Tomo* 4. verb. Ludus *num.* 23. vbi & obligationem reſtitutionis, inualiditatem licentiæ etiam pro ludo, & obligationem obſeruandi Bullam Clementis VIII. de largitione munerum in Beneficiatis etiam Indicis recognoſcit. Sed verb. *Dare*, *num.* 8. affirmat poſſe licitè dari à Religioſis munera ijs, à quibus plus ſperatur. Quod iuuare pro dictis à nobis poteſt. Et *num.* 10. temperamentum Bullæ citatæ adducit ex Declaratione S. Congregationis Cardinalium, modeſtam, diſcretam, ac ſine ſuſpicione ambitionis, cum licentiâ Prælati localis, donationem approbantis. Quæ & deſeruiunt pro dictis circa *Titulum* 17. *num.* 55.

Digitized by Google

num. 55. *& ſeqq.* Quidquid dicat Verricelli cum aliis, quos citat *Tomo* 1. *Quæſt.* 52. *num.* 12. violatam paupertatem negans ab habente licentiam generalem in meretriciâ largitione.

81 Quæ ſententia, ſi probabilis eſt, currit etiam in Fratribus Minoribus: quia licet quoad bonorũ dominium alia in illis ratio ſit, & in adminiſtratione immediata pecuniæ eiſdem prohibita; quoad vſum tamen cum licentia Prælatorum facultatem habent penitus expeditam. Neque obſtat in Decretis Capitulorum Generalium Bullam citatam Clementis vti regulam in exercitio donationum aſſumi, quia præter obligationem Bullæ ipſius ſpecialiter acceptatæ; nulla alia peculiaris videtur iniungi. Et ita temperamentum à S. Congregatione adhibitũ, eiſdem etiam ſuffragatur. Nec dici vlteriùs poteſt Pontificem habentem talium bonorum dominium eſſe inuitum, cùm immoderatas damnet largitiones. Nam etiam Monaſterium habens bonorum dominium inuitum eſt circa donationes huiuſmodi: quia verò Prælato adminiſtratio eſt illorum commiſſa, iuxta illius licentiam res ita dirigitur. Sunt ergo rationes dictæ valdè efficaces vt donationes generaliter ſint inualidæ, ſed pro diſcrimine inter PP. Minores & aliàs, parùm habent firmitatis, vnde docti Scriptores ita ſentiunt.

Circa Caput item Quartum. *§. eodem* num. 42.

82 MOdus dicendi Cardinalis Lugo ex *Diſput.* 4. *de Iuſtitia, num.* 49. *&* 50. ibi propoſitus, vt ſcilicet is, qui à Religioſo accipit in donatione peccâte, ſed ſine obligatione reſtitutionis, non peccet, probabilis Dianæ viſus *Parte* 8. *Tract.* 6. *Reſolut.* 134. ſed non eum penitus videtur amplexus, ſolum ſe non audere improbare illum, vtpotè viri ſapientiſſimi, proteſtatus, addens tandem eſſe probabilem. Sed certè non erat cur ſe circa illum ita cautum oſtenderet, cùm abſolutè eum iam fuiſſet amplexus *Parte* 7. *Tract.* 11. *Reſolut.* 39.

Circa Caput Quintum.

Ubi de venditione officiorum à Proregibus, eo quòd actio eligendi non ſit debita, de quo *n.* 46. *& ſeqq.*

83 P. Bardi in *Selectis Lib.* 1. *Quæſt.* 18. optimè probat pro actione abſolutè debitâ quoad ſubſtantiam nihil poſſe accipi, licèt reſpectu nullius determinati debita ſit, & ab eo ſpecialiter, qui purè diſpenſator eſt quales ſunt Proreges & Gubernatores Indici. Videatur ille, eſt enim doctus vſquequaq; ſed, ſcholaſticâ inquam & morali doctrinâ præſertim excultus: parùm enim Scholaſtici in alio ſolent genere ſæpiùs claudicare, vnde & tales eſſe ſolent laxiorum ſententiarum inuentores. Et ridiculum quidem videtur nonnullos ex iſtis cernere, eximios Theologiæ Principes impugnantes, & inurbanè reiicientes quibuſdam loquendi formulis inconcinnis. Sed his per occaſionem dictis, de quibus aliàs pro ſententiâ dictâ videndus etiam Diana *Parte* 6. *Tract.* 6. *Reſolut.* 59. vbi generaliter idem probat contra aliquos, & ſpecialiter de eligentibus ad Maioratum, Cathedram, Capellam, & pauperes pro diſtribuendâ eleëmoſynâ, circa quos affirmant aliqui apud eumdem.

Circa Caput Decimum tertium.

Ubi de grauaminibus impoſitionum reſpectu Eccleſiaſticorum, de quibus §. 3. *& ſeqq.*

84 EXtat pro immunitate ab illis, in caſibus, de quibus *citatis locis,* notabilis Deciſio Sacræ Rotæ, quæ eſt vltima apud Dianam *Parte* 8. Specialiter autem approbatur praxis, de quâ §. 4. de iuramento in fine anni: additur tamen id debere à Sede Apoſtolica approbari, ſi Cleri ſit conſenſu recepta. Et pro ea adducitur P. Azor *Parte* 2. *Lib.* 9. *Cap.* 11. §. *Quintum priuilegium. Verſ. In dubium vocatur. &c.* Vbi quidem hic Auctor conſenſum etiam Sedis Apoſtolicæ requirit, ſed non ad praxim prædictam, benè tamen ad ſolutionem gabellæ. Addit tamen id, quod ad Indias videtur ſpecialiùs pertinere, dum ita ſcribit: *Hoc enim probat ſolùm eſſe rationi conſentaneum, vt Romani Pontificis conſenſu, vel ſi ad eum non patet aditus, Epiſcopi auctoritate huiuſmodi gabellam Clerici ſoluant, non autem ſolâ auctoritate laicorum &c.* Pro reſolutione autem circa non reddendam ampliorem quantitatem in fine anni, de qua *num.* 114. quando voluntarius conſenſus extitit, quem & ſtatuit præfata Deciſio, eiuſdem doctrina confert, dum nihil amplius reddendum iudicat, ſicut nec P. Azor, cuius ſæpiùs laudata ſententia, tum circa praxim prædictam, tum circa alia. Quidquid in contrarium teneat Verricelli *Tomo* 1. *qq. moral. Tract.* 8. *Quæſt.* 13. contendens impoſitionem dictam non aduerſari Eccleſiaſticæ immunitati. Secus Leander *Par.* 4. *Tract.* 3. *Diſp.* 18. *Quæſt.* 10.

85 In caſus ergo contingentiâ Deciſio eſt prædicta conſulenda, ex qua habetur qualecumque remouendum præiudicium Eccleſiaſticæ immunitatis, ſiue directè illud contingat, ſiue indirectè; ſiue principaliter, ſiue in conſequentiam; & non inhærendum litteræ ac verbali interpretationi, ſed magis attendendam rationem Sacrorum Canonum. Violari illam cùm Eccleſiaſticæ perſonæ quouis modo impediuntur, vel timidiores redduntur in exercitio iuris ac libertatis ipſis competentis, quod ex officialium laicorum ordinaria aſperitate in munerum ſuorum adminiſtratione contingit, & quia illis ſunt frequenter infenſi &c. Pro quibus etiam adeundus pro re nata Thomas del Bene *Tomo* 1. *de Immunitate Eccleſiaſtica Tract.* 5. Qui *Cap.* 5. *Dub.* 7. *Sect.* 13. quæſtionem præfatam de redhibitione in fine anni collectæ ſummæ pertractat, & cum Rota conuenit, eâ tamen non citatâ, ſed Alterio, & Duardo, & ex iſto ſtatuit intereſſe reddendum, ſi verè aliquod præceſſit incommodum. Vide item

Digitized by Google

V. in quâ & de alijs priuilegiis circa temporalia conceſſis idem decernitur, vt ſcilicet communicatio pro illis non ſit, ſed tãtùm pro ſpiritualibus. Ad quæ dici poteſt Deciſiones Rotæ non tollere probabilitatem ſententiæ contrariæ; vnde illæ quoad hoc non ſunt communiter receptæ. Pro quo & faciunt quæ generalius loquentes habent Auctores, quorum varia pronunciata congerit Angelus Boſſius *Parte* 1. *Titulo* 1. *num.* 581. *& ſeqq.* & de non receptione teſtatur Diana. Quòd verò Bulla citata non obſtet, ex eo ſuadetur, quia Auctores poſt illam ſcribentes pro communicatione etiam in temporalibus militant, vt Ioannes à Cruce, Raphael à Turre, Ioannes Baptiſta Lezana, & Hieronymus Garcia apud eumdem Dianam *Reſolut.* 49. *citatâ.* quibus addendus Leander *citata Diſput.* 6. *Quæſt.* 34. *&* 46. & fundamentum eſſe poteſt, vel quia non recepta, vel quia poſt eam Pontifices alij Religionum multarum priuilegia ampliſſimè confirmarunt, non adhibitâ prædictâ limitatione, vnde communicatio aliarum etiam ampliata. Quidquid autem de hoc ſit, pro Societate nulla eſt difficultas circa priuilegium dictum, cùm non per ſolam communicationem eidem competat, ſed per ſpecialem & expreſſam conceſſionem.

Circa Caput VII.

Ubi an iudices laici in Epiſcoporum ſpoliis ſe intromittere poſſint.

91 NEgat id P. Fagundez *Lib.* 6. *de Contractib. Cap.* 4. *numer.* 14. *& ſeqq.* cuius reſolutionem, neque breuem illam, ad verbum habet Diana *Parte* 8. *Tract.* 5. *Reſolut. vltima.* nihil circa reſolutionem de ſuo adiiciens niſi approbationem, eò quòd conſonet dictis ab ipſo alibi, pro quo locum non citat ſpecialem: ſed habetur *Parte* 4. *Tract.* 1 *Reſolut.* 110. vbi pro eo adducit Martham, Franciſcum Marcum, & Auguſtinum Barboſam, ſicut prò oppoſito Gutierrez, Cabedum, & Ceballos; quorum fundamentum ſolidum quidem eſſet, ſi Prælatorum Eccleſiæ circa hoc diligentia non extaret, neque poſſet Capitulo plenè in hac parte confidi. Sic enim credibile eſt non futurum id Sedi Apoſtolicæ prorſus ingratum. Et quidem in multis ea fiducia non ſuppetit, vnde Titulus integer extat *Vt Sede vacante nihil innouetur.* Beneficia, quæ de iure patronatûs non ſunt, conferri prohibentur: dimiſſoriarum collatio intra annum, vltra quem non eſt viſa vacatio proroganda, quod eſt proprium Indiarum Reuocatio licentiarum pro audiendis Confeſſionibus Regularibus conceſſarum, ſeu approbationibus. Quomodo etiam Sedes Apoſtolica non plenè confidat, oſtendunt ea, quæ habet Diana *Parte* 8. *Tract.* 4. *Reſolut.* 66. circa diſpenſationes directas Vicariis generalibus, vt alia miſſa faciam. Eſt autem maximè viſcoſa ſpoliorum ſubſtantia.

Circa Caput XIII.

§. I.

Vbi an inhonoratio Regij Auditoris ſit crimen læſæ Maieſtatis.

92 QVòd non ſit propriè tale probat Narbona *in Lib.* 4. *Recopilationis. Tit.* 1. *lege* 20. *Gloſſâ* 7. *num.* 100. de quo & Noë *in Additionibus ad Titulum* 20. *num.* 147. & quòd neque illa iniuria, quæ in ſecundo gradu læſæ Majeſtatis eſt, eam habeat qualitatem, quando non infertur ratione officij, cum multis firmat Diana *Parte* 6. *Tract.* 8. *Reſolut.* 3. de quo & Nos citato loco, & etiam. *num.* 140.

Circa Caput XIV. num. 118.

Ubi de Academicis accipientibus præmium aſſiſtentiæ, cùm vix aſſiſtant.

93 QVæ ibi dicta comprobat P. Mendus *de iure Academico Lib.* 2. *Quæſt.* 25. poſt hæc ſcripta viſus; qui tamen non audeat damnare conſuetudinem, cùm tamen dicenda ſit potiùs corruptela, non ſine adſtantium offenſione, aut vero etiam irriſione contingens.

Circa Caput XVII.

De temperandis pœnis erga Benemeritos, de quo *num.* 154.

94 DOctrinam ibi propoſitam, ad crimina etiam, quæ ad Tribunal S. Inquiſitionis ſpectant, extendendam, cum Baiardo & Farinacio tradit Magiſter Souſa in *Aphoriſmis pro eodem Lib.* 3. *Cap.* 36. *num.* 12. quæ in Conquiſitorum Indicorum poſteris conuenienter poterit practicari.

Circa Caput XVIII. Pro dictis num. 171. & 172.

De iuramento cum æquiuocatione: de quo *& Titulo* 6. Cap. 1.

95 AGit de illo P. Bardi *in Selectis Libro* 1. *Quæſt.* 10. in cuius fine. *n.* 11. circa praxim eſt notanda doctrina, quam ex aliis proponit: id ſcilicet quod mente additur, debere cum externâ propoſitione congruum ſenſum habere; ſi enim incongruus ſit, nihil præſtat. Item, dum non occurrit ſpeciale aliquid ad verificationem, poſſe in eo ſenſu proferri, qui vniuerſaliter apprehenditur. & eſt poſſibilis: licet propter capacitatis defectum non ſit obuius. Neque erit inconueniens admonere tales, vt iurent in eo ſenſu in quo admonens intẽdit. Quibus addi poteſt, non ſolùm pro rudibus hanc doctrinam ſuccurrere, ſed etiam pro aliis, quando ſubitò

ſubitò quis interrogatur, & debet protinus reſpondere: tunc enim vniuerſalis illa apprehenſio ſenſus poſſibilis ſatis erit; & in confuſo dicere: *Volo iurare eo modo, quo poſſum.*

96 Concludit illa *num.* 12. prædictam doctrinam ſuſtineri poſſe, licèt iuramentum exigens dicat velle ſe vt alter iuret omni remotâ æquiuocatione; tunc enim, ſi illicitè petit, poterit iuraturus dicere ſe in iuramento nullam adhibiturum æquiuocationem, immò & id iurare; intelligendo additum aliquid interiùs. E. g. nolle æquiuocare modo indebito, vel quid ſimile: ita vt cum tali addito aſſertio exterior vera reddatur. Quod quidem ſatis veroſimile eſt: & vt procedere ſine ſcrupulo poſſit, addendum id, quod nuper appoſitum, ſcilicet neceſſarium non eſſe vt in particulari aliquid interiùs concipiatur, ſed ſtatuat quis ſe iurare velle negando æquiuocationem eo modo, quo illam negare poteſt: & poteſt quidem intelligendo de conceptibus mentis, quibus verba reſpondent, in quibus eſſe æquiuocatio nequit, iuxta communem Dialecticorum doctrinam, ex Philoſophorum Principe deſumptam. Et quia hoc ſubtilius eſt, nec omnium captui accommodatum, id quod nuper diximus de æquiuocatione modo illicito faciliùs vſurpandum. Si hoc etiam addamus, inſtrui minùs capaces poſſe vt æquiuocationem ſub iuramento negent, referendo ſe ad peculiares modos, quos Confeſſarius ſcit, & eſſe licitos ipſi ſciunt, quibus Deus vt credamus iubet, vel vt iuuent ſub confusâ illâ ratione, & ſemper ſine animo mentiendi. Videatur etiam P. Hermannus Buſembaum in *Medulla Theologiæ moralis, Lib.* 3. *Tractat.* 2. *Cap.* 2. *Dub.* 4. vbi generalem regulam ex aliis tradit, poſſe ſcilicet iurari cum æquiuocatione quoties iuſta cauſſa eſt, & ipſa æquiuocatio licet: quia vbi eſt ius occultandi veritatem, & ſine mendacio occultatur, nulla irreuerentia fit iuramento. Itaque quoties licita eſt æquiuocatio, eſt etiam licitum iuramentum: eſt autem illa licita, quoties ratio pro ipſa vtilitatis interuenit, & generaliter non leuis conuenientia.

AD TITVLVM V.

Circa Caput III. num. 14.

Vbi de Officialium Regiorum negotiatione cum Regiâ pecuniâ.

97 QVæ ibi à Nobis dicta, firmat P. Gibalinus *Tomo* 1. *de Vſuris*, *Lib.* 2. *Cap.* 6. *Articul.* 6. *Conſectario* 1. Vt rarò ſit licita, ſed non contra iuſtitiam, & cum fructu induſtriæ. Videatur, eſt enim vir doctus, & non vulgariter eruditus.

Circa Caput XII. & num. 90.

Vbi de incertorum reſtitutione.

98 STante obligatione reſtituendi pauperibus, de quâ & *num.* 91. fieri eidem ſatis, ſi quis anteà illius immemor eleëmoſynas feciſſet, ex Bartholomæo à Sancto Fauſto, Candido, & Morono, habet Lezana *Tomo* 5. *in Mari-magno Minimorum*, *num.* 67. exemplo eius, qui donauit creditori. Non eſſe autem obligationem reſtitutionis habet ille cum multis, quos adducit in *Mari-magno Minorum, n.* 74. Quod & abſolutè tenet P. Tamburinus in *Decalogum, Lib.* 8. *Tractat.* 4. *Cap.* 1. §. 3. *num.* 33. Videndus etiam Paſqualigus *Deciſione* 455. Vbi cum Lezana circa modum reſtitutionis conuenit ex P. Thoma Sancio.

Circa Caput XX. & num. 152.

Vbi de Dominis Inquiſitoribus.

99 OPortere vt Sanctum Tribunal pecuniis abundet pro neceſſariis vſibus, & quòd non ſit attendendum ad præſentem tantummodò ſtatum, in quo indigentia non eſt, ſed ad futuros euentus, & ſic poſſe pecuniarias pœnas imponi, ex Auctoribus bonæ notæ oſtendit Diana *Parte* 10. *Tractat.* 8. *Reſolut.* 8.

Circa Caput XXVIII.

De duratione Bullæ Cruciatæ, attentâ publicatione, de quâ *num.* 203.

100 COmmunis quæſtio eſt quomodo ſit computandus annus durationis Bullæ, cùm contingere poſſit, vt aliquando poſt elapſum illum, & dies prætereà aliquos, atque etiam ante expletum publicetur. An ſcilicet ſolaris annus eſſe debeat, qui & naturalis; an Eccleſiaſtici adinſtar, qui à Paſchate in Paſcha computari ſolet, & ſic obligatio annuæ Confeſſionis à Doctoribus multis exponi: ita vt à publicatione in publicatione attendi debeat, ſiue breuior ſolari ſit, ſiue longiùs protrahatur. In quo eſt diuerſitas ſententiarum: quidam enim Eccleſiaſticum annum eſſe defendunt, vt P. Henriquez *Lib.* 7. *Cap.* 20. *num.* 2. qui in Gloſſa *Lit. O.* affirmat plures Salmanticenſes Doctores Theologos & Iuriſperitos ita cenſuiſſe, nonnullos referens. P. Eſcobar de Mendoza *Tomo* 1. *Moralis Theologiæ*, *Lib.* 7. *Sect.* 2. *Problem.* 3. P. Bardi *in Bullam Parte* 1. *Tractat.* 2. *Cap.* 6. *Sect.* 2. §. 1. Ludouicus à Cruce, Trullench, Antonius Gomez, Villalobos, Ioannes Sancius apud P. Mendum *Diſput.* 2. *num.* 5. Licèt horum aliqui id tantùm admittant quando computatio dicta fauorabilis eſt, quia ſcilicet ſupra annum ſolarem dies aliquot excurrunt, non verò cùm pauciores ſunt. Satis etiam probabilem ſententiam iſtam

cenſet

Digitized by Google

cenſet Diana abſolutè loquendo *part. 1. tr. 11. reſol. 91.* in eamque D. Solorz. videtur inclinare *Tom. 2. lib. 3. cap. 25. n. 24.* Oppoſitam autem cum Emmanuele Roderico, Ludouico Lopez, Vega, Baſilio Legionenſi, tenet P. Mendus *ſuprà*, & pro eadem Ioannes Sancius in ſelectis *Diſp. 55. n. 3.* ait poſſe citari Palacium, & P. Thomam Sancium, Lezana *Tomo 3. verb. Bulla Cruciatæ, n. 5.* & alij.

101 Et ſententia quidem iſta firmiori videtur fundamento conſiſtere: annus enim abſolutè dictus ſolarem deſignat, vt & aduerſantes fatentur, qui ſolùm ad conſuetudinē recurrunt Commiſſariorum ſcientiâ & aſſenſu comprobatam. Sed certè dum ſummi Pontifices annum abſolutè exigentis conſenſus non habetur, quidquid aliud prætereà adſit, ad neceſſariam non videtur ſufficiens firmitatem. Quis autem de conſenſu Pontificis certum poſſit teſtimonium reddere longiùs ab his regionibus, in quibus Bullæ eſt vſus, conſiſtentis? Immò nec Commiſſariorum, quibus circa ampliationem aut breuiationem anni, nihil ſcimus ſpeciale à Pontificibus attributum. Præterquàm quòd conſenſus talis non eſt exploratus, cùm eum multi negent, ſententiam ſcilicet de ſolari anno defendentes, qui minimè auderent ſe Commiſſariorum opponere voluntati. Vel ſi oppoſitionem non verentur, dum juxta veritatem ſe opinari iudicant, non eſt, vt dixi, ſolidum, quod ex conſenſu tali adducitur, firmamentum. Sciunt illi viroș doctos eam tenere ſententiam, quæ cùm fini conceſſionis Cruciatæ non videatur eſſe contraria, rem ita pergere ſinunt, vt & alia Pontifices, in quibus opinionum extant varietates.

102 Hoc ergo ſuppoſito, & vtriuſque ſententiæ probabilitate conceſſâ, circa Indias ſpecialis videtur eſſe difficultas, in quibus biennium à publicatione in publicationem indultum; cùm tamen contingat aliquando ante expletum biennium publicari. An ſcilicet etiam ſtante publicatione tali, duret quæ poſt publicationem antecedentem ſumpta eſt, vſque ad biennij expletionem. Quod quidem cùm per annum Bulla conceditur, affirmant Fr. Emmanuel, Vega, Lezana, & Ioannes Sancius, & vt valde probabile amplectitur Diana *ſuprà Reſol. 93.* quamuis annus non ſit ſolaris accipiendus: iuxta hanc enim computandi rationem tantùm (vt videtur) habere locum quæſtio poteſt: ſolarem namque debere eſſe ſtatuentes, conſequenter id dicere tenentur, quia in eo eſt conſtituta quæſtio: licèt reuerà quæſtio etiam eſſe poſſit, an ſtante ſententiâ de anno ſolari, id ità debeat intelligi, vt vltra illum non valeat Bulla; & nihilominùs ſi publicatio ante illum expletum fiat, eo ipſo expiret: quia videri alicui poteſt ſemper à publicatione annum inchoandum, iuxta tenorem Bullæ verbis illis: *Qui intra annum à die publicationis præſentium in ſingulis locis prædictis facienda inchoandum.* Quòd ſi ex accidenti aliquo ante expletum facta eſt, vt quia antecedens publicatio ſeriùs facta, & oporteat ad deſtinatum pro annis præcedentibus diem reuocari; id non ſuffragari, quemadmodum non ſuffragatur ſumenti Bullam poſt dies aliquot à publicatione, qui abſens à loco publicationis fuit, cùm id per accidens ſe habeat. Quod quidem dici etiam non improbabiliter poteſt, licèt pro eo deſiderentur Auctores. Iuxta priorem autem ſententiam loquendo, &c. vt veroſimiliori retentâ, circa biennium difficultas reſtat; quia pro eo videtur ratio eſſe diuerſa. Ex anno enim nihil detrahi poteſt, quia ſic à Pontifice conceſſum; ſecùs autem ex biennio; quia Bulla pro anno conceſſa eſt etiam reſpectu Indiarum, ad quas facta extenſio, vti ad partes acceſſorias Coronæ, de quo Dom. Solorzanus *ſuprà num. 15. & 16.* quem adducit D. Eſcalona *in Gazophylacio pag. 240. Lit. B. in margine.* Additio ergo videtur Regi voluntaria, & ita de illâ id detrahi poterit, quod eidem viſum fuerit: & eo detracto, obligatio eadem conſiſtere ad breuius ſpatium coarctata.

103 Nihilominùs ſatis apparet veroſimile oppoſitum, & ſimiliter eſſe ſicut de annuali publicatione philoſophandum. Et ratio eſt quia modus dictus publicationis auctoritate Gregorij XIII. ſtabilitus eſt, vt ex Breui conſtat *die 5. Septembris, Anni* 1578. de quo Dom. Solorzanus *num.* 31. & Dom. Eſcalona *Lit. D.* Vnde ſimilis omnino habenda ratio; quia contra Pontificiam diſpoſitionem iri nequit, neque in ſubſtantia, neque in modo. Nec dici poteſt fuiſſe priuilegium, & regulam generalem extare quòd priuilegiis vtimur, cùm volumus. Re ſiquidem vera ad Pontificiam voluntatem diſpoſitio eſt præfata referenda. Si enim Reges noſtri id facere poſſent, non eſſet cur ad Sedem Apoſtolicam recurſus haberetur: & res ipſa dilucidè oſtenditur. Nam cùm Bulla ita conceſſa ſit, vt ſingulis annis debeat fieri publicatio, ſicut ex eius tenore conſtat; manifeſtum relinquitur non potuiſſe ab eo, cui eſt talis gratia facta, & à quauis alia inferiore facultate decerni, vt vna Bulla per biennium deſeruiret. Licèt ergo priuilegijs vtamur cùm volumus; in modo tamen vtendi forma eſt in eiſdem præſcripta ſeruanda. Liceat ergo Regibus noſtris, vt hoc demus, Bullæ conceſſione non vti; ſi tamen vtendum illâ, modus eſt in conceſſione diſpoſitus pœnitus obſeruandus.

104 Quibus addendum de Regis voluntate non eſſe aliter præſumendum, cui voluntas eſt Commiſſarij conformis: nam ex praxi iuxta ſententiam dictam nihil minùs habet: qui enim Bullâ fuerit vſus vſque ad expletum biennium, non ideò aliam ſumere deſinet poſt prædictum terminum, quæ quidem vſque ad ſequentem publicationem vim tantùm habebit, cùm annus à publicatione debeat inchoari, juxta Pontificis declarationem, de quâ *num.* 116. Vnde Bulla poſt illam ſumenda certis debet terminis circumſcribi, aliàs nihil erit certum in decurſu ſequentium publicationum, cùm numquam in illis biennium compleatur. Quamquàm & erunt fortè qui ſentiant inchoandum biennium ab expleto alio, & finiendum poſt publicationem, ſicut de priore eſt dictum, ob ſimilem rationem; & tunc etiam Regem nihil minùs habiturum, quia ob ampliationem illam non deſinent Bullam fideles ſumere; & dummodo intra tempus publicationis colligatur pecunia, nihil refert quòd aliquantulùm collectio poſtponatur, cùm eadem tandem ſit futura & ſolent illi circa hoc liberaliores eſſe, vt nullum ex hac parte incommodum debeat Regia pietas ſuſpicari.

Digitized by Google

105 Et quia ob ingentem locorum diſtantiam accidere poteſt vt publicatio priùs fiat Limæ, quàm Argyropoli: dubitari poteſt an qui Limæ Bullam ſumpſit, & Argyropolim ſe transtulit, beneficio Bullæ gaudere poſſit vſque ad publicationem ſeriùs ibi aut alibi faciendam. Circa quod negant Ludouicus Lopez & Fr. Emmanuel apud P. Eſcobar, qui contrarium tenet cum Ioanne Sancio citata *Sect.* Problem. 2. qui *num.* 457. ſi concludit: *Hanc putarim eſſe Pontificis intentionem, ne ſine culpa, illorum dierum interſtitio, cogar tanto bono priuari.* Sic ille, addens ſtatim de peregrinis aliter ſentiendum, quod ex Ioanne Sancio delumptum. Sed quidem ſui immemor: nam *Sect.* 1. *Cap.* 3. contrarium ſtatuerat, ita ſcribens: *ſi in Metropoli recipiatur Bulla, & recipiens ſe conferat ad alia loca, in quibus eſt poſtrema publicatio; reſpectu recipientis Bullam computatio fiet à die publicationis in Metropoli, in quâ Bullam accepit.* Sic ille cum P. Henriquez, quem citat *Lib.* 2. *Cap.* 20. §. 2. ſed pro *Lib.* 2. reponendum eſt *Lib.* 7. vbi id non dicit, ſed ita loquitur: *Bulla Cruciatæ, quæ ad annum concedi ſolet*, non cenſetur reuocata vſque ad expletum annum: *nec paullò pòſt per hoc quòd noua Bulla promulgetur in Metropoli eiuſdem diœceſis; ſed in eodem oppido principali, in quo promulgari ſolet.* Hæc ille, diuerſo in caſu locutus: in noſtro autem cum Ioanne Sancio ſentit Trullench quantum ad ſententiæ illius probabilitatem, licet ipſe contrariam tueatur *Lib.* 1. §. 1. *Dub.* 10. *num.* 5. ſicut & P. Mendus, locutus etiam iuxta ſententiam de anno Eccleſiaſtico *Diſput.* 2. *citatâ num.* 17.

106 Et iure quidem optimo ſic dicendum, quia ampliatio talis nimis eſt quantùm exceſſiua, & debili fundamento ſubnixa, præſumptæ inquam voluntatis Pontificis, ne quis tanto bono ſine culpâ priuetur: quo argumento etiam dici poterit eum, qui longè diſtat à loco, vbi publicatur Bulla, neque accedere ad illum poteſt, ſine illius reali ſumptione, & ſolùm in voto, illâ frui poſſe. Certè qui ſic priuari dolet tanto bono poſt expletum biennium ſpatio, ſi longiùs abſit, ſumat illius biennij Bullam pro eo loco decurrentis ſatis enim exigua eſt eleëmoſyna, & ſtatibus omnibus accommodata, maioreſque ſolent homines impenſas facere pro rebus, quæ minoris incomparabiliter momenti ſunt.

Circa Appendicem. §. 4. *Difficultate* 3. num. 289.

Ubi de opinione probabili in materiâ Indulgentiarum.

107 IVuat hoc loco circa ea, quæ habet Diana *Parte* 8. *Tract.* 11. *Reſolut.* 34. nonnihil immorari. Tenet ille cum aliis, quos citat, quod & Nos, ſed pro contrariâ ſententiâ adducit Leandrum à SS. Sacramento, Martinum de S. Ioſeph, & Paulum Mariam Quarti. Sed Leander eam tantùm proponit vt æquè probabilem, ſicut videri poteſt *Tomo* 1. *Tract.* 5. *Diſputat.* 14. *Quæſt.* 164. Fundamenta illius ſunt. *Primò* quia cùm circa materiam & opera Iubilæi adſint diuerſæ Doctorum opiniones, quas volentes illud lucrari ſequuntur, vix eſſet qui Indulgentiam obtineret. Secundò, quia cum opinione probabili valide abſoluit Sacerdos à reſeruatis, iuriſdictionem tribuente Pontifice; ergo & vt Indulgentia Iubilæi obtineatur: ſic enim eſt de Apoſtolicæ Sedis benignitate credendum & argumentum à ſimili valde eſt vrgens, vt communiter Doctores tradunt, fauente Iure & Canonico & Ciuili. Verùm fundamenta iſta parùm vrgent. Ad *Primum* enim dici poteſt immeritò ex communi ſententiâ deduci vix futurum qui Indulgentiam obtineat, cùm conſtet communiter Fideles à Confeſſariis circa hoc dirigi, vel, ſi docti ſint, aut etiam indocti, tenori conceſſionis adhærere, & rariùs opinionibus illis vti, ex quibus dubia redditur conſecutio Anno 1300. quo Bonifacius VIII. Iubilæum Anni ſancti conceſſit, reuelatum eſt à Virgine Deiparâ deuoto ſibi Clerico omnes Indulgentiam conſecutos & viuos, & defunctos; pro quibus potuit applicari. Sic ex Iacobo Gardino habet P. Balinghem *in Kalendario Virginis die* 11. *Octobris num.* 3.

108 Ad *Secundum*, non benè ex opinionibus circa iuriſdictionem argui: ibi enim de æternâ ſalute agitur, & duriſſimum eſſet damnari aliquem ob non obtentam abſolutionem, qui opinionem eſt ſecutus probabilem, & iuxta doctorum in Eccleſia Magiſtrorum, quos Chriſtus iubet audiri, confidenter eſt & prudenter operatus. Quod in materiâ Indulgentiarum aliter conſtat accidere, quæ ad ſalutem neceſſariæ non ſunt. Et quemadmodum ex eo quòd in Pœnitentiæ id Sacramento contingat, quod diximus, non licet illud ad alia extendere Sacramenta, de benignitate Chriſti ſic eſſe credibile pronuntiando; ita neque in caſu, de quo agimus. Vnde quod additur de argumento à ſimili, nullius eſt roboris, quia reuerà ſimilitudo non intercedit, vt vidimus. Vel ſi quidquam probat, in aliis erit validum Sacramentis, quod citati Auctores neutiquam admittendum iudicabunt. Pro communi ſententiâ ſtat poſt alios P. Buſembaum in *Medulla Theologiæ Moralis Lib.* 6. *Tract.* 4. *Cap.* 1. *Dub.* 4. *Artic.* 2. *num.* 13. adducens Bonacinam, Patres Suarium & Thomam Sancium. Quidquid in contrarium teneat Verricelli *Tomo* 1. *Tract.* 8. *Quæſt.* 41.

Circa Eadem num. 306. & ſeqq.

Ubi de priuilegio ad celebrandum in cameris Religioſorum.

109 DE illo egerat etiam Diana *Parte* 6. *Tract.* 8. *Reſ.* 39. vbi & Auctores adduxerat circa poteſtatem Epiſcoporum ad prohibendam celebrationem, & quoſdam qui negent, qui de priuilegio ſpeciali dictorum Canonicorum non locuti, pro quo non eſt difficultas. Illud occurrit addendum, Prouincialem, qui virtute priuilegij dicti in camerâ ſuâ, nondum poſt morbum reparatis viribus, celebrabat, iuſſum à Viſitatore ab huiuſmodi celebratione deſiſtere, viris doctis conſultis, & tenore priuilegij diſpecto. De quo à me breuiter dictum,

Digitized by Google

ctum, ſed quod ſatis eſſe videbatur. Viſus poſteà P. Verricelli, qui *Tractatu de Miſſionibus, Quæſt.* 135. *num.* 10. affirmat poſſe infirmum ipſum celebrare, etiamſi infirmitas non ſit adeò grauis; ſi tamen non inde poſſit exire. Sed ego quod ſcripſi, ſcripſi: & fortè citatus Auctor tenorem priuilegij non attendit, ſed de eo, vt ab alijs ſummatim allegatur, eſt locutus. Benè autem cum Diana, & Lezana improbat Paſqualigum, id extendentem ad Religioſos in ſæcularium domibus ægrotantes, quod & à Nobis præſtitum.

Circa vſum Bullæ quoad reſeruata in Religioſis, de quo num. 314. & ſeqq.

110 Videndus etiam pro eo Diana *Parte* 8. *Tractat.* 7. *Reſolut.* 78. vbi alios negantes licere vſum adducit, & abſurdam Euſebij de Herrera ſententiam, tum circa prædicta, tum circa abſolutionem extra monaſterium exiſtentium, apertè conuellit. Quod & generaliter tenet Lezana *Tom.* 1. *Cap.* 19. *num.* 29. *Tomo* 3. *verb. Bullæ Cruciatæ, num.* 29. & *Tomo* 4. *verb. Opinio, num.* 10. vbi improbabilitatem à Nobis aſſertam ſtatuit. Et Leander *Tomo* 1. *Tractat.* 5. *Diſput.* 12. *Quæſt.* 58. teſtatur ſe idem firmiſſimè aſſerturum, niſi Regia ſupplicatio, de quâ eſt dictum, obſtaret. Sed certè cùm occulta illa ſit, & vnius non oculati teſtis teſtimonio Auctori præfato nota, quando oportebat eſſe notiſſimam, vt ij, ad quos Pontificium Decretum ſpectat, ſcirent vti ſe Bullâ poſſe, eo non obſtante: quibus etiam fauorabilis debuiſſet intimari reſponſio, qualiſcumque illa fuiſſet; quorum extat nihil: ex eo equidem nihil habetur, quod ab aſſertione dictâ debuerit Auctorem iſtum dimouere. Qui ſi teſti prædicto adeò credit, quomodo ſententiam contrariam certiſſimam ferè pronuntiat verſ. *Sed certiſſimè*? Non equidem videntur poſſe facilè iſta componi. Videatur idem *Quæſt.* 61. & quæ de vnico teſte habet *Parte* 4. *Tractat.* 2. *Diſput.* 15. *Quæſt.* 53. Circa quod & alia addi poſſent, à quibus abſtineo: adducta ſiquidem videntur negotium planè & plenè conficere: & quibus illa non ſufficiunt, neque ampliora, ſic in ſuo obfirmatis ſenſu crediderim ſuffectura. Orandus Deus vt mittat lucem ſuam & veritatem ſuam, dum noſtra ſufficit.

Circa reſeruata pro Nouitijs, de quibus, num. 330. & ſeqq.

111 PRo Societatis Nouitijs extat Decretum R.P. Gener. Claudij Aquauiua pro Siculâ Prouinciâ, cum aliis apud P. Bardi *in Selectis Lib.* 6. *Quæſt.* 21. *in fine*, vt non liceat contrarium defendere aut conſulere eius, de quo *num.* 331. Pro quo & generaliter ſtat Lezana T*omo* 1. *Cap.* 24. *n.* 7. & pro eodem facit quod adducit Diana *Parte* 6. *tract.* 8. *Reſol.* 30. *de Tertiarijs*, quæ Religioſæ non ſunt, ex R.P. Theodoro Stracio Generali PP. Carmelitarum firmante poteſtatem reſeruationis, quia ſunt à iuriſdictione Ordinariorum exemptæ, vnde plenè ſubſunt Prælatorum iuriſdictioni, & ita poſſunt per reſeruationem earum conſcientias moderari. Sic apud Leandrum alij *Quæſt.* 64.

Indulgentiæ ſtationum an plenariæ, de quo num. 287. & ſeqq.

112 NEgat Lezana T*omo* 1. *verb. Indulgentia, num.* 21. etiam pro defunctis, ob ſtylum Curiæ, & regulas Cancellariæ, licèt oppoſitum cenſeat probabile: & quidem licet in prædictis variatio ſit nouorum voluntate Pontificum; quoad Indulgentias tamen ne illæ vileſcant, & pœnitentiarum cura deficiat, variatio eſt nulla, niſi fortè vt reducantur ad terminos arctiores.

AD TITVLVM VI.

Circa Caput I.

Vbi de iuramento Prætorum, pro quo vide *num.* 109. & 110.

113 QVia Prætores iurant ſe non exercituros contractus, etiam aliàs licitos, ſic illud mente concipient, vt contractus ex ſe licitos non ſint modis illicitis inituri. Quòd ſi lex fortè ſub terminis vrgentioribus feratur de iuramento circa contractus nulllo modo exercendos, ad huiuſmodi æquiuocationes excludendas, & meliùs bono Indorum conſulendum: erit qui illam obſeruet nullus, & ita morum ſuberit offendiculum conſcientiarum, ſeu petra ſcandali, & ſic à Regum noſtrorum valde alienum pietate. Tunc ergo ſuus etiam erit locus æquiuocationi iuxta dicta *citatis locis*; & Reges Iuſtiſſimi, ac Piiſſimi ſatis eſſe contenti poterunt, ſi Prætores contractus ſine violatione iuſtitiæ & charitatis peragant, circa id iuramento, quod præſtiterint, adimpleto. Vide ſtatim dicenda.

AD TITVLVM VII.

Circa Caput IV. n. 15.

Vbi de intentione jurantis, & an juxta illam obligatio regulanda, quándo lex aliud jubet.

114 IVxta intentionem iurantis regulandam obligationem, dictum à Nobis, licèt in foro externo proprietatem verborum in communi acceptione iudicandum ſit, vt iuxta communem ſententiam proponit P. Azor T*omo* 1. *Lib.* 11. *Cap.* 8. *Quæſt.* 1. & quia contingere poteſt Commendatarium iurare reipſâ velle, ſed non ſe obligare, obligationem ex eo non conſurgere, cuius tranſgreſſio ſacrilegium ſit, benè idem explicat iuxta aliorum doctrinam ſatis probabilem *Cap.* 4. *Quæſt.* 2. quod & ſecuti alij. Et hoc in iſtis, ſicut in aliis iurantibus, debet obſeruari, inquirendo, dum conſulunt pro conſcientiâ componendâ, an obligare ſe voluerint, an ſecus. Si enim hoc ſecundum dicant, etiamſi de excluſâ volun-

Digitized by Google

voluntate iurandi non meminerint, & reuerà illa fuerit non ſunt vt rei violati iuramenti damnandi, neque ex vi illius, ad eius, quod eſt iuratum, executionem vrgendi.

115 Sed quid ſi ſe iuraſſe meminerint, de obligatione tamen intentâ ſubdubitent? Verius quidem eſt obligatos remanere, quia communiter loquendo obligatio eſt annexa voluntati iurandi. Quòd ſi talis non fuiſſet, aliquam profectò ſpeciem ſingularis illa exceptio reliquiſſet. Nihilominùs probabile exiſtimo oppoſitum, quia in his, de quibus loquimur, & ſimilibus (vt Prætores, de quibus nuper) loquendo regulariter diſpoſitio animi talis eſt, vt ſe quàm minimùm poſſint, velint obligare, quia grauis cenſetur, & moleſta nimis obligatio. Et ita licet adeò expreſſa excluſio obligationis in memoriam non reſideat, veroſimiliter tamen poteſt coniectari. Pro quo ex bonis ſcriptoribus, bona item, & valde bona fundamenta ſuccurrunt apud Citatum *Capite illo* 4. *Quæſt.* 3. Licèt ipſe contrariam ſententiam tueatur. In caſu tamen noſtro ſpeciales circumſtantiæ cùm ſint, veroſimile eſt non refragaturum, ſicut & alios, quorum eſt ſententiam amplexus.

AD TITVLVM VIII.

Circa Caput Tertium. & num. 13. 14. & 15.

Vbi de circumſtantia ſcandali in Gubernatore.

116 NOn eſſe talem præcisè ratione officij, vt explicari debeat in Confeſſione, tenet P. Tamburinus *Opuſculo* 1. quod eſt de Confeſſione, *Lib.* 2. *Cap.* 8. §. 1. *num.* 2. ex Cardinali Lugo *Diſput.* 16. *de Pœnitentiâ, num.* 180, Quidquid autem illi velint, ſtat noſtræ reſolutionis integritas, quæ, vt reor, Diuini Tribunalis, malis iudicibus inſenſiſſimi, auctoritate fulcitur.

Ibidem Circa n. 18. & ſequentes.

Vbi de exponentibus menſas ad ludum.

117 PRobabile eſſe non peccare mortaliter illos, iuxta aliorum ſententiam tenet Machadus *Tomo* 1. *Lib.* 3. *Parte* 5. *Tractat.* 7. *Documento.* 5. *num.* 7. videndus etiam Diana *Parte* 7. *tractat.* 7. *Reſolut.* 39. Sed numquid ſibi conſonans, ipſe viderit, & alij iudicent.

Circa Caput V. n. 31.

Vbi de iuſto ſtipendio famuli ex neceſſitatè pro exiguo ſeruientis.

118 IVſtum deberi docet Cardinalis Lugo *Diſput.* 16. *de Iuſtitiâ*, *num.* 52. & eum ſecutus P. Tamburinus *Opuſculo de Sacrificio Miſſæ, Lib.* 2. *Cap.* 1. § 3. *num.* 59. *& ſeqq.* Et ita poſſe vti compenſatione. Addit autem hic Auctor id intelligi quando famulorum copia nô eſt; ſi enim ſit, & eo non ſeruiente, alij ſupperent, ſecus eſt dicendum. Cùm tamen Cardinalis Lugo aliter ſentiat: quia eo ipſo quòd conducat famulum, vult cum eo inire contractum, & ita ad iuſtitiam in eo ſeruandam obligatur, iuxta id, quod contractus ipſe ſecundùm ſe importet, vt ſcilicet operæ proportionata merces tribuatur. Iuxta hoc ergo, etiamſi futuri alij ſint, quia tamen omnes neceſſitas ad vile operarum ſuarum pretium impellit, ex tali copiâ non impeditur obligatio. Pro quo & ſtat Nauarrus *Lib.* 3. *Conſiliorum*, *Titulo* 18. *Conſilio* 2. *præſertim num.* 5. in priori editione. Sed certè cùm vltronea quaſi merces eſſe poſſit, vt in propoſito ponderant Doctores, quibuſcum loquitur Angelus Boſſius *Parte* 1. *num.* 1919. ex eo vilius venit æſtimanda, iuſto tamen pretio, circumſtantiâ vltroneitatis, & copiâ famulorum inſpectâ, & expenſâ, ſicut & vtilitate ex ſeruitio reſultante. Equidem ſi indigenti famuli opera, & communi aliàs mercede conducturo, ſe aliquis offerat non rogatus, aut de voluntate ſeruiendi requiſitus, non videtur aliquâ mercedis portione fraudandus, vel certè minima, ſtante ſeruitij qualitate non minori quàm eſſet aliorum, qui ad ſeruiendum poſſent inuitari. Et pro famulis videri poteſt P. Gibalinus *Tomo* 1. *de vſuris*, *Cap.* 8. *Articul.* 3. *à num.* 26. vbi pro illis multa. Illud ad rem, ex neceſſitate ſeruienti ob exiguum ſtipendium, maius deberi, niſi ex miſericordiâ ſit receptus: ſi tamen vtile miniſterium ſit, aliquid addendum. Sic ille *Lib.* 3.

AD TITVLVM IX.

Circa Caput. III.

Vbi de contractu argentearum pinnarum.

119 P. Bardi in *ſelectis Lib.* 1. *Quæſt.* 3. §. 8. tenet emi poſſe frumentum à non habente ſegetes, anticipatâ ſolutione, ſi tamen poſſit habere illud commodè, & ſub tali ſpe, ita vt reuerà contractus ex parte vtriuſque ad frumentum tendat. Pro quo alios adducit, concludens tamen iuxta vſum hodiernum eſſe periculoſum, & vſuram palliatam. Quod quidem poteſt contractui pinnarum applicari. Idem tenet P. Tamburinus *in Decalogum*, *Lib.* 8. *tractat.* 3. *Cap.* 7. §. 6. *num.* 21. videri etiam poteſt Diana *Parte* 3. *tractat.* 8, *Reſolut.* 16. & P. Fagundez *Lib.* 3. *de Contractibus*, *Cap.* 34. *num.* 9.

Ibidem circa num. 16.

Vbi de lucro ob priuationem pecuniæ, pro quo & *num.* 124.

120 AGit de illo Diana *Parte* 8. *tractatu* 7. *Reſolut.* 63. & cum Cardinali Lugo, ac Patribus Gaſpare Hurtado, ac Dicaſtillo, ſententiam Medinæ, Ledeſmæ & Caramue-

Caramuelis, eius ſuppreſſo nomine, cenſurâ dignam exiſtimat. Sed certè Medinâ non videntur illi legiſſe, cuius ſententiam iam dedimus vti ab ipſo expreſſam, quæ & ſine cenſura reiicitur à P. Tamburino *ſuprà Cap.* 8. §. 6. quia moleſtia ex priuatione vix eſt æſtimabilis. Neque Caramuel, qui illius ſe tueri auctoritate contendit, in eo locutus ſenſu, vnde aliter de illius, & aliorum, ſi qui ſunt, placitis ſentiendum.

Circa Caput IX.

Ubi de lucro ceſſante, & pretio rerum, quæ venduntur ad creditum.

121 IN mutuo, ob lucrum ceſſans poſſe aliquid accipi, tenet cum communi P. Tamburinus *Cap.* 8. *citato* §. 3. *num.* 11. addens id fieri poſſe etiam quando aliquis non habet pecuniam deſtinatam, niſi pro caſu, quo non ſint mutuum cum lucro petituri. Sentiens item cum communi P. Gibalinus *Tomo* 1. *de Vſuris Lib* 2. *Cap.* 5. *Artic.* 6. *& ſeqq.* vbi & de damno emergente, ſubdit *Artic.* 9. *Conſectario* 8. licere, etiamſi nullus in particulari petiturus videatur; ſed in communi pro eo pecuniam deſtinare. Ob periculum idem tradit vterque. Ille. §. 4. *hic Cap.* 4. *Artic.* 1. qui & *Secundo* ait poſſe in ſe quempiam aſſecurationem aſſumere cum præmio: quod & prior dixerat, cùm ſponte id fit. *num.* 4. qui & §. 3. *num.* 9. aſſerit ex mora ſolutionis non oriri obligationem in conſcientia, ſecus de conſuetudine Mercatorum, aut ſi admonitio interueniat. Quod & tenet P. Gibalinus *num.* 32. ſi non aliter fuerit pactum; de quo & *Cap.* 6. *Art.* 2. *num.* 2. & niſi ſit mora culpabilis.

122 Eſt etiam pro eodem id quod habet Verricelli *Tractatu de Miſsionibus Quæſt.* 106. vbi refert in regno Sinarum lege ſtabilitum eſſe vt in mutuo triginta pro centum accipiantur abſque reſpectu lucri ceſſantis, aut damni emergentis. Quæſitumque à Sacrâ Congregatione Cardinalium ſub Innocentio X. quid circa hoc agendum miniſtris Euangelicis: qui addebant in recuperandâ pecuniâ aliquod eſſe periculum ob fugam debitoris, aut moram, vt neceſſarium aliquando ſit coram iudice poſtulare. Et cenſuerunt, approbante Pontifice cum Decretis aliis, de quibus ibi, ratione mutui immediatè & præcisè nihil eſſe accipiendum vltra ſortem principalem: ſi verò aliquid accipiatur ratione periculi probabiliter imminentis, prout in caſu, non eſſe inquietandos; dummodò habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis ejuſdem; ac ſeruatâ proportione inter periculum, & id, quod accipitur. Quæ omnino conſonant iis, quæ ſunt à Nobis ſtabilita.

123 Quæſitum etiam de Vſurariis, quæ domos publicas habent, & à Magiſtratibus, vt eas non deſerant, compelluntur. Et reſponſum generaliter vſurario in ſtatu permanentes non eſſe baptizandos. Quod ſi compellantur, poſſe aliquid vltra ſortem accipere, etiam recepto pignore, ratione oneris, quod ſubire coguntur, & curæ in cuſtodiâ pignorum, lucri quoque ceſſantis, & damni emergentis. Tempore verò præſtituto, ſi ex venditione pignorum aliquid ſuperſit ſorti principali, & lucro ex cauſſis prædictis iuſtè acquiſito, domino pignoris eſſe reſtituendum.

124 Eſt item circa vſurariorum hæredes propoſita quæſtio, & reſponſum fuit illos ad reſtitutionem teneri, à doctis, piis, & prudentibus viris dirigendam, iuxta regulas à Doctoribus traditas. Ex quibus habemus doctrinam de lucro ceſſante, damno emergente, ac periculo à Nobis traditam, iam eſſe quaſi canonizatam, vt non liceat circa illam hæſitare: quòd ſcilicet ſaltem vt probabilis poſſit ſuſtineri. Et cum conſcientiæ ſecuritate ad praxim aduocari: licet plus aliquid ex Pontificiâ auctoritate poſſit non immeritò colligi, de quo alij iudicabunt.

De venditione ad creditum.

125 QVæ ſolent frequentiùs vendi pecuniâ creditâ, quàm numeratâ, poſſe maiori pretio vendi, cum aliis, quos refert, probat Diana *Parte* 10. *Tract.* 12. *Reſolut.* 28. de quo & dixerat *Parte* 1. *Tract.* 8. *Reſolut.* 21. & Nos etiam *Titulo* 5. *num.* 28. Suam autem & communem doctrinam propugnat contra Rocafull, qui *Lib.* 3. *in Decalogum, Precepto* 7. *Cap.* 3 *num.* 81. eam falſam compellarat. Et tam hoc loco, quàm aliis, egrè fert ille ſententias probabiles falſas appellari; ac ſi, cùm falſitatis inſimulantur, aliqua illis iniuri nota videatur. Sed certè cùm eam opinionem, quam quis amplectitur, veram cenſeat, conſequens eſt vt oppoſitam debeat, licet cum formidine, falſam reputare: verum enim falſò eſt immediatè contrarium. Non ergo exceſſus moleſtiæ videtur eſſe contrarius, quando id, quod ita eſt conſequens, affirmatur, & ſic quidem videtur dicendum, cùm apud Scriptores modus dicendi præfatus occurrit circa opiniones communiter receptas, ſi præſertim grauium Auctorum ſint, vt in caſu, de quo agimus. Vt apud Cardinalem Lugo *Diſput.* 19. *de Iuſtitia, num.* 26. P. Molinam *Tomo* 4. *Tract.* 3. *Diſputat.* 69. *num.* 6. & alios ſatis modeſtos Scriptores, inter quos eminet Couarruuias; qui tamen videndus in *Cap. Quamuis pactum*, de pactis *in* 6. 2. *p.* §. 3. *numer.* 4. Nihilominùs ab eo videtur abſtinendum, quando opiniones tales ſunt, & earum Auctores reuerentiùs pertractandi. Quod quidem ex eo oſtendi poteſt quia Pontifices, dum propoſitiones aliquas grauibus dignas cenſuris ſuâ auctoritate traducunt, inter cenſuras alias notam falſitatis accumulant. Sic Clemens VIII. in Decreto circa abſolutionem abſentis, ſententiam affirmantem vocat falſam, temerariam, & ſcandaloſam, vt videri poteſt apud P. Suarium *Diſp.* 19. *de Pœnitentia, Sect.* 3. *num.* 13. & Innocentius X. damnans propoſitiones Cornelij Janſenij Iprenſis Epiſcopi circa quartam ſic habet: *Quartam Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare, falſam & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.* Sic ille. Cuius Conſtitutionem confirmat & declarat SS Dom. Alexander VII. vt conſtat ex Litteris eiuſdem *die* 16. *Octobris,*

Digitized by Google

bris. Anni. 1657. Pontificatus Secundi, qui vtinam plures numeret magno totius Eccleſiæ bono decurſurus.

126 Omitto alia, quia pro inſtituto hæc ſatis, ſi illud tantùm addiderim, Auctorem aliquem deceptum fuiſſe aſſerere, non videri à modeſtia Scriptoribus ſeruandâ penitus alienum: ſic enim P. Suarius, præclarum modeſtiæ totius exemplar, *Tomo* 2. *de Religione* T*ract.* 4. *Lib.* 1. *Cap.* 15. *num.* 4. valde deceptum ait Ioannem Medinam circa rem, de quâ ibi ſermo. Sed verò, cùm de magnis Auctoribus agitur, eo vti loquendi modo, ſine irreuerentia non ſtat, vt ſi de Suario ipſo aliquis ita loqueretur, & multò magis de Diuis Thoma, Bonauentura, & ſimilibus. Iam ad rem.

127 Ratio vt vendi ad creditum dicto modo queat, à Præfato Auctore cum aliis redditur, quia de præſenti eſt paucitas emptorum, vnde minùs valent merces, cùm tamen ad creditum plures ſint: vnde intrat communis regula circa contractum hujuſmodi, vt multitudo emptorum augeat pretium, raritas minuat. Quod ſpecialiter aſſerit Auctor dictus cum P. Dicaſtillo, quando merces mari aſportatæ in magna quantitate venduntur, de quo à Nobis dictum *hoc Titulo num.* 103. *&* 104. vbi de Memoriis, quas vocant, & alium titulum præter lucri ceſſantis quærendum ibidem oſtendimus, eſt autem hic ſatis veroſimilis. Quamquàm & dici poſſit ſufficere ſic eſſe vſu fori conſtitutum à timoratæ conſcientiæ Mercatoribus, (ſunt enim huius generis plures, qui venales non habent animas) re penitus exploratâ.

Ibidem circa num. 109.

Ubi de contractu ad damnum, triplicem continente.

128 DEfendit illum P. Gibalinus *Tomo* 1. *de vſuris toto Libro* 6. vbi Lezanam, P. Raynaudũ, Badellum, & alios adducit ac commuem pro eo ſtare Theologorum Romanorum ſenſum oſtendit. Auctor idem, ob promiſſionem non repetendi mutuũ negat quidquam accipi poſſe. Et cenſet contrarium eſſe improbabile *Lib.* 1. *Cap.* 8. etiam ſpeculatiuè *n.* 53. ſed P. Tamburinus *Cap.* 8. *citato* §. 5. probabilitatem firmat rationibus, & ſolutione argumentorum: licet abſolutè ſententiam neque amplectatur, nec reſpuat, pro quo *num.* 7. & quinque pro centum in anno ex eo titulo accipi poſſe, cum Caramuele ſtatuit. Hoc circa *Citatum Caput* 9. *num.* 128. *& ſeqq.*

Circa Caput XII.

De locatione animalium an licita Clericis & Religioſis, de quo *num.* 152. *&* 177.

129 SEntentiam P. Molinæ, & Cardinalis Lugo adducit Diana *Parte* 8. *Tract.* 7. *Reſolut.* 62. & iſti potius videtur adhærere. Neque obſtat Declaratio Cardinalium apud eumdem, cùm ex ea habeatur locari poſſe boues, quos pro ſuis colendis agris habent, dum vacant: nec ſolùm illos, ſed eos etiam, *qui alio modo licito retinentur.* Modus enim licitus eſt, ſi empti ſint, etiamſi pro emolumento locationis, vt benè arguit Cardinalis.

Circa §. 7. *eiuſdem Capitis.*

Ubi an Eccleſiaſtici in domo propria aut Monaſterio poſſint vendere vinum ex ſuis prædiis.

130 COntra Patres Laymam & Rebellum id negantes ob tabernę indecentiam, affirmat Diana *Parte* 8. *Tract.* 7. *Reſolut.* 26. cum Renato à Valle conſuetudinem eſſe in contrarium, & iuxta id, quod dictum *num.* 174. de venditione eorum, quæ empta ſunt in vſum proprium, videndus Idem *Reſolut.* 27. vbi cum eodem docet poſſe vendi cariori pretio, ſi tale tunc occurrat, dummodo ad vendendum non ſint empta. Quod intelligendum de directâ intentione, nam ex eo nihil eſt damnabile, ſi emantur ad vſum proprium, ſed tali animo, vt ſi quidquam ſuperfluat, pretio currenti vendatur. Immò addo, etiamſi non ſuperfluat, poſſe cariori pretio vendi, vt illud commodum habeatur, ſi ſperatur futurum opportuno tempore quod neceſſarium eſt, & commodiori pretio comparandum: poteſt enim dici in præſenti ſuperfluere, quidquid de futuro ſit. De Pharmacopoliis idem tenet Lezana *Tomo* 1. *Cap.* 9. *n.* 39. addens tamen id per ſæculares peragendum, ne medicamenta corrumpantur. Verùm ſi per Fratrem laicum id fiat, vix eſt indecentiæ aliqualis exceſſus, niſi officinæ porta in propatulo ſit, quo pacto & ſumptus cum ſæculari faciendi euitantur, & ſecuritas magni æſtimanda habetur, cùm rari inueniantur ſæculares, quibus pecunia ſine teſtibus colligenda poſſit ſecurè committi.

Circa §. 8.

Ubi de contractu Æthiopicorum mancipiorum.

131 AGit de illis Verricelli Tractatu de Miſſionibus *Quæſt.* 107. per plures Sectiones: pro ipſis militans, præſertim circa ordinariam contractationem *Sect.* 8. quatuor ſequentibus, & 16. vix reſpiraculum relinquens, quo poſſit aut vendens, aut emens, ſiue poſt vnam, ſiue poſt plures venditiones, ſecurus in conſcientia remanere. Id tantùm eſſe alleuiationi pluribus poteſt quod habet *num.* 92. vbi cum P. Salas 1. 2. *Tomo* 2. T*ract.* 8. *Diſput. Vnica Sect.* 23. *num.* 236. & aliis, de quibus *num.* 88. affirmat, ſcilicet non teneri ad reſtitutionem eum, qui acquiſiuit ab alio bonæ fidei poſſeſſore. Communiter enim ſic accidit quando mancipia poſt iteratas venditiones emuntur. Quod intelligitur etiam ſi dubium aliquod ſuperueniat; addit enim ſic: *Verùm non improbabiliter inquit Rebellius*

Parte 1.

Parte 1. *Lib.* 1. *Quæſt.* 10. *Sect.* 2. *num.* 12. *faciendam eſſe reſtitutionem proportione dubij, paciſcendo vt poſt tot annorum ſeruitutem ſit liber.* Sic ille, qui neque in hoc ſecuritatem voluit omnimodam indulgere.

AD TITVLVM. X.

Circa Caput II.

Ubi de obligatione Ordinationum pro Minerariis.

132 QVòd illæ in conſcientiâ non obligent, de quibus ibi, colligitur ex communi doctrina, pro qua Auctores adducit Bonacina *Tomo* 2. *Diſput.* 1. *Quæſt.* 1. *Puncto* 7. *num.* 2. obligationem ſcilicet non eſſe, cùm populus legem vt obligatoriam non accipit, & de voluntate poteſt Principis ita præſumi. Id quod ſpecialiter habet locum, cùm ij, quibus leges imponuntur: parùm de hujuſmodi obligationibus curaturos poteſt veroſimiliter æſtimari. Tales autem eſſe Minerarios quis, eoſdem qui nouit, ignorat? Quòd ſi qui ſint circa conſcientiæ negotium attenti, & de Ordinationibus hæſitent, eos de obligationis qualitate inſtrui à Confeſſariis expediet, quia res eſt valde lubrica, & grauium lapſuum pericula præſtat anteuerti. Tales autem leges, quæ conſultoriæ dicuntur, propriè eſſe tales, etſi non adeò propriè ac aliàs, affirmat Nauarrus in Commentario *Cap. Fraternitas* 12. *quæſt.* 2. ad calcem Conſiliorum *num.* 7.

Alia pro Indorum coactione, quæ ad Tituli Primi Caput 12. *etiam pertinent.*

133 COntra illam effusè declamat Verricelli *Tractatu citato de Miſſionibus, Titulo* 5. *Quæſt.* 108. vbi ea congerit quæ Dom. Solorzanus plenâ contulerat manu *Tomo* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 14. 15. *&* 16. nonnullis adiectis de Mineris Hiſpaniæ, ac de multis Indorum millionibus hujuſmodi vexatione peremptis. Quod nequaquàm eſt veritati conforme, licet de hoc odioſæ quorumdam prodierint narrationes. Quòd imminuti alicubi tantoperè Indi, aliam profectò cauſſam habuit, cùm ita in iis Prouinciis, in quibus Minerarum effoſſio nulla, accidiſſe videamus. In Noua Hiſpania *Anno* 1545. ſpatio ſex menſium innumeros peſtis abſumpſit, vt ſcribit Fr. Ioannes de Torquemada in *Monarchiâ Indianâ. Parte* 1. *Lib.* 5. *Cap.* 13. *Arruynò y deſpoblo la maior parte de la tierra, de donde comenzaron à ir en gran diminucion y ruyna todos eſtos Reynos.* Quæ ſunt illius verba. Et *Ann.* 1576. immanior alia ſuperueniens ſtragem majorem edidit, de qua Scriptor idem *Cap.* 22. *Durò por tiempo demas de vn año, y fue tan grande, que arruynò y deſtruyò caſi toda la tierra, y aun caſi quedaron deſpoblados las Indias, que llamamos Nueua-Eſpaña.* Additque ſic: *Fue tanta la gente que muriò aquel año, que para creer deſpues de la mortaldad que era eſta tierra la miſma que Don Fernando Cortes, y ſus Compañeros conquiſtaron, fue neceſſario que lo ateſtiguaran los muchos que poco deſpues del vinierō, que vieron lo vno y lo otro.* Sic ille. Fuerunt etiam & alibi clades ſimiles, quas & frequenter experimur, vt earum quauis multò moriantur plures diebus ſingulis, quàm per annos multos. Minerarum labore frequentato. Quid circa illam ſententiam ex *citato Capite* conſtat: ſed oportet ab immoderantia exaggerationum Religioſos præſertim homines temperare. Michael ab Agia id defendit, quod diximus *ibidem*, qui & pelinodiam recantauit, nec è Societate Iesu fuit, vt P. Verricelli affirmat, *num.* 9. ſed Franciſcanus abſque controuerſia, vt diximus. *num.* 110. *citati Tituli* 1.

134 *Quæſt.* 109. de fodinis agit peſte, venenatiſque animalibus infectis: de quibus & Dom. Solorzanus *ſuprà Cap.* 17. & locus eſt aptus ad eruditionis oſtentationem, ſed inutilis ſanè quantùm ad morale negotium attinet: nullæ enim tales Inueniuntur fodinæ, in quibus certum periculum ſubſit ex dictis cauſſis, ſicut neque ex infeſtatione Dæmonum, de quo Idem *Quæſt.* 110. cum Dom. Solorzano *in eodem Capite.* Neque, ſi tale quidquam acciderit, Gubernatorum pietas grauari miſellos iſtos inhumano ingreſſu hujuſmodi patietur. Curatur equidem diligenter ab ipſis vt dum compulſio iſta perdurat, humanè & commodè compulſi pertractentur. Si quidpiam minùs pium aut humanum interueniat, iuxta humanæ id prouidentiæ infirmitatem eueniet, quæ non poteſt omnia cum effectus certitudine præcauere.

AD TITVLVM XI.

Circa Caput I.

De Protectoribus.

135 DVbitari de illis poteſt an teneantur xenodochia Indorum viſitare, vt videant an commodè illis prouideatur. De quo ego non dubito generaliter loquendo, vt ratio videtur aperta demonſtrare: tunc enim maximè indigent, non ſolùm quoad corporis, ſed etiam quoad animæ ſalutem. Vnde non ſine ſcandalo ſtare ſolet, ſi Protectores domos huiuſmodi numquam deprehendantur viſitare, ac ſi ad eos minimè videantur pertinere. Et quidem cùm Chriſtus in iudicio exprobraturus ſit duris erga infirmos corde verbis illis: *Infirmus eram, & non viſitatis me. Matth.* 25. Qualem ſe erga eos exhibiturum putamus, qui Protectorum fungentes officio commiſſos ſibi pauperculos detrectant penitus viſitare.

136 Dixi autem *Generaliter loquendo*, quia aliquando tales poſſunt circumſtantiæ concurrere, vt videatur obligatio præfata ceſſare quemadmodum in Limenſi xenodochio videre licet, cuius adminiſtrationem Mercatorum Cantabrorum gremium gratis aſſumpſit, cum quibuſdam aliis ex primoribus, de quo *Cap.* 3. & ſatis diligenter in eadem adminiſtratione ſe gerunt. Eſt autem ipſis moleſtum ſi quiſquam exploraturus accedat, an res vt eſt opus procedant, eò quòd parùm ipſis videatur fidi, timerique non ſine fundamento poteſt eos ſic moleſtia affectos ab opere valde vtili, & vix aliter durabili, deſtituros.

137 Vbi

137 Vbi dicet fortaſsè aliquis viſitationem taliter inſtitui poſſe, vt Protector laudaturus potiùs quàm adminiſtratorum cenſor futurus accedar. Sed certè cùm viſitatio eò tendere debeat vt infirmantium neceſſitatibus conſulatur, quocumque id vultu Protector efficiat, viſitationis ſcopus erit adminiſtratoribus manifeſtus, nec laudari credent, ſcientes experimento quales habeant laudum iſtarum effectus, obſeruatis defectibus, & non ſine illorum dedecore propalatis. Sublatâ autem obligatione viſitationis ex fine prædicto, quæ remanere alia poteſt, communis omnibus eſſe videtur iuxta leges charitatis.

138 Nihilominùs non iudico penitus excuſandos, quia, vt nihil viſitatione ſuâ obtineant in ordine ad promouendam curationem, ratio ſcandali perſeuerat: neque homines adeò pij & feruentes ſpiritui charitatis, ita leuiter huic operi incumbunt, vt quamcumque animaduerſionem vrbanè & opportunè propoſitam, ab eo ſint ſtatim receſſuri. Vnde ibi trepidare Protectores videntur, vbi non eſt timor, id eſt ſolidum fundamentum ad illum. Si tamen illi bonæ conſcientiæ ac docti ſint, & in detrectandâ, ob inconuenientia ſibi nota, viſitatione perſiſtant, ſuæ poſſunt conſcientiæ relinqui.

139 Quòd ſi ſcandalizantur aliqui, minùs id malum eſt, quàm vt opus adeò inſigne deficiat, ex cuius defectu grauiora mala ad corpus, & animum ſpectantia suborirentur. In materia enim ſcandali hoc debet ſemper obſeruari, vt maioris momenti præceptum minimè prætereatur ob illud vitandum. Vnde ſi quis tenetur opitulari alicui indigenti, & alius id videns accepturus ſit occaſionem maledicentiæ, aut alterius peccati grauis, tenetur opitulari indigenti, quia præceptum benefaciendi illi plus habet ponderis, quàm præceptum vitandi occaſionem: & iniquum eſt vt propter cuiuſque malitiam alius patiatur detrimentum, vt benè diſcurrit P. Petrus Hurtadus de Mendoza 2. 2. *Diſput.* 173. §. 268. Sic ergo iniquum erit vt Indi pauperes graue damnum in ſuis infirmitatibus viſitati à Protectoribus patiantur, ne aliquibus maledicentiæ præbeatur occaſio, qui poſſunt & debent iudicij ſui audaciam cohibere. Et quidem maledicentiæ peccatum, cùm paſſiuum ſcandalum eſt, ex malitiâ, & non paſſione, aut infirmitate, ordinariè prouenit, cuius vitandi minor eſt obligatio, vt communiter tradunt ſcriptores.

140 Facit pro eodem id, quod habet P. Suarius *Diſput.* 10. *de Charitate, ſect.* 3. *num* 10. vbi ait in iis rebus, quorum quis non eſt dominus, ſed curator, vel diſpenſator, vt eſt Epiſcopus verbi gratiâ, in bonis Eccleſiæ, communiter teneri eum non omittere ſuam curam, nec perdere bona temporalia propter ſcandalum aliorum: præcipuè ſi damnum temporale ſit graue. Quam doctrinam eo citato amplectitur P. Palaus *Tomo* 1. *Tractat.* 6. *Diſput.* 6. *Puncto* 17. Licèt citatio erret circa Sectionem. Eſtque illa caſui præſenti adaptabilis, vbi Protector curatorem agit, & non ſolùm de damno graui temporali vitando agitur, ſed etiam de ſpirituali, cùm certiſſimum ſit ad Indorum æternam ſalutem xenodochiorum inſtitutionem, & rectam adminiſtrationem ſummoperè conferre id quod paſſim manibus, vt ſic dixerim, contrectamus. Vnde dici de illis veriſſimè poteſt non ſolùm eſſe *Domus Dei*, ſed *Portas Cœli*: licèt humanis oculis *Domus calamitatis & miſeriæ*, *& Portæ mortis* eſſe videantur. Et licet non viſitare in Protectoribus, curæ potiùs omiſſio quàm adminiſtratio appareat; re tamen verâ ſic ſe gerere ad curam & adminiſtrationem pertinet, cùm vtiliter negotium iſtud agatur, vt in aliis accidit, in quibus non minùs vtiles eſſe aliquando diſſimulationes ſolent, quàm inſtantiæ actionum. Pro quo & citati de Pontifice loquentes, multa quandoque, aliàs non ferenda, propter vitanda maiora damna tolerante. Cùm tamen in caſu noſtro illa non ſint, ſed ſolùm omiſſio actionis, quæ vtilis eſſe poſſet, & inſpectis circumſtantiis nocitura potiùs iudicatur. Si enim damna eſſent comperta aut veroſimilia, tunc aliter dicendum; eſſet enim peccatum grauiſſimum ſe non potenter opponere, & ob humanos reſpectus miſerabiles vndequaque perſonas in periculioſiore miſeriæ extremo indefenſas, legibus charitatis & iuſtitiæ violatis, reliquiſſe.

COROLLARIVM.

Circa rationes, propter quas Indi opus habent Protectore, & illarum effectus peculiares.

Diximus in fine *num. præcedentis* Indos eſſe miſerabiles vndequaque perſonas, & propterea Protectoribus valdè intentis circa eorum curam indigere. Quod licet ſatis videatur perſpicuum iis, qui inter eos degunt; probandum tamen, videndumque quod ex eo habeatur conſideratione dignum, vtilibus pro ipſorum commodo diſcurſibus efformatis.

§. I.

Indos varijs ex titulis miſerabiles eſſe perſonas.

141 Proſequitur illos Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 27. & in Politicâ *Lib.* 2. *Cap.* 28. *&* 29. & ſunt obuij, abiectiſſima ſcilicet eorum conditio, nouitas conuerſionis, paupertas, ruſticatio, diſcurſùs inopia, puerorum adinſtar, de quo *in Additionibus ad Tomum* 2. *num.* 69. quidquid de multis ſit vrbanè excultis, de quo *ibidem*, & quia iuxta id, quod communiter accidit leges feruntur, Indi quicumque, quando de eorum fauore agitur, miſerabiles perſonæ habendi ſunt, licèt iam non ſint *hoſpites & aduenæ*, vt Apoſtolus loquitur *Epheſ.* 2. *Sed ciues Sanctorum, & domeſtici Dei*, licèt ingenio validi, facultatibus ſupra tenuitatem inſtructi, & vrbium incolæ. Sicut enim his non obſtantibus frui poſſunt priuilegiis omnibus à Sede Apoſtolicâ, & Regia benignitate conceſſis; ita & iis gaudere prærogatiuis, quæ ex titulo miſerabilium perſonarum oriuntur: re enim vera Indi quicumque, Indi ſunt, & natura miſeri, & parùm capaces: ſi quid autem Dei indulgentiâ excellentius habeant, non debent propterea deterioris eſſe conditionis, & humanis beneficiis deſtitui,

Digitized by Google

deſtitui, quia diuina ſuccurrunt. Pro quo facit id, quod de orphanis & viduis docent Couarruuias *Practicarum Quæſtionum Cap. 6. §. Primus igitur caſus*, & D. Felicianus à Vega *in Cap. Ex tenore, de foro compet. num.* 13. cùm aliis, quos citant, foro ſcilicet Curiæ gaudere, ſi velint, etiamſi diuites ſint. Sic etiam *L. vnicâ C. Quando Imperator inter pupillum & viduam ad ſidem.* Poſt pupillos & viduas commemoratos pro beneficio, de quo ibi, pro aliis ita ſubdit: *Aliiſque fortunæ iniuriâ miſerabiles, &c.* Ex quibus videtur inferri eum, qui in paupertatem & miſerum ſtatum ſuâ culpâ incidit, à prædicto excludendum beneficio, quià id non accidit fortunæ iniuriâ & nihilominus contrarium ſtatuit citatus Præſes & Præſul *eiuſdem Capitis, num.* 3. *§. Sed ſi quis. Et Lib. 2. Variarum, Cap. 16. num.* 9. Quia hîc & nunc reuerà iſte pauper eſt, quidquid de cauſſâ miſeriæ fuerit, quod in conſiderationem non venit, neque lex id curat, pro iis, quæ communiter accidunt, conſtituta. Marius Antonius *Lib. 2. Variarum Reſolutionum, reſol.* 33. *num.* 10.

142 Et ita quidem ex Regiis reſcriptis habetur, ex quibus illud Philippi III. memoriæ æternæ die 24. Aprilis 1618. vbi poſt alia ſic: *Demanera que eſtos vaſſallos, que como queda dicho, ſon perſonas tan miſerables y neceſitadas de auxilio y fauor de la Iuſticia y caridad conueniente, conque deben ſer amparados, y tan ſugetos à vexaciones, y en ſu eſtado los mas vtiles à mi Corona, ſean reſtituidos à la libertad, buen tratamiento, y gobierno, que tengo mandado, &c.* Pro quo & Ordinatio prima in Titulo Fiſcalis Regij Indiarum Conſilij, verbis illis: *De cuya proteccion y amparo, como ve perſonas pobres y miſerables ſe tenga por muy encargado, y con grande vigilancia y cuydado pida y ſolicitè ſiempre loque para bien de ellos conuenga.* Iuxta quæ non debet cenſeri contrarium id, quod habetur in Regio reſcripto Regis eiuſdem *die* 20. *Iulij* 1617. dum ſic ibi: *Pues no es juſto que en cauſas de Indios, y perſonas miſerables, que proſiguen el caſtigo y Iuſticia de ſus iniurias, ò de los ſuyos, &c.* Et inferiùs. *Que en las cauſas de los Indios, ò perſonas miſerables, ſe ha de guardar la coſtumbre referida:* quòd ſcilicet querelantes non teneantur fideiuſſionem adhibere. Non inquam debet cenſeri contrarium, licèt inter Indos & miſerabiles perſonas videatur ſtatui diſtinctio, & ita Indos miſerabiles perſonas non eſſe; vnum enim membrum diuidens non debet in alios claudi, juxta Dialectica præcepta, & apud Iuriſperitos coniunctio, &, aut diuerſa nectit, aut eſt repetitiua ſimilium. Pro quo Cenedus *Singul.* 50. ſimilitudo autem inter diſtincta tantùm reperitur. Cùm enim Regum noſtrorum mens adeò ſit in præſenti articulo manifeſta, non eſt credendum in iis, quæ ob fauorem Indorum diſponebant, quidquam minùs fauorabile interſeri voluiſſe. Et quia vitanda legum correctio, etiam impropriatione verborum, iuxta communem ſcribentium doctrinam, de quâ Marius Antoninus *Lib. 1. Reſol. 46. in fine.* Vbi quòd potiùs ita accipienda verba vt nihil operentur. In noſtro autem caſu ſine impropriatione aut redundantiâ ſtat ſenſus congruus, ſi vnum tantummodò ſubintellectum verbum adiiciatur, ſcilicet, *Otras, aliæ*, ſic: *En cauſas de Indios, y otras perſonas miſerables.* Vult enim Rex vt indulto illo non præſtandæ fideiuſſionis, quando contra aliquem pro iniuria accepta aut depellenda agitur non ſolùm Indi, ſed miſerabiles omnes perſonæ in Indijs perfruantur: quod eſt aliàs iuri communi conforme, vt in eodem reſcripto dicitur.

143 Ex quibus habetur quàm inhumanum ſit miſeros iſtos, & ideò miſerabiles, diuexare. Si enim miſerabiles perſonæ dicuntur illi, de quibus natura mouetur ad miſerandum, vt ex multis proponit D. Solorzanus *cit. cap. 27. n.* 1. naturam certè humanam exuiſſe videtur, qui imperium naturæ ipſius rationi adeò conforme, non agnoſcit, ſed ferino quodam impetu ad vexandas imbelles animas, & teneram Chriſti ac Matris Eccleſiæ gregem, ſemel iterumque rapiatur. *Proh dolor! Pietas in auibus inuenitur, quę ab humana conditione deſeritur. Vultur ipſe, cuius vita eſt cadauer alienum, tantę magnitudinis corpus, nec exiguis alitibus probatur infeſtus, ſed magis accipitrem vitam plumigerum auium perſequentem, alis cædit, ore dilaniat, totoque ſuo pondere periclitantibus nititur ſubuenire, & homines parcere nequeunt cuius ſe genus eſſe cognoſcunt.* Sic Theodoricus verbis Caſſiodori *Lib. 2. variarum* 19. Hinc jam meritò ſubit quæſtio, pro quâ

§. II.

Indorum iniuriæ an ſeueriùs quàm aliis illatæ puniendæ. Vbi de illarum compenſatione, cum doctrina vtili.

144 STat pro eo Philippi II. Regis noſtri, clariſſimi pietatis ac iuſtitię ſpeculi, reſcriptum ad Limanam Audientiam *die* 29. *Decemb.* 1593. quod habetur *Tom. 4. Schedularum Indicarum pag.* 269. in quo poſt alia ſic: *Os mando que de aqui adelante caſtigueis con mayor rigor à los Eſpañoles que iniuriaren, ofendieren, ò maltrataren à los Indios, que ſi los miſmos delitos ſe cometieſen contra los Eſpanoles, y eſto miſmo ordinareis à todas las Iuſticias del diſtrito de eſa Audientia.* Sic ille, accipitribus infenſus, qui exigius iſtis alitibus inhumanè probantur infeſti: & videri poterit alicui exceſſus in hac eſſe cenſurâ: plus enim conſulendum gentilitio generi, quàm extraneo, quia propinquius illud: magis ergo Hiſpanis ab Hiſpano Rege, quàm Indis & vt magis non ſit, æqualiter ſaltem eâ, quam iuſtitia amplectitur, æquitate. Sic Deus *Exodi* 21. *v.* 12. legem contra homicidam ſtatuens, vult illam eſſe communem, dum ait: *Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur.* Vbi licet Rabbi Salomon id non de occidente Gentilem, ſed Iudæum, intelligendum velit, communi Doctorum ſenſu talis intelligentia reiicitur, cùm ſtet contra illam id quod *inferius* habetur, dicente eodem *v.* 20. occidentem ſeruum, reum eſſe homicidij criminis: ex quo inferunt eſſe & capitalis pœnæ, vt videri poteſt apud P. Cornelium, vt ſcilicet æqualitas iuſtitiæ ſeruetur, quia ſolus Deus vitæ & mortis eſt Dominus, vnde priuans illâ, quicumque ille ſit, eâdem debet pœnâ mulctari, quia dominus vitæ non eſt. Quòd ſi in ſeruo ita actum, circa hominem liberum nulla eſſe dubitatio poteſt quo minùs ſit pariter faciendum.

145 Hanc ergo iuſtitiæ æquitatem circa iniurias violare is videtur, qui Indorum atque Hiſpa-

Digitized by Google

Hiſpanorum in eo diſparem ſtatuit rationem, vt grauius debeant illorum præ iſtis iniuſta damna puniri. Cùm ſtet aliàs communis ſcribentium doctrina,circa iniuriarum compenſationem attẽdendum perſonarum ſtatum, vt cùm inæqualis eſt ob vnius inæqualem conditionem, & viliorem alterius, compenſatio eam debeat proportionem ſeruare. Quod quidem in citato Exodi Capite videre licet : cùm enim in illo talionis pœna ſtatuatur, vt oculum pro oculo, dentem pro dente damnificator reddere teneretur,in ſeruis aliter eſt decretum; vt ſcilicet pro eruto oculo aut excuſſo dente, ſolâ eiuſdem libertate comparatio facienda ſufficiens habeatur Sic *v.26.* & 27.& in occiſione etiam illud additur *verſ.* 21. *Sin autem vno die vel duobus ſuperuixerit, non ſubiacebit pœnæ.* Sunt autem Indi vilioris conditionis Hiſpanorum comparatione, licet ſerui non ſint: neque enim ſeruorum iniuriæ, eò quòd ſerui ſint, minoris æſtimantur, quaſi ij, qui eas irrogant,membrorum læſorum dominium habeant, cùm reuera ita non ſit, ſed eadem membrorum ſit ratio quæ & vitæ. Vnde Romani etiam antiquis legibus *iniurias atrociores, vt de oſſe fracto,non liberis modò, verùm etiam ſeruis factas, impenſiore damno vindicarunt*, vt ſcribit Aulus Gellius *Noctium Atticarum Lib.* 20. *Cap.* 1. Cauſſa ergo à viliori eſt conditione petenda; vnde & attenditur illa cùm quis iniuriam ſeruo intulit alieno. Idem ergo in caſu noſtro dicendum, pro quo Dom. Solorzanus *Cap.* 27. *citat. num.* 34. adducit Gomecium de Ameſcua *in Tractatu de poteſtate in ſe ipſum Lib.* 2. *Cap.* 23. *n.* 24. *verſ. Nihilominus* affirmantem Hiſpanum vilem nobiliore eſſe Indo digniorem.

146 Et ipſe quidem Dom. Solorzanus quæſtionem agitans, & pro humana Indorum tractatione eruditè diſcurrens, præfatum Regium reſcriptum parùm practicari teſtatur fortè ob adductam rationem. Sic *num.* 35. *citat. Cap.* 27. & in Politica *citat. Cap.* 28. §. *Y eſto por cenſura* licet ipſe pro illius iuſtificatione militet exemplis adductis *ibidem* & *num.* 21. *ac* §. *De las quales.* Qui & *num.* 31. & §. *Y à lo que decimos* ex Ferdinando Zurita *Quæſt.* 14. *Indica*, etiam addit compenſationem minorem deberi Indiis, ipſorum attentâ qualitate, cùm ſæpè ſoleant eſſe ebrij & abiectæ ſint conditionis, neque iniurias multùm curent, aut eiſdem commoueantur. Quod quidem de iniuriis circa honorem ſpecialiter dictum, ſed circa omnes videtur etiam applicandum, cùm militet ſimilis ratio.

147 Dico primò. Præfatum reſcriptum eſt iuſtum & conueniens. Id probo, tum ex dictis, tum quia ad conuerſionem Indorum, de quâ diligentiſſimè agi à noſtris Regibus debet ex onere Pontificiæ donationis, hoc eſt valde expediens: ſic enim Hiſpani, & Europæi alij ab eorum arceantur iniuriis, quæ ſi frequentes ſint, vt timeri poteſt magno cùm fundamento ab experientiâ roborato, odioſiſſima fides & profeſſio redditur Chriſtiana & Indi factis magis quàm verbis credunt, vnde fit vt nomen Chriſti inter eos blaſphemetur, quod dictum aliàs ab Apoſtolo *Rom.*2. *verſ.*24. vſurpat in hac cauſſa Concilium Limenſe ſecundum *Parte* 2. *Cap.* 112. Deinde, Indi maiore quàm Hiſpani indigent defenſione, quia imbelles & inermes, ac ſimpliciſſimo ritu viuentes : maior ergo defenſio conuenienter adhibetur,ad quam ſpectat rigor ille pœnalis,dum aliæ non ſufficiunt cautiones. Præterea, Indi ſub Regia ſunt clientela : atqui clientum offenſæ maiore poſſunt quàm proximorum pœnâ vindicari : ſic ex auctoritate Sexti Cæcilij in diſciplinâ Iuris, atque legibus Populi Romani noſcendis interpretandiſque, ſcientiâ, vſu, auctoritateque illuſtris habet Gellius *ſuprà* verbis illis : *Sic clientem in fidem acceptum cariorem haberi quàm propinquos, tuendumque eſſe contra cognatos cenſuit. Neque peius vllum facinus æſtimatum eſt, quàm ſi quis probaretur clientem deriſui habuiſſe.*

148 Item, ſic agendo, non ſolum Indorum cauſſa, ſed etiam Hiſpanorum agitur, quorum maximè intereſt Indorum conſeruatio, magni enim illi auri argentique theſauri, quibus totus ditatur mundus, & res adeò magnæ in Dei obſequium, ac Hiſpaniæ gloriam aguntur, Indis ſunt deficientibus pariter defecturi. Quando autem magnum aliquod Reipublicæ commodum cuipiam ex aliorum accreſcit incommodo, illi poteſt operam adhibere. Pro quo & eſt illud Auctoris citati ex eodem Cæcilio ſic loquentis: *Omnibus quidem virtutum generibus exercendis colendiſque Populus Romanus è parua origine ad tantæ amplitudinis inſtar emicuit, ſed omnium maximè atque præcipuè fidem coluit, ſanctamque habuit, tam priuatim quàm publicè. Sic Conſules clariſſimos hoſtibus confirmandæ fidei publicæ cauſſa dedit.* &c. Vbi M. Attilij Reguli, & aliorum, de quibus Valerius Maximus *Lib.* 1. *Cap.* 1. Cicero *Lib.* 3. *Officiorum*, alijque, hiſtoria tangitur. Iam pro vtilitate Indorum expendantur Regia illa verba adducta. *num.* 155. *Y en ſu eſtado los mas vtiles à mi Corona.*

149 Dico ſecundò. Oporteret maximè præfatum reſcriptum practicari: conſtat, quia cùm iuſtum & conueniens ſit, neque ex praxi vllum ſit deprehenſum incommodum, non eſt vnde ab illa debeat abſtineri. Vbi legibus viuitur, ibi & feliciter: neque vera poſſunt in eâ Republicâ eſſe ſolatia, vbi legum obſeruatio friget, & timent illæ, quæ timeri potiùs debuiſſent. *Quid enim poteſt eſſe felicius quàm homines de ſolis legibus confidere, & caſus reliquos non timere? Iura publica certiſſima ſunt humanæ vitæ ſolatia, infirmorum auxilia, potentum frena. Amate vnde & ſecuritas venit, & conſcientia proficit.* Caſſiodori verba ſunt Theodorici nomine *Lib.* 3. 17. Quod licet ita ſit, ſat credo erunt Indi contenti, ſi communi cum ipſis agatur iure, ac eorum iniuriæ non maneant impunitæ. Vnde

150 Dico tertiò. Res in eo videtur ſtatu conſtituta, vt prædictum reſcriptum quoad exceſſum præfatum communiter non obliget: poſſet tamen quandoque in atrocioribus delictis obſeruari, aut in aliis, in quibus vindictæ exemplum valde proficuum putaretur. *Vt plus terror corrigat, quàm pœna conſumat.* Vt idem qui nuper eiuſdem ex perſona *Lib.* 7. 1.

151 Dico quartò. Quod ad compenſationem in materia honoris ſpectat, non eſt omnimodâ æqualitate tractandum, quia abiecta Indorum ex infima plebe conditio cùm valde diſparem conſtituat ſtatum, non exigit æqualem ſatisfactionis

Digitized by Google

ſatisfactionis gradum, & quandoque nullum, quia, vt dictum eſt, de hoc parum, aut nihil curant, dum ſolis agitur verbis, & manus ceſſant. Quia verò inter eos plures ſunt & nobiles, & vrbanè educati, ſi graues in eos contumeliæ iactentur, ſua eſt judicio prudentis Confeſſarij ſatisfactio dubio procul adhibenda. Nullum enim eſt in Morali Theologià principium pro hac materia receptum, quod non ipſis faueat. Et ſicut in generalibus regulis non eſt natio aliqua per Doctores excepta, ita neque Indorum, de quibus agimus, vt non ſit opus hic niſi ad communes in hac materia doctrinas lectores remiſiſſe,

152 Et ſunt quidem qui cenſeant pro læſo honore ſine damno alio, nullam reſtitutionem deberi: vel ſi damnum aliquod fuerit in corpore, tale tamen quod ſine ſumptibus curari poſſit; vt ſi alapâ, fuſte, vel calce. Quæ eſt ſententia P. Molinæ *Tract.* 4. *Diſput.* 46. quem ſecuti alij: eſt enim injuria tranſiens, quæ ad ſummum in eo, cui illata eſt, exacerbationem animi relinquit, vnde ſi qua reſultet obligatio, ad placandum erit, quod variis modis fieri poteſt, quando injuriato id gratum futurum ſperatur, aut de eo ipſi curant. Quæ doctrina pro Indis accommodata videtur, qui verbis, alapis, calcibus & fuſtibus ſolent frequenter pulſari: ſi tamen de leniendo interno iniuriæ dolore ſic pulſantes cogitarent: ſed nihil plerumque minùs: facilè enim Indorum placatur animus; & quolibet ſunt beneuolentiæ ſigno contenti, neque in eo gradu injurias æſtimant, in quo Hiſpani, puerorum more. Licet autem qui inter eos nobiles & vrbanè educati plus eas ponderent, placantur ſanè faciliùs, & ſine petitione veniæ, ſed beneuolâ tractatione. Licet autem Doctores communiter ſententiam contrariam teneant, & obligationem reſtitutionis pro læſo honore propugnent; in ordine tamen ad praxim vix aliquod notabilis momenti videtur eſſe diſcrimen. Cùm enim negantes affirment neceſſarium eſſe id circa iniuriatum præſtare, quo eius placetur animus, etiam vſque ad veniæ petitionem, id certè rationem ſatisfactionis habet, quocumque titulo obueniat, & ad quamcumque velit quis virtutem pertinere. Eo eſt quidem injuriatus ille contentus: atqui ad nihil aliud debet ſatisfactio tendere: habetur ergo quod ſufficit, ſiue quia tantumdem ponitur, ſiue quia deficiente parte aliquâ, ab injuriato fit relaxatio. Pro quo hæc ſatis. Videat qui voluerit Cardinalem Lugo *Diſput.* 15. *de iuſtitia num.* 53.

§. III.

Acta ab Indis ſine Protectoris aſſiſtentia vt valeant & an in contractibus naturaliter obligentur, firmenturque illi iuramento, cum nonnullis aliis circa ipſum.

153 PRohibitæ illis ſine aſſiſtentia prædicta contractationes circa radices & mobilia; & ſtante illâ, peculiares ſolemnitates ad celebrationis firmitatem indicuntur, pro quibus variæ extant ſchedulæ, de quibus Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 27. *num.* 65. & in Politica §. *Otro priuilegio.* & in quadam ex *ibidem* adductis ſtatutum extat de Auditoris Regij interuentione, quod tamen ſublatum per alias, ſicut & ſolemnitas præconiorum, niſi cùm de rebus agitur, quæ triginta auri communis pondera excedant. Aliter facta obligationem neque ciuilem neque naturalem inducere, & ita poſſe nullitatem contractûs obiici, affirmat citatus Doctor *num.* 65. & 69. qui & *num.* 70. pro eodem adducit Dom. Felicianum à Vega *in Cap. Ex parte, de foro compet. num.* 19. pro quo & in Politica §. *citato* & etiam. § *Y aunque el Principe.* Sed Dom. Felicianus de obligatione naturali, & actorum valore aut nullitate nihil dicit: ſicut neque Iuriſconſulti alij in caſus noſtri ſpecie non locuti, ſed generaliùs apud illum: dum aſſerunt poſſe Principem ob bonum publicum ita poteſtatem ad contrahendum ſubditis limitare peculiaribus præſcriptis, vt ſi contrarium fecerint, neque ciuiliter obligentur. Quod quidem etiam communis Theologorum ſententia firmat de legibus & contractibus agentium, vt non ſit opus quempiam in ſpeciali compellare.

154 Sed an in hoc caſu, in quo ſumus, ea doctrina conuenienter applicetur, debuiſſet inquiri, & aſſertio pro eo propoſita comprobari. Cùm ſit valde probabilis ſententia affirmans contractus etiamſi per legem prohibeantur, & nulli pronuntientur, obligationem naturalem parere, dum patronæ non redduntur ad contrahendum per illam prorſus inhabiles, vt in contractu matrimonij clandeſtini conſtat, vbi receptum eſt Concilium Tridentinum quoad hoc, & in quibuſdam aliis, licet ius ſit ad diſtractus coràm iudice petitionem. Quod in contractibus pupillorum & minorum ſpecialiùs tradunt multi & grauiſſimi Scriptores, quos adducunt & ſequuntur P. Thomas Sancius *Lib.* 6. *de Matrimonio Diſputat.* 6. *num.* 21. P. Molina *Diſputat.* 230. 231. & 261. Cardinalis Lugo *Tomo* 2. *de Iuſtitia Diſput.* 22. *num.* 288. P. Fragoſus *Tomo* 3. *Lib.* 1. *Diſput.* 2. *numer.* 275. P. Fagundez *de iuſtitia & iure Diſput.* 1. *Cap.* 13. *num.* 5. & 9. P. Palaus *Parte* 7. *Diſput.* 1. *de iuſtitia commutatiua, Puncto* 4. §. 4. P. Oñate *Tomo* 1. *de Contractibus Diſput.* 4. *num.* 42. & 60. vt obuios alios omittam.

155 Non videntur autem Regia reſcripta Indorum contractus ſine Protectorum aſſiſtentia prohibentia obligationem naturalem excludere, inhabilitate ad contrahendum omnimodâ ſtabilitâ: & vbi id non accidit, recognoſcenda videtur. Pro quo facit notanda obſeruatio apud P. Oñate *ſuprà Diſputat.* 7. *num.* 65. vbi tradit irritationem obligationis naturalis ſatis raràm eſſe, neque aſſerendam vbi lex expreſsè non reſiſtit contractui. Facit item *L.* 5. *Tit.* 12. *Parti.* 5. ibi: *ſi algun ſieruo prometieſſe dotro &c. tenudò es naturalmente de complir por ſi lo que promete, por quanto es hombre.* Ex quo validum pro Indis videtur argumentum ſumi poſſe, cùm homines ſint, & inſuper liberi.

156 Dico primò. Difficilè oſtendi poteſt Indos ſine Protectoris aſſiſtentia contrahentes, ſi ita capaces ſint, vt ſatis percipiant quod agunt, naturaliter non obligari. Id probo: nam ſi aliquod firmum fundamentum pro excludendâ obligatione ſuppetit, maximè ex eo quòd leges

circa hoc latæ in Regiis reſcriptis contractui reſiſtunt, vt communiter Auctores affirmant: atqui ſatis controuerſum eſt, & ideò etiam ſatis dubium, quando leges ita reſiſtant, vt nulla reſultet obligatio, aut reſiſtentiâ non obſtante, nihilominùs oriatur. Et quidem P. Thomas Sancius *Lib.* 1. *de Matrimonio*, *Diſput.* 7. *num.* 16. ex bonis Auctoribus hanc regulam vt certam proponit. Si lex reprobet contractum, ipſumque prohibeat ei reſiſtens, neutra oritur obligatio. *L. Non dubium. C. de legibus*, ibi: *Nullum pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos volumus ſubſecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente. L. Cùm lex* 47. *D. de fideiuſſoribus*, ibi: *cùm lex venditionibus occurrere voluerit, fideiuſſor quoque liberatur.* Nulla ergo remanet obligatio: & rationem regulæ eſſe ait, quia licet ex quolibet contractu obligatio naturalis oriatur, ius enim naturæ fidem in contractibus ſeruandam præſcribit; vt lex ob publicum bonum poteſt hanc obligationem impedire: videtur autem id manifeſtè efficere quando contractum ipſum omnino vitiant & caſſant, quod eſt illi prorſus reſiſtere. Sic ille philoſophatur; apud quem tamen regulam prædictam reprobat Menchaca, dicens & probans reſiſtentiam legis non eſſe ſignum ſufficiens ſublatæ naturalis obligationis: & alij etiam ex Nouioribus regulam eamdem minimè veram arbitrantur.

157 Et arguere poſſumus ex pluribus legibus reſiſtentibus contractibus pupillorum apud eumdem *Diſput.* 38. *citatâ*, *num.* 20. quæ ſunt ſatis perſpicuæ: & tamen ille obligationem naturalem in ipſis cum Auctorum agmine numeroſo defendit, & *num.* 36. ad leges reſpondet; licèt reſponſiones aliquæ non adeò exactæ & veroſimiles videantur. Licèt ergo leges Indicæ contractibus Indorum ſine Protectoris auctoritate reſiſtant, ex eo nequit ſolidum pro excludenda naturali obligatione, ac penitus inconcuſſum fundamentum deriuari. Pro quo & ſtat id quod cum aliis proponit P. Oñate *Diſput.* 7. *citatâ*, *num.* 63. vbi ait ita quidem eſſe vt tunc contractus nullus ſit quando ei lex reſiſtit, obligationem omnem excludens: id tamen non ſolitum ius commune facere, niſi quando contractus ipſe ex ſe nullus eſt, quia deeſt illi aliquid eſſentiale, vt propter defectum in conſenſu, vel rei, de quâ nequeat eſſe contractus; vel ob turpitudinem contrahentis, vt in vi & dolo &c. Atqui in caſu noſtro nihil horum eſſe ſupponitur: non ergo naturali obligationi locus denegatur.

158 Dico ſecundò. Pro Indorum vitandis incommodis parùm intereſt quod obligatio naturalis in eorum contractibus extet. Id probo: nam in primis actionem habent ad petendam reſciſſionem contractus, quàm dubio procul obtinebunt. Si dicas futuros ſumptus in lite, id nihil officit; maiores enim in repetitione extraiudiciali futuri, & id ſibi debent imprudenter agentes imputare. Deinde, habent pro ſe opinionem valde probabilem de nullitate contractus, qua ſe tueri poſſunt, acſi certa omninò ſententia foret, & Confeſſarios eorum agere partes conuenientiſſimum erit, immò & ferè ſemper neceſſarium, quia aliàs occaſio erit eiſdem in ſtatu peccati remanendi, cùm valdè difficulter obtinendum ab eis ſit vt vel reſtituant, vel à ſe data non repetant, aut compenſatione vtantur: vti autem poſſe eſt etiam probabile, vt cum aliis tenet P. Fagundez *ſuprà num.* 24. quotieſcumque id commodè recuperare nequeunt, in quo ſunt læſi ij, qui contrahere ſine auctoritate alterius prohibentur.

159 Quòd ſi Indus rem vendidit, & pretium diſtraxit, neque ex eo locupletior factus eſt, & bona in eo fide proceſſit; ſicut repetere in iudicio poteſt, ſine obligatione reddendi pretium ita & compenſatione vti, ſi rem nequeat obtinere; quia contractus fuit nullus in vtroque foro ſecundùm ſatis probabilem opinionem, cum quâ & compenſatio licèt etiam probabiliter, vt in legato ex teſtamento minùs ſolemni, tenent multi, & ex P. Becano *Parte* 2. *Tractat.* 3. *Cap.* 7. *Quæſt.* 7. *Concluſ.* 1. habet Diana *Parte* 5. *Tractat.* 3. *Reſol.* 119. cùm hæres ab inteſtato retinet. Et in compenſatione pecuniariâ pro famâ ex PP. Leſſio & Tannero, & ex Aragonio & Ioanne de la Cruz *Parte* 3. *Tractat.* 5. *Reſolut.* 3. & cùm quis iudicat rem eſſe ſuam, etiamſi aliter iudicet, & nullus poſſidet, poteſt ſibi adiudicare, donec conſtet non eſſe ſuam; ex S. Angelo Boſſio *Tomo* 1. *n.* 1854. qui addit ſine violentia id futurum. Cum tamen in caſu noſtro debitum liquidum ſit ex ſententiâ iudicis neceſſariò reddendum. Minor etiam, qui id, quod ſoluit, recuperare nequit, poteſt debitum à ſe aliunde, non ſoluere, vt cum alijs tenet P. Thomas Sancius *ſuprà num.* 34. cùm tamen iuxta ipſum is, qui cum Minore contraxit, non teneatur niſi poſt iudicis ſententiam acceptum redhibere.

160 Licèt autem debitum actu non ſit, cùm tamen ſit debitum in ſpe, locus eſt compenſationi, ex P. Tannero *Tomo* 3. *Diſput.* 4. *num.* 406. quando tempore præfixo non eſt commodè obtinendum, id affirmante, & Diana id valde commendante, quia quotidianum, *Parte* 2. *Tract.* 16. *Reſolut.* 46. Quòd autem diximus de non facto locupletiore, iuxta communem ſcriptorum doctrinam eſt de reſtitutione loquentium, vt ratione rei acceptæ bonâ fide non teneatur quis, niſi inquantùm factus eſt locupletior Et ſunt qui in caſu noſtro obligationem naturalem tantùm agnoſcant, quando Minor factus eſt locupletior, pro quo P. Thomas Sancius *num.* 22. id non admittens: ſed eſt ſanè probabile: quia cùm valde probabile ſit, abſolutè loquendo, non conſurgere obligationem naturalem, & ſimiliter contrarium, ſententia præfata media eſt, addens aliquid priori, & negans aliquid oppoſitæ.

161 Dico tertiò. Indorum contractus circa ea, quæ ipſis ſine Protectoris aſſiſtentiâ prohibentur, communiter loquendo, non firmantur iuramento, quidquid de firmitate huius generis ſit circa alios ſimiliter contrahentes, de quo Doctores varietate ſententiarum quæſtionem agitantes, vt videri poteſt apud P. Oñate ceteris copioſiorem *Diſput.* 11. *præſertim Sect.* 4. Quod probo ex eo quòd tenet P. Thomas Sancius *ſuprà num.* 16. alios pro eodem adducens; ſcilicet ad confirmandos tales contractus requiri in iurantibus pubertatem, nec ſufficere proximos eſſe illi, ob defectum capacitatis ad res huiuſmodi quoad conuenientiam & incommoda diſcernendas. Sunt autem illis Indi ſimillimi, communiter loquendo

Digitized by Google

quendo, de quo *num.* 154. non ergo iuramento firmantur.

162 Dico quartò. Indi maioris capacitatis Europæis multis exæquandi, ſicut naturaliter obligari poſſunt, vt diximus, ita & iuramento: non enim dubitari poteſt plures eſſe, qui Europæos multos excedant in ætate quatuordecim annorum, quâ pubertas inchoatur. Et cùm non agamus de priuilegio aliquo peculiari à Principe conceſſo Indis, quod pro eiſdem poſſit fauorabiliter extendi, ſed de obligatione ex iure diuino conſurgente; id certè attendendum pro eâ, quod præcipuæ conſiderationis eſſe ſolet, mentis integritas in iurantibus, quam Ius præſertim attendit: *Authent. Sacramenta puberum, num.* 9. C. *Si aduerſus vendit*: & alibi. Cùm ergo illa in prædictis ſuppetat, eorum contractus iuramento poterunt roborari.

163 Dico quintò. Iuramenta Indorum circa prædicta ſine alia cauſſa, quàm quòd talium ſunt, poterunt à Prælatis relaxare. Negat hoc P. Sancius de pupillis loquens *num.* 17. quia relaxatio talis eſt in præiudicium tertij, reſpectu cuius eſt naturalis obligatio. Sed id tenet, licèt obligationem naturalem agnoſcat Ludouicus Lopez *Lib.* 2. *de Contractibus, Cap.* 39. *fol.* 485. P. Palaus *Tomo* 3. *Lib.* 3. *de iuramento, Diſput.* 3. *Puncto* 2. *verſ. Sextò, parentes.* P. Vincentius Tancredi *de Religione, Tractat.* 4. *Lib.* 2. *Diſput.* 17. *num.* 2. & alij. Quamuis enim obligationem naturalem videantur inducere, hoc eſt incertum, & eâ non obſtante ſunt reſcindibiles: quod ſatis eſſe videtur vt locus ſit relaxationi. Similiter ergo de Indis dicendum. Et licet ij, de quibus *Aſſertione præcedenti*, puberibus exequentur, quorum iuramenta relaxari nequeunt, ex Authent. citatâ, ibi: *Inuiolabiliter cuſtodiantur*: quod docere omnes affirmat P. Sancius *num.* 13. ita vt duo illa verba diſpenſationem omnem, relaxationem, & omne aliud contraueniendi remedium excludant, vt ex omnium etiam mente habet P. Oñate *Diſput.* 11. *num.* 140. Quoad hoc tamen poſſunt impuberibus aſſimilari; tum quia ſunt qui cenſeant contractus Minorum, etiamſi puberes ſint, non firmari iuramento, neque Authenticam de illis agere, quando ſine auctoritate Tutorum contrahunt, ſed quando cum illâ. Tum etiam quia hìc iam agitur de priuilegio Indorum, licèt non ſpeciali, ſed à iure communi conceſſo: vnde, quia fauorabile, debet extendi; maximè cùm ſimus in negotio religionis ac fidei, pro quâ ſumma militat ratio, vt dictum ſæpiùs. Quod autem diximus, ad relaxationem ſufficere rationem illam ex iurantium conditione deſumptam, conforme eſt grauium ſcriptorum doctrinæ, qui de impuberibus loquentes affirmant defectum ętatis ſufficere, vt videri poteſt apud P. Sancium *citato n.* 17.

164 Dico ſextò, tamquàm probabile Protectores poſſe iuramenta prædicta Indorum irritare, ſicut de Tutoribus Doctores affirmant apud P. Sancium *citat. num.* 17. Ludouicus Lopez, P. Palaus & P. Tancredi nuper adducti. Protectores namque inſtar Tutorum ſunt, & ob eamdem rationem Indis aſſignati, inopiam inquam iudicij ad ſe & ſua moderandum: vnde & vtriſque competit vt acta ab ipſis ſine eorum auctoritate irrita penitus habeantur quoad ciuiles actiones.

§. IV.

De Teſtamentis Indorum.

165 DE illis Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 27. *num.* 74. *& ſeqq.* & in Politicâ *Lib.* 2. *Cap.* 28. §. *El qual, circa finem*: & affirmat in illis non debere ſe Protectoribus intromittere, quia in ordine ad teſtandum habent Indi plenam libertatem: niſi in illis falſitatem aliquam interueniſſe intelligatur. Item, receptum eſſe vt ſine Tabellione, & teſtibus vicinis ac rogatis fieri poſſint, ſufficereque vt aliquis ab eorum Gubernatoribus deſignatus illa ſcribat; & duo aut tres teſtes aſſiſtant, ſiue vicini ſiue fœminæ, ſi opportunè occurrerint. Quòd ſi poſteà coràm competente iudice comprobetur, qui ſibi verum eſſe perſuadeat, eò quòd ſpecimen veritatis habeat & ſcriptis conformia deponunt, teſtamentum ritè factum pronuntiatur, & executioni mandari iubetur; quidquid litis contra illud fuerit intentatum. Id enim Indorum multa ſimplicitas operatur, & ſcribentium aut teſtium ſæpiùs copiâ non repertâ. Ex quâ ratione videtur non eſſe neceſſarium vt teſtamentum ſcripto fiat; multoties enim qui ſciat ſcribere deſiderabitur, & Gubernator deerit, qui ſcientem deſignet. Poterunt ergo tunc Indi vltimam ſuam voluntatem coràm iis, qui adfuerint declarare.

166 Sed numquid duo tantùm Indi ſufficient, & eorum dictis, nullo addito adminiculo, iudex deferri poterit, vt legitimum pronuntiet teſtamentum? Difficile ſanè id videtur, neque in eo caſu loquitur Dom. Solorzanus, qui præter teſtes, qui adfuerint ad confectionem cum ſcribente, alios requirit ad comprobationem, quibus, ſi eorum dicta ſcriptis conforment, fides adhibetur. Statque inſuper illius doctrina *Cap. eodem, num.* 57. & in Politicâ §. *Lo qual nos da*: quòd ſcilicet ſex Indi vnum tantùm idoneum efficiant.

167 Dico primò. Duo teſtes ex prædictis fidem facere poſſunt, ſi veroſimiliter deponant. Id probari poteſt: nam cùm ad pronuntiandum teſtamentum validum id tantùm exigatur, vt ex teſtium depoſitione iudex ſibi perſuadeat illos verum dicere, ſi hoc duorum teſtificatione obtineri poteſt, habetur equidem quod neceſſarium ſecundùm receptam praxim iudicatur. Atqui id duorum teſtificatione haberi poteſt, quia veroſimiliter poſſunt deponere, dum ſuſpicio non obuiat falſitatis; quia ex eo quòd teſtamentum validum ſit, nihil ipſi commodi reportant, aut eorum proximi, neque ab aliquo inducti comperiuntur. Quod firmari poteſt ex eo quòd in multis teſtamentis, eò quòd priuilegiata ſint, teſtes duo minimè aliàs idonei vt ſufficientes admittuntur, vt duæ fœminæ in teſtamento inter liberos. Pro quo Diana *Parte* 7. *Tractat.* 6. *Reſol.* 33. P. Fragoſus *Tomo* 3. *Lib.* 4. *Diſput.* 6. §. 2. *num.* 32. cùm Gloſſa, Baldo, Iulio Claro, & P. Molinâ: & quamplures alij, quos adducit & ſequitur Angelus Boſſius *Tomo* 2. *Titulo* 9. *num.* 75. *& Titul.* 10. *num.* 7. In teſtamento ad pias cauſas, pro quo Diana *ſuprà, Reſolut.* 16. P. Molina

*Diſput.*134.P.Fragoſus *num.*62. Boſſius *num.*81. alios congerens. In teſtamento militis, de quo P.Molina *Diſput.*129. apud quem alij. P. Fragoſus *num.*104. Diana *Reſolut.*47.cùm Ferdinando Vaſquio & Hunnio, Boſſius *num.*78. cum aliis: & *Titul.*11.*num.*4.& eſſe eamdem rationem tempore peſtis, ſunt qui cenſeant apud P. Molinam *Diſput.*127. §. *De iure communi*, & Dianam *Reſol.* 35. quod aliis citatis tenet Boſſius *num.* 70. & *ſeqq.* & præſertim *num.* 75. qui & de peregrinis *citato num.* 78. Quid ergo mirum, ſi duo Indi pro Indorum teſtamento in pari neceſſitate ſufficiant, aut etiam vbi ratio ſimilis videtur militare, cùm etiamſi minor ſit, debeat reputari ſufficiens, quandoquidem omnium maximè priuilegiati comperiuntur.

168 Dico ſecundò. Indi degentes in oppidis Hiſpanorum, vbi & Tabellio, & teſtes legitimi ſuppetunt, debent iuxta leges regni teſtari. Sic vſu receptum, licèt Dom. Solorzanus *ſuprà* affirmet vbique conſuetudinem inoleuiſſe vt Indi modo explicato teſtentur, neque de ciuitatum incolis quidquam diuerſum aſſeueret. Et ratio quidem ab eo adducta ita tenendum inſinuat, dum pro ea tenui ſolemnitate multam Indorum ſimplicitatem allegat, quæ quidem vbique videtur ſuffragari. Addit & frequentem ſcribentium & idoneorum teſtium defectum: quod quidem non arguit aliter dicendum, quando & ſcriptores & copia teſtium haberi facilè poſſunt: ſed frequentem illam rationem in cauſſà fuiſſe vt generalis illis facultas ad teſtandum modo dicto tribueretur; quia res eſſet multis dubijs, & ita etiam litibus obnoxia, ſi in vno loco hoc modo, & in alio aliter deberent illi teſtari. Cùm etiam frequenter accidat vt in oppidis etiam Hiſpanorum qui pro eis ſcribat non ita opportunè accedat, neque teſtes valeant aduocari. Et quod ratione loci licet, etiam licet ratione impedimenti, iuxta ea, quæ ex aliis habet Boſſius *citato Titulo 9.num.* 111. & eſt iuxta dicta ab ipſo *num.* 61. & 62. & de militibus *Titul.*11.*num.*32. Ideò veroſimile omnino videtur quod à Dom. Solorzano dicitur, eſſe generaliter accipiendum. Quòd ſi Indi more Hiſpanorum in eorum oppidis ſæpè teſtentur, id non tollit quin aliter factum debeat à Regiis iudicibus, & etiam in foro conſcientiæ ſuſtineri.

169 Neque obſtat ſi obiicias Ruſticum in ciuitate teſtantem, cuius eſt factus incola, debere cum eâ, quâ ciues alij, ſolemnitate teſtari, licèt dum iure ageret minor ſolemnitas pro illius teſtamento ſufficeret: etſi rure teſtatus ſit, eius teſtamentum non valebit, ſi moriatur intra annum in ciuitate, vt cum aliis tenet P. Fragoſus *num.* 133. eam afferens rationem ex *L. Titia.*87. §. *Vſuras. D. de legatis* 2. quod cauſſa priuilegij ceſſat, priuilegium etiam ceſſat. Reſpondeo enim pro Ruſtico quidem domicilium mutante nullum extare priuilegium, quia cùm ciuis ſit, mores ciuium haurit, & licet ſimplicioris ingenij ſit, id non intereſt, quia aliàs in pluribus ciuitatum incolis deberet titulus idem attendi; cùm ſit certum in ciuitatibus multos ſimplices & bardos, ac ruſticiores ipſis ruſticis inueniri: quod eſſet ſanè difficillimum. Non ergo debuit in generali diſpoſitione illud ſtatui diſcrimen; ſed debuit illa potius ciues omnes verè tales ſine differentiâ complecti: pro Indis autem alia eſt ratio, quia ferè per accidens contingit vt incolæ ciuitatum ſint, cùm ſtudioſè curetur vt ad ſua oppida reducantur, ad quæ iudicantur pertinere. Vnde pro eis iuuat quod de ciue teſtante in rure, fortuitò ibi ægrotante, tradunt multi, quos citat Boſſius *num.*107. ex quo è conuerſo pro Ruſticis viget argumentum. Iuuat item quod de illis docent Baldus, Imola, & Ripa, ex quibus P. Fragoſus *ſuprà* §. *Secus dicendum.* Quòd ſi Ruſticus facto teſtamento rure, moriatur in ciuitate, ſed vt aduena, etiam poſt annum, teſtamentum ſuſtinebitur, eò quòd non tranſtulerit domicilium. Immò etſi transferant, tenent Iaſon, Corneus, & alij, quos adducit & ſequitur Boſſius *numer.* 30. & ratio pro eo vrget eadem, ex hominum huiuſmodi ſimplicitate deſumpta, quæ eos etiam in ciuitatibus comitatur: & quæ ab Imperatore proponitur in *Authent. de inſtrum. Caut. & fide* §. *Hæc autem*: & ita tenet Negreiros apud Boſſium *num.*108. Ex quo fit Indos etiam in Hiſpaniâ, in quam aliquando transfretare contingit, poſſe modo prædicto teſtari, ſicut etiam in mari. Pro aliis autem priuilegiatis circa hoc in nauigatione Indicâ, vt ſunt milites, & in expeditione verſantes, videri poteſt P. Fragoſus *num.*109. & 110. vbi hæc habet.

170 Primò milites ſtipendiatos in arcibus Indicis locorum hoſtilium exiſtentes, ad præliandum paratos, priuilegio gaudere, de quo *numer.* 180. Quod eſt iuri communi conforme per Textus & Auctores apud Boſſium *Titulo* 11. *num.*28.

Secundò non gaudere præſidiarios in terris non hoſtilibus, ſed pro illarum quiete conſtitutos, quamuis ſtipendiatos. Sed pauci profectò in Indiis ſunt, qui licet in terris hoſtilibus non ſint, non debeant præfatâ iuris indulgentiâ potiri: ſemper enim hoſtile aliquid timeri poteſt ab exteris aut intraneis, vt neceſſarium ſit quodammodo eſſe in procinctu. Pro quo D. Petrus Auendannus in Dictionario Hiſpanico verb. *Caballeros pag.*176. vbi ait milites regni Nauarræ. Granatæ, Neapolis, & Stationarios Luſitaniæ dicto priuilegio gaudere. Et de Stationarijs alijs, vulgò *de guarnicion* idem tenent plures, quos citat & ſequitur Boſſius *citato Titul.* 11. *num.*58.

171 Tertiò, qui Vliſſypone (idem eſt de aliis Hiſpaniæ portubus) militiæ nomen dederunt, & Regiis expenſis ad Orientalem Indiam nauigant (idem eſt de Occidentali) aut claſſibus vehuntur ob cauſſam militiæ, quamdiu nauigant nõ poſſe teſtari iure militari, quamuis animo militandi nauigent. Ex Ægidio Luſitano *in L.*1. *C.de Sacr.Eccleſ.*2.*p.*§.1.*n.*7.& 8.Ratio eſſe poteſt; quia tales neque in caſtris ſunt, neq; in expeditione, ſeu procinctu, aut proxima diſpoſitione ad prælium; cùm tamen Imperator Iuſtinianus. §.*Illis.* & §. *Sed hactenus, Inſtit. de militari teſtament.* requirat vt in caſtris, aut in expeditione ſint. Naues enim illæ, de quibus citatus ſcriptor, non eos vehunt vt proprios milites; ſed tales alibi futuros. Sicut de ijs, qui à Pontifice, aut alijs Principibus mittuntur Imperatori, aut alijs Dominis, tenet Merenda apud Boſſium *ſuprà numer.* 52. ex illis

Digitized by Google

illis enim fit poſteà delectus à Generali Duce, neque enim omnes ſic miſſi indifferenter admittuntur. Quod equidem parùm veroſimile apparet: nomen enim expeditionis benignius eſt interpretandum: & ſic in expeditione eſſe dicuntur, qui ſe ab omni alia curà èxpediunt, & ad præliandum, longis licet itineribus, progrediuntur. Cùm etiam in nauigatione ipſa occurrere occaſiones præliandi poſſint; propter quod & milites in nauibus hujuſmodi proprij conuehuntur. Et ita videtur idem Auctor ſentire, ſubdit enim.

172 Quartò ex eodem Ægidio tamquàm indubitabile, Nauarchos & Trierarchos nauium Indicarum, & claſſium, iure poſſe militari teſtari, ſicut & omnes remiges in claſſibus & triremibus, quia cenſentur milites *L. vnica* §. *Item Nauarchos D. de bonorum poſſeſſ. ex milit. teſtamento.* vbi alij legunt *Triarchos* Luſitanos item, qui nauibus Indicis præficiuntur duces, & nauim ſcribas, ac nautas, quia & milites reputantur *L. ex eo tempore D. de milit. teſtam.* quia occupantur in expeditione, cùm properent ad bellum ineundum cum hoſtibus. Et idem ait de iis, qui ſoluunt è portu ad Inſulas expectaturi naues ex Indià redeuntes, vt præſidio ſuo eas ab hoſtili tueantur claſſe, & tutas in portum reducant. Hæc ille habet priori aſſertioni minimè conſona, benè tamen rationi. Si enim omnes prædicti eò quòd ad bellum ineundum tendant, in expeditione eſſe dicuntur, & ideò priuilegio vti militari poſſunt, nequit profectò id iis negari, de quibus negauit Auctor. Videatur Boſſius *ſuprà num.* 46. *& ſeqq.* pro officialibus, remigibus, & aliis. *& num.* 59. vbi de medico, & Cancellario.

173 Quintò ait cum citato Ægidio eos, qui nauigant ad Indos ſumptibus Regiis animo exercendi mercaturam, licet milites nuncupentur, non poſſe ſine communi ſolemnitate teſtari. Sed certè ſi ſtipendium accipiant, & omnia obeant militum munia, mercaturæ animus non videtur obeſſe, quia vtile per inutile non vitiatur. Et circa prædicta quidem cùm dubium inciderit, & ad Regios iudices fuerit cauſſa deleta, ipſi prout benè viſum fuerit, attentis Doctorum ſententiis iudicabunt. Quod autem à me dictum, pro foro poterit conſcientiæ iuuare, vt teſtamenta militum non ſolemnia ſine illius poſſint grauamine ſuſtineri. Pro quibus & aliis hæc ſatis.

§. V.

Alia circà Indos ex miſerabilium perſonarum titulo priuilegia percurruntur.

174 Congerit illa Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 1. Cap. 27. num. 40. & ſeqq.* & in Politica *pag.* 233. *Col.* 2. ſuntque reſtitutionis in integrum: dolum & fraudem in eis non præſumi: à tutelis, & aliis oneribus ſimilibus excuſari: lites eorum citò, & ſublatis formulis expediendas, pro quo Regia reſcripta extant, & Concilij Limenſis ſecundi admonitio *Parte* 1. *Cap.* 140. Venire poſſe contra inſtrumenta, quæ præſentauerint, & confeſſionem ſui Aduocati in libello factam, non ſolùm in continenti, ſed quandocumque reuocare, & etiam poſt publicationem teſtium, atque in ſecunda inſtantià per eoſdem articulos, & directè contrarios, nouos producere teſtes: iudiciariam contumaciam non committere, Curiæ caſum habere, & à pœnis non confecti inuentarij liberari. Sic habet ille cum prædicto alio de non præſtandà fideiuſſione in Capitulis contra Prætores, de quo §. 1. In quibuſdam tamen diuerſæ occurrunt Doctorum ſententiæ, ſed iuxta fauorabiles locutus, vt in caſu Curiæ poſt litis conteſtationem, quod negat Couarruuias Practicarum *quæſt. Cap.* 7. §. *Nono*, *vbi* circa finem. Sed tenet Matthæus de Afflictis apud eumdem. Occurrunt etiam apud ipſum doctiſſimum Præſidem alia, quæ in fauorem Indorum poſſunt aduocari, ex quibus ſit

175 Primum, Indum re proprià per vim ſpoliatum, poſſe cauſſam ſuam coràm Eccleſiaſticò iudice proſequi, dummodò in laico negligentia adſit *Cap.* 6. §. *Immò & in hoc*, vbi aliquos adducit ſententes: idem dicendum etiam non datà negligentià iudicis ſæcularis, & eſſe ait communem ſententiam Canoniſtarum: in Hiſpania tamen neutiquam admittendam, ſed riſui habendum eum, qui eam vellet ad praxim reuocare, quod & de Gallià teſtatur. Sunt etiam aliqui praxim eamdem in Hiſpanià negantes, etiam datà negligentià iudicum Regiorum, ex quibus aliquos adducit. D. Felicianus à Vega in Cap. *Licet ex ſuſcepto, num.* 22. qui tamen *num.* 23. *ſequenti:* non ideo reiiciendam probat, cùm ſit Canonica diſpoſitio, & communi Doctorum ſenſu roborata. Quod autem Scriptores illi, ex quibus aliquos etiam allegat Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 5. *num.* 62. dum eam negant, in eo ſenſu fuerint ob non peruiſam ab ipſis, mouere non debet, iuxta citatum D. Felicianum, quia cùm iudices Regij in Hiſpanià pro reddendà iuſtitià miſerabilibus perſonis aduigilent, rariſſimè accidit vt ad Eccleſiaſticos recurſus habeatur. Quòd ille in Indiis ſpecialiter haberi queat, affirmat Bobadilla in Politica *Libr.* 2. *Cap.* 17. *num.* 110. Nec de illis ille loquitur ſed generaliter, ex quo fit pro illis doctrinam dictam vrgentiùs militare. Modum autem Prælatorum prùdentia docebit, ne, dum vnius damno curatur occurri, multa & grauiora ſequantur.

176 Secundum, Cùm Indi contra eos agunt, à quibus ſpoliati, ab eiſdem expenſas dandas tenent Auctores apud illum *eodem Cap. n.* 5. quòd ſi fortè in lite ſuccumbant, non eſſe reddenda quæ ex cauſſa prædicta acceperint, tenent aliqui apud eumdem *num.* 7. & fauent quæ habet *in fine Capitis.* Certè qui bonâ fide accepit, nec factus eſt locupletior, in conſcientiæ foro non eſt obligatus, quod & iudices debebunt obſeruare.

177 Tertium, non poſſe extra proprij domicilij forum trahi, vt in Curià reſpondeant *Cap.* 7. *num.* 2. §. *Habent præterea.* Vbi graue dubium emergit, an id etiam ſtet quando actor eſt ſimiliter priuilegiatus, vt ſi Indus contra Indum agat, Eccleſia (quam eodem priuilegio gaudere probat *ibidem.* § . *Verùm de Eccleſia*) vidua, pauper, pupillus &c. de quo luculenter agit. *n.* 45. *&* 5. diuerſas Auctorum ſententias adducens, & generaliter

Digitized by Google

taliter concludens non poſſe, ſtante generali regulâ, de qua in *L. Sed & milites. D. de excuſat. tutor. L. Verùm. §. Item quæritur. D. de minoribus. §. Sed & hac præſenti in Authent. de Sanctiſſimis Epiſcopis. Collat. 9.* quod priuilegiatus vti priuilegio nequit contra pariter priuilegiatum. Et in Hiſpaniâ praxi firmatum oſtendit *§. Septimo hac eadem.*

178 Eſt autem ſatis veroſimilis opinio Matthæi de Afflictis in *Conſtitutione Neapolit. Lib. 1. Rubricâ 36. numer. 35.* affirmantis eum, qui priuilegium habet fortiori cauſſâ roboratum, poſſe priuilegiatum ex non ita firmâ trahere ad forum Curiale. Quod quidem reſpectu Indorum videtur ſpecialiter obſeruandum, quando illi contra ſuos Gubernatores agunt, à quibus facilè opprimi poſſunt, aut etiam à viduis, & pupillis, potentiores habentibus defenſores. Quod eſt quidem Couarruuiæ doctrinæ conforme *§. Octauò, ſi alicuius.* Vbi id generaliter tenet in caſtri, villæ, vel ciuitatis communitate, quæ poteſt dominum ad Curiæ tribunal adducere, etiamſi priuilegio orphani & minoris, vel ſi femina ſit, iure viduitatis ſe tueri velit, cùm tribunal hujuſmodi ſit manifeſtè ſuſpectum. Iuxta quæ quotieſcumque inter litigantes priuilegiatos, eſt, ſi non manifeſta, probabilis tamen, & non malè fundata ſuſpicio, idem prorſus faciendum.

179 Id quod vlteriùs poteſt declarari, & comprobari. Nam lex concedens priuilegium fori perſonis dictis, non concedit directè & apertè, niſi cùm actores ſunt: *lex* inquam *vnica C. Quando Imperator inter pupillum & viduam.* Cui lex Regni conſonat. 41. *Tit.* 18. *Part.* 3. & aliæ apud Couarruuiam *ſuprà in principio Capitis.* Quãdo ergo rei ſunt & conuenti, id ex interpretatione Doctorum inualuit, & inde fit in praxi locum arbitrio relinqui. Et cùm priuilegij huiuſmodi fundamentum miſeria litigantium ſit, ei potiùs fauendum videtur, in quo major pro commiſeratione ratio deprehenditur. Qui diſcurſus pro Indis apprimè facit, quibus illud ex Thoma à Kempis ritè adaptetur: *Omnes miſerabiles ſumus, ſed neminem te miſerabiliorem (perinde eſt, fragiliorem) æſtimes.* Vnde doctrinam hanc arbitror ſub grauis peccati reatu à judicibus practicandam; niſi circumſtantiæ tales occurrant, quæ in contrarium vrgeant, & ad commiſerationem poſſint majorem ſincerum iudicantium animum permouere.

180 Quartum, Cauſſas Indorum ante omnes alias in Regiis Prætoriis tractandas, quæ in Tabulæ habentur deſcriptæ, vt ſuo ordine expediantur. Sic *Cap. 7. num. 3. §. His accedit:* vbi additur vſu obtentum vt Sabbato cuiuſlibet hebdomadæ cauſſæ pauperum & Monaſteriorum, quæ pauperibus æquiparantur, omnino examinentur ad earum expeditam diffinitionem. Quod vtinam ſic fiat!

181 His addo circa priuilegium illud præfato titulo innixum, vt ſine fidejuſſione poſſint Indi libellos contra Prætores cùm voluerint, ante ſcilicet, aut poſt ſyndicatum, præſentare, de quo Dom. Solorzanus *citat. Cap. 27. numer. 62. & ſeqq.* & in Politica *pag. 235. & ſequenti, Col. 2. §. Y en la miſma, & ſeqq.* benè ipſum aduertere aliquos Prætoribus infenſos Indorum vti miniſterio ſolitos, dum eos ad accuſationem impellunt, vt ſic à fidejuſſione præſtandâ liberentur. In quo quidem, ſi accuſatio juſta ſit, & Indi ad falsò teſtificandum neutiquam adigantur, peccatum graue non eſt ex ſe: quidquid de odio mortali ſit, quod abeſſe aliquando poteſt, ſed rarò, quia ad hujuſmodi expoſtulationes non juſtitiæ aut pietatis zelus, ſed priuatæ extimulant ſimultates. Ex quo quidem obligatio reſtitutionis non oritur, juxta communem Scriptorum doctrinam de violatâ tantummodò charitate. Niſi ob acceleratam expoſtulationem ante ſyndicatûs tempus, cùm res non vrgeret, expenſæ fuerint cumulatæ: ſic enim juſtitiæ jam res agitur à talibus violatæ.

§. VI.

An quæ de Indis dicta, ad Æthiopes debeant extendi. Vbi & de Mixtis.

182 SI ſerui ſint, vix eſſe locus dubio poteſt, niſi cùm de libertate agunt, & tunc, ac quoties tale quid occurrerit, dubitari nequit miſerabiles eſſe perſonas, in quibus miſeria ſumma eſt, carentia ſcilicet libertatis: & ita quæ de Indis dicta ſunt, & illorum ſtatui non repugnant, eis penitus adaptanda. Sunt verò & liberi multi, in quibus non illa, quæ in Indis ſimplicitas, præſertim in viris, ſicut & in feminis apud Hiſpanos natis, pro quibus, & mixtim progenitis, Meſtiziis inquam & Mulatis, quos vocant, ex Europæis ſcilicet atque Indis, vel Æthiopibus ortis.

183 Dico primò. Æthiopes, quicumque illi ſint, miſerabiles ſunt perſonæ, & ita Indis quoad prærogatiuas talium exequandi. Id conſtat, nam eorum eſt ſatis miſeranda conditio, quia pauperes, multorum injuriis frequenter expoſiti, ac mancipiorum more tractati, vnde in omnibus publicis concurſibus ſine controuerſia Indis poſtponuntur. Cùm ergo, vt ex Cyno, Alberico, & Bartholo habet Couarruuias citato Cap. 7. §. *Ceterùm, quia,* judicis arbitrio relinquatur quæ ſint miſerabiles dicendæ perſonæ. nullus erit qui circa hoc hærere poſſit, licet ſuis expreſſi nominibus apud Scriptores non inueniantur.

184 Dico ſecundò. Circa Meſtizios & Mulatos, eorum eſt attendendus ſtatus. Si enim Hiſpanorum more agant, neque ſimplices ſint aut pauperes, eorum ſunt etiam more tractandi. Hinc Meſtizij ſub Protectoris curâ non ſunt, cùm ſe poſſe ſufficienter regere cenſeantur: quamuis aliqui ſint inter Indos nati & educati, qui nihil ab Indis diuerſum præſeferant, eorum etiam more veſtiti, ad quos debet etiam cura ſe Protectoris extendere ſi ipſi velint; nam id fortè refugient, vt in ſuis contractibus agere liberiùs poſſint, & domicilium pro libitu commutare. Quod autem de Mulatis dictum, de liberis tantùm procedit: ſi enim mancipia ſint, quia ex captiuâ nati, idem eſt quod de Æthiopibus aſſerendum; quando, etiamſi liberi eſſent, eorum deberet attendi paupertas; quæ quia communiter in prædictis occurrit, juxta eam judicandum; cùm aliàs paupertatis ex abjecta origine incre-

mentum

Digitized by Google

mentum miſeriæ diſpiciatur; licet ſe ſolo non ſufficiat: ſunt namque multi, ſicut & Meſtizij adeò lautè viuentes, & in honore habiti, vt nullus eos miſerabiles reputet, neque in eorum litigiis ad commiſerationem peculiarem miſerabilibus perſonis debitam, moueatur. Et quidem viduas, cùm diuites ſunt, multi inter miſerabiles perſonas numerandas negant, ſicut & pupillos, vt videri poteſt apud Gouarruuiam *Cap.* 6. citato. §. *Primus caſus.* Quis enim miſerabiles dicat diuites, id habentes, quo miſerias poſſint omnes propulſare? Pecuniam inquam, de qua recens, ſed elegans Poëta:

Me diua omnipotens, cuſa, effigiata, rotunda.

Cujus & Hiſpana verſio illa:

Aquella, ſi bien vndida
Dioſa, que todo lo puede,
Redonda, paraque ruede,
Porque ſe abata, batida.

Quòd ſi aliter dicendum, vt apud eumdem alij, de quo & *ſuprà num.* 154. ideò eſt quia in lege ipſâ expreſſum, in qua de viduis & pupillis mentio, vnde beneficium hoc non debuit eiſdem, licet ratio pro ipſis non adeò eſſet vrgens, denegari. In caſu autem noſtro nulla eſt lex, quæ prædictos exprimat, & alioqui ratio non ſuffragatur ipſis: ex quo fit nullum futurum judicem, qui vti priuilegiatis fauendum in litigiis arbitretur.

185 Quòd ſi fortè aliquis ſit, per me certè licebit, & tueri ſe poterit ex eo quòd tales Pontificiis priuilegiis Indorum ac Æthiopum in ordine ad res ſpirituales, ſeu negotia animæ perfruantur, de quo dictum *Titulo* 5. *numer.* 134. quamquàm id non adeò ſolidum ſit: pro extenſione enim præfatâ ſtat Pontificum expreſſa in quibuſdam declaratio, vnde ad alia fit veroſimilis ampliatio. Quod ſecus in iis accidit, de quibus agimus: nullius enim legis, aut peculiaris reſcripti pro eo indultum reperitur. Sed quia ſimile extat aliquid, vt in quibuſdam aliis accidit, poterit tolerari, & pupillorum ac viduarum diuitum exemplum adſciſci in fauorem prædictorum.

§. VII.

An ex præfatis origo puritati ſanguinis obſtet ad officia aliqua, & honorarios titulos requiſita.

186 De hoc Dom. Solorzanus *citato Cap.* 27. *numer.* 77. *& ſeqq.* & in Politica *Cap.* 29. *pag.* 245. *Col.* 1. *& ſeqq.* vbi in eorum fauorem reſoluit admittendos ad omnia, & ciuilia & ſacra, ſi capacitas ſuppetat, neque Maurorum aut Iudæorum jure cenſendos, atque inter eos nobiles ad Equeſtres Ordines admittendos. Quod ego in Indis rariſſimè admitterem: valde enim equeſtrium Ordinum ſplendor decreſceret & contemptui haberetur, eſſetque indecorum nimis equeſtres homines ob ebrietatem ludibrio habitos, quod in talibus poteſt magno cum fundamento, quiſquis eos nouerit, ſuſpicari. Et citatus quidem Auctor de Indorum genere ac Nigrorum promiſcuè loquitur; cùm tamen circa hoc valde diuerſus ſit in communi æſtimatione conceptus: ex Nigris enim oriundi licet ex eo capite poſſint puritatem habere ſanguinis, quia neque Iudæi, neque Mauri: non tamen nobilitatem, quia ex mancipiis deſcendunt, quorum ante captiuitatem genus probari nobile nullo modo poteſt, vnde & ceteris paribus Indigenis poſthabentur.

187 Quia verò in Societate noſtra ſtatutum de puritate dictâ extat *in Congregat.* 5. *Decreto* 52. *&* 53. *& in* 6. *Decreto* 28. obſeruare juuat eos, qui ex Indorum genere nobiles vulgo habentur, nullum habere inde impedimentum. Sic *citato Decreto* 28. ſecus ſi ignobiles, vſque ad quintum gradum incluſiuè, ex eodem de Tarteris, & aliis ita concludente: intra quos tamen gradus diſpenſare R. P. Generalem poſſe, ibidem habetur. Quòd autem in eo Decreto Indica ſit progenies incluſa, ex eo conſtat, quia minimè excluſa comperitur. Vbi enim? & quia quando opus eſt, ad eumdem R. P. habitus inuenitur pro diſpenſatione recurſus. Etſi quandoque annuit, nomine diſpenſationis vtitur: pro quo eorum epiſtolas poterunt conſulere Prouinciales. Si factum aliter aliquàndo, id certè bonâ fide, quam non ſuffragari, ibidem declaratum. Id quod in Æthiopibus certius multò.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
ADDITIONVM
AD TOMVM PRIOREM
THESAVRI INDICI.

Numeri marginales hic tantum indicantur.

A

Æthiopes.

GAudent Indorum priuilegijs quoad temporalia, quia miſerabiles perſonæ. 182. & 183
Ab ipſis origo an obſtet ſanguinis puritati ad multa requiſitæ. 186

Alexander VI.

Illius defenſio, & ſingularis deuotio erga Euchariſtiam. 2

Angelus Maria Verricelli.

Illius erga Indiarum expugnationem & donationem Pontificiam aſſerta excutiuntur, cum donationis eiuſdem defenſione. 3. & ſeqq.

B

Bellum.

AN inferri poſſit nolentibus Euangelij Prædicatores admittere. 8

Beneficium.

Circa Eccleſiaſtica, vide v. Electio.

Benemeriti.

Temperandæ circa illos pœnæ. 94

Bona incerta.

An reſtituenda. Et modus pro reſtitutione peculiaris. 98.

Bulla Cruciata.

Circa illius durationem difficultates peculiares expeditæ. Et qualis pro ea futurus annus. 87. & ſeqq.
Religioſos non poſſe eâ vti quoad reſeruata. 110
Quid Nouitij. 112

C

Confeſſarius.

QVæ illius obligatio circa ea, in quibus Pœnitens laborat ignorantiâ culpabili. 37

Contractus.

Argentearum pinnarum ex ſimili in frumento declaratus. 119
Locationis animalium vt liceat Eccleſiaſticis. 129
De contractu Nigrorum. 131
De contractibus Indorum vide. V. Indi. De triplici in vno. 128

D

Decimæ.

ILlarum cauſſas ad laicos non ſpectare, quidquid vnus aut alter ex Theologis aduerſentur in peculiari caſu. 44
Non debentur ex prædijs Religioſorum conductis. 86
Neque ex ijs, quæ ipſi conducunt, ſtante priuilegio vt non ſoluanter ex ijs, quæ habent. 87. & 88
Speciale illud in Societate IESV. 89
Dari communicationem priuilegiorum etiam in decimis, non obſtante Bulla Pij V. 90

Didacus Butronius.

Laudatus ob conſtantiam, & munificentiam. 21

E

Electio.

AD Beneficia Eccleſiaſtica an digniores eligendi ab habentibus liberam prouiſionem, & quid pro Indijs. 27
An preferendi in Indijs Diœceſani. 28. & ſeqq. vbi notanda quædam.

F

Famulus.

QVod iuſtum ſtipendium ex neceſſitate ſeruientis. 19.

Fontirrabia.

Quæ vrbs. Qualis eius conſtantia contra Gallicam incurſionem. 20. & ſeqq.

G

Gallia.

EIus in Indias nauigationes vnde minùs felices. 26.

I

Indiæ. Indi.

QVàm iuſtè ab Hiſpaniarum Regibus acquiſitæ. 10. & ſeqq.
Indi an cogi ad mineras poſſint. 133. & 134
Sunt miſerabiles perſonæ varios ob titulos. 141. & 142.
Quàm graues indè illatæ ipſis iniuriæ. 143. vbi vulturij notandum exemplum.

Seuerius

Digitized by Google

Seuerius quàm illatæ alijs puniendæ ex reſcripto Regio, quod defenditur ratione, & Romanorum exemplis. 144. & ſeqq.
Quàm vtiles. 148
Vt faciendo ipſis læſi honoris reſtitutio, verbis, alapâ, &c. 151. & 152. *Vbi de obligatione generaliter circa hoc, & diuerſarum ſententiarum conciliatione.*
An obligentur naturaliter in contractibus ipſis prohibitis ſine aſsiſtentia Protectoris. 152. & ſeqq. *vbi & generalis doctrina.*
De illorum teſtamentis. 165. & ſeqq.
Varia illorum priuilegia vt miſerabilium perſonarum. 174. & ſeqq.
Vt ſpoliati an poſſint ad Eccleſiaſticum iudicem recurrere. 175
Expenſas pro lite an ipſis dare debeant ſpoliantes. 176
Extra proprij domicilij forum an trahi queant. 177 & ſeqq.
Forum cauſſæ ante alias expediendæ. 180
Fideiuſſionem dare in capitulis aduerſus Prætores non debent, & ſpecialis reſolutio circa eos, qui ipſorum circa capitula vtuntur miniſterio. 181
Origo ex ipſis non obſtat ſanguinis puritati ad multa requiſitæ. 186
Speciale pro Societate IESV. 187
Vide Iuramentum.

Indulgentia.

Opinio probabilis circa illas non ſuffragatur, ſi non vera. 107. & 108.
Stationum an plenariæ. 112

Iuramentum.

Cum æquiuocatione vt liceat, cum notanda doctrina. 95. & 96.
Prætores Indici vt iurare poſſint. 113
Qualiter & Commendatarij, vbi & doctrina peculiaris. 114 & 115.
An confirmet contractus Indis prohibitos ſine aſsiſtentia Protectoris, &c. 161. & ſeqq.
Poſſe relaxari vt pupillorum. 163
Etiam à Protectore. 164

L

Lex.

DE *illius obligatione in conſcientiæ foro peculiaris doctrina.* 43. & 44
Ab illarum obſeruantiâ felicitas. 149

Læſæ Maieſtatis crimen.

An tale in Auditorum Regiorum inhonoratione. 92

Libertas Eccleſiaſtica.

Quando illi præiudicetur per impoſitiones, & de praxi reddendi iurantibus in fine anni. 84. & 85

Lucrum.

Ob carentiam pecuniæ an liceat. 120
Ceſſante lucro in mutuo auctoritate Apoſtolicâ comprobatum, ſicut ob damnum emergens, & pericula. 121 & ſeqq.
Licet ex contractu triplicem includente. 128

M

B. G. Mariſotus.

S*iniſtræ fidei ſcriptor, contra quem à* num. 18. *Vana ex ipſo præcellentia pſeudo regis.* 14
Eiuſdem non vera narratio de nauali prælio cum claſſe Indica. 23. & ſeqq.

Meſtizij.

An gaudeant Indorum *priuilegijs.* 184. & 185. *vbi & de Mulatis.*
Sub Protectoris cura an ſint. Ibid

Minerarij.

Vt obligentur in foro animæ Regijs Ordinationibus. 132

Miſſa.

An virtute priuilegij celebrari poſſit in cameris Religioſorum ab infirmis in eiſdem degentibus. 109

N

N*Ouitates in gubernatione quæ dicantur, pro Regiarum ſchedularum intelligentia.* 56. & ſeqq.

O

Officiales Regij.

Q*Vomodo negotiari cum Regiâ pecuniâ queant.* 97

Opinio.

Quæ probabilis an falſa dici queat. 125
An dici etiam deceptum Auctorem. 126
Cum ea licet compenſatio occulta. 159
Et cùm debitum eſt in ſpe. 160

P

Peruuium.

Q*Vantæ ab illo diuitiæ, præ Orientali* India. 14.

Philippus II. H. R.

Quanto cum conſilio, iuſtitiâ, & maturitate Luſitaniæ regnum occuparit. 12. 14. & ſeqq. *Vbi eiuſdem elogia.*
Vt Galliæ auxiliatus. 15. & 16
Singularis Dei prouidentia in ſucceſſione Luſitaniæ. 19

Prædicatio.

Quando præmittenda vt expugnari infideles poſſint. 4 & ſeqq.

Priuilegium.

Vide Indi, *quoad illorum priuilegia, vbi & de priuilegijs miſerabilium perſonarum.*
Priuilegiatus contra priuilegiatum, vt gaudeat priuilegio. 177. & ſeqq.

Prorex.

Quomodo Omnimodâ vti poſſit circa Religioſorum electiones. 70

Protector.

Indorum an teneatur ad viſitanda xenodochia illorum cum doctrina vtili. 135. & ſeqq.
Acta ab Indis ſine illius aſsiſtentia vt valeant. 153 & ſeqq.
Circa teſtamenta quid poſſit. 165
Quid circa Meſtizios. 166
Vide v. Iuramentum.

Q

Querelæ.

I*Ndorum contra Prætores, vide* v. Indi.

R

Recurſus per viam violentiæ.

Q*Valiter Religioſos dedeceat, ſi ex ambitione.* 46
Qualis licitus. 73
Recollectio Patentium non damnanda. 47. & 48

Digitized by Google

Quid de illarum valore, ſi non regiſtratæ. 48. & ſeqq. & 71.
Quod diſſimulare Regiæ Audientiæ poſſint. 69
Quid innouationis & ordinatæ gubernationis nomine in Regijs ſchedulis intelligatur. 55. & ſeqq.
Quæ ſpecialiter prohibita, & de prorogatione Capituli non ſtabili, atque abbreuiatione. Ibid
Quid de ſtabili. 61. & ſeqq.
Prorex quomodo tunc vti poſſit Omnimoda. 70

Religioſi.

Illorum controuerſiæ meliùs apud eoſdem tractantur, & indecorè à Laicis. 73
Quando arbitri aſſumendi, & quales. Ibid
De vnione ac diuiſione Prouinciarum quid iure, quid Schedulis Regijs cautum. 64. & ſeqq.
Quid in Societate IESV. 66
Pro caſu ſpeciali notabiles Aſſertiones. 68. & ſeqq.
De obligatione reſtitutionis pro malè expenſis, etiam cum generali licentia, vbi & de Beneficiarijs. 76 & ſeqq.
Quid de PP. Minoribus. 81
Quæ munera dare poſſint, & quòd circa hoc Bulla Clementis VIII. mitigata. 80
Quid circa opinionem ſingularem Cardin. Lugo. 82
Vide v. Recurſus.

Reliquiæ Sanctorum.

Ab illis auxilium cum mirabili euentu. 24

S

Scandalum.

QValis circumſtantia ſcandali in Gubernatore. 116
Et in exponentibus menſas ad ludum. 117
Propter illud non omittendam indigentium opitulationem. 138
Neque temporalium adminiſtrationem. 139

Seruitus, Seruus.

Indorum depulſa. 40
Illatæ ſeruis iniuriæ vt vindicatæ in lege veteri. 144
Qualiter à Romanis. 145

Spolia.

In ſpolijs Epiſcoporum quomodo iudices laici ſe intromittere queant. 91

T

Teſtamentum.

IN quibus ſufficiant duo teſtes, etiam fœminæ. 167
Ciuis raro teſtantis an valeat cum ſolemnitate rurali. 169
Et ruſtici in ciuitate. Ibid
Militum. 170. & 171
Aliorum militiæ officialium, 172
Indorum. Vide v. Indi.

Titulus.

Circa Titulum operis obſeruatio. 1

Tributa, & Vectigalia.

Notanda quædam circa illorum obligationem. 41. & 42.

V

Venditio.

OFficiorum vt liceat. 40
Illicita Proregibus, etiam ob titulum liberæ electionis. 83
Indifferentium & pro illis obſeruanda doctrina. 38 & 39.
De pretio venditorum ad creditum. 125. & ſeqq.
Pecunia diua omnipotens. 184

Vinum.

Ad Eccleſiaſticis an vendi in domibus proprijs, aut Monaſterijs poſſit. 130

Vniuerſitas.

Non aſſiſtentes Actibus an lucrentur. 93

FINIS.

Digitized by Google